FRANCISCI XAVERII PATRITII

E SOCIETATE IESU

Doctoris Decurialis Collegii Romani Sacris Libris Interpretandis Et Linguae Hebraicae Tradendae

DE EVANGELIIS

LIBER TERTIUS QUI EST *ΕΞΗΓΗΤΙΚΟΣ.*

FRIBURGI BRISGOVIAE
LIBRARIA HERDERIANA.
MDCCCLIII.

LIBER TERTIUS

qui est

ΕΞΗΓΗΤΙΚΟΣ

Quum primum aliquammultis ab hinc annis ad scribendum de evangeliis animum adpuli, id consilii ceperam, ut ipsa integre, tametsi non perpetua commentatione, ut mos est, sed distinctis ac separatis dissertationibus enarrarem atque illustrarem, eoque ordine, quo in libro secundo ea composui, ac veluti inter se contexui. At brevi factum est ut experimento discerem atque sentirem eum a me operis modum eamque rationem fuisse initam, quam tenere nisi alterutra conditione pergerem, ut vel vita me aliis atque aliis muniis implendis officiisque distentum atque inter agendum festinare nescientem ante deficeret, quam opus absolutum esset, vel ipsum hoc opus, secus ac optabam, aliqua sui parte quasi mutilum in lucem prodire paterer. Sententiae huic meae confirmandae ad caussas, quas dixi, accessit tandem iniqua temporum, in quae devenimus, conditio, alia sane quam quae vacuum curis animum, qualem illiusmodi studia postulant, esse sineret, otiumque his opportunum atque adeo necessarium exspectare, attamen quae simul suaderet, ut, si alterum duorum, ad quae adigebar, eligerem, rem exsequi ne diutius differrem. Quum igitur satius esse ducerem, nisi omnia quae primum mihi proposueram, at ea saltem quae possem, quam nulla, publicare, maxime quod essent qui ad id me impellerent, statui, quidquid hactenus scripseram, typographo edendum committere. Huic autem rei caussa adtribuenda est, cur in hoc libro singula tractata sint, quaecumque in evangeliis leguntur ante Christi baptismum, quae vero post, non item, sed pauca dumtaxat, neque alia quam quae difficiliorem habent quaestionem. Locos tamen evangeliorum bene multos, quos in hoc libro exponere non licuit, in superiore, quantum satis est, difficultatibus, quibus premuntur, expedire curavi. Atque haec sunt, quae dicere habui de dissertationibus, quas liber hic tertius complectitur. Cetera eodem pertinentia, si quis forte scire avet, discere est ex illis, quae toti operi praefati sumus.

DISSERTATIO I

De prooemio evangelii Lucae.

1 Lucas, quod alii evangelistae non fecerunt, breve prooemium evangelio suo praescripsit. Eumdem cultiore stilo usum esse, quam quo ceteri novi foederis scriptores, in confesso est apud omnes. At breve illud prooemium omnino *ἀττικίζειν* is solum negabit, qui exemplaria graeca neque nocturna manu unquam versavit, neque diurna. Loquutionibus, quibus constat, similes ac geminas reperiri in operibus clarissimorum inter graecos scriptores, exemplis pluribus productis demonstravit Raphelius [1]). Quare in hoc prooemio, si usquam alibi, *κυριολογία* ac sermonis proprietas adtendenda maxime est, ut genuinam auctoris sententiam adsequamur. Duo sunt huius prooemii membra, in

[1]) Annotationes in sacram scripturam ad h. l.

quorum priore [1]) caussam, in posteriore vero [2]) suscepti operis propositum Lucas edicit. Utrumque haec commentatio nos edocebit.

2 *Quoniam quidem* Ἐπειδήπερ. Consilii sui caussam proponere Lucas adgreditur, eaque est, sicut mox videbimus, plures tentasse id exsequi, nec tamen perfecisse, quod hoc libro praestiturum se promittit.

3 *Multi* πολλοι. Matthaeum et Marcum neque hos esse, neque inter hos haberi posse, adfirmamus non una de caussa. Primo enim duo nequeunt dici *multi*. Tum scripta istorum *conamina* seu *tentamina* vocantur, quo nomine Matthaei et Marci evangelia nemo unquam vocasset. Insuper ex eo, quod *conati* esse dicantur illud praestare, consequitur propositum suum, non omni saltem ex parte eos esse adsequutos; quod quidem consequens hinc etiam verum esse agnoscimus, quod Lucas satis manifesto prodit hoc ipsum sibi in caussa fuisse, cur scriberet, ubi profitetur id se facere, ut perficiat, quod illi conati sunt. Quis autem Matthaeum et Marcum, evangelistas dico, propositum suum adsequutos minime esse ausit pronuntiare? Praeterea non de iis Lucas loquitur, qui narrationem *scribere*, sed qui *ordinare* conati sunt. At Marcus, multoque minus Matthaeus, ordinem rerum narrandarum sectati non sunt. Ergo neuter id consilii ceperat, ut narrationem ex ordine literis consignaret, proinde neutri commemorando poterat nunc locus esse. Animadverte etiam, ut Lucas scribat illos, quos voce *multi* designat, conatos esse *ordinare narrationem, . . . sicut tradiderunt, . . . qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis* οἱ ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτοπται και ὑπηρεται γενομενοι του λογου, nempe apostoli. Verum quis haec accipiat tamquam dicta de Matthaeo? qui inter ipsos ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτοπτας και ὑπηρετας του λογου adnumerabatur, non autem inter eos, quibus hi illud *tradiderunt*. Denique Lucas, quum, non duorum solummodo, sed plurium scripta hic commemoret, siquidem Matthaeum et Marcum his adnumerasset, dicendus foret tum evangelia genuina et θεοπνευστα, tum aliorum conamina ac tentamenta uno veluti fasce complexus esse. Quod autem *multi* dicantur *conati* iam fuisse ante Lucam *ordinare narrationem* rerum a Christo gestarum, quodque haec narratio, quam ordinare conabantur, ut inferius ostendemus, sit aliquod e ceteris evangeliis, necesse est concludamus evangelium aliquod longe ante Lucae evangelium iam editum fuisse.

4 *Conati sunt* ἐπεχείρησαν. Mera namque *conamina* seu *tentamina* absque successu ea fuere; sive, inquam, scripta sua illi ad finem perduxerint, sive secus, propositum tamen suum nequaquam sunt adsequuti. Ita enim senserunt Origenes [3]), Ambrosius [4]), Hieronymus [5]), et Augustinus [6]), atque ita voces intelligere tum totum hoc prooemium, tum ἐτυμον vocum ipsarum suadent. Etenim, si illi, quod sibi proposuerant, perfecissent, eorum propositum, nedum in caussa esset, cur Lucas ad scribendum animum adpelleret, eum adegisset potius id consilii ex animo amovere. Theophilo autem, cui Lucas se scribere profitetur, opportunius atque expeditius consultum fuisset illorum scriptis ei traditis, quam suscipiendo novum opus, quod ipsi inscriberetur; quum tamen hoc alterum potius Lucae fuerit, dicendus is est positum habuisse illorum tentamina successu caruisse. Sed graeca vox hoc ipsum confirmat. Propria quippe vocis huius notio est *manum operi admovere*, nulla tamen successus ratio in ea habetur, plerumque autem tunc usurpatur, quum de irritis conatibus, vel de opere absque prospero plenove successu quis loquitur, aut saltem, siquidem res futura sit, de cuius successu constare certo non potest. Quadruplicem hunc usum esse verbi ἐπιχειρειν vel obiter legentibus graecos scriptores perspicuum fiet. Num vero opus etiam pleno iam successu peractum eo significetur, sicut exemplis prolatis contendit Raphelius [7]), negarem potius, quum exempla haec minime illud evincant, atque ipsa verbi natura contrarium postulet. Verum, quum maxime referat in hac quaestione, ut verbi huius vim perspectam habeamus, exempla a Raphelio proposita expendere necesse omnino est.

5 Quod enim ex Xenophonte deprompsit de curribus, quos Abradates Susianus similes curribus Cyri Persae construere *adortus fuerat* ἐπεχείρησε, haudquaquam id ipsi suffragatur, neque enim sonat tentamen, cui successus plene responderit. Quamvis enim Abradates currus reapse construxerit, non tamen omnino similes curribus Cyri, quales ille optaverat, hos fuisse discimus tum ex ipso verbo ἐπεχείρησεν, tum ex loco ipso, unde argumentum in rem suam petiit Raphelius, quod, inquam, Xenophon narraverit illos currus constructus revera fuisse; in eo enim loco pro verbo ἐπεχείρησε verbum ἐπειρατο usurpatur, quod sententiae nostrae plane favet. En Xenophontis verba: Ἐπειρατο συντελειν αὐτῳ εἰς τα ἑκατον ἁρματα . . . ὁμοια αὐτῳ [8]). Quare Abradates ideo dicitur opus ἐπιχειρῆσαι, quia,

---

[1]) Luc. I, 1—2. [2]) Ib. 3—4. [3]) In Luc. hom. I. [4]) In Luc. L. I. §§ 2. 3. [5]) Prolog. in Matth. [6]) De consensu evangel. L. IV. c. 8. § 9. [7]) L. c. [8]) Conf. *Xenophontis* Cyropaed. L. VI. pp. 156 A et 157 F edit. *Amelburni* 1625.

quantumvis absolverit, non tamen omnino quale sibi proposuerat atque optaverat. Animadvertas enim oportet aliud omnino esse opus ad finem perducere, aliud vero omni ex parte perficere atque absolvere, aut id adsequi, quod quis intendit. Id si Raphelius animadvertisset, neque istud exemplum, nec alia ex Machabaeis [1]) atque ex Actis apostolorum [2]) deprompsisset.

6 Quod autem ex Polybio deprompsit, Platonis effatum sic habet: *Κἀγω δ' ἀν εἰποιμι, διοτι τα της ἱστοριας ἑξει τοτε καλως, ὁταν ἡ οἱ πραγματικοι των ἀνδρων γραφειν ἐπιχειρησωσι τας ἱστοριας μη καθαπερ νυν παρεργως Equidem dicerem, tunc rem historicam pulcre habituram, quum viri polytici historiis scribendis non perfunctorie, ut nunc fit, manus admoverent* [3]). Vides non de facto aliquo illum loqui, sed de *consilio ineundo*, quo historiae prospiciatur, et de cuius successu, utpote de re futura, nondum cuiquam certo constare poterat, ut vel ipse Plato illud suggerat non tamquam certus de eventu, sed subdubitans, ait enim *dicerem*, non autem *adfirmo* aut *pronuntio*.

7 Iam vero verbum *ἐπιχειρειν*, praeter hoc caput Lucae, bis comparet in Novo Testamento, utrobique ab eodem ipso Luca adhibitum [4]), septies autem in Vetere, atque eam, quam diximus, notionem constanter praefert; imo, si unum excipias caput Machabaeorum [5]), in quo simplex propositum significat, nulla tamen habita successus consideratione, quum solum quaedem similitudo ibi proponatur, in reliquis omnibus conatos irritos verbum istud significat. Proinde patet in quemnam sensum illud sit accipiendum in hoc Lucae prooemio.

8 Neque tamen autumamus tentamina illa esse evangelia *ἀποκρυφα*, quae Nicodemi, Thomae, Bartholomaei, aliorumque nomine circumferuntur. Primo enim non adparet, cur *tentamina* vocari ea debeant. Tum haec ad fallendum conficta sunt, aut saltem mendaciis et fabellis putidioribus scatent; illa vero, quorum meminit Lucas, veritatis edicendae gratia *tentata fuerant*, et *sicut tradiderunt* apostoli et discipuli Christi. Scribit insuper Lucas illos conatos esse ordinare narrationem rerum gestarum, *quae in nobis completae sunt*, sive, ut graecum sonat, *quae plenam fidem habuerunt*; non igitur narrationes fuere rerum confictarum. Neque credibile fit fabellas illas inter Christianos prosiluisse, quum adhuc ii viverent, quorum nomina praescripta ostentabant. Denique illarum fabellarum artifices a Luca non sine laude quadam commemorari, Lucam vero promittere se praestiturum, quod illi conati sunt, quinam in animum inducet ut credat?

9 *Ordinare ἀνατaξασθαι.* Conati itaque illi sunt, non *scribere*, sed ea *ordinare*, imo *denuo ordinare (riordinare)*, id enim sonat graeca vox, quae prius serie aliqua, praepostera tamen, fuerant digesta, sive, quae olim ordinata, ac deinde turbata fuerant, ea denuo ordine digerere. Id illustrari potest verbis Irenaei, quibus narrat Esdram Babylone reducem adgressum fuisse *τους των γεγονοτων προφητων παντας ἀνaταξασθαι λογους και ἀποκαταστησαι τῳ λαῳ την δια Μωσεως νομοθεσιαν eorum, qui fuerunt, prophetarum omnes denuo ordinare sermones et restituere populo leges a Moyse latas* [6]).

10 *Narrationem διηγησιν.* Ex hac et superiore voce haec colligo. Narrationem aliquam iam exstitisse, quam illi *denuo ordinare* tentaverint. Eam literis fuisse consignatam; neque enim illorum consilium versatum esse putaveris circa ea denuo ordinanda, quae viva voce narrabantur, neque id esset *narrationem denuo ordinare*. Non tamen illam *ordine* aut secundum seriem gestorum atque eventuum fuisse dispositam. Eam esse unum aut plura ex reliquis evangeliis; commentitia enim et *νοθα* ordinare haud profecto curae esse potuit iis, qui *conati sunt ordinare, . . . sicut tradiderunt* apostoli et discipuli Christi. Quod si nondum ullum ex evangeliis genuinis ea aetate fuisset editum, quantumvis plurima conficta iam omnium manibus tererentur, neque hac loquendi ratione Lucas usus esset.

11 *Quae in nobis completae sunt, rerum περι των πεπληροφορημενων ἐν ἡμιν πραγματων,* rerum inquam, quae fidem plenissimam apud nos habuerunt; sic enim graeca sonant. Res igitur, quas illa *διηγησις* vel narratio complectebatur, *plenissimam fidem habuerant.* Quare narratio haec, quae, ut animadvertimus, scripta erat, esse non potuit evangelium confictum, quo de Lucas haudquaquam ita fuisset loquutus.

12 *Sicut tradiderunt etc. καθως παρεδοσαν κ. τ. λ.* Haec referri oportet vel ad omne id, quod narratur in versiculo superiore, vel ad verbum *ἀνaταξασθαι*, vel ad vocem *πεπληροφορημενων*. Aio referenda esse ad verbum *ἀνaταξασθαι*. ut sensus sit, illos scriptores conatos esse narrationem *denuo digerere* eo ordine, quo res contigisse apostoli et discipuli Christi docuerant.

13 Neque enim referenda sunt ad totum illud, quod in priore versiculo narratum est, quasi Lucas diceret se ab apostolis didicisse, multos conatos esse ordinare illam narrationem. Id enim

[1]) II Mach. II, 29; VII, 19. [2]) Act. XIX, 13. [3]) L. XII. c. 16. [4]) Act. IX, 29; XIX, 13. [5]) II Mach. II, 29. [6]) Haer. L. III. c. 21 al. 24. § 2.

Lucas per se rescire potuerat, nec necesse erat apostolorum testimonio comprobare rem adeo notam, ut est libros quosdam editos esse, multoque minus necesse erat eas istorum testium proprietates, quae maximam ipsis auctoritatem conciliarent, diserte aperteque enumerare his verbis: *Qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis*, quaeque minime ob rem esse poterant. Praeterea illa *sicut tradiderunt nobis* haudquaquam significant notitiam uni Lucae praebitam, quod vel ideo manifestum fit, quia Lucas mox de se scribens vocem *mihi*, non vero *nobis*, usurpat, sed significant omnino *traditionem apostolicam*. Quis autem hoc concoquat, tamquam rem *apostolica traditione* confirmatam nobis exhiberi, quod *multi conati sunt ordinare narrationem* illam? Denique ex verbis *assecuto omnia a principio diligenter* adparet Lucam curasse ut ordini rerum, quas narrare adgrediebatur, auctoritatem adferret et fidem; sed aeque adparet, si *θεοπνευστειαν* tantisper seponamus, ea satis non esse, nisi fontem simul ostenderet, unde illum ordinem veluti hauserit; hunc vero fontem frustra alibi quaeras (20), quam in verbis *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.* Ex his necessaria consequutione conficitur, his ipsis verbis nequaquam indicari unde Lucas illorum tentaminum notitiam sit adeptus, sed unde tum scriptores, quorum prius mentio facta est, tum Lucas ipse ordinem didicerint rerum, quas narrare instituerunt. Quare inconcinna prorsus esse videtur diversa verborum Lucae interpunctio, quam huius capitis margini adscripsit Griesbachius: *πραγματων· καθως κ. τ. λ.*

14 Sin autem haec ad vocem *πεπληροφορημενων* referre velis, duplex inde sensus exstare poterit, vel apostolos tradidisse illis rebus plenissimam fidem adiunctam esse, vel illas res in tantum fidem plenissimam habuisse, in quantum eas apostoli tradiderint. Neutrum tamen accipi posse facile arguimus. Primum quidem, quia apostoli nequaquam tradiderunt illas res *creditas* esse, sed ita, ut narrabant, esse *gestas*. Alterum vero, tum quia oppido frigeret hoc in loco tale adnotamentum, et quid ab re saperet, tum quia vix id ferret syntaxis, quum ad istud alterum exprimendum alio prorsus ordine verba disponenda fuissent, eaque procul dubio disposuisset Lucas, ita inquam: *των πραγματων των ἐν ἡμιν πεπληροφορημενων καθως παρεδοσαν κ. τ. λ.* Quod si verbum *πεπληροφορημενων* idem hic significaret ac *completa esse*, haec sententia inde exsisteret: *completae sunt, . . . sicut* eas completas esse *tradiderunt* Christi discipuli. Ast quam frigide! quam non in loco! Scilicet ea de re dubitatio cuiquam suboriri poterat. Tum ipsa *συνταξις* idem, ac superius dictum est, peccaret.

15 *Tradiderunt παρεδοσαν.* Fontem, ex quo narrationis ordo petendus esset, hoc verbo indicari adfirmo, non tamen aliquod evangelium. Primum iam probavimus (13); alterum ita conficimus. Hoc evangelium vel ordine digestum fuisset, vel secus. Si secus, quonam pacto ex evangelio non ordinato ordo peti potuisset? Sin vero ordine digestum fuit, quid illi scriptores dicuntur conati esse hunc ordinem restituere, denuo videlicet ordinare, quod adhuc ordinatum erat, atque ita, ut ordinem hunc edocerentur ab illo ipso evangelio, quod denuo ordinandum suscipiebant? Itaque istud verbum apostolicam utique *παραδοσιν* significat, sed *oralem*, ut vocant, non vero scriptam, id est qua apostoli viva voce docebant seriem atque ordinem rerum a Christo gestarum.

16 *Nobis ἡμιν*, non autem *ipsis αὐτοις*. Quare fons, unde ordinem historiae illi scriptores haurire conati fuerant, Lucae non minus ac ipsis patebat; Lucam, inquam, non minus ac illos ordinem hunc apostoli docuerant, illaque *oralis παραδοσις* Lucae atque illis communis fuit.

17 *Qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis οἱ ἀπ᾽ ἀρχης αὐτοπται και ὑπηρεται γενομενοι του λογου.* Apostolos eos esse ac ceteros Christi discipulos perspicuum est. His autem verbis exponit Lucas, unde auctoritas ac fides fieret *παραδοσει*, qua ipse rerum a se narrandarum ordinem docebatur; videlicet ex eo, quod apostoli et discipuli illas res ipsi viderint, magnaque earum pars fuerint, de quarum veritate atque ordine, quo gestae sunt, testabantur. Hoc enim in loco vox *sermonis του λογου* res ipsius Christi sonat, non autem praedicationem evangelii apostolis a Christo demandatam; neque enim adeo ex hoc, quod ipsis fuerit demandata ea praedicatio, ut quod Christo in terris versato suam operam navaverint, eumque iugiter fuerint comitati, apostolorum testimonium permagni, ut par erat, aestimabatur ab iis, quibus illas res hi narrabant. Praeterea, etsi illam nominis *του λογου* notionem hoc in loco accipere sinat nomen *ὑπηρεται*, nullo tamen pacto id patitur nomen *αὐτοπται*.

18 *Visum est etc. ἐδοξε κ. τ. λ.* Altera prooemii pars, in qua propositum suum, et quid operis, et quorsum susceperit, Lucas declarat. Propositum ipsi est autem *ex ordine . . . scribere*. Diligenter velim consideres, ut longe aliud sit *ex ordine scribere*, aliud *omnia narrare*, aut, neque *accepta occasione*, in quarumdam rerum, quae alio tempore gestae sunt, mentionem unmquam *incidere*; prius Lucas sibi proposuit, seque praestiturum profitetur, non alterum, neque alterum hoc postulat

historiae ordo, quum Ioannes, qui seqoe ac Lucas ordinem temporum observat, narrationibus subinde ea inserat, quae alias facta sunt [1]).

19 *Et mihi κἀμοί.* Probe velim adtendas, quid hic valeat particula *et.* Hoc quippe Lucas diserte profitetur *idem* se sibi consilium proposuisse, quod illi, quorum prius meminerat, sibi proposuerant, id est *ordinare narrationem* rerum; atque insuper confirmator similem inesse vim his duabus loquutionibus, ἀνατάξασθαι διήγησιν, quo illorum, et καθεξῆς γράψαι, qua Lucae consilium designatur.

20 *Assecuto omnia a principio diligenter παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς.* Habes quadruplicem rationem, qua Lucas fidem nobis facit perfecturum sese, quod sibi sumit perficiendum. Est autem harum rationum prima, se res gestas rerumque gestarum ordinem, quo eas descripturus est, ita esse perscrutatum, ut eum *adsequutus sit.* Altera est, *omnia* se esse adsequutum, πράγματα videlicet illa seu res, *quae in nobis completae sunt.* Tertia est, omnia haec perscrutatum se esse atque adsequutum ab ipsis eorum *primordiis* repetita. Quarta denique est, *diligentiam* se in his perquirendis adhibuisse. At, quum tot promeret Lucas, quibus ordinem rerum ab ipso narrandarum nobis probaret, nihil inter haec posuit, ex quo disceremus, unde ordo ille in eius notitiam perlatus fuerit. Id enim vero ab eo omissum neglectumque esse cuiquam fieri verisimile nequit, ubi advertat quam sollicitum sese Lucas ostendat, ut sibi credamus. Oportet igitur in alia huius prooemii parte illud reperiatur. At non alibi reperias nisi in verbis *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt etc.* Haec igitur verba sunt, quae nos docent unde Lucas ordinem rerum scribendarum didicerit, ut iam demonstravimus (13. 15. 17).

21 *Diligenter ἀκριβῶς.* Diligentia, qua in illa conquisitione Lucas usus est, cogit nos illud omnino accipere, quod aliorum evangelistarum scripta, siqua iam edita erant, ei penitus perspecta fuerint. Aliunquin qui potuisset, quaeso, Lucas vere adfirmare *omnia* sese esse diligenter perscrutatum atque *adsequutum*? siquidem, inquam, tentatos frustra aliorum scriptorum labores bene nosset, γνήσια vero evangelistarum scripta ignoraret.

22 *Ex ordine tibi scribere καθεξῆς σοι γράψαι.* His idem illud consilium enuntiari, quod verbis *ordinare narrationem*, comperimus ex particula coniunctiva *et*, quae praecessit, ut superius diximus (19). Sed perspicuum praeterea quam maxime fit ex his ipsis loquutionibus, tum illorum scriptorum, tum Lucae consilium aeque fuisse *ordinem sequi* in rerum narratione. Qui autem id se consilii cepisse definite distincteque profitentur, manifestum est eos positum habere quosdam iam scripta esse, in quibus ordinandis consilium illud suum versetur, seque nequaquam primos esse, qui illas res scriptis mandent, quamquam primi fortasse sint, qui id ex ordine sint praestituri. Quum e contrario, siquis primus omnium, aut nil cogitans de ratione ac modo, quo alii prius fortasse scripserint, aliquam historiam scribere instituat, quomvis eam ex ordine persequi velit, non tamen nisi minus adcurate diceretur velle *narrationem ordinare*, nec nisi minus λογικῶς eam velle *denuo* ordinare; neque ipse ita definite ac distincte, ut Lucas fecit, illud se praestiturum profiteretur, quod nemo non sibi proponere solet, qui historiam proprie dictam scribere instituit. Ne igitur opposueris Lucam haudquaquam dicere velle se *narrationem ordinare*, aut *denuo ordinare*, sed solum promittere sese ordinem in rebus scribendis servaturum. Ne id, inquam, opposueris. Nam iterum praemonuimus Lucae verba καθεξῆς σοι γράψαι, propter particulam coniunctivam vocis κἀμοί, ita accipienda esse, ut quae unum idemque soneut ac illa priora ἀνατάξασθαι διήγησιν. Oportuit ergo iam scriptam prodiisse narrationem, quae foret ordinanda. Adtendere praeterea est, quoniam Lucas diserte profitetur sese rerum a Christo gestarum historiam ex ordine scripturum esse, ut ex hoc consequens fiat a Luca, non vero ab iis evangelistis, qui illud professi non sunt, nec sibi praestandum proposuerunt, ordinem huius historiae quaerendum esse. Cur vero, non simpliciter ἀνατάξασθαι sibi propositum esse dixerit, sed καθεξῆς γράψαι, ratio est, quia non, sicut illi *multi*, narrationem iam scriptam ordinare instituerat, sed aliam narrationem scribere observato rerum ac temporum ordine; scilicet idem ac illos consilium eum cepisse, non tamen idem opus perficiendum.

23 *Optime Theophile κράτιστε Θεόφιλε.* Discors sententia est, utrum hoc nomine Lucas virum aliquem compellet, an potius aliquam ecclesiam, an quemlibet Christianorum; quorum postremum liquido negabit, quisquis, quae dicemus, adtente perpenderit. Veritati autem consonam magis videtur sententia putantium aliquem virum, quam ecclesiam aliquam, designari, tum quia verba ipsa id sonant, tum quia ἐπίθετον illud *optime* hoc idem indicat, tum denique quia verbum κατηχήθης melius

---

[1]) Io. II, 22; XI, 2 coll. XII, 3.

in hominem quempiam, quam in ecclesiam convenit; quae sententia aliquot patribus aeque ac aevi nostri scriptoribus adrisit. Ceterum utrumvis praeferre integrum tibi est; quare utrumque edisserere adgredimur.

24 Si virum aliquem esse autumes hunc *Theophilum*, haec de viro isto, partim certa, partim probabilia quam maxime licet adfirmare. Eumdem hunc esse, cui liber Actuum apostolorum dedicatus est [1]), atque adeo cuius praeclara essent in ecclesiam merita. Publico aliquo munere eum functum, dum Lucas evangelium scribebat, ut significare videtur *optimi* seu *fortissimi* κρατιστου adpellatio eorum propria, qui provinciis praeerant, vel aedilitatem aut Caesaris procurationem gerebant [2]); tametsi, maiorem magistratum obtinuisse Theophilum quominus credamus, obstat eius origo vel libertina, vel graeca, vel saltem non romana, qualem nomen ipsum manifesto prodit. Quum vero illa adpellatione nequaquam ornetur in Actis apostolorum, coniicere inde est munere suo iam fuisse defunctum, quum Acta scripta sunt. Iudaeorum leges ac ritus perspectos eum habuisse constat, quum Lucas ita de illis loquatur, ut quae nota essent legenti [3]). Neque tamen origine Iudaeum hunc dixerim, nemini enim Iudaeorum ea reipublicae munera demandata fuisse scimus, quum et Iosephus, qui fusius enumerat, quaecumque popularibus suis [4]) ac sibi [5]) Romani concesserunt, nihil de illis muneribus memoriae prodiderit, si unum excipias Tiberium Alexandrum Alexandri Lysimachi alabarchae alexandrini filium, quem narrat Iudaeae procurandae a Claudio praefectum fuisse post Cuspium Fadum [6]); verum Tiberius iste a iudaicis religionibus patriisque moribus atque institutis desciverat [7]), quod de Theophilo ne suspicari quidem est. Ignotas enimvero fuisse Theophilo regiones Palaestinae ex hoc arguimus, quod Lucas diversa harum regionum loca memorans vel eorum nomina reticet [8]), utpote quae scire parum aut nihil legentem iuvaret, vel aliquo adposito illorum situm definit ac docet [9]), utpote lectori incompertum. Eodem pacto probare possumus neque Macedoniam [10]), neque Atticam [11]), neque Cretam [12]) Theophilo visas fuisse. Syro scriptori Bar Bahlulo [13]), qui illum Alexandrinum dicit, quominus credamus, obstat silentium scriptorum alexandrinorum, quos inter Origenes narrat solummodo Lucam ad *ethnicum* scripsisse [14]). Italum vero, aut cui Roma atque Italia notae essent, qui Theophilum putaverit, is a veritate minime aberrare nobis videbitur, siquidem cum Io. Leonardo Hugo [15]) animadvertamus, ut Lucas, qui de locis Palaestinae deque iis, quae Paulus in Italiam navigans peragrabat, ita loquitur, ut qui Theophilo ignota ea esse autumet, vix ad Siciliam narratione pertingit, iam omnem praetereat locorum designationem, sed omnia lectori nota esse ponat, etiam minima, ut sunt Forum Appii, Tres Tabernae [16]). Aliud huius rei argumentum maximi ponderis deprompsit Io. Iacobus Cellerier [17]) ex iis, quae in fine Actuum apostolorum leguntur. Lucas enim, qui res gestas Pauli, et quos socios habuerit, tam adcurate enarraverat, atque ea potissimum quorum testis oculatus fuerat, duobus versiculis [18]) quidquid a Paulo Romae gestum est toto biennio, quo illic mansit, summatim indicat, ita ut neminis meminerit eorum, qui cum Paulo morabantur, etsi Lucas Pauli socius et comes fuerit toto illo tempore; cuius rei nullam potiorem rationem excogites nisi Theophilum ea omnia probe tenuisse.

25 Quod si veri magis simile videatur Lucam ad aliquam ecclesiam evangelium suum scripsisse, hanc aliam non esse quam romanam, accipere omnino debes. Argumento autem sunt ea ipsa, quibus Theophilo neque Palaestinam, neque Atticam, neque Macedoniam, neque Cretam cognitas, Italiam vero atque Urbem, quaeque a Paulo in Urbe gesta sunt, perspecta fuisse probavimus, potissimum vero illud, quod ultimo retulimus e Celleriero. Si enim Lucas ad aliam ecclesiam scripsisset, nullo modo ea reticuisset, quae Paulo Romae acciderant, quaeque is ibidem egerat; maxime enim referebat, ut ceterae ecclesiae discerent, quaenam in Paulum edcusationes instructae fuerint, quomodo coram Caesare caussam dixerit, quinam defensionem eius susceperint, quidnam in prima omnium ecclesiarum instituenda praestiterit, quaenam disputationes ab eo tunc habitae, qua denique ratione haec scribere ex Urbe ipse potuerit ad Philippenses: *Quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii: ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio, et in ceteris omnibus, et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui* [19]).

---

[1]) Conf. Luc. I, 3 et Act I, 1. [2]) *Critt. sacr.* ad h. l. et *Mazochii* Spicilegium biblicum ad h. l. Conf. Act. XXIII, 26; XXIV, 3; XXVI, 25. [3]) Conf. Luc. I, 5. 8. 10; II, 22; VI, 1; Act. I, 12; II, 1; III, 1; XXVII, 9. [4]) Antiq. L. XIV. cc. 8. 10. 12. [5]) De vita sua sub fin. [6]) Antiq. L. XX. c. 5. § 2. [7]) *Ioseph.* ib. [8]) Luc. V, 12; X, 38; XI, 1; XVII, 12; XIX, 30; Act. II, 1. [9]) Luc. I, 26. 39; IV, 31; VIII, 26; XXIII, 51; XXIV, 13; Act. I, 12. [10]) Act. XVI, 12. [11]) Ib. XVII, 21. [12]) Ib. XXVII, 8. 12. 16. [13]) In Lexico. [14]) Ap. *Euseb.* H. E. L. VI. c. 25. [15]) Einleit. in die Schriften des N. T. II Th. § 35. [16]) Act. XXVIII, 12. 13. 15. [17]) Essai d'une introduct. crit. au. N. T. Genève 1823. p. 364. [18]) Act. XXVIII, 30. 31. [19]) Philipp. I, 12—14.

26 ***Ut cognoscas etc.*** *ἱνα ἐπιγνως κ. τ. λ.* Edicit Lucas quorsum hoc opus susceperit. Graece est *ut agnoscas*; agnoscimus autem ea, quae iam, saltem aliquatenus, novimus. Non ergo de rebus Theophilo inauditis Lucas scripturus erat, quas ab eo primum ille doceretur; idque confirmant ea, quae continuo sequuntur.

27 ***De quibus eruditus es*** *περι ὡν κατηχηθης*. Viva voce ad christiana instituta eruditus Theophilus fuerat, quantum graeca sonant. Non hoc tamen nisi *ἀλογως* quis inferat alia evangelia nondum edita, aut saltem nondum Theophilo cognita fuisse; id enim unum ex his verbis consequitur, Theophilum primas rerum christianarum notiones accepisse, non scripto, sed voce sibi traditas vel ab ipso Luca vel ab alio.

28 Iam vero, quae hac commentatione adinvenimus, ut summatim colligamus, aio haec e prooemio huius evangelii consectaria veluti fluere. Quum Lucas scribere instituit iam narrationem aliquam rerum, quas scripturus erat, exstitisse (10), ac multo quidem ante, quam scriberet (3), eamque fuisse literis consignatam (10), non tamen ordine digestam (10), nec aliud nisi aliquod evangelium e ceteris (10. 11. 27). Hoc autem Lucam praestandum suscepisse (18), ut ea, etsi non omnia (18), quae in illo evangelio legebantur, denuo (9) digereret, novamque historiam ordine scriberet (22), illo inquam ordine, quo res gestae fuerant (19. 22). Quod sibi consilium fuisse quum Lucas diserte profiteatur (18. 22), eaque edicat (12. 15. 16. 17. 20), queis fidem faciat praestitum reapse a se esse, quod sibi proposuerat, pro comperto esse ex Lucae evangelio ordinem ac seriem rerum a Christo gestarum petere nos ac discere oportere (22). Lege Lib. I. c. III. n. 60.

29 His autem semel positis duo iam inde sua veluti sponte consequuntur. Unum est, Ioannem, utpote qui ex ordine res narret, post Lucam scripsisse; alterum, quum aliquod evangelium ante illud Lucae iam editum fuerit, Matthaeum, aut Marcum, aut etiam ambos scripsisse ante Lucam. Quare id iam compertum habemus, Lucam inter evangelistas a tempore, quo scripsit, neque primum locum obtinere, neque postremum.

DISSERTATIO II

Qua illustratur narratio de Gabriele ad Zachariam Ioannis Baptistae patrem legato.

1 In Protoevangelio Iacobi narratur Zachariam Ioannis Baptistae patrem Herodis iussu occisum fuisse *in templi Dei et altaris vestibulis circa interseptum* [1]). Hinc illa quorumdam veterum scriptorum sententia, hunc esse Zachariam Barachiae filium, cuius meminit Christus [2]). Proinde huic sententiae tanta fides est, quanta est illius libelli auctoritas.

2 Ab eodem illo scriptore inducitur Zacharias, ut qui esset pontifex maximus [3]), quique eum hoc munere functum putarent, non pauci fuere, hosque inter Chrysostomus [4]), ducti fortasse in errorem ab eadem illa narratiuncula. Zachariae quippe nullo modo locus inter pontifices maximos esse potest. Iosephus enim, qui seriem nobis suppeditat viginti sex aut viginti octo pontificum maximorum, quotquot munere hoc functi sunt a pulsis Hassamonaeis ad eversam Hierosolymam, neque unius Zachariae nomen inter eos commemorat. Pontifex maximus numquam sive a Luca, sive ab alio e scriptoribus Novi Testamenti *ἱερευς sacerdos* vocatur, si unum excipias locum Actuum apostolorum [5]), ubi legimus: *ὁ τε ἱερευς . . . και οἱ ἀρχιερεις*; verum ibi haec vox dubia est, eamque plerique interpretes, quos inter vulgatus et syrus, in suis graecis codicibus Novi Testamenti minime legerunt. Adde, quod Zacharias non modo *ἱερευς sacerdos* simpliciter dicatur, sed *ἱερευς τις sacerdos quidam*, qua adpellatione quis suspicetur pontificem maximum designari? Hoc ipsum, quod contendimus, probare se posse nonnulli putant eo, quod Zacharias esset *de vice Abia*, quae minime erat ex familiis pontificum maximorum, sed una ex viginti quatuor familiis sive classibus sacerdotum rem divinam per vices administrantibus, de quibus infra erit quaestio [6]). Verum sequioribus aetatibus rei publicae iudaicae non defuerunt, qui ex aliqua harum familiarum ad pontificatum eveherentur, uti inter ceteros Hassamonaei, qui erant ex classe Ioiaribi [7]). Attamen adtendas velim, ut Lucas haudquaquam scripserit *ἐξ οἰκου de domo* aut *ἐκ πατριας de familia*, ut alias fecit [8]), ac fieri oportuisset, si solum docere nos voluisset Zachariae originem et prosapiam, sed *ἐξ ἐφημεριας Ἀβια de vice Abia*, ut significaret nimirum Zachariam tunc functum esse munere, quod classi Abiae, ex qua erat, tunc temporis obtingebat, sicut magis aperte inferius dicit [9]). At munus, quo classes sacerdotum per vices funge-

[1]) Protoev. Iacobi c. 23. [2]) Matth. XXIII, 35. [3]) L. c. cap. 24. [4]) Hom. in diem Christi natalem §§ 4. 5. [5]) Act. V, 24. [6]) Lege I Paral. XXIV, 1—19. [7]) I Mach. II, 1 coll. I Paral. XXIV, 7. [8]) Luc. I, 27; II, 4. [9]) Luc. I, 8.

bantur, aliud profecto erat pontificatu, qui lege perpetuus esse debebat [1]), et, quamvis postremis aetatibus plures pontifices maximos de gradu deiectos reperiamus, nil tamen legimus, ex quo suspicari sit istud munus a pluribus per vices [2]) gestum fuisse; nam quomodo intelligere oporteat Io. XI, 51 alibi [3]) ostendemus. Quae denique Lucas narrat, Zachariae officia sortito obtigisse [4]), atque alibi eum quam Hierosolymae habitasse [5]), ea pontifici maximo nullo modo congruunt. An vero aliquid pro opposita sententia conficere sit ex caerimonia incensi, cuius in hac narratione mentio est [6]), paulo infra (4) patebit. Lege Papebrochii Acta sanctorum [7]).

3 Caerimonia incensi adolendi, cuius hic mentio habetur, ea est, de qua Moyses praecepit in Exodo [8]). Aaroni id muneris demandatum dicitur [9]), non quod unius pontificis maximi illud esset, nam et ceteri sacerdotes eo fungebantur [10]), sed quod cuncta sacerdotii munia uni Aaroni sacerdotum omnium patri lege fuerant adtributa deinceps eius posteris hereditate obventura [11]), eoque pacto, quo lucernis ante adytum concinnandis et unum Aaronem [12]) et sacerdotes in universum [13]) praefectos fuisse legimus. Poterat tamen pontifex maximus illo munere fungi, quoties libuisset, ut quavis alia parte sacri ministerii [14]), imo fungi eo debebat septem diebus, qui diem festum expiationis praecedebant [15]). Totum hunc ritum, cuius meminit Lucas, descriptum leges in Mischna [16]). *Dicebat illis*, id est sacerdotibus hebdomadalibus [17]), *praefectus: . . Novi accedant, et sortiantur* [18]) *ad suffiendum. . . . Qui dignus habebatur ad suffitum, sumebat vas, . . . et patera erat in medio impleta et accumulata suffitu, . . . sumebat pateram e medio vasis, . . . expandebat* super altare thymiamatis [19]), *et abibat. Qui adolebat, non adolebat ante, quam praefectus ipsi diceret: Adole; si autem esset sacerdos magnus, praefectus dicebat: Domine sacerdos magne, adole. Discedebat populus* [20]). *Adolebat, et incurvans se abibat* [21]). Lege, quae ad hoc Mischnae caput illustrandum adnotarunt Maimonides, Bartenora, et Arnoldus [22]), item Lightfooti Horas [23]).

4 Qui contendunt Zachariam fuisse pontificem maximum, autumant sententiam suam ab ipso Luca comprobari iniecta caerimoniae huius mentione; hanc enim sollemnem illam esse dicunt, qua pontifex maximus populum quotannis lustrabat die festo expiationis [24]), et cuius meminit Paulus in epistola ad Hebraeos [25]) scripta, idque eo confirmari posse, *quod in Ioannis Nicaeni epistola de festo die natali apud Combefisium in historia Monothelitarum p. 302, Iulius Romanus episcopus reperisse dicitur* συγγραμμα τι Ἰωσηπου του χρονογραφου συγγραφθεν παρ' αὐτου, *in quo scriptum fuerit: Mense septimo in solemnitate tabernaculorum ac die expiationis Dei angelum apparuisse, sacerdotem vero mutum mansisse, usquedum Elizabet eius uxor in senectute concepisset* [26]). Verum argumenta, quibus evicimus Zachariam pontificem maximum haud fuisse, satis sunt cur negemus loqui Lucam de sollemni expiationis. Sed et alia praeterea id negare suadent. Nonne enim absonum in primis festum diem adhibitosque in eo ritus unico verbo θυμιᾶσαι designare unaque definire thuris combustione, maxime quod haec combustio, non modo in praecipuis illius sacri caerimoniis haudquaquam haberetur, sed neque ad cultum Deo exhibendum fieret, verum dumtaxat, UT *positis super ignem aromatibus nebula eorum et vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, et* pontifex ex tali adspectu *non moriatur* [27]). Profecto nemo te loquentem intelligeret, si, quum narrare velles sacerdotem aliquem sacrum eucharisticum sollemnioribus caerimoniis fecisse, diceres eum thus adolevisse. Sed et aliae loqutiones a Luca usurpatae illud commentum explodunt. Neque enim ait id, quod narrat, accidisse die festo expiationis, sed *cum Zacharias sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae*, id est ea hebdomade, qua classis Abiae sacris operabatur. Quid vero, quod Zacharias SORTE *exiit, ut incensum poneret?* quae, ut commodissime significant ritum superius descriptum (3), ita nullo modo caerimoniis expiationis conveniunt. Dicitur insuper id factum esse *secundum consuetudinem sacerdotii*, id est pro more, quo sacerdotibus rem divinam administrantibus munera sortito distribuebantur, quibus fungerentur; quae sortitio omnino contra *consuetudinem sacerdotii* fuisset, si de die festo et caerimoniis expiationis ageretur. Templum, in quod ingressus dicitur Zacharias, aliud omnino est ac templi adytum, quod *sancta sanctorum* vocabatur, et in quod *semel in anno solus pontifex* [28]) ingrediebatur. Adde, quod certum sit Zachariam in adytum minime introisse, quum ei visus sit angelus

---

[1]) Num. XX, 25—28; XXXV, 25. 28. 32; *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 3. § 1; L. XX. c. 10. [2]) Luc. I, 8. 9. 23. [3]) Diss. XXVIII. n. 25. [4]) Luc. I, 9. [5]) Ib. 23. [6]) Ib. 9—11. [7]) Die 24 iun. Comment. hist. de s. Io. Bapt. n. 51. [8]) Ex. XXX, 7. 8. [9]) Ib. [10]) II Par. XIII, 10. 11. [11]) Ex. XXVIII, 1; XXIX, 44; etc. [12]) Ib. XXX, 7; Lev. XXIV, 3. [13]) Ex. XXVII, 21. [14]) Lege adnotata ab *Arnoldo* ad Tamid c. 6. § 3 edit. *Surenhusii.* [15]) Ioma c. 1. § 2. [16]) Tamid. c. 5. §§ 1. 2. 4; c. 6. § 3. [17]) Conf. Luc. I, 8. [18]) Ib. 9. [19]) Luc. I, 9 coll. Ex. XXX, 1—9. [20]) Conf. Luc. I, 10. [21]) Ib. 21. [22]) Edit. *Surenhus.* [23]) Hor. hebr. in Luc. I, 9. [24]) Lev. XVI, 12. 13. [25]) Hebr. IX, 7 coll. Luc. I, 9. [26]) *Mazochius* Spicileg. biblic. in h. l. [27]) Lev. XVI, 13. [28]) Hebr. IX, 7.

stans a dextris altaris incensi [1]), quod extra adytum et ante velum, quo adytum operiebatur, situm erat [2]). Denique verba illa: *hora incensi* [3]) manifesto significant statam diei horam, qua quotidie incensum adolebatur. De epistola vero Ioannis Nicaeni alibi disquiremus, quanti facienda illa sit [4]).

5 Aliqua tamen difficultas nobis est a Paulo, qui haec scripsit: *Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum aureum habens thuribulum et arcam testamenti* [5]). Quod latinus interpres vertit *thuribulum*, graece est θυμιατήριον, quo nomine ipsum altare thymiamatis vocaverunt Philo [6]), et Iosephus [7]). Si itaque θυμιατήριον, id est, altare thymiamatis fuit in sancto sanctorum, ut Paulus affirmare videtur, dicere oportet Zachariam, cui *apparuit . . . angelus stans a dextris altaris incensi* [8]), ingressum esse in ipsum sanctum sanctorum, proinde fuisse pontificem maximum.

6 Attamen altare thymiamatis, non in sancto sanctorum, sed in sancto situm fuisse ante velum sancto sanctorum oppansum, res indubia est, id diserte narrantibus non Philone modo et Iosepho [9]), sed ipso Moyse non semel [10]). Quare non ex Pauli verbis, quae illum sensum non necessario exhibent, sed ex narratione Moysis Lucae narratio lumen accipiat oportet; quo difficultas omnis sublata est. Idque unum superest, ut ἐναντιοφάνειαν quoque discutiamus, quae est in verbis Pauli, et, quanam ratione sint intelligenda, paucis edicamus. Duplex autem haec ratio est.

7 Harum unam proponit Cornelius a Lapide, remque sic explicat. *Sicut enim caput dicitur habere collum, domus habere atrium, civitas habere fossas, templum habere coemeterium, non in se, sed ante se; ita et sanctum sanctorum habuit hoc altare, non in se, sed ante se. Erat enim hoc altare proximum planeque obversum sancto sanctorum. . . . Indeque altare hoc dictum est oraculi vel sancti sanctorum, quia videlicet obversum erat oraculo, eiusque usus non erat alius, quam Deo in oraculo residenti thus adolere. Subtiliter ergo hic Paulus dicit sanctum sanctorum habuisse hoc altare thymiamatis, ob rationem et sensum iam dictum* [11]).

8 Sed alia quoque ratione Pauli verba intelligere possumus, ut θυμιατήριον non sit altare, sed thuribulum, quod intra sanctum sanctorum pontifex maximus inferebat eo die, quo sollemnae expiationis agebatur [12]). Etenim favet huic sententiae interpres vulgatus, qui vocem θυμιατήριον, non *altare* vertit, sed *thuribulum*. Neque unquam in graecis bibliorum exemplaribus ipsum altare eo nomine vocatum reperias, sed nomen hoc adhibitum ad significandum dumtaxat thuribulum [13]). Potissimum vero illud, quod Paulus in hoc loco comparat inter se ministerium, quo pontifex maximus fungebatur in die festo expiationis, et ministerium, quod per illud prius praesignificabatur, et quo Christus morte obita functus est. Iam vero festus dies expiationis erat dies ille, quo uno intra annum vertentem in sancto sanctorum praeter arcam, aliud vas erat, thuribulum, inquam, quod illuc pontifex maximus inferebat. Qua propter, non modo non abs re erat, sed obvium maxime ac rei, de qua agebatur, consentaneum, ut Paulus huius thuribuli mentionem faceret inter illa, quae in sancto sanctorum, illo, inquam, die, habebantur.

9 Neque illud opponas, quod, quum Paulus in supellectili sancti non nameraverit altare incensi, dicendum sit hoc altare designari per illud θυμιατήριον. Diserte quippe Paulus denuntiat nequaquam sibi propositum esse singula enumerare [14]), sed solum utramque tabernaculi partem brevi oratione describit, quo in memoriam legentibus reducat, quae nosse opportet ad ea intelligenda, de quibus dicturus est.

DISSERTATIO III

De sacerdotum classibus per vices rem divinam administrantibus, deque nota inde capta ad tempora definienda.

1 Aaron eiusque posteri electi a Deo sunt ex Levitis, ut sacerdotio fungerentur [15]). Quatuor autem Aaroni liberi fuerunt, Nadab, Abiu, Eleazar et Ithamar, quorum duo priores quum prole caruissent, tota Aaronis progenies in duas familias discreta est, alteram Eleazaris, alteram Ithamaris [16]).

---

1) Luc. I, 11. 2) Ex. XXX, 6. 3) Luc. I, 10. 4) Diss. XXI. nn. 22. 23. 5) Hebr. IX, 3. 4. 6) De vita Moysis L. III. pp. 668. 669. edit. *Turnebi* 1691. 7) Antiquit. L. III. c. 6. § 8. 8) Luc. I, 11. 9) LL. cc. 10) Exod. XXX, 6; XL, 21. 25. 11) In ep. ad Hebr. l. c. 12) Levit. XVI, 12. 13. Lege sup. n. 4. 13) II Par. XXVI, 19; Ezech. VIII, 11. 14) Hebr. IX, 5. 15) Ex. XXVIII, 1; I Paral. XXIII, 13. 16) I Par. XXIV, 1–3.

Davide regnante, quo tempore utraque iam in plures alias excreverat, quum pontificatum gereret Abiathar [1]), princeps autem in familia Eleazaris esset Sadoc, in familia vero Ithamaris pro Abiathare pontifice maximo huius filius Achimelech [2]), qua de re alibi erit disputatio [3]), servato hisce duobus principatu integrorum familiarum, exceptaque eorum stirpe, totum reliquum genus Aaronis dispertitum est in classes XXIV, quarum sexdecim in familia Eleazaris censerentur, octo in familia Ithamaris, singulae singulis principibus subiectae [4]), quorum nomine in posterum fuerunt nuncupatae [5]). Harum classium officium erat, ut singulae singulis hebdomadis per vices sacris operarentur templique ministeria agerent [6]), ideo מחלקות [7]) et משמרות [8]), Graecis vero ἐφημερίαι [9]) et ἐφημερίδες [10]) dictae. Haec familiarum sacerdotalium distributio exinde semper obtinuit, etiam dum Babylone Iudaei manserunt [11]), et postquam inde reversi sunt [12]) usque ad gentis totius exterminium [13]).

2 Omnes hae vigintiquatuor classes eo ordine, quo primum fuerunt institutae, ac suo quaeque sub principe, a quo nomen acceperant, enumerantur in libro primo paralipomenon [14]). Non tamen idem in his ordo, neque eadem nomina, imo, ut videtur, neque idem numerus semper retentus. Quatuor ex his classibus nominantur in libris Esdrae, ubi sacerdotes recensentur, qui Babylone in Iudaeam remearunt cum Zorobabele [15]), una tamen e quatuor aliud quam olim nomen habebat, Phesur, inquam, quod in priscis illis vigintiquatuor non reperitur [16]). Re publica a Zorobabele restituta classes sacerdotum vices suas ad praescriptum Davidis obire perrexerunt usque ad illum diem, quo templum a Romanis incensum est [17]), non plures tamen fuisse videntur, quam vigintiduae, totidem enim, haud plures, enumerantur in libro secundo Esdrae pro numero earum, qui sub Iosue pontifice maximo principatum in singulis illarum gerebant [18]); harum insuper principum nominibus in locum priscorum nomina succedentibus deinde fuerunt nuncupatae [19]), inter quae tamen octo vel decem eadem sunt ac illa prisca, utpote quod ita vocarentur ipsi principes, qui tunc erant. Compara inter se I Par. XXIV, 7—18, I Esd. II, 36—39, II Esd. VII, 39—42, X, 1—8, XII, 1—7. 12—21, ut sunt in exemplaribus hebraicis, utque ea verterunt veteres interpretes, simulque varias, ut vocant, horum omnium lectiones. Haec etiam adnotare iuvat. In II Esd. XII, 12—21 non sunt nisi classes viginti et una, sed facile apparet ex versu secundo omissum esse nomen Hattus. Quod hae classes post reditum populi e Babylonia fuerint numero vigintiduae, credere suadet etiam numerus sacerdotum, qui una cum Nehemia Athersatha foederi inter Deum ac populum instaurato subscripserunt [20]); eos enim fuisse ipsos principes classium, aut qui horum vices gererent, et, quotquot hi erant, subscripsisse, dubitare non est, maxime quod et, qui subscripserunt nomine populi, huius principes fuerint. Tum vix veri simile est, toties duas classes ommissas fuisse a librariis, quoties harum numerus initur in uno atque eodem libro. Illud denique notatu dignum videtur, nomen Abiae ueicum esse, quod in omnibus illis classium sacerdotalium albis idem omnino immutatumque compareat. Ad hoec lege dissertationem vicesimam octavam [21]).

3 Putant nonnulli, quos inter Tirinus [22]), Scaliger [23]), Surenhusius [24]), ac demonstrare conantur definiri posse tempus, quo familiae Abiae vicea haec obtigerit, atque ex eo argui, quo anno Christus natus sit. Ioannes quippe sex fere mensibus ante Christum genitus est [25]). Christum ortum esse VIII kal. ianuar. communis sententia est. Quare Ioannem genitum dicamus oportet circa aequinoctium autumnale, ideoque ea, quae de Zacharia scribit Lucas, accidisse mense septembri ante aequinoctium. Iam vero, quum rex Herodes mortuus sit anno U. C. DCCL vere ineunte, Christus ortus dici nequit serius anno U. C. DCCXLIX, nec Ioannes genitus post annum U. C. DCCLVIII. Ex annis autem huic termino proximis nullus est, in quo familia Abiae sub autumnum munere suo functa fuerit, praeter hunc ipsum annum U. C. DCCXLVIII, quod ita conficitur. Prout narrat scriptor libelli iudaici, cui titulus *Seder olam*, qui dies templo hierusalymitano supremus fuit, eo die sacris operabatur familia Ioiaribi prima viginti quatuor classium sacerdotalium. Dies ille fuit decimus

---

[1]) I Reg. XXII, 20; XXIII, 6. 9; XXX, 7; III Reg. II, 26. 27. 35. [2]) I Paral. XVIII, 16; XXIV, 3. 6. 31. [3]) Diss. XXVIII. [4]) I Paral. XXIV, 3—19. [5]) I Mach. II, 1 coll. I Paral. XXIV, 7; Luc. I, 5 coll. I Paral. XXIV, 10; *Ioseph* de Bello L. IV. c. 3 § 8 coll. I Par. XXIV, 12 secund. graec. codd. alexandr. et cantabrig.; De vita sua § 1 coll. I Par. XXIV, 7. [6]) I Par. XXIV, 3. 19; coll. II Par. XXIII, 8; *Ioseph.* Antiq. L. VII, c. 14. § 7; Tamid. c. 5. § 1. [7]) I Par. XXIV, 1. [8]) Taanith c. 4. § 2. [9]) I Par. XXVIII, 13; Luc. I, 5. 8. [10]) *Ioseph.* de Vita sua § 1. [11]) I Esd. II, 36—39. [12]) II Esd. X, 1—8; XII, 1—7. 12—21. [13]) *Ioseph.* Antiq. et de Bello ll. cc. [14]) I Par. XXIV, 7—18. [15]) I Esd. II, 36—39; II Esd. VII, 39—42. [16]) I Esd II, 38; II Esd. VII, 41. [17]) *Ioseph.* Antiq. L. VII. c. 14. § 7. [18]) II Esd. XII, 12—21 coll. 1—7. [19]) Ib. [20]) II Esd. X, 1—8. [21]) Diss. XXVIII. cap. III. part. IV. [22]) Chron. c. 47. [23]) Sub fin. operis de Emendat. tempor. p. XLIX. [24]) Legum mischniacar. P. III. p. 299. [25]) Luc. I, 26. 36.

mensis loi [1]), non. august., primusque hebdomadae, anno U. C. DCCCXXIII. Priore itaque die, qui in sabbatum inciderat, classis Ioiaribi officium suum inceperat. Itaque, inquit Tirinus, *si cui libuerit ab illo die per omnes retro orbes hieraticos istarum viginti quatuor familiarum regredi, comperiet numquam sub id tempus*, id est, proxime ante annum U. C. DCCLIX. *ephemeriam seu vicem Abiae in septembrem mensem incidisse, nisi anno illo*, id est, U. C. DCCLVIII.

4 Haec tamen tota argumentatio quantumvis ingeniose excogitata nihil omnino conficere dicenda est. Primo enim, quae fides sit scriptori illi iudaeo, quod attinet ad classem Ioiaribi rem divinam illis diebus administrantem, nemo demonstrabit. Sed neque est, qui certo affirmare possit ordinem et vices classium sacerdotalium, impedientibus potissimum turbis, quae extrema illa rei iudaicae aetate gentem premebant, sancte servatas fuisse. Denique, quod caput est, quid necesse est credere Ioannem conceptum fuisse paucis diebus, non autem aliquot etiam mensibus, postquam Zacharias munere suo fuerat defunctus? Id arguunt fortasse ex verbis Lucae [2]); an vero iure arguant, quisque facile potest diiudicare. Neque animadvertere omittam, ut minus accurate rationes ductae sint a Tirino, siquidem enim accipiamus, quod narratur in *Seder olam*, ponamusque ordinem classium semper immutatum mansisse, classis Abiae eo anno officium suum aggressa fuisset post aequinoctium autumni die III kal. octob. Quod si, ut equidem sentio, annus Christi natalis fuit annus U. C. DCCXLVII, Ioannem genitum dicamus oportet anno superiore DCCXLVI, quo classis Abiae ministerio suo functa est a die Vid. mai. ad diem XV kal. iun. Ceterum de ordine, quo classes XXIV ministrarent, longe diversa iis quae ex Tirini sententia ponenda forent, legere est apud Talmudistas, quorum verba retulit Lightfoot [3]).

DISSERTATIO IV

De angelo, qui Zachariae visus est, deque eius verbis, quibus Christi divinitas comprobatur.

1 Mira hic narrari, atque ideo nares Rationalistarum corrugari incipiunt. Sed et nostras tantisper corrugari patiamur, dum ipsorum commenta trutinamur. Rosenmuellerus maior [4]) haec scripsit: *De tota, quae nunc sequitur, narratione geniique coelestis apparitione num proprie accipienda, an mythis vel philosophicis, vel historicis annumeranda sit, multum disputatum est.* Verius diceret *disputatur*; disputationes enim istae sub ipsius Rosenmuelleri aetatem exortae sunt, nec unquam antea per annos septingentos supra mille disputatum inter Christianos hac de re fuerat, aut in dubitationem eius veritas revocata. Suam porro sententiam aperte magis edicit Rosenmuellerus, ubi explanat Matthaei narrationem de angelo, qui in somnis Iosepho visus est [5]), proinde eam plenius examinabimus, ubi de illa narratione agemus [6]). Verum in hoc quoque loco deprehendere est, quid ille senserit; quare etiam quae nunc profert, paucis tamen discutiemus.

2 Laudat itaque Rosenmuellerus Frischii sententiam, qui *hance narrationem inter eas referendas esse existimat, quibus* (lege *quas*) *Lucas, ut placeat suae aetatis hominibus, artificio quodam ornatusque causa scripserit*, uno verbo, conficta haec a Luca esse. Id enim vero facile est pronuntiare, num autem aeque facile sit argumentis evincere, quaestionis huius nostrae exitus demonstrabit. Ut enim confictionem illam arguant, unicam hanc proferunt rationem, *artificiose quaedam scripsisse Lucam*. Tota igitur ratiocinatio sic habet: Constare haec a Luca conficta esse, quia artificiose scripsit. Quid vero hic sibi vult illud *artificiose*? Nempe Lucam suis narrationibus quaedam inseruisse, quae facta re ipsa non sunt, vel, quod idem sonat, quaedam confinxisse. At, si quaedam confinxit, suspicio non abest, quin ea etiam, quae de angelo hoc narrat, conficta sint. Verum illud probandum adhuc superest, quod re vera Lucas quaedam confinxerit. Id autem tribus argumentis vincere illi adnituntur.

3 Quorum primum est, quod *plures homines vel locis remotis habitantes e. c. Petrum et Cornelium Act. X, vel nullo huc usque necessitudinis vinculo coniunctos, e. c. Zachariam, Elisabetham et Mariam, una divinitus monitos narret, ut alterius causa aliquid agant, perficiant, credant.* Et vero missos facio Zachariam, Elisabetham, Mariam *nullo necessitudinis vinculo coniunctos*, ac pro-

[1]) *Ioseph.* de Bello L. VI. c. 4. § 5. [2]) Luc. I, 23. 24. [3]) Horae hebraicae ad Luc. I, 5. 8. [4]) Schol. in Luc. I, 10. [5]) Schol. in Matth. I, 20. [6]) Diss. XV. c. V.

claram potius argumentationem considero. Vel enim ea, quae Lucas hoc pacto narrare dicitur, vera sunt, vel conficta. Si vera, iam ubi est artificium illud? Conficta igitur a Luca haec sunt. Iam vero probandum erat, quod narratur de angeli sermone habito cum Zacharia, esse a Luca confictum. Producta fuerat huius rei ratio, eaque est, quod Lucas quaedam subinde artificiose scribat, id est, confingat. Haec tamen ipsa ratio probanda supererat. Qui vero id factum est? Arrige aures. Quaedam Lucas artificiose scripsit sive confinxit, quia, quod narratur de illo angeli sermone confictum est. Ecquid tibi suppetit, quod tali argumentationi reponas? Num ea, quae in vetustissimis scripturarum libris angeli transegisse dicuntur cum Abrahamo [1]), cum Agare [2]), cum Lotho [3]), cum Balaamo [4]), cum Iosue [5]), cum Gedeone [6]), cum parentibus Samsonis [7]), cum integro populo Israelitarum [8])? At cavesis feceris; ficta quippe haec esse adversarii levi negotio evincent, utpote quae *ornatus caussa* narrationibus suis scriptores illi inserebant. Num et de hoc altero dubitas? At dubitationem omnem tibi adimeat, ac demonstrabunt *artificiose* et *ornatus caussa* haec scripta esse, eo quod fuerint ab auctoribus conficta.

4 Sed alterum argumentum accipe, quo Lucae artificia deprehendas. Est autem, quod *personas vel orationes habentes vel hymnos proferentes introducat.* At Rosenmuellerus noster *chorda oberrat eadem.* Unde enim didicit Frischius ille suus orationes huiusmodi atque hymnos a Luca confictos esse? Num ex eo, quod alii evangelistae haec non transcripserint? Verum neque erat, cur transcriberent, quum neque facta ipsa retulerint, quorum occasione orationes illae illique hymni editi sunt. Quod si valet argumentum hoc alterum, ut Lucam artificiose scripsisse dicas, artificiose quoque scripsisse dicendi sunt Moyses ac ceteri, qui libros Iosuae, Regum, paralipomenon conscripsere, uno verbo, omnes ferme historici veteris testamenti, quum ferme unusquisque eorum *personas vel orationes habentes vel hymnos proferentes introducat.*

5 Tertium denique argumentum expendamus. *Artificiose* aiunt *scripsisse Lucam, . . . quoniam angelorum officio (ut hoc loco) evenisse narrat, quae alibi nexui rerum, qualis esse solet, vel diserte tribuuntur, vel pro meliori, quam nacti sumus, cognitione, tribuenda sunt.* Enimvero tota biblia vel diligentissime perlustranti numquam illa plagula tibi occurret, in qua ea, quae sive *hoc loco*, sive alibi Lucas *evenisse* narrat, *nexui rerum, qualis esse solet*, ullo modo, nedum *diserte*, ut affirmat Rosenmuellerus, tribuantur. Verum id nihil est; nam, subiicit ille, haec *nexui rerum, qualis esse solet, . . . pro meliori, quam nacti sumus, cognitione, tribuenda sunt.* Quibus tamen in verbis, multa sagacitate opus non est, ut Rationalistam subolfacias. Hoc quippe primum ac summum principium est, cui tota rationalismi moles innititur, et quo, non Lucae narrationi solummodo, sed universis bibliorum partibus, in quibus aliquid legimus naturae ordinem excedens, confictionis notam inurere se posse putant Rationalistae; quod idcirco non huius loci est refutare.

6 Habes itaque, ni fallor, quo iudices, quid de Rosenmuelleri sive Frischii argumentatione sentire oporteat. Quare intelliges quoque procul dubio, quid sentiendum sit de his, quibus suam ille claudit disputatiunculam: *Quae eiusmodi, quas non ab hominibus, οἱ ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτοπται,* (leges grammaticas ne hic quaeras,) *sed traditione accepisset, narrationes tractandi ratio apud nullum veteris vel novi testamenti scriptorem, si auctorem apocryphi libri Tobiae exceperis, nisi apud Lucam in utroque commentario sit obvia.* Etenim, dum bonos grammaticos rogo ut ferula abstineant, suadeoque ne quis frustra laboret assequi distinctionem illam argutulam, qua *οἱ ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτοπται* apud Lucam a *traditione* secernuntur, atque ineptam cum Tobiae historia, cui iugiter ferme angelus interest, comparationem missam facio, unum id potius mihi velim edicas; censen hominem vel semel, vel obiter, vel perfunctorie, vel oscitando, biblia versasse?

7 Ceterum praeclarum de Christi divinitate testimonium a Gabriele dictum habemus in his, quae ille de Ioanne loquutus est: *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse praecedet ante illum* [9]). Etenim vox *illum*, orationis serie atque contextu id flagitante, Deum simul et Christum necessario significat. Quod vox ista Deum significet, apparet vel caecutientibus, respondet enim illis *Dominum Deum ipsorum*, quae proxime eam praecedunt, neque enim aliud est, cui respondere queat. Sed et Christum per eam significari liquido intelligimus; quis enim alius sit, quem Ioannes praecessurus dicatur? Neque sane movemur commenta Rosenmuelleri [10]), qui verbum *προελεύσεται* idem valere ait ac *ministrabit*, cuius significationis neque sacri neque profani scriptores exemplum ullum suppeditant.

---

[1]) Gen. XVIII, 2—22; XXII, 11—18. [2]) Ib. XVI, 7—12; XXI, 17—19. [3]) Ib. XIX, 1—22. [4]) Num. XXII, 22—35. [5]) Ios. V, 13—16. [6]) Iudic. VI, 11—23. [7]) Ib. XIII, 3—21. [8]) Ib. II, 1—4. [9]) Luc. I, 16. 17. [10]) In h. l.

8 Nec praeterire oportet alia Gabrielis verba, quibus finem dicendi fecit: ***Parare Domino plebem perfectam***, sive, ut graece est, *κατεσκευασμενον, **ornatam, instructam***, eodem videlicet sensu, ac quum dicimus navem ornare, domum instruere, id est, aptam efficere usui, cui esse debet; horum autem verborum sensus est, a Ioanne gentem instruendam esse, ut prompta sit ac parata ad Christum eiusque doctrinam suscipiendam. Neque enim sensus esse potest simpliciter, Ioannem id praestiturum esse, quod ceteri prophetae praestiterunt, ut homines ad frugem revocaret; aliud quippe praeterea sonat verbum *parare*. Quamobrem dubium non est per vocem ***Domino*** designari ipsum Christum. Porro facile deprehendas ***parallelismum rerum** ἀναλογον*, qui fieri potest inter hanc Gabrielis praedictionem atque inter illa, quae de Ioanne filio Zacharias ipse a Gabriele edoctus postea cecinit: ***Praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius***[1]). Haec autem manifesto consonant iis, quae de eodem ipso Ioanne vaticinati sunt Isaias et Malachias: ***Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini***[2]). ***Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam***[3]). Lege, quae in alio loco[4]) de utroque vaticinio disputamus. Quare vox ***Dominus*** tum in Gabrielis, tum in Zachariae sermone idem significare dicenda est ac in vaticinio hoc Isaiae. In hoc autem vaticinio vox ***Dominus*** significat Deum, hebraice enim est יהוה. Ergo idem significet, necesse est etiam in Gabrielis vaticinio, quem idcirco constat satis diserte de Christi divinitate testatum esse. Lege ea, quibus angelus ortum Christi pastoribus bethlehemitis nuntiavit[5]), alibi a nobis explicata[6]).

DISSERTATIO V

De Malachiae verbis a Gabriele usurpatis.

1 Gabriel de Ioanne haec praedixit: ***Et ipse praecedet ante illum in spiritu, et virtute Eliae***[7]) continuoque rationem hanc subiunxit: ***Ut convertat corda patrum in filios***, quae verba Malachias protulit, quum Eliam venturum praenuntiavit[8]). Quare tota haec Gabrielis oratio in caussa fuit, cur plures putarent Malachiae vaticinium non pertinere ad Eliam, qui sub finem mundi venturus esset, sed ad Ioannem, qui Christum esset praecessurus; idque confirmari aiunt testimonio Christi sic loquentis de Ioanne: ***Ipse est Elias, qui venturus est***[9]). ***Elias iam venit, et non cognoverunt eum***[10]). Si quis tamen rem accurate perpendat, facile discet vaticinium secundum literalem verborum sensum, non ad Ioannem, sed ad Eliam pertinere, neque verba Malachiae a Gabriele usurpari nisi *κατα κολλησιν*; rationes vero contrarias nihil conficere.

2 Eliam, non autem Ioannem, a Malachia praedictum fuisse, plura sunt, quae credere suadent. Primo quidem id suadet auctoritas graecorum interpretum, qui Malachiae verba ita reddiderunt: ***Et ecce ego mitto vobis Eliam Thesbiten***; patriae enim designatio dubitare vetat, de quonam Elia Malachias loquutus sit. Dicitur praeterea Elias mittendus ***antequam veniat dies Domini magnus et horribilis***; ad quinam diem hanc ***magnum et horribilem*** eum esse putet, quo Christus servator, non autem illam quo Christus iudex venturus est? Praedixit insuper Deus per Malachiam et illud, quod Elias ***convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum***, rationemque subiecit: ***Ne forte veniam, et percutiam terram anathemate***; quae quidem, non de primo, sed de altero Christi adventu manifestum est dicta esse, sensus enim est, Eliam effecturum, ut homines, aut saltem horum pars, resipiscant, sive Christo sese adiungendo, sive mores perversos emendando, ne, si nulli resipueriat, Deus veluti cogatur universos חרם, id est, *extrema pernicie*, aeternam perdere.

3 Sed et scripturarum testimonio sententiam, quam defendimus, confirmare est. Siracides enim Eliae laudes contexens haec protulit: ***Qui* SCRIPTUS ES *in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Iacob***[11]), quae dum scriberet, ad vaticinium Malachiae eum spectasse nemo non videt. Quin ille ipse Christi sermo, quo contrarium probari quidam autumant, sententiae nostrae potius suffragatur. Quum enim eum discipuli ita interrogassent: ***Quid ergo scribae dicunt, quod Eliam oportet primum***, id est, ante Messiam, ***venire?***[12]), etsi responderit Eliam iam venisse, et Eliae nomine Ioannem designaverit, quum tamen responsum ita exorsus fuerit: ***Elias quidem venturus est, et restituet omnia***[13]), aperte nos docuit Eliae adventum, qui

---

1) Luc. I, 76. 2) Is. XL, 3. Conf. Matth. III, 3; Marc. I, 3; Luc. III, 4; Io. I, 23. 3) Mal. III, 1. Conf. Matth. XI, 10; Marc. I, 2; Luc. VII, 27. 4) Diss. XLV. 5) Luc. II, 11. 6) Diss. XXIV. n. 11. 7) Luc. I, 17. 8) Mal. IV, 6. 9) Matth. XI, 14. 10) Ib. XVII, 12. 11) Eccl. XLVIII, 10. 12) Matth. XVII, 10. 13) Ib. 11.

praedictus est, adhuc esse expectandum; ad huius adventus vaticinium nullum reperias, nisi illud sit, quod legimus in Malachia.

4 Denique patres fere ad unum omnes consentientes nobis habemus. Si enim Ephremum [1]) exceperis, dubito, an alterum sis reperturus, qui affirmet Malachiam de Ioanne esse loquutum. Contra vero a Malachia Eliam praedici sub extremos mundi dies adventurum sensere Iustinus [2]), Gregorius Nyssenus [3]), Chrysostomus [4]), Hieronymus [5]), Augustinus [6]). Auctor operis de promissionibus et praedictionibus Dei [7]), Cyrillus Alexandrinus [8]), Theodorus Mopsuestenus [9]), Theodoretus [10]), Gregorius Magnus [11]), et forte etiam Tertullianus [12]). Quin imo hos inter Chrysostomus [13]) diserte negat a Malachia Ioannem praedictum fuisse, iisdem fere ductus rationibus, quas protulimus.

5 Si itaque sensus literalis huius vaticinii in unum Eliam convenit, quum Gabriel verba Malachiae usurpaverit, ubi loquebatur de Ioanne, alterutrum dicas oportet, vel oraculum, ad Ioannem pertinere secundum sensum spiritalem ex ea parte, quatenus Elias Ioannis typus fuerit, vel Gabrielem verba illa usurpasse *κατα κολλησιν*. Verum, etsi negare non ausim Eliam Ioannis typum gessisse, illum tamen sensum spiritalem Malachiae verbis subesse non facile acciperem, nihil quippe in bis videtur esse; ex quo spiritalem hunc sensum apte colligas. Quare verius dixeris a Gabriele, ut alias a sacris scriptoribus factum est [14]), verba illa *κατα κολλησιν* fuisse usurpata; idque percommode perque apte fieri potuisse, occasione, inquam, accepta ex eo, quod Ioannes, ut Eliae similis futurus tum praedicebatur, ita similis reapse multimodis fuerit, quam similitudinem patres enarrant, horumque de ea sententias summatim congestas legere est apud Cornelium a Lapide [15]).

6 Quae autem argumenta in contrariam sententiam proferri solent, liquet nullius esse momenti. De iis enim quae suggerit ipsa Lucae narratio, apparet iam ex praedictis, quid sentire oporteat. Eorum vero, quae Christus dixit de Ioanne Eliae nomine eum designans, quinam sensus fuerit, ex parte iam explicuimus. Supersunt porro haec Christi verba: *Si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est* [16]). Sed haec quoque sicut illa, quae supra declaravimus, intelligenda esse perspicies, si animadvertas, ut in his quoque positum sit, oporteat, quamquam reticeatur, discrimen, quod in illis expresse enuntiatur (3) inter Eliam et Ioannem, ideoque in his, non secus ac in illis, tropum haberi, quo Ioannes Eliae nomine vocatur; illudque notare oportet, quod Christus addidit: *Qui habet aures audiendi, audiat* [17]).

7 Qui Hieronymum nobis opponunt, quasi docuerit Ioannem a Malachia fuisse praenuntiatum, pace eorum dixerim, Hieronymi verba minus intellexerunt. Non enim scripsit Christum Malachiae vaticinium exposuisse tamquam dictum de Ioanne sed Ioannem significasse, quum interrogantibus ita respondit: *Elias quidem veniet, et, si creditis, iam venit* [18]). Lege praeterea Hieronymi Commentarios de evangelio Matthaei [19]).

DISSERTATIO VI

De genere Mariae virginis.

1 Christum a Davide originem duxisse, plurima sunt, quae evincunt, et ex quibus efficitur Mariam quoque esse ex Davidis stirpe; his tamen rationum momentis in quaestione, quam instituimus, de genere Mariae virginis, uti minime possumus, quum quaestio haec eo pertineat, ut ipsam Christi ex Davide originem comprobamus. Attamen levia non sunt, quae praeter illa Mariam Davide prognatam esse confirmant.

2 Chrysostomus quidem [20]) id arguit ex illis Lucae verbis: *Missus est angelus Gabriel . . . ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David* [21]); putat quippe verba illa *de domo David* ad ipsam virginem pertinere. Verum, si sic esset, non haec Lucas continuo subiecisset: *et nomen virginis Maria*, sed potius: *et nomen* EIUS *Maria*, sicut prius de Elisabetha dixerat: *de filiabus Aaron, et nomen* EIUS *Elisabeth* [22]). Crederem potius, quandoquidem minus veri simile sit

[1]) In Malach. IV, 6. [2]) Dial. cum Tryph. § 49. [3]) Testimonior. adv. Iudaeos n. 17. [4]) In Matth. XVII, 11. [5]) In Matth. XI, 14; XVII, 10–12. [6]) Civ. Dei. L. XX. c. 29. [7]) Dimid. temp. c. 13. [8]) In Malach. IV, 6. [9]) In Malach. IV, 6. [10]) In Malach. IV, 6. [11]) Moral. L. VI. § 24. [12]) De anima c. 35. [13]) L. c. [14]) Lege *Patrit.* De interpret. scriptur. sacr. L. I. c. XVIII. art. II. [15]) In Luc. I, 17. [16]) Matth. XI, 14. [17]) Ib. 15. [18]) In Malach. IV, 6. [19]) In Matth. XI, 14; XVII, 10. [20]) Hom. in natalem D. N. I. C. § 3; in Matth. hom. II. § 3. [21]) Luc. I, 26. 27. [22]) Ib. 5.

Lucam Mariae genus reticuisse, qui et Iosephi, et Zachariae [1]), et Elisabethae [2]), et Annae [3]) genus, quod nosse minus sane referebat, accurate edixit, ergo crederem verba *de domo David* de Iosepho simul et de Maria scripta esse, aut, si mavis, ideo unius Iosephi genus edici, quia satis id erat ad Mariae quoque genus ediscendum, sicut mox (4) videbimus.

3 Aliam quoque rationem Eusebius in Quaestionibus ad Stephanum [4]), Chrysostomus [5]), aliique depromunt ex Lucae evangelio [6]), quae sic est. Iudaei, quum describi totum orbem Augustus imperasset, *ibant omnes, ut profiterentur singuli, in suam civitatem.* Ioseph autem Bethlehemum ivit, ibique professus est, *eo quod esset de domo et familia David.* Atqui et Maria illuc ivit, atque ibidem professa est. Ergo et ipsa fuit *de domo et familia David.* Verum neque ista ratio quidquam habet momenti. Tum quia, quamquam Maria eam urbem petiisset, ut profiteretur *in suam civitatem* id fieri ideo potuisset, quia progenita esset ex aliqua familia bethlehemitica, alia tamen quam Davidis; tum etiam quia non constat Mariam illuc venisse, *ut profiteretur*, an potius ut sponsum comitaretur, quum nequaquam Iudaeorum mos fuerit, ut mulierum in censibus censendis ratio haberetur. Lege Moysem [7]), scriptorem librorum Regum [8]), Esdram [9]), et Samuelem Pitiscum [10]).

4 Potior ea ratio est, quam suggerit Paulus Drach [11]). Animadvertit quippe posteros Davidis, etsi ipsi filias suas viris aliarum familiarum nuptui traderent, non tamen ex aliis familiis uxores ducere solitos fuisse, quod ipsa natio minime passa esset, ut regius sanguis impermixtus atque intemeratus maneret. Id vero, si unquam alias, sub extremum rei iudaicae tempus sancte observatum fuisse putandum est, quo tempore Messias, ille Davidis filius, in dies adventurus sperabatur.

5 Filia heres lege mosaica [12]) nubere iubebatur viro adgnato. Mariae autem hereditate obvenisse paterna bona, quantulacumque haec demum fuerint, plura credere suadent. Namque id creditum priscis rei christianae aetatibus ex eo coniicimus, quod patres agnationem Mariae et Iosephi probent argumento deprompto ex illa lege; quibus recentiores interpretes assentiunt. Lege inter ceteros Eusebium in Historia ecclesiastica [13]), et in Quaestionibus ad Stephanum [14]), Cyrillum in libris contra Iulianum [15]), Ambrosium [16]), Hieronymum [17]), Chrysostomum [18]), Ioannem Damascenum [19]), et Hilarium [20]), qui tamen levi errore aliam legem commemorant, quae est de coniugio viduae et leviri [21]), item ea, quae adnotarunt in Matthaei I, 16. Estius, Lucas Brugensis, Maldonatus, Grotius, Natalis Alexander, aliique; lege quoque Francisci Zaccariae Dissertationes [22]). Etsi vero plures e patribus modo commemoratis ita ex illa lege argumenta petere videantur, veluti si ea iuberet quamcumque feminam nubere viro contribuli, quum tamen propositum illis esset Iosephi et Mariae agnationem hoc argumento comprobare, ut ex hoc efficerent vel Christi originem ex Davide ductam, vel Christi non minus quam Iosephi esse utramque genealogiam in evangeliis descriptam, quorum neutrum efficere est ex hoc uno, quod Maria esset ex tribu Iudae, dicendi sunt nomina φυλὴν et *tribum* pro *familia* vel *patria* usurpasse (11), atque ideo meminisse illius legis, quae de filiabus heredibus lata erat; neque enim alia lex est inter mosaicas, quae ad hanc rem pertineat. Epiphanius, quem illis patribus nonnulli adnumerant [23]), expungendus est [24]). Insuper quamquam in novo testamento commemoratos legamus fratres Christi Domini [25]) et sororem Mariae [26]), Mariae tamen fratres nusquam legimus; imo in Evangelio nativitatis Mariae, de quo mox, et in Protoevangelio Iacobi ita res gestae narrantur, itaque de virgine sanctissima horum librorum auctores loquuntur, ut quae fratres nullos habuerit. Pergrande vero momentum inest argumento petito ex Mariae virginitate. Maria quippe virginitatem vovisse creditur, non sine optima ratione. Id quidem narrat scriptor, ἀπόκρυφος ille quidem, sed vetustus libelli, cui Titulus *Evangelium nativitatis* [27]); verum potior auctoritas praesto est, Lucae, inquam, evangelistae. Legimus enim in huius evangelio Mariam, ubi ab angelo audivit se Dei matrem futuram, haec opposuisse: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* [28]) Verum neque de modo hoc dubitare, neque istud opponere potuisset, siquidem Iosepho, cui iam erat desponsata, id, quod uxor viro debet, fuisset praestitura. Non itaque id Iosepho praestitura erat; eccur autem,

---

[1]) Luc. I, 5. [2]) Ib. [3]) Ib. II, 36. [4]) Quaest. I. § 9 in *Mai* Scriptorum veter. nova collect. T. I. [5]) Hom. in natal. D. N. I. C. § 3. [6]) Luc. II, 3—5. [7]) Num. I, 2. 20. 45; III, 15. 22. 28. 34. 43; XXVI, 2. 62. [8]) II Reg. XXIV, 9. [9]) I Esd. II, 2. [10]) Lexic. antiquit. romanar. sub v. *Censendi.* [11]) La sainte bible *de Vence.* Matth. I, I not. [12]) Num. XXXVI, 6—9 hebr. [13]) H. E. L. I. c. 7. [14]) Quaest. I. § 7 in *Mai* op. cit. T. I. p. 8. [15]) L. VIII. p. 261. T. II. Lipsiae 1696. [16]) In Luc. Lib. III. § 4. [17]) In Matth. I, 18. [18]) In Matth. hom. II. § 4. [19]) De fide orth. L. IV. § 14. [20]) In Matth. c. I. [21]) Deut. XXV, 5—10. [22]) T. I. diss. V sulla doppia genealogia di Cristo § 3. n. 5. [23]) Haer. LXXVIII al. LVIII. § 7. [24]) Conf. Ancorat. § 60. [25]) Matth. XIII, 55 etc. [26]) Io. XXI, 25. [27]) Evang. nativit. §§ 7. 9. inter spuria *Hieronymi* opera T. XI. p. 280 edit *Vallarsii*, et apud *Albert. Fabricium* et *Io. Thilo* Codex apocr. N. T. Tom. I. [28]) Luc. I, 34.

nisi quia devota Deo virginitas obstaret? Ita sensit Augustinus [1]), et ante hunc Gregorius Nyssenus, qui ex eadem ratione id confecit, Mariam *ἀφιερωθεῖσαν τῷ Θεῷ σάρκα carnem Deo sacram* habuisse [2]). Idem argumentum pro Mariae virginitate urgent Petavius [3]), Natalis Alexander [4]), Mansi [5]), et quidam criticorum sacrorum, quos inter Grotius ait: *His verbis etiam propositum quoddam servandae perpetuae virginitatis indicari a Maria* [6]). Iam vero, si Maria virginitatem Deo voverat, quomodo factum est, ut nuptiis cum Iosepho contrahendis annueret? Caussa nulla alia esse potuit, nisi quia ad id lege cogeretur, iubente filias heredes alicui adgnato nubere. Lege Franc. Antonium Zaccariam [7]).

6 Respondent nonnulli [8]) feminas heredes illa lege nubere quidem debuisse uni ex eadem tribu, non vero ex eadem familia, idque eo comprobari aiunt, quod lex lata fuerit, ne agri tribuum commiscerentur [9]). Secus tamen esse constabit, si rem totam diligentius consideremus.

7 Nam ea lege, qualem hebraica volumina exhibent, tum filiabus Salphaadi, quarum caussa lex lata est [10]), tum omnibus feminis *heredibus* [11]), praeceptum est nubere לאחד ממשפחת מטה אביה, *uni ex familia tribus patris sui*, id est, viro, non modo contribuli, sed adgnato. Dictum autem est *ex familia tribus patris sui*, non autem tantummodo *ex familia*, ut certius excluderentur cognati, quos forte huiusmodi feminae haberent in alia tribu, puta, quum mater earum aut avia ex alia tribu erat. Ceterum singulas *tribus* מטות seu שבטים in *cognationes* seu *familias* משפחות fuisse distinctas discimus ex censu populi bis habito a Moyse [12]) atque ex historia Achanis [13]), in qua singulae tribus in cognationes seu familias, singulae autem familiae in domos בתים, singulae domus in viros dispertiuntur [14]), tametsi subinde una aliqua familia in plures divisa esset [15]).

8 Praeterea, qui id egerunt, ut lex illa scisceretur, fuere *principes* FAMILIARUM *Galaad* [16]), non vero *principes* TRIBUS *Manassae*, ex qua erant hae familiae, ii, inquam, fuere, quibus utpote, Salphaadi cognatis [17]), bono fuisset, si huius filiae nupsissent intra propriam familiam, nihil vero certi hae nuptiae contulissent, si solum intra propriam illorum tribum fuissent conciliatae, id est, alicui viro utique ex tribu Manassae, sed ex alia ac Galaaditarum familia.

9 Confirmat insuper sententiam nostram caussa, propter quam lex lata est, et quae legi continuo subiungitur: *Eo consilio, ut hereditent filii Israel* UNUSQUISQUE *possessionem* PATRUM SUORUM [18]); quae quidem manifestum est dicta esse, non de bonis totius tribus in solidum, sed singillatim de singulorum privatorum propriis, quum unusquisque in partitione regionum propriam possessionem acceperit [19]), neque enim *unaquaeque* tribus memoratur, sed *unusquisque* Israelitarum, neque de bonis *tribuum* agitur, sed de *paternis*. Ut autem, si secus hanc legem interpreteris, *ταυτολογία* quaedam foret inter verba modo allata atque inter ea, quae paullo post sequuntur [20]), ita e contrario haec cum illis optime cohaerent atque ex illis percommode fluunt, si nostra stet interpretatio; integra quippe sententia est, quod, quum hac lege cautum esset, ne bona unius domus atque unius familiae ad aliam transferrentur, multo certius cautum erat a graviore incommodo, ne videlicet commiscerentur bona tribuum inter se. Porro haec interpretatio magis ac magis eo confirmatur, quod aliae quoque leges, ut lex de hereditatibus [21]) et lex de vidua et leviro [22]), eamdem ob caussam latae fuerint, ac legem de feminis heredibus latam dicimus, ne, inquam, bona unius familiae transferrentur ad aliam, proinde appareat, quantopere huic incommodo avertendo leges mosaicae prospectum vellent.

10 Denique facta ipsa comprobant illius legis sensum eum esse, quem defendimus. Quod enim attinet ad ipsas filias Salphaadi, haec de ipsis narrantur: *Feceruntque filiae Salphaad*, UT FUERAT IMPERATUM, ET NUPSERUNT . . . FILIIS PATRUI SUI *de familia Manasse, qui fuit filius Ioseph*, *et* POSSESSIO, QUAE ILLIS FUERAT ATTRIBUTA, MANSIT IN TRIBU ET FAMILIA PATRIS EARUM [23]). In primo libro paralipomenon haec legimus: *Filii Moholi Eleazar et Cis. Mortuus est autem Eleazar, et non habuit filios sed filias; acceperuntque eas filii Cis fratres earum* [24]). Luculentissima vero sunt, quae nobis suppeditat historia Tobiae. Ita quippe Raphael iuvenem Tobiam alloquutus dicitur: *Est hic Raguel nomine vir* PROPINQUUS DE TRIBU TUA, *et hic habet* FILIAM *nomine Saram, sed* NEQUE MASCULUM *neque feminam*

---

[1]) De sancta virginitate c. 4. [2]) Orat. natali Domini p. 780. T. II. Parisiis 1615. [3]) De incarnat. L. XIV. c. 4. § 4. [4]) Hist. eccl. saec. I. c. 1. a. 3. § 4. [5]) Not ad *Natal. Alex.* l. c. [6]) In Luc. l. c. [7]) L. c. n. 10. [8]) *Salmeron* T. III. tract. XXVIII. p. 214. [9]) Num. XXXVI, 7. [10]) Num. XXXVI, 6. [11]) Ib. 8 hebr. [12]) Num. I. XXVI. [13]) Ios. VII, 1 seqq. [14]) Ib. 14. [15]) Num. XXVI, 20 coll. 21. 29 coll. 30 seqq. 35 coll. 36 etc. [16]) Num. XXXVI, 1. [17]) Num. XXVI, 29—33. [18]) Num. XXXVI, 8 hebr. [19]) Num. XXVI, 53—56. [20]) Ib. XXXVI, 9 hebr. [21]) Num. XXVII, 8—11. [22]) Deut. XXV, 5—10. [23]) Num. XXXVI, 10—12. [24]) I Par. XXIII, 21. 22.

ullam HABET *aliam*. TIBI DEBETUR OMNIS SUBSTANTIA EIUS, ET OPORTET EAM ACCIPERE CONIUGEM [1]). Raguel autem rogatus filiam suam tradere Tobiae, ita respondit: *Deus . . . ideo fecit vos venire ad me*, UT ISTA CONIUNGERETUR COGNATIONI SUAE SECUNDUM LEGEM MOYSI [2]). Alia quoque habes in graecis et syriacis exemplaribus huius historiae, quae totum id plenius illustrant [3]). Lege Seldeni librum De successionibus Hebraeorum [4]).

11 Postremam rationem ad comprobandam adgnationem Mariae et Iosephi hanc accipe. Etsi quaedam adgnatorum coniugia lege mosaica prohibita essent, quae quidem unn excedebant secundum gradum lineue, ut vocant, *transversae inaequalis* [5]), cetera tamen, nedum ea lege prohiberentur, adeo houesta babebantur, ut viri virtute conspicui tantum nou religioni sibi ducerent alibi quam inter adgnatos uxores deligere. Cuius quoque rei praeclarum habes argumentum in libro Tobiae, in quo legimus Tobiam baec filio praecepisse: *Uxorem primum accipe de semine patrum tuorum. Non accipias uxorem alienam, quae non est de tribu patris tui, quoniam filii prophetarum sumus. Noe, Abraham, Isaac, Iacob, isti patres nostri a saeculo. Memento, fili, quia ipsi omnes acceperunt uxores de fratribus suis* [6]). Neque obsunt illa: *de tribu patris tui.* Tobias quippe iussit filium feminae adgnatae coniugio iungi, utpote quod factu laudabilius foret; non tamen probibere prorsus voluit, quominus non adgnatam duceret, dummodo non esset ex alia, quam paterna tribu, hoc enim omnino ipsum facere vetuit. Praeterea graeca vox φυλή noo necessario *tribus* reddenda est, quum saepe *familiam* sonet tum io scripturis [7]), tum apud patres graecos, de quibus scripserunt Possiuus [8]) et Seldeuus [9]); Syrus autem interpres pro φυλή reddidit ܫܪܒܬܐ *cognationem.* Non itaque sanctissimi coniuges Maria et Insepb morem bunc genti suae adeo, ut vidimus, commendatum neglexisse putandi sunt.

12 Quaedam alia, qoae contra dici solent, ad convellendam senteotiam, quam defendimus, verbi caussa, quod Maria cognata esset Elisabethae, quae erat ex stirpe Aaronis [10]), securi praeterimus, quum nullo negotio ea refellere quisque possit.

DISSERTATIO VII

Qua illustratur Lucae narratio de Gabriele ad Mariam virginem legato.

1 *In mense autem sexto missus est angelus Gabriel etc.* [11]). Divini Verbi ἐνσάρκωσιν factam esse circa diem VIII kal. april. anni U. C. varron. DCCXLVII consequitur ex iis, quae disputabimus inferius de die, mense, et anno natali Christi [12]).

2 *Ad virginem desponsatam* (μεμνηστευμένην) *viro* [13]). Legatum fuisse Gabrielem ad Mariam antequam Maria et Iosepb coniugium inirent, vocemque tum graecam tum latinam in veram ac propriam notionem esse accipiendam intelligemus, si inter se eo comparentur, quae Lucas narrat de Maria Elisabetham invisente [14]), quaeque Mattbaeus de somnio Iosepho divinitus immisso [15]), sicut in alio loco explicabimus [16]).

3 *Ioseph de domo David* [17]). Originem Iosephi ex stirpe Davidis ductam discimus ex genealogiis, quas texunt Mattbaeus [18]) et Lucas [19]), et de quibus peculiarem babebimus dissertationem [20]).

4 *Ecce concipies etc.* [21]). Gabriel, tacito Isaiae nomine, ipsa tamen huius prophetae verba [22]) usurpat, quibus virginem parituram praedixerat, idque etiam uterque Rosenmuellerus animadvertit [23]). Bis itaque in novo testamento, apud Lucam, inquam, et apud Matthaeum [24]), illud oraculum relatum ab angelo legimus, eiusque πλήρωμα angeli ipsius testimonio comprobatum. De ipso oraculo infra disseremus [25]).

5 *Et vocabis nomen eius* [26]). Mos fuit, ut mater filiis nomen imponeret, idque a prima orbis aetate. Id enim fecisse dicuntur Eva ipsa [27]), duae filiae Loth [28]), id, ut videtur, fecit Sara, utpote

---

[1]) Tob. VI, 11. 12. [2]) Ib. VII, 13. 14. [3]) Tob. III, 16. 25; VI, 12; VII, 9. 10. 15. [4]) Cap. 17. [5]) Levit. XVIII, 6—18. [6]) Tob. IV, 13 graec. [7]) Gen. XXIV, 38. 40. 41; Num. XXXVI; 1 Reg. IX, 21; X, 21; XX, 6. 29; Zach. XII, 12, etc. [8]) Diallacticon theogenealogicum c. 59. § 6. [9]) L. c. [10]) Luc. 1. 36 coll. 5. [11]) Luc. 1, 26. [12]) Diss. XX et XXI. [13]) Luc. 1, 27. [14]) Ib. 39—56. [15]) Matth. I, 20—24. [16]) Diss. XV. c. II. [17]) Luc. I, 27. [18]) Matth. 1, 6—16. [19]) Luc III, 23—31. [20]) Diss. IX. [21]) Luc. I, 31. [22]) Is. VII, 14. [23]) Scholl. in hh. ll. [24]) Matth. 1, 23. [25]) Diss. XVI. [26]) Luc. 1, 31. [27]) Gen. IV, 1. 25. [28]) Gen. XIX, 37. 38.

quae rationem nominis suggessit [1]), id Agar [2]), id fecere duae uxores Iacobi Lia [3]) et Rachel [4]), id mater Samsonis [5]), et Anna mater Samuelis [6]), id nurus Heli pontificis maximi [7]), Bethsabea mater Salomonis [8]), Elisabeth mater Ioannis Baptistae [9]), aliaeque [10]). Ipsa quoque virgo, de qua Isaias vaticinatus est [11]), futurum, ut nomen filio inderet, praedicitur secundum exemplaria hebraica, graeca et chaldaica, hancque implere vaticinii partem Maria virgo a Gabriele iubetur. Scripsit Lightfoot [12]), id factum *semper in ipso pariendi instanti caussa aliqua extraordinaria impellente*; sed ea, quae modo ex scripturis sacris retulimus, et quibus ipse id effici putat, nihil est, quod suadeat in hunc sensum accipere. De ipso autem nomine Iesu infra quaeremus [13]).

6 *Et filius Altissimi vocabitur etc.* [14]). Si verba haec Gabrielis conferas cum iis, quae ab Isaia praedicta leguntur in Is. IX, 6. 7. item cum Nathanis vaticinio [15]), legasque eam, quam alias edidimus [16]), huius vaticinii interpretationem, pervidebis utriusque vaticinii πλήρωμα a Gabriele annuntiari.

7 *Filius Altissimi vocabitur . . . vocabitur filius Dei* [17]). Verbum *vocari* hic idem valet ac *esse*. Grotius recte animadvertit *vocatum iri aliquo nomine* dici in scripturis *eum etiam, qui non eo vocis sonu sit appellandus, sed cuius rebus celebrandis vox ista conveniat. Loca passim occurrunt. Es. I, 26; IX, 6; LVI, 7; LX, 14; LXII, 4; Ier. III, 17; XXIII, 6; Ezech. XLVIII, 35; Zachar. VIII, 3. Ideo, ubi Esaiae XIV, 20 est* יקרא (VOCABITUR) *Chaldaeus habet* יתקים (MANEBIT); *et Lucas citans dictum locum Esaiae LVI, 7* יקרא *vertit* ἔσται (EST) [18]). Rectius tamen et plenius in rem nostram Rosenmuellerus minor de illis verbis ecclesiastae: *Qui futurus est iam vocatum est nomen eius* [19]), haec commentatur: *Quod quis futurus est, qua fruatur sorte, sive dives sit, sive pauper, a Deo est constitutum cuius decreta mutari non possunt . . .* NOMEN שם, *hic intellige attributa, qualitatem, conditionem, ut PS. IX, 11; XLVIII, 11; CII, 22, quibus locis* DEI NOMEN *est eius natura et qualitas.* HINC NOMEN ALICUIUS IAM VOCATUM ESSE *est definitum esse ac veluti in tabulas relatum, qualis alicuius futurus sit status, sors, conditio.* Sed clarius Henricus Morus, illustrans illud rabbinorum: היא שמו ושמו היא, ait: NOMEN *et* DEM, VOCARI *et* ESSE *idem frequenter apud Hebraeos significare* [20]). Huius rei caussam aperuit Chrysostomus [21]): *Et hic est mos scripturae, res, quae contingunt, pro nomine ponere.* Item Theophylactus: *Divina scriptura ex operibus imponit nomina* [22]). Plura profecto in scripturis reperias vaticinia, quibus vel populus, vel urbs, vel homo aliquis praedicitur certo quodam nomine vocandus esse, quo tamen nomine quum minime vocatus fuerit, manifestum est prophetas nequaquam praenuntiare voluisse, quo nomine vocandus ille foret, sed talem eum futurum, qualem nominis significatio prodebat. Talia esse videas Is. I, 26; XLVIII, 8; LIV, 5; LVI, 7; LVIII, 12; LX, 14; LXII, 2. 4. 12; Ier. III, 17; XXIII, 6; Ezech. XLVIII, 35; Zach. VIII, 3. Hoc ipsum clarius apparet, quum nomen aliquod alicui futurum negatur, ut Is. XXXII, 5; XXXIV, 12 hebr. In aliis vero nonnullis verbum *vocari* usurpatur prorsus ut synonymum verbi *esse*, verbi caussa, in Eccl. VI, 10; Is. XIV, 20; LVIII, 13; Luc. II, 23. Expende etiam Is. VIII, 3, maxime vero Is. VII, 14; IX, 6. Quibus positis facile intelligimus, quid angelorum nomina sint, quae in bibliis leguntur. Lege Diss. IX. c. III. n. 5; Diss. XVI. n. 23.

8 *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* [23])? Qua ratione haec virginis verba intelligere oporteat, atque iis comprobetur eam Deo virginitatem suam devovisse, superius declaravimus [24]).

9 *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* [25]). Haec κατ᾽ ἐπεξήγησιν dicta sunt, estque virtus Altissimi quoddam συνώνυμον Spiritus sancti, quod ex Act. X, 38 apparet manifesto, frustraque sunt Rationalistae, qui ingenium suum torquent, ut alias horum significationes extricent, ac comminiscantur.

10 *Elisabeth cognata tua* [26]). De cognatione Mariae et Elisabethae non difficilis quaestio est, nec nisi inepte pratextu huius cognationis nonnulli genus Mariae ex stirpe Davidis in dubium revocare ausi sunt. Fac enim aliquam feminam ex eadem ipsa Davidis progenie ortam, et Mariae

---

[1]) Gen. XXI, 3 coll. 6. [2]) Gen. XVI, 11, sed conf. 15. [3]) Gen. XXIX, 32 seqq.; XXX, 11. 13. 18. 20. [4]) Gen. XXX, 6. 8. 24; XXXV, 18. [5]) Iud. XIII, 24. [6]) I Reg. I. 20. [7]) Ib. IV, 21. [8]) II Reg. XII, 24 hebr. secundum קרי. [9]) Luc. I, 60. [10]) Vide I Par. IV, 9; VII. 16. [11]) Is. VII, 14. [12]) Harmon. quatuor evangelist. sect. V. [13]) Diss. IX. c. V. [14]) Luc. I, 32. 33. [15]) I Par. XVII, 13. 14. [16]) *Patrit.* De interpret. script. sa. Lib. II. q. IX. [17]) Luc. I, 32. 35. [18]) In Matth. I, 22. [19]) Eccl. VI, 10. [20]) Append. an Defens. philosophiae cabbalae c. 2, et apud *Moshemium* in adnotatis ad systema intellectuale *Cudworthi* c. IV. § 20. p. 450. [21]) In Matth. hom. V. § 2. [22]) In Matth. I, 23. [23]) Luc. I, 34. [24]) Diss. VI. n. 5. [25]) Luc. I, 35. [26]) Luc. I, 36.

adgnatam patri vel avo Elisabethae nupsisse, et iam quaestio omnisque difficultas sublata erit. Huc pertinet illud, quod ait Epiphanius, stirpes regiam et sacerdotalem tantummodo inter se connubia iunxisse [1]).

DISSERTATIO VIII

De exordio evangelii Ioannis.

1 Quum Ioannes id sibi evangelio edendo proposuerit, ut demonstraret [2]), *quia Iesus est Christus filius Dei* [3]), consilii sui ratio postulabat, ut narrationem gestorum Christi θεανδρικων exordiretur a describenda divina eius natura, divinaque persona; id autem praestat in primo hoc libri capite. Quare caput istud facile cuiquam clarebit, simul ac in mentem ea revocaverit, quae de illo Ioannis proposito superius disseruimus [4]).

2 Neminem vero latet, quam arcte capitis huius expositio cum Christianorum doctrinis connexa sit, proinde, quominus eam aliunde, quam e patrum scriptis atque ex actis conciliorum oecumenicorum, petamus, religio cuique esse debeat. Ex quibus tamen simul intelligimus, quanti referat aliis quoque argumentis expositionem hanc comprobare, imo quantum nobis curae esse oporteat, ut evincamus aliam non esse neque esse posse illius capitis sententiam praeter eam, in quam illud catholica ecclesia constanter accepit. Ad id vero satis foret, si vel ea dumtaxat expendamus, quae initio diximus. Haec enim consideratio ipsaque sententiarum comparatio cum Ioannis consilio eo nos ducunt, ut, quaecumque hic dicuntur, recte assequamur, futilesque Socinianorum, Unitariorum, et Rationalistarum, ne dum haereticorum veterum cavillationes ineptaque commenta, levi negotio refellamus. Etenim Ioanni propositum erat evincere Iesum esse *Filium Dei*. Quid autem haec appellatio *filius Dei* sonat? Nempe vel naturalem ac proprie dictam υἱοτητα, vel secus. Si secus, num eam qua omnes *filii Dei nominamur et sumus?* Sed, ut id de Iesu quoque crederetur, non erat cur Ioannes adeo sollicitus esset, quartumque evangelium conscriberet. Num aliam? At quaenam? Itane vero Ioannes, quod summopere curabat, adsequi studuisset, ut Iesus *filius Dei* esse crederetur, quid vero haec appellatio significet nos docere neglexisset? Quare non est dubitandum veram et propria dictam υἱοτητα eam esse; ex quo necessario efficitur Christo divinam a Ioanni adtribui originem ac naturam, proinde hoc esse de quo ipse agit in evangelii sui exordio. At enim, aliquis Socinianorum diceret, quaenam illa υἱοτης sit Ioannes utique nos docuit in I, 14, υἱοτητος adoptivae videlicet excellentia et quasi plenitudo, quae Christo inerat, et ex qua illud in ceteros homines derivatum est ut filii Dei fierent, sicut legimus in Io. I, 12 et 16. Verum primo ipsa ratio grammatica hoc commentum explodit; non enim verba *plenum gratiae et veritatis* verbis *unigenti a patre* adposita sunt vel esse possunt, proinde nec της υἱοτητος notioni, sed superiori enuntiationi *habitavit in nobis*, itaque ordo est integri versus: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis, et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a patre.* Deinde, si is, quem fingunt, foret huius loci sensus, illud maneret, Christi υἱοτητα, quantumvis nostra excellentiorem, non tamen natura aliam esse, sed eamdem ac nostram; non ergo μονογενης *unigenitus* Christus dici debuisset, sed πρωτογενης *primogenitus.*

3 Ceterum accuratam huius capitis explanationem, saltem quod ad eius partes praecipuas, atque illustriora patrum dicta ad eam pertinentia exhibet Dionysius Petavius [5]), pravasque adversariorum interpretationes plane refutatas tam apud hunc reperire est, tum apud Prudentium Maranum [6]). Praestat tamen legere prae ceteris commentarios Cyrilli, qui plenius totum hoc caput enarravit, minime autem praetereundus est Ioannes Chrysostomus [7]). Quam ob rem nil nos nisi pauca promemus.

4 Itaque singulis sententiis exponit Ioannes [8]) primo Verbi divini aeternitatem: *In principio erat Verbum*, tum distinctam a Patre ὑποστασιν: *et Verbum erat apud Deum*, quam denique Verbum habet cum patre ὁμοουσιοτητα: *et Deus erat Verbum.* Tum tria haec simul collecta in unam sen-

[1]) Haer. LXXVIII al. LVIII. § 13. [2]) Lib. I. c. IV. q. III [3]) Io. XX, 31. [4]) Ib. [5]) De Trinit. L. II. c. 8. §§ 1—5. [6]) Divinitas D. N. I. C. manifesta in scripturis, et traditione L. II. P. II. cc. 7. 8. [7]) In Io. hom. 1—XV. [8]) Io. I, 1.

tentiam demum affirmat [1]). Deinde verbum hoc caussam rerum omnium esse dicit, tum quae sunt, intra naturam [2]), tum quae supra, praesertim vero fidei et gratiae [3]). Continuo horum testem nominat Ioannem Baptistam, edicitque, quanti huius auctoritas facienda sit, quippe qui *fuit . . . missus a Deo* ipso, *ut testimonium perhiberet* [4]). Quum Baptistae mentionem fecerit, ut qui *de lumine*, hoc est, de Verbo testimonium dederit, necesse habuit Ioannes pro suo instituto [5]) admonere de cavendo eorum errore [6]), qui Baptistae ea, quae unius Verbi propria sunt, tribuebant [7]). Resumpta porro narratione de Verbo, eius inter homines adventum, huiusque adventus caussam atque successum [8]), demum ipsius Verbi ἐνσάρκωσιν [9]) summatim perstringit, semet ipse primo testem oculatum adhibens una cum ceteris, qui Verbi gloriam conspexerant [10]), deinde et Ioannem Baptistam [11]). Quae denique bona *Verbum caro factum* nobis attulerit [12]), quantumque haec prioribus praestent [13]), paucis commemorat, ac postremo, quo praevertat dubitationem, unde divina haec, quae exposuerat, mysteria cognoverit, nam *Deum nemo vidit unquam*, ipsius Verbi testimonio dicta comprobat [14]).

5 *Principium* ἀρχή vel caussam designat vel ordinem loci aut temporis, vel ipsam rem, quae in eo ordine prior alia est, vel ipsum rei initium. Quaeramus igitur, quaenam harum significationum subsit vocibus *ἐν ἀρχῇ in principio*, quibus Ioannes exorditur.

6 Nequeunt hae voces caussam significare. Vel enim ea foret caussa ipsius Verbi, et voces illae iam idem valerent atque istae aliae: *In patre erat Verbum.* Ast etsi verum utrumque est, patrem videlicet esse principium Verbi, et Verbum esse in patre, tamen sensus huiusmodi ex illis vocibus colligi nequit. Primo enim non apparet, cur duriore hoc atque obscuriore loquendi modo usus esset Ioannes, non autem dixisset potius: *In patre* sive in *Deo erat Verbum*, sicut continuo subiicit: *et Verbum erat apud Deum*. Sed insuper in altero versu, quo tres prioris versus sententiae in unam quasi coagmentantur, voces *in principio*, quae procul dubio, sicut prius, sunt explicandae, manifestum est sonare non posse *in patre*, sive *in Deo*; secus enim hic sensus inde exstaret: *Verbum erat in Deo apud Deum.* Vel voces istae significarent caussam aliarum rerum, haeque forent vel divinae vel creatae. At rerum divinarum caussae sive, ut recentiores theologi loquuntur, principia alia non habentur nisi pater et filius. Patri locus esse non potest in illa sententia, quod iam demonstravimus. Sed neque filio; sensus quippe talis foret: *in filio erat Verbum*, quod idem sonaret, ac si diceres: *in filio erat filius*, aut *In Verbo erat Verbum*; sensus, inquam, absurdus, vox enim *Verbum*, ut infra demonstrabimus, necessario designat aliquam ὑπόστασιν, non autem rem aliquam ὑποστάσει adtributam. Sed neque rerum creatarum caussa vocibus illis designatur, quasi eae significarent Verbum illarum caussam esse. Etenim Ioannes primum de ipso Verbo [15]), tum de huius operibus [16]) ordine loquitur. Quid ergo de ipso Verbo loquuturus initium dicendi sumpsisset ab eius operibus, de quibus eadem mox dicturus erat, omisisset vero, quod nosse apprime referebat, num Verbum aeternum fuerit, an potius esse coeperit?

7 Neque ordinem loci significare illae voces possunt, tamquam si dixisset evangelista, Verbum *loco* primum esse in ordine rerum. In rebus enim divinis nil prius alio est nisi ut caussa; id autem Verbum esse quod ad totam Trinitatem nemo de haereticis unus unquam somniavit. Sin autem de rebus creatis dicta ea sunt, ut sensus foret Verbum esse primum omnium rerum creatarum, arianum quid alicui obolerent fortasse verba Ioannis, in quibus tamen id foetoris nemo vel εὐφυέστατος persentiscat, quum a creatarum rerum numero mox Verbum illud prorsus secernat [17])

8 Superest igitur, ut voces *in principio* sonent ordinem temporis. Quum autem Ioannes rem nullam nominet, quacum Verbum quod ad temporis ordinem comparetur, manifestum est res omnes, quas tempore metiri est, atque adeo etiam ipsum tempus illis vocibus complexum eum esse, ut tota primi huius incisi sententia sit, quum aliquid esse coepit, atque adeo ipso temporis initio, Verbum iam fuisse, proinde aeternum id esse. Quam Verbi divini aeternitatem plenius simul et pressius, ac Ioannes fecit, exponere nemo se posse confidat. A vocibus autem *In principio* non unum hoc primum incisum dependere, sed et duo, quae continuo sequuntur, intelligimus ex verbo *erat* in singulis repetito.

9 Quaeritur an voces *In principio* idem hic sonent ac in libro geneseos [18]). Grotius fidenter affirmat hoc vocabulum a Ioanne esse *desumptum ex graeco geneseos* [19]). Neque abnuam, siquidem hae voces in genesi id valeant, quod in evangelio valere diximus; hoc tamen est, quod quaeritur.

---

[1]) Ib. 2. [2]) Ib. 3. [3]) Ib. 4. 5. [4]) Ib. 6. 7. [5]) Lib. I. c. IV. nn. 15. 17. [6]) Recognit. L. I. §§ 54. 60. 63. [7]) Io. I, 8. [8]) Ib. 9—13. [9]) Ib. 14. [10]) Ib. [11]) Ib. 15. [12]) Ib. 16. [13]) Ib. 17. [14]) Ib. 18. [15]) Io. I, 1. 2. [16]) Ib. 3—5. [17]) Ib. 3. [18]) Gen. I, 1. [19]) In. Io. I, 1.

De hoc vero ita continuo Grotius: ***Noto autem scripturae loco, verbum inde sumptum ex sententia illius loci intelligendum est.*** Et hnc verissime dictum puto, etsi nullus nuno huic praecepto locus sit, nisi secundum id, quod Grotius, falso tamen, pouit. Neque enim in genesi notior est harum vocum significatio, quae Grotii ὑπόθεσις est, sed omnino in evangelio aperta magis ac definita; in hoc quippe nil significare illae possunt nisi ipsius temporis initium, in genesi vero, etsi haec ipsa vocibus *in principio* insit significatio, hanc tamen ut assequamur, longiore ac diligentiore consideratione opus est. Pergit Grotius, atque assumit hoc modo: ***Mosis loci sententia haec est: Cum primum creavit Deus caelum et terram, terra erat etc.*** Illud *cum primum creavit* est de penu rabbinorum Iarchii et Aben Ezrae, qui contendunt vocem בראשית esse *in regimine*, quod non modo nulla ratione confirmare est, sed neque syntaxis patitur, neque ullum huius rei exemplum nobis suppeditat ratio loquendi, quae priscis illis Israelitis fuit, ea vero, quae suggerit seriorum Israelitarum sermo, a rabbinis illis producta ex Is. XXIX, 1 et Os. I. 2. parum aut nihil conficiunt. In his autem Grotii verbis animadvertas quoque velim, ut aliquo modo nobis obtrudatur mundus aeternus, utpote quia terra, ut is loquitur, *iam erat*, quum crearetur, ideoque, quod consequens erat, verbo *creare* alia notio affingatur, ac producere ex nihilo; quae omnia clarius quoque ille scripserat in commentariis de genesi, in quibus haec leguntur: *Melius* In principio creare Deum, *id est*, priusquam *crearet sive* formaret *Deus* . . . tunc terra erat. His positis ita Grotius concludit: *Ergo ἐν ἀρχῇ* (in principio) *est, cum primum rerum universitas coepit creari etc.*, atque haec addit: *iam tum erat* Verbum. Iam vero, si illa *rerum universitas* complectatur quidquid aeternum non est, sed esse olim coepit, sique *creari* idem sit, ac incipere esse, ita ut tota loquutio tantumdem valeat atque *initio temporis*, non obluctarer Grotio ita concludenti, tametsi id, quod concludit, ex superioribus minime efficiatur; quum tamen ex his, in quibus *creari* idem est ac *formari*, ac terra veluti aeterna commemoratur, inferre potius oporteat talem non esse sensum conclusionis, qualem vellemus, dicendum est Grotii interpretatione, quin in tuto posita sit Verbi divini aeternitas, in incertum potius hanc esse revocatam, quum ex eo, quod Verbum iam esset, quum ea *formarentur, quae autem iam erant*, haud consequatur, ut illud aeternum sit.

10 Itaque autumamus voces *in principio* tum in hoc eaangelio tum in genesi idem valere, ita ut etiam in genesi ipsius temporis initium significent, neque tamen sint *in regimine*; neque enim alia de caussa in *regimine* essent, nisi quia statim illas subsequitur verbum *creare*, quod quum in evangelio minime fiat, alia omnino vis vocibus illis hic inesset [1]).

11 Vim vocis *erat* a Ioanne usurpatae diligenter considera. Non enim utitur is praeterito tempore *fuit*, quam vocem aliquis fortasse prave interpretaturus fuisset *esse coepit*, sed imperfecto, quod rei continuationem exprimit. Si enim, quum tempus esse coepit, Verbum divinum iam *erat*, ante tempus, atque adeo aeternum, sit oportet. Posita, inquam, vocum *in principio* notione, quam defendimus, haec, quam nunc dicimus, verbo *erat* notio subiecta sit, oportet. Erat *enim*, inquit Cyrillus, ***indefinite prolatum quonam in loco nos sistet, cum prosequentem mentem natura sua semper antevertat, et quam illius quietem esse putaveris, hanc ulterioris cursus faciat initium? . . . Ubi denique illud*** erat, ***aliquo modo,*** τὸ οὐκ ἦν non erat ***inibit, aut quem tandem locum habebit in filio?*** [2]) Ioannes, sicut ait Chrysostomus, ***non terminos ponens haec loquutus est; neque enim dixit: principium habuit, sed: in principio erat, hac voce*** erat ***te deducens, ut filium sine principio esse cogitares*** [3]). ***Hic enim illud*** erat ***non aeternitatem ostendit, si solum spectatur, sed una cum illis: In principio erat, et: Verbum erat*** [4]). ***Quid ergo dico? Quod illud*** erat ***de Verbo dictum huius aeternitatem manifestat dumtaxat*** [5]). Didymus vero Alexandrinus: ***In principio erat Verbum, id est, sine initio erat, sive aeternus, quod est increatus:*** ἀνυπέρβατόν ἐστι τὸ ἦν ***Transcensum excludit istud*** erat, ***nullamque ultra ipsum existentiae carentiam concipi aut intelligi sinit*** [6]). Nec alia bis scripsit Basilius: ***Audi,*** inquit, ***evangelium: In principio erat. Si autem in principio erat, quando non erat*** [7])?

12 *Λόγος* ***Verbum***, quod latini patres nonnulli, praesertim ex vetustioribus, ***Sermonem*** vocaverunt, nomen est, quod unus Ioannes inter scriptores novi testamenti ita adhibuit, ut eo aperte designaret alteram ὑπόστασιν divinam, qualem illam Christiani credere profitentur. Hanc enim subiectam esse huic nomini notionem in scriptis Ioannis, fieri nequit, ut minime videat is, qui, non partium

---

[1]) Lege *Patritii* De interpret. scripturar. sacr. L. II. q. I. [2]) In Io. I, 1. [3]) In Io. hom. IV al. III. § 3. [4]) Ib. hom. III al. II. § 2. [5]) Ib. § 3. [6]) De Trin. Lib. III. c. 3. Conf. Lib. I. c. 15. [7]) De div. hom. XVI. § 2.

diversarum, sed simplici unius veritatis cognoscendae studio ductus hoc evangelii caput attente legat, item consideret, ut in eo Verbum et Deus esse dicatur simul et a Deo distinctum, et *caro factum*, atque per totum evangelium Verbum hoc, ipsum, inquam hoc Verbum *caro factum* ea agere legamus, quae notioni λογου ἀνυποστατου maxime contraria sunt, vehementerque repugnant.

13 Quaeri autem solet, unde nomen istud in hanc notionem acceptum deprompserit Ioannes, quum in nullo alio scriptorum θεοπνευστων adeo aperte distincteque, ut in illius libris, altera Trinitatis ὑποστασις hoc nomine significetur. Quam quaestionem ut recte habeamus, animadvertere oportet, ut aliud sit quaerere, unde acceperit, quave occasione nomen ipsum Ioannes excogitaverit, cui nomini veram ac genuinam alterius e tribus divinis personis notionem subiiceret, aliud autem quamnam huic nomini notionem subiecerit, aut unde eam didicerit.

14 Si primum quaeras, haud video, cur dici nequeat Ioannes hoc nomen ex vetere testamento deprompsisse. Etsi enim in veteribus scripturis דבר sive λογος numquam videatur divinam aliquam ὑποστασις perspicue omnino atque indubitate significare, tamen sive ex explicatione tradita a maioribus, sive potissimum ex doctrina Christi, atque adeo quod Christus cunctis apostolis *aperuit . . . sensum, ut intelligerent scripturas* [1]), discere potuit nomine sive דבר sive λογῳ in certis quibusdam veteris testamenti locis divinam illam ὑποστασιν denominari. Idque ipsum eo quoque comprobatur, quis post enuntiatam veram ac certam de Verbo sententiam continuo venit Ioannes ad Verbi opera, aitque: *Omnia per ipsum facta sunt* [2]), quae manifesto consonant nonnullis veteris testamenti sententiis, verbi caussa, illi: VERBO *Domini caeli firmati sunt* [3]), vel, sicut hebraice est, *facti sunt*, item illi: *Ipse* DIXIT, *et facta sunt* [4]), haec autem nemo non sentit veluti παρῳδιαν esse historiae de creatione, in qua ingeminatur illud: DIXIT *Deus . . . et factum est* [5]). Sunt, qui argumenta petant etiam ex מימרא interpretis chaldaei, qua tamen de re *adhuc sub iudice lis est*. Praeterea, quum alias quas voces [6]), quae a philosophis illius aetatis, Orientalibus praesertim ac Gnosticis, ad pravas suas de rebus divinis sententias enuntiandas τροπικως usurpabantur, Ioannes quoque frequenter transtulerit ad vera quidem et recta de divinis dicenda, in eum tamen sensum acceptas, in quem nemo alius ex scriptoribus sacris, aut raro omnino, accepit, damnare non ausim eum, qui affirmaret evangelistam nostrum, sicut illas voces, ita etiam nomen Λογον ex ea philosophia desumpsisse, in qua modo rationem divinam, modo quamdam ex Deo emanationem significabat, illudque minus veris notionibus spoliatum ac veluti depurgatum nominandae verae distinctaeque ὑποστασει a prima genitae transferret. Neque enim hac in re quidquam minus pium ac religiosum suspicari est, quum ipsum nomen θεον *Deum*, olim fictis numinibus appellandis adhibitum, ad verum numen nominandum apostoli adhibere non dubitarint, sicut ante ipsos Iudaei graece loquentes, atque ipsi graeci interpretes bibliorum adhibuerant. Illud indubium videtur, Ioannem non sine numinis afflatu hanc vocem vocibus aliis hoc ipso praetulisse, quod ea illius aetatis philosophi (19) male uterentur ad sua commenta edicenda, quodque aeterno Gnosticorum silentio eadem opponeretur. Atque huc pertinent verba illa Ignatii, quae ad Magnesianos scribebat: *Εἱς θεος ἐστιν ὁ φανερωσας ἑαυτον δια Ιησου Χριστου του υἱου αὐτου, ὁς ἐστιν αὐτου Λογος ἀΐδιος οὐκ ἀπο σιγης προελθων.* ***Unus Deus est, qui seipsum manifestavit per Iesum Christum filium suum, qui est verbum ipsius aeternum non a silentio progrediens*** [7]).

15 Sin autem alterum quaeratur, id est, quam huic voci notionem subiecerit Ioannes, dictum iam paullo ante ac probatum a nobis est (12); neque eam ab alio didicit, nisi ab ipso Christo. Qui enim vel olim autumarunt, vel hodiedum autumant Ioannem nominis huius notionem a Philone accepisse, dicendi sunt alterutrius scriptoris sententiam minus esse assequuti; itemque sentias, oportet, de iis, qui e Neoplatonicorum scholis illam notionem a Ioanne arcessitam suspicantur. Quantum enim discrepent duo hi Λογοι, quem videlicet sive Philo, sive Neoplatonici, quemque Ioannes nominarunt, abunde demonstravit Iohannes Benedictus Carpzovius [8]), et ante hunc, quamquam diversa ratione, Laurentius Moshemius [9]) et Iacobus Bruckerus [10]), tum vero liquet vel ideo, quod Trias, quam Philo, quamque ceteri philosophi illius aut superioris aetatis commenti aut sunt, aut esse putantur, immane quantum discrepet a divina Triade, qualem hanc Christiani esse credunt, ut Cud-

[1]) Luc. XXIV, 45. [2]) Io. I, 3. [3]) Ps. XXXII, 6. [4]) Ps. XXXII, 9. [5]) Gen. I. [6]) Lege Lib. I. c. 4. n. 14. [7]) Ep. ad Magnes. § 8. [8]) Philoniana, hoc est, Prolegg. ad sacras exercitatt. in s. Pauli ep. ad Hebr. L. VII. [9]) In adnotatt. ad Systema intellect. *Cudworthi*. c. IV. § 36. p. 640. [10]) Hist. philosoph. Per. II. P. II. L. I. c. I. § 7.

worthus, acer ceteroquin Triadis a Platone inveetae defensor [1]), nec non Cudworthi enarrator Moshemius [2]) et Bruekerus [3]) plene cumulateque evicerunt.

16 Verbo, quod ex omni aeternitate fuisse dixerat, attribuit Ioannes propriam ὑποστασιν, qua a patre distinguitur. Neque enim ait: *et Verbum erat in Deo*, quo rem hanc minime enuntiasset, sed: *et Verbum erat apud Deum* [4]), προς τον θεον, quo clare demonstrat Verbum esse *alium* patre. Nomine autem *Deum* significari hoc in loco, non divinam οὐσιαν, sed personam, patrem videlicet, colligimus ex his, quae continuo sequuntur: *et Deus erat Verbum*. Quum enim in his nomen *Deus* personam manifesto significet, consequitur personam designare quoque posse in illis prioribus, imo et debere, ne dicatur Ioannes eamdem vocem in diversas antiones contineuter accepisse. Idque ipsum eo certius constat, qund, si Verbnm est Deus, si, inquam, divina est eius natura, diei illud nequit esse apnd naturam divinam. Cur autem non *patrem*, sed *Deum* nominet, mox dicemus (17). Audi Cyrillum: *Ex eo vero, quod dicit: et Verbum erat apud Deum, unum quiddam idque per se subsistens, filium ostendit, alium autem rursus esse Deum ac patrem, apud quem erat Verbum. Quomodo enim, amabo, id, quod unum numero est, ipsum προς ἑαυτο ἠτοι παρ ἑαυτῳ ad semetipsum sive apud semetipsum esse censebitur* [5]). Audi et Chrysostomum: *Ne quis ipsum Verbum prolatitium simplieiter aut internum esse putaret, per articulum praepositum et per secundam hanc sententiam, ut diximus, hoc refellit; non enim dixit: ἐν θεῳ ἠν, ἀλλα προς τον θεον ἠν: in Deo erat, sed: apud Deum erat, eius nobis secundum hypostasim aeternitatem declarans* [6]). Horum gemina scripsit Basilius [7]).

17 In illis *et Deus erat Verbum* [8]) nomen *Deus* nequit significare natnram divinam, sed personam. Vel enim hoc nomen *subieetum* propnsitionis foret vel *praedieatum*; utrovis modo absurda esset sententia. Etenim, quodcumque sit nomen, si simplieiter et absque nllo adposito, quo eius significatio quodammodo restringatur, illud enunties, haec suam significationem integram servat, proinde illa propositio significaret vel totam naturam divinam esse Verbnm, vel Verbum esse totam natnram divinam; ntrumque falso atque absurde, et enm superioribns pugnans. Quod si diceres nomen *Deum* in hoc loco utique significare naturam divinam, sed non universe, alterutrum necessario peccares, vel quod plures natnras divinas esse poneres, vel unam quidem quae dividi posset in partes, ac paene distribui. Adde quod Ioannes, qunm non de natura divina ageret in hoc exordio, sed de Verbo, quid hoc Verbnm sit docere nos debnit, quod nondum fecerat, non antem qnid natura divina, quod docere in praesenti nihil referebat. Et illnd animadverte, in omnibus tribus huins versicnli sententiis continenter enuntiatis vocem *Verbum* construetam esse cum voce *erat*; qunm autem in dnabns prioribus vox *Verbum* regat vocem *erat*, absonum fuisset syntaxin ex improviso immutare in postrema illarum sententiarum, nullis praeterea additis, quibus obscuritas sive amphibolia removeretur. Deniquo articulns praescriptus nomini λογος, non autem nomini θεος, rem omnino confieit. Cyrillus de his: *Quasi ergo*, inquit, *in veritatis verba exsurgeret aliquis, et sanctum evangelistam ita propemodum compellaret: Erat quidem Verbum, o bone, apud Deum, esto; tibi enim ista scribenti credimus. Sit autem et subsistat pater proprie, itemque filius similiter. Quodnam ergo secundum naturam Verbum esse putandum est? Illud enim: esse apud Deum, omnino substantiam non significat. Cum autem unum Deum scripturae divinae praedicent, patri soli hoc tribuemus, apud quem erat Verbum. Quid ad haec igitur ait praeco veritatis? Non solum erat* VERBUM *apud Deum, sed* ERAT *etiam* DEUS; *ut ex eo, quod est apud Deum, alius patre esse cognoscatur, ex eo vero, quod est Deus consubstantialis et ex ipso intelligatur esse secundum naturam, utpote Deus ex Deo exsistens* [9]). Chrysostomus haec verba Ioannis ita interpretatur: Ὁτι ὁ λογος οὑτος και θεος ἠν (*Quod Verbum hoc et Deus erat* [10]). Basilius item: *Quid, inquit, est Verbum? Deus erat Verbum* [11]). Nec secus Origenes [12]), Didimus Alexandrinus [13]), alii. Ariani quoque et Anomaei illud infitias ire ausi non sunt, hunc esse sensum huins incisi. Quo se laqueo ut extricarent illud urgebant, quod *pater cum articulo dicitur*, τον θεον, *filius vero sine articulo* θεος [14]); quod quidem qnam inepte fncerent, nemo non facile sentit, planeque commentum istud refutavit Chrysostomus [15]), porro autem, quam sit inane, ea, quae diximus, perspicue demonstrant. Enuntiat itaque his verbis Ioannes Verbi

---

[1]) Syst. intellect. c. IV. §§ 16. 17. 18. 20, praesertim vero § 36. [2]) In ll. cc. *Cudworthi.* [3]) Hist. phil. Per. I. P. I. L. II. c. 3. § 15; c. 7. § 16; P. II. L. I. c. 1. § 14; L. II. c. 6. § 23; c. 10. § 15; et Per. II. P. I. L. I. c. 2. sect. 4. §§ 51. 52; L. II. c. 1. § 36; c. 3. § 8. [4]) Io. I, 1. [5]) In h. l. [6]) In Io. hom. III al. II. § 3. [7]) De diversis hom. XVI. § 3. [8]) Io. I, 1. [9]) In h. l. [10]) L. c. [11]) L. c. § 4. [12]) In Io. T. II. § 1. [13]) De Trin. L. 1. c. 15; L. III. c. 3. [14]) *Chrysost.* op. cit. hom. IV al. III. § 3. [15]) Ib.

divinitatem eiusque, cum patre ὁμοουσιοτητα, illud *Deum* dicens, qualem prius dixerat patrem, talemque Deum, non qui esse coeperit, se qui *in principio* (8) *erat Deus.* Atque haec esse videtur ratio, cur primam ὑποστασιν non *patrem* vocaverit sed *Deum* (16), ut, inquam, ex ipsis nominibus haec ὁμοουσιοτης statim appareret. Ceterum licet nobis esse securis de absona illa interpunctione, qua nomen ὁ λογος postremi huius incisi a superioribus avulsum iungitur versui insequenti, quamque recentiores quidam quum nulla codicum aut patrum auctoritate suffulti inducere adorti sunt, nil praestitere aliud, nisi ut rancidam Photini crambem recoquerent.

18 Illud enuntiatum: *Hoc erat in principio apud Deum* [1]) enarrandum est secundum ea, quae de tribus superioribus sententiis disserebamus. Etenim si addideris nomen *Verbum*, quod in illo deest, sententias eas omnes in unum collectas habebis, quas ita resolvere poteris: Ὁ λογος, οὑτος ἠν *Verbum, hoc* ERAT, hoc, inquam, *erat*, quod dixi, Deus videlicet, ERAT *in principio* ERAT *apud Deum;* atque ita haec exposuerunt Origenes [2]), Basilius, Chrysostomus, Cyrillus [3]), alii. Hactenus de divina Verbi tum persona, tum natura; quae omnia postrema haec sententia complectitur, quaeque in illos praesertim veterum philosophorum errores apprime faciunt, quibus hi abrepti, ad deprehendendum rerum omnium principium, divinas, nescio quas, emanationes commenti sunt, et ex quibus *systema*, ut vocant, *emanativum* coaluit.

19 Quaeret fortasse quis, cur Ioannes in hoc loco non aperte meminerit divinae generationis? Cuius tamen mentionem a Ioanne minime omissam esse facile dabit, qui veram ac genuinam teneat notionem του λογου, quam ita Basilius explicuit: *Audi Verbum ita, ut Deo signum est. Nam de unigenito disserens Verbum ipsum appellavit . . . Verbum audiens cave mentis imbecillitate ad humiles terrenasque sententias deprimaris, sed dictionis vim ac sensum diligentius investiga. Cur verbum? Ut ostendatur ex mente procedere. Cur verbum? Quoniam citra passionem genitum est. Cur verbum? Quoniam imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem, nullam inde partem deducens, et perfecta in se exsistens, quemadmodum et verbum nostrum totius nostrae cogitationis imaginem refert. Quae enim secundum cor intelligimus, haec verbo proferimus, et, quod loquimur, exemplar est eius, quod corde cogitamus. Ex cordis enim abundantia verbum profertur. Nam cor nostrum veluti fons est quidam, verbum vero prolatum veluti rivus ex hac fonte fluit. Tantum est igitur, quod effluit, quantum quod primo refertur, et quale id, quod latet, tale est id, quod apparet. Verbum itaque dixit, ut passionis expertem patris generationem tibi exhiberet, et perfectam filii substantiam tibi ea ratione, qua de Deo agendum est, exponeret, et coniunctionem sine tempore filii ad patrem per haec indicaret. Nam et verbum nostrum, mentis fetus, sine passione generatur; neque enim scinditur, neque partitur, neque fluit, sed manens totus intellectus in propria statu verbum totum et omnibus numeris absolutum emittit, et procedens verbum totam generantis intellectus vim in se ipso continet. Tu igitur, quantum pietas sinit, tantum ex voce Verbum ad Unigeniti theologiam accipiens, quidquid invenias, quod inconditum et ineptum videatur, omni modo devita et praetermitte. In principio erat Verbum. Si dixisset: In principio erat filius, appellatione filii cogitatio de passione generationis subiisset; quoniam, quae apud nos generant, tempore generant, et cum passione generant. Idcirco de industria Verbum dixit, vanis hominum suspicionibus occurrens, ut tuam animam incolumen conservaret* [4]). Pressius autem Thomas: *Verbum proprie dictum in divinis personaliter accipitur, et est proprium nomen personae filii, significat enim quamdam emanationem intellectus. Persona autem, quae procedit in divinis secundum emanationem intellectus, dicitur filius, et huiusmodi processio dicitur generatio* [5]). Lege Thomae 1. q. 27. aa. 1. 2. Cur autem non apertius divinam Verbi generationem Ioannes commemoraverit, ratio haec esse videtur. Qui per illam aetatem in philosophorum scholis rerum potiebantur, secta erat Neoplatonicorum, quorum placita, quum late obtinerent, disciplinas cunctas veluti vitale quoddam principium pervadebant, materiemque suppeditabant, quam quisque in novarum commenta opinionum confingeret. Hi Λογον quemdam, tametsi longe alium ac τον Λογον Ioannis, utcumque e divina mente emanantem, esse docebant, ut qui generationem aliquam in Deo agnoscere se minime diffiterentur. Qui autem horum doctrinis instituti eas doctrinis Christianorum componere et quasi coagmentare tentabant, veriti, ne, si ex omni aeternitate filium, alium patre, patri ὁμοουσιον, exsistere faterentur, plures Deos inducerent, alterutrum peccabant, ut vel negarent filium patri ὁμοουσιον esse atque aeternum esse, quod Dei unius proprium est, vel affirmarent non alium patre eum esse. Audi Origenem, qui rem hanc,

---

[1]) Io. I, 2. [2]) In Io T. II. § 4. [3]) LL. cc. [4]) L. c. § 3. [5]) 1. q. 34. a. 2. c.

tametsi alio spectant, ita exponit, aitque esse, *qui verentur, ne duos praedicent Deos, et propter hoc in falsa et impia dogmata incidunt,* **sive** *negantes ἰδιότητα proprietatem filii*, illud videlicet, quod filio proprium est, quoque alius est patre, *confidentes Deum esse nomine tenus, qui apud ipsos filius appellatur*, **sive** *negantes filii divinitatem et ponentes ipsius τὴν ἰδιότητα καὶ τὴν οὐσίαν proprietatem et essentiam*, id est simul cum proprietate etiam ipsam essentiam, *secundum quamdam deformationem exsistere aliam a patre* [1]). Ioannes autem, quum huiusmodi adversarios refutandos sibi proposuerit, pravas istas excutere opiniones hominibus studens radicitus, ipsos illos horum magistros philosophos impetit in exordio evangelii. Ad hos enim eum spectasse luculento indicio est ipsum nomen ὁ *Λόγος*. Quorsum enim nomen hoc alteri divinarum personarum nominandae in sensum tum definitum ac certum, ut nemo unus unquam, accepisset, si cum iis ageret, quibus ad id inauditum illud foret aut incompertum? Nonne longe opportunius nomen *filius*, utpote maxime omnium usitatum, quum e contrario nomen *Λόγος* scriptis Ioannis primo innotuisse videatur, quippe quod in ceterorum sive evangelistarum sive apostolorum, scriptis ne semel quidem compareat? Quum igitur Ioannes in hoc loco philosophos istos refutet, non erat, cur de divina Verbi generatione, quam illi minime infitias ibant, agere vellet. Basilius quoque de hac quaestione haud secus sensisse videtur, quippe qui haec scripsit, quae tamen Eunomianos potius, quam vetustiores illos Neaplatonicos attingere videntur: *Praevidebat iam tum spiritus sanctus futuros esse, qui detraherent gloriae unigeniti, et sophismata in audientium eversionem machinarentur: quoniam, si genitus est, non erat, et, antequam generaretur, non erat, et ex iis, quae non sunt, subsistentiam accepit. . . . Ne igitur alicui huiusmodi tendiculas usurpare liceat, Spiritus sanctus occurrit per evangelium loquens: In principio erat Verbum. Si hanc vocem recte tenueris, nihil a viris contentiosis et captiosis grave patieris. Si enim ille dixerit: Si genitus est, non erat, tu dic: In principio erat. Sed, inquit, prius, quam genitus est, quomodo erat? Tu ne dimittas illud* ERAT, *ne relinquas illud* IN PRINCIPIO . . . *Ubi est blasphemus, ubi lingua Christo adversaria? dicens: Erat aliquando, quando non erat. Eorumne impietatem deploro, an ignorantiam abominor? Sed, antequam genitus esset, non erat. Nosti enim, quando sit genitus, ut, quod prius est tempore, possis inferre? Illud, enim* ANTEA *temporalis est vox aliud alii vetustatis gratia praeponens; temporis autem conditorem quomodo congruum est generationis temporalis appellationi esse subiectum? In principio igitur erat. Quod si ab hoc verbo* ERAT *non deficies aut te alienaveris, nullum blasphemiae dabis aditum* [2]). Apparet itaque sensisse Basilium ideo Ioannem illis vocibus ***In principio erat Verbum*** Verbi aeternitatem adfirmasse, ut illos refelleret, qui hanc eo negabant, quod Verbum genitum a patre esset; pari igitur pacto et propriam Verbi ὑπόστασιν et eius cum patre ὁμοουσιότητα duobus incisis insequentibus Ioannes enuntiasse putandus est, ut eos refutaret, qui eadem de caussa detrectabant haec credere. Non ergo adversarios in habebat in hoc loco, qui Verbum a patre genitum negarent, proinde non erat, cur apertioribus verbis ageret hac de re. Ceterum, quum non alia iis, qui aetate illa divinam Verbi generationem in dubium revocabant, erroris huius caussa esse posset, quam quod Verbum vel Deum esse minime crederent, vel non ex omni aeternitate exsistere, vel non aliam, ac patri est, ὑπόστασιν habere, tribus his a Ioanne refutatis, et illud, quod ex his effici atque esse consectarium putabatur, concideret, necesse erat. Porro autem repetere iuvat id, quod superius contendimus, Verbi appellatione generationem, qualis in Deo esse potest, plenissime enuntiari atque exprimi.

20 A Verbo ad Verbi opera transgreditur Ioannes eaque primum commemorat [3]), quotquot natura complectitur, atque ambo illa impetit πολυθρύλλητα de rerum omnium origine φιλοσοφήματα, quae veteres sapientes in duas veluti sectas dividebat, alteris διὰ ἀποῤῥοίας, alteris διὰ συνδυασμοῦ omnia exsistere contendentibus. Ait itaque *omnia*, id est, bona et mala, visibilia et invisibilia, per Verbum facta esse [4]). Hoc ipsum repetit conversa affirmatione in negationem, *nihil*, neque bonum neque malum, neque visibile neque invisibile, sine Verbo factum esse, id est, non a Deo per Verbum. Clausula autem illa *quod factum est* duo simul conficit Ioannes, ostendens, quatenus superior sententia protendatur, ad omnia videlicet, quae sive facta sive creata esse dicuntur, ac simul ponens alia esse, quae nec facta sunt, neque creata, atque adeo quae sententia illa minime complectitur, imo excludit. Lege Chrysostomum [5]).

21 Advertere tamen oportet non uno modo verba haec et insequentia interpuncta reperiri. Graeci enim codices, perpaucis exceptis, et patrum praesertim graecorum pars verba haec referunt ita inter-

---

[1]) L. c. § 2. [2]) L. c. § 2. [3]) Io. I. 3. [4]) Conf. Coloss. I, 16. 17. [5]) In Io. hom. V. al. IV. § 2.

puncta: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat etc.* Secundum aliam interpunctionem, quam Chrysostomus esse ait κατα τους αἱρετικους, nimis tamen severe, quum eam exhibeant scriptores omnes trium primorum saeculorum, ceterorum vero pars longe maxima, codices item latini omnium vetustissimi et quidam e graecis vetustioribus, verba *quod factum est* a prioribus seiuncta iunguntur posterioribus, duplici tamen ratione. Alii enim ita legunt: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat etc.*, alii vero ita: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat etc.* [1]). Biblia Xysti V primam quidem trium interpunctionum respuunt, utram tamen e duabus reliquis sequi oporteat, dubios nos faciunt; sic enim habent: *Et sine ipso factum est nihil: Quod factum est in ipso vita erat.* Biblia vero Clementis VIII, quum postremam interpunctionem reiiciunt, tum salvum simul relinquunt ius suum primae aeque, ac secundae, re in incerto posita, atque ita habent: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat etc.* De alia quadam interpunctionis ratione deque hac tota quaestione, lege, quae Photius disseruit in Amphilochianis [2]). Tota tamen sententia horum verborum fluere commodius videtur, si latina ac graeca pleraque exemplaria sequamur, quod, ut vidimus, vulgata editio latina minime abnuit. *Neque enim punctum ponemus*, inquit Chrysostomus, *post illud* νιηιι, *ut haeretici faciunt. Illi enim, cum velint Spiritum creatum esse, ita legunt: Quod factum est, in ipso vita erat. At sic nullo modo haec intelligi poterunt* [3]). Attamen sic quoque praeclaram sententiam haec exhibent, quam facile colliges, si attendas, ut verborum constructio ea sit, qua alias etiam est in scriptis Ioannis [4]), a pronomine relativo initium capiens, itaque ordinanda: *In ipso, quod factum est, vita erat*, eamque Cyrillus ita explicat: *Si quid factum est, erat in ipso vita, hoc est, unigenitum Dei Verbum. Ipsum enim, vita quum sit secundum naturam, esse, et vivere, et moveri, iis, quae sunt, multimodis largitur . . . In omnibus, quae facta sunt, erat vita, hoc est, Verbum, quod erat in principio, . . . Verbum erat, ut vita secundum naturam, per participationem iis, quae sunt, se ipsum immiscens* [5]).

22 Secundum haec alterum rerum ordinem, quarum item Verbum auctor est atque caussa, Ioannes commemorat, eaque sunt, ut dicere mos est, opera gratiae [6]). Quaenam autem vocibus *vita, lux, tenebrae*, alias quoque a Ioanne usurpatis notio subiecta sit, difficile non est intelligere; omnes enim mutuum sibi invicem lumen adhibent, potissimum si cum aliis Ioannis sententiis comparentur, sique subsidio ad id nobis sint alia quoque scripturarum testimonia, praesertim vero Pauli. De omnibus itaque generatim quaeramus.

23 Quod attinet ad *lucem* et *tenebras*, si ea expendas, atque inter se conferas, quae dicta de his apud Ioannem leguntur in Io. I, 4. 5. 8. 9; III, 19 coll. 18; VIII, 12; XII, 35. 36. 46; I Io. I, 6. 7; II, 8—11, levi negotio intelliges hanc illam *lucem* esse, quam Verbum hominum mentibus illustrandis doctrina sua diffudit, lumen, inquam, fidei cum caritate coniunctae, id est *quae per charitatem operatur* [7]), *tenebras* vero huius luminis defectum, quod vel ex ipsa utriusque rei oppositione apparet manifesto. Confer cum his Is. IX, 2 coll. Matth. IV, 16; Luc. I, 79; Rom. XIII, 12; II Cor. VI, 14; Ephes. V, 8; Coloss. I, 12. 13; I Thess. V, 4. 5. De *vita* autem ea passim, dicuntur in Io. III, 15. 16. 36; V, 24; VI, 40, 47; VIII, 12; XI, 25; XII, 50 coll. 49; XVII, 3; 1 Io. V, 10. 11. 13, quibus discimus *vitam* esse id, quod fides illa ipsa nobis praestat, vitam, inquam, tum gratiae, tum gloriae. Confer cum his Ephes. IV, 17. 18; I Tim. I, 16; II Tim. I, 10.

24 Animadvertas porro, illud quod nomina *vita* et *lux* ipsi Christo, nomen autem *tenebrae* hominibus fide destitutis subinde fiat in scriptis Ioannis, neque tamen hoc sit aliam notionem his nominibus inducere, sed quaedam sit metonymia seu denominatio, qua is, qui facit, ab eo, quod fit, atque id, quod continet, ab eo, quod continetur, nomen accipit; pro comperto enim est Christum *vitam* nomen habere [8]) ut *auctorem vitae* [9]), *lucem* vero [10]), ut *auctorem fidei* [11]), sicut etiam ii, quibus fidei lumen affulsit, *lux*, quibus vero non affulsit, *tenebrae* vocantur a Paulo [12]). Confer cum his II Cor. IV, 6; Ephes. V, 14; Coloss. III, 4; II Tim. I, 10.

25 Haec, quae de illis nominibus diximus, cuique sufficient ad ea tenenda, quae in hoc exordio evangelii leguntur. *In ipso vita erat* [13]), Verbo videlicet acceptam referamus oportet vitam illam, quam veniens in orbem, doctrinae suae ac fidei lumine diffuso, nobis daturus erat [14]). *Et vita erat*

---

[1]) *Sabatier* Bibliorum sacrorum latinae versiones antiquae ad h. l. [2]) Quaest. I. § 32. 33 in *Mai* Scriptorum veterum nova collect. T. I. [3]) In Io. hom. V. al. IV. § 1. [4]) Conf. Io. I, 46; I Io. I, 1. [5]) In h. l. [6]) Io. I, 4—8. [7]) Gal. V, 6. [8]) Io. XI, 25; XIV, 16; I Io. I, 2; V, 12. 20. [9]) Act. III, 15. [10]) Io. I, 9; III, 19; VIII, 12; IX, 5; XII, 46. [11]) Hebr. XII, 2. [12]) Ephes. V, 8. [13]) Io. I, 4. [14]) Conf. Io. V, 26; VI, 33; X, 28 etc.; I Io. V, 11.

lux hominum [1]), lumen quippe fidei, *quae per charitatem operatur,* hanc vitam nobis parit, nec, nisi si hoc lumine perfundamur, vitam hanc vivere possumus, *quia iustus ex fide vivit* [2]), ideoque perquam apte dicitur illa *lux* illave fides esse *vita*, ut Christus ipse eam vocavit, quum dixit: *Haec* EST *autem* VITA *aeterna*, UT COGNOSCANT *te solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum* [3]). Quare in hac quoque enuntiatione ordo inversus est, rectus enim ita est: *Et lux hominum erat vita,* videlicet hominum [4]), sicut vidimus factum (17) in illa: *et Deus erat Verbum,* et sicut Cyrillus haec explicat [5]): *Testatur ipse beatus evangelista, . . . ὅτι το φως των ἀνθρωπων ἦν ἡ ζωή quod lux hominum erat vita.* In illis vero: *et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt* nomen *tenebrae* per metonymiam (24), significat homines *tenebris*, id est, fidei defectu laborantes, attamen ut scholae loquuntur, *reduplicative* et *sensu composito*, eos videlicet, qui hac luce perfundi atque illustrari detrectant. Voces *lux* et *lumen* in hac inque insequentibus enuntiationibus, utraque enim pro una atque eadem graeca voce φως reddita est, per metonymiam et ipsae usurpantur, neo aliud, quam Verbum ipsum, significant, quum certo constet non aliud, quam Verbum, lucem vocari, ubi haec legimus: *Non erat ille lux* [6]), itemque, ubi haec, quae prioribus opponuntur: *Erat lux vero etc.* [7]). Confer haec omnia cum illis, quae de gratia et veritate deque iustitia et fide disputat Paulus in epistolis scriptis ad Romanos et Galatas (37).

26 Etenim in his verbis postremis *lucem* ipsum Verbum vocari ea evincunt, quae deinde deinceps enumerantur [8]) veluti lucis huius gesta, quaeque tamen gesta sunt ipsius Verbi. Illa *venientem in hunc mundum* reddita sunt pro graecis ἐρχομενον εἰς τον κοσμον, quae verti aeque possunt: *veniens in hunc mundum,* ita, ut pertineant, non ad *omnem hominem*, sed ad *lucem*.

27 *Mundus*, de quo saepe ac multo loquitur Ioannes, non ferme terrarum orbis, neque universum, neque totum hominum genus est; de mundo enim ita agitur in hoc evangelio, ut qui simul omnia bona Deus et Christus contulerint, qui tamen Christum non agnoverit, imo Christo adversetur. Quater in hoc loco legitur nomen *mundus*, non tamen una atque eadem notione. In primo enim inciso id significat, quod vere ac proprie *mundum* dicimus, quid autem significet in ceteris, disces ab Augustino, qui de illa Pauli sententia: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus . . .* MUNDI *rectores tenebrarum harum* [9]), apposite in rem nostram haec scripsit: *Mundi dixit tenebrarum harum, mundi dixit impiorum et iniquorum, mundi dixit, de quo dicit evangelium: Et mundus eum non cognovit* [10]). *Mundus* itaque vocantur praecipue homines perverse agentes, sive ex fidei defectu, sive ex vitio voluntatis, uno verbo omnes, qui Christo adversantur. *Hic mundum vocat*, inquit Chrysostomus, *multitudinem corruptam et terrenis rebus inhiantem, turbam, vulgus, insipientem populum* [11]). Id autem mundus iste differt cum *tenebris*, quod hae solos homines fide destitutos significent. Talem autem esse *mundi* notionem apud Ioannem porro confirmat definitio, quae est in eius epistola: *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* [12]).

28 Non ab re erit, nec ingratum, puto, cuiquam accidet, quidquid Ioannes docuit de mundo, huc collectum inspicere; quare totam hanc doctrinam ex ordine subiungimus, quo quisque poterit insuper certior fieri, quaenam nomini *mundo* subiecta notio sit.

Christus non est de mundo. Io. VIII, 23; XVII, 14. 16.
Christus est ante mundum. Io. XVII, 5. 24.
Mundus per ipsum factus est. Io. I, 10.
Dilectio Dei erga mundum. Io. III, 16.
Deus misit filium in mundum. Io. III, 17; X, 36; XVII, 18.
Christus venit in mundum. Io. IX, 39; XI, 27; XII, 46; XVI, 28; XVIII, 37.
Christus fuit in mundo. Io. I, 10; IX, 5; XVII, 12 graec.
Non venit ut iudicet mundum. Io. III, 17; XII, 47.
Sed ut salvet mundum. Io. III, 17; IV, 40; XII, 47.
loquutus est in mundo. Io. VIII, 26; XVII, 13; XVIII, 20.
illuminat mundum. Io. I, 9; III, 19; VIII, 12; IX, 5; XII, 46.
tollit peccatum mundi. Io. I, 29.
vitam dat mundo. Io. VI, 33. 52.

---

1) Ib. I, 4. 2) Gal. III, 11. 3) Io. XVII, 3. Conf. XI, 25. 4) Conf. Io. I, 9. 5) In Io. I, 6. 6) Ib. I, 8. 7) Ib. 9 seqq. 8) Ib. 9—13. 9) Ephes. VI, 12. 10) In Ps. LIV. § 4. 11) In Io. hom. VIII al. VII. § 1. 12) I Io. II, 16.

discipulos de mundo elegit et accepit. Io. XV, 19; XVII, 6.
eos mittit in mundum sicut pater misit ipsum. Io. XVII, 18.
Mundus Christum non cognoscit. Io. I, 10.
nec Christi patrem. Io. XVII, 25.
Christum odit. Io. VII, 7; XV; 18.
et eos, qui sunt Christi. Io. XV, 18. 19; XVII, 14.
non autem eos, qui non credunt in Christum. Io. VII, 7 coll. 5.
suos diligit. Io. XV, 19.
De mundo sunt, qui non sunt Christi. Io. VIII, 23.
De mundo non sunt, qui sunt Christi. Io. XV, 19; XVII, 14. 16.
Spiritus sanctus arguit mundum. Io. XVI, 8.
Quem mundus non potest accipere. Io. XIV, 17.
Quia non videt eum. Io. XIV, 17.
nec scit eum. Io. XIV, 17.
Christus testimonium perhibet, quia opera mundi mala sunt. Io. VII, 7.
non dat pacem, sicut dat mundus. XIV, 27.
non pro mundo rogat. Io. XVII, 9.
Nunc iudicium est mundi. Io. XII, 31.
Princeps mundi non habet quidquam in Christo. Io. XIV, 30.
iudicatus est. Io. XVI, 11.
eiicietur foras. Io. XII, 31.
Christus vicit mundum. Io. XVI, 33.
Regnum Christi non est de hoc mundo. Io. XVIII, 36.
Christus abiit de mundo ad patrem. Io. XIII, 1; XVI, 28; XVII, 11.

29 *In propria venit, et sui eum non receperunt* [1]). Voces *propria* et *sui* [2]) sunt pro graecis vocibus *ἰδια* et *ἰδιοι*. Harum vocum prima plerique autumant terrarum orbem significari, ultern vero ipsos homines. Nonnullis e contrario videtur potius vox *ἰδια propria* gentem Iudaeorum significare vel regionem, vox autem *ἰδιοι sui* ipsos Iudaeos, sane multo melius. Etenim id alicui *ἰδιον* esse dicitur, quod huic ita, proprium est, privum, ac peculiare, ut contrarium sit *τῳ κοινῳ και τῳ δημοσιῳ*, ut bona privata, domus, familia, cetera; ita Ioannes dicitur Christi matrem recepisse *εἰς τα ἰδια in sua* [3]), id est, in propriam domum, vel tamquam quid sibi privum. Quare Verbum inter Iudaeos veniens, natumque ex gente Iudaeorum, quos sibi Deus elegerat *in populum* PECULIAREM [4]), percommode dicitur venisse *εἰς τα ἰδια*, atque ipsi Iudaei Verbo *ἰδιοι* esse dicuntur. Adde, quod, si de mundo deque hominibus in universum dicta haec essent, ea vel forent mera *ταυτολογια* superiorum, vel quid minus verum exhiberent; etenim, ut Iudaei vere dici possunt, et re ipsa dicuntur, Christum non recepisse, non tamen aeque vere de hominibus in universum sic loqueremur, quod apparet vel ex iis, quae continuo sequuntur: *Quotquot autem receperunt eum etc.* Et illud denique animadverte, quum hactenus Ioannes multorum errores summatim perstrinxerit, cur intactos reliquisset Iudaeos? quos etiam tamen attingebat eius consilium, quod erat demonstrare, *quia Iesus est* CHRISTUS *filius Dei* [5]). Dices Iudaeos impeti illa sententia inferius posita: *Verbum caro factum est* [6]). Verum haec latius omnino patere longiusque pertinere videtur, quam ut peculiaris aliquis error ea impetatur, est enim conclusio ac veluti summa totius doctrinae in hoc evangelii exordio contentae, simulque totius evangelii, huius enim materies est *Verbum caro factum*; tametsi hac una sententia, iis positis, quae prius de Verbo sunt tradita, quidquid haeresum adversus Christum prorupit, plane refutetur. Ceterum Chrysostomus [7]) et Cyrillus [8]) explicationi huic nominum *ἰδια* et *ἰδιοι* omnino suffragantur. Huius et superioris sententiae connexum ita explicat Cyrillus: *Mirum quippe nihil est, inquit, si non cognovit mundus Unigenitum, utpote qui ab intelligentia homine digna deflexerit, et, quum in honore quidem esset, non intellexit, comparatus iumentis insipientibus, sicut dixit divinus psaltes, quum ipse quoque populus, quem sibi prae ceteris peculiarem elegit Deus, in carne praesentem abiecerit, et eum, qui ad omnium salutem advenerat, excipere noluerit. . . . Adverte autem, quam solida sint, quae de his dicuntur. Mundum accusat, quod illuminantem nullo modo cognoverit, iustam ei veniam hoc*

---

[1]) Io. I, 11. [2]) Io. I, 11—13. [3]) Io. XIX, 27. [4]) Deut. XIV, 2. [5]) Io. XX, 31. [6]) Ib. I. 14. [7]) In Io. hom. IX. § 1. [8]) In Io. I, 11.

pacto ei veluti quaerens, et excusationes legitimas datae ei gratiae struens. De Israelitis vero, quos in peculiarem sortem sibi Deus adsciverat, scribit: non receperunt; non enim vere dicere poterat: non cognoverunt, prisca lege praedicante et post eam prophetis ad veritatis comprehensionem illos erudientibus [1]). Nec alia his scripserat Chrysostomus [2]).

30 Expedit autem animadvertere convenientiam trium harum sententiarum: *Και το φως ἐν τῃ σκοτιᾳ φαινει, και ἡ σκοτια αὐτο οὐ κατελαβεν Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt, Ἐν τῳ κοσμῳ ἦν, . . . και ὁ κοσμος αὐτον οὐκ ἔγνω In mundo erat, . . . et mundus eum non cognovit, Εἰς τα ἰδια ἦλθε, και οἱ ἰδιοι αὐτον οὐ παρελαβον In propria venit, et sui eum non receperunt.* Quibus Ioannes edicit, quae omni hominum generi divinum Verbum praestiterit, quam vero homines indignas beneficio vices rependerint. Quorum mentio ter intra paucos versus repetita prodit manifesto Christi discipulum praeceptoris sui amantissimum, qui monstruosum hunc hominum stuporem probrosumque adeo ingrati animi crimen satis nequeat mirari.

31 Quae de versibus duodecimo et decimo tertio Cyrillus praeclare disseruit, ea summatim transcribimus. Horum sententia ex oppositione antecedentium plenius claret. Dixerat enim Ioannes a Iudaeis Verbum minime fuisse receptum, subiicit, quid boni iis, qui ipsum receperunt, id est, *qui credunt in nomine eius,* ipsum idem Verbum praestiterit, nam *dedit eis,* inquit, *potestatem filios Dei fieri,* eam ipsam divinam *υἱοτητα*, quae Iudaeis ad id usque steterat [3]), quaque ceteras gentes praecellebant, his ademptam in illos transferens, sed longe sublimiore ratione. Illi enim filii Dei sunt *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,* sicut Iudaei fuerant, qui in tantum filii Dei habebantur, in quantum genus ducebant ex populo Dei, sed quia *ex Deo nati sunt.* Quid autem sit *ex Deo nasci,* Ioannes ipse docere te poterit [4]).

32 *Verbum caro factum est* [5]). De quibus ita Chrysostomus: *Postquam dixerat illos, qui eum receperunt, ex Deo natos et Dei filios esse, ineffabilis huius honoris caussam affert, hanc videlicet, quod Verbum caro factum sit, et Dominus servi formam acceperit; filius enim hominis effectus est, cum verus Dei filius esset, ut homines Dei filios efficeret* [6]). In his vox *caro* idem sonat ac *homo,* sicut alias apud Ioannem [7]) et apud ceteros non raro tum in vetere, tum in novo testamento [8]). *Id enim significat,* inquit Cyrillus, *illud, quod ait, Verbum carnem factum esse; idem enim est ac si diceret: Verbum homo factum est. Nihil autem nobis inusitatum aut peregrinum sic loquens ingerit, quum saepe divina scriptura solius carnis vocabulo totum animal significet* [9]). Usus autem esse videtur Ioannes voce *caro* potius quam voce *homo,* quo magis aperte adversaretur errori Docetarum negantium *Iesum Christum in carne venisse* [10]). Aliam caussam lege apud Cyrillum [11]).

33 *Et habitavit in nobis* [12]). Horum sensus vulgo non alius esse putatur, quam Verbum in terris inter homines vitam degisse; at graecum *ἐσκηνωσεν* a Ioanne usurpatum, pro quo redditum est latinum *habitavit,* aliter credere suadet. Etenim *σκηνουν* deductum a *σκηνη,* quod est *tentorium,* proprie tantumdem sonat ac *tendere,* hoc est, *tentorium ponere,* aut *in tentorio habitare.* Cur vero huiusmodi translatione atque hoc potius, quam proprio verbo *οἰκειν habitare* Ioannes usus est? Caussam aperiunt Chrysostomus et Cyrillus. Ille enim ita scripsit: *Quod . . . illud* FACTUM EST *ideo dictum sit, ut ne phantasiam esse suspiceris, animadverte ex iis, quae sequuntur, quomodo et dictum illud et pravam hanc suspicionem expurget. Subdit enim: et ἐσκηνωσεν in nobis, ac si diceret: Nihil absurdum suspiceris ex hoc dicto* FACTUM EST. *Non enim immutabilis naturae mutationem, sed σκηνωσιν και κατοικησιν dixi, το δε σκηνουν non idem est τῃ σκηνῃ, sed aliud; aliud enim in alio σκηνοι, nec aliter esse potest σκηνωσις, nihil enim in se ipso habitat. Aliud autem dixi secundum essentiam. Nam unione et coniunctione unum est Deus, Verbum, et caro, sine ulla confusione aut essentiarum exinanitione, sed per unionem ineffabilem inexplicabilemque. Quomodo autem id fiat, ne quaeras; factum est enim, ut ipse novit* [13]). Nec secus Cyrillus: *Cum enim,* inquit, *dixerit carnem factum esse Dei Verbum, ne quis propria ipsum natura excidisse stultissime suspicaretur, et in carnem vere transmutatum esse, atque id passum, quod pati non poterat, . . . recte utique Theologus statim infert: et ἐσκηνωσεν in nobis, ut enim duo necessario intelligas, τον τε σκηνουντα και το ἐν ᾧ ἡ σκηνωσις, in carnem ipsum transmutatum esse minime existimes, sed σκηνωσαι potius*

---

1) In h. l. 2) In Io. hom. IX al. VIII. § 1. 3) Ex. IV, 23; Is. I, 2; Os. XI, 1. 4) I Io. II, 29; III, 9; IV, 7; V, 1. 4. 18. 5) Io. I, 14. 6) In Io. hom. XI al. X. § 1. 7) Io. XVII, 2. 8) Deut. V, 26; Iudith VII, 16; Ps. LV, 5; LXIV, 3; Eccli. I, 10; Is. XL, 5. 6; Ierem. XXV, 31; Ezech. XX, 48; etc. etc. Matth. XXIV, 22; Marc. XIII, 20; Luc. III, 6; Act. II, 17; Rom. III, 20; etc. etc. 9) In h. l. 10) I Io. IV, 2. 3. 11) L. c. 12) Io. I, 14. 13) In Io. hom. XI al. X. § 2.

in carne, ut proprio utens corpore, templo illo videlicet, quod est ex sancta Virgine. In ipso enim habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut Paulus ait [1]).

34 Quum illa *plenum gratiae et veritatis* [2]) sint apposita Verbi divini, priores haias versus voces *et vidimus gloriam eius etc.* παρενθετοι sunt, ac separatim legendae. His Ioannes testem se oculatum profitetur supernae illius lucis ac claritatis, quam divina Christi natura humanae impertit ac veluti affundit, qaaeqne Christo in terris degeate, etsi conspicua minime foret, subinde tamen iis, quos ipse tali amoris significatione est dignatus, affulsisse creditur, quum re ipsa id factum aarrent evangelistae. Proinde haec verba Ioannis spectare dicenda suat ad Christi transfigurationem et adscensum in caelum, neque enim scimus alias rem haao a Ioanne conspectam fuisse [3]). Adde, qaod graecum ἐθεασαμεθα, pro qno positum est in hoc loco latinam *vidimus*, non quocumque modo videre significat, sed *studiose spectare, contemplari*, idque etiam, ut adnotavit Kuinoelius [4]), *cum voluptate et admiratione*.

35 Particula ὡς *quasi* vel ita accipienda est, ut, quamqnam iuncta sit nomini *Unigeniti*, spectet tamen ad nomen *gloriam*, in qnantum Ioannes non totam Unigeniti gloriam viderit, qaam neo videre poterat, vel, quod verius est, ita, ut rem non extenuet, sed coafirmet, idemque sonet atque *ut* vel *utpote*, qai particulae huins usus latinis scriptoribus ignotas haud est [5]); eo maxime, quod graecae particulae significatio, teste Hesychio, eadem interdum est ac ἀληθως, ὀντως, talemqne significationem in hac sententia ei subesse docet Chrysostomus his verbis: *Illud autem* ὡς *non similitudinis est neque parabolae*, ἀλλα βεβαιωσεως και ἀναμφισβητητου διορισμου, *sed confirmationis et definitionis nulli dubitationi obnoxiae, ac si diceret: Vidimus gloriam, qualem decebat et par erat habere unigenitum et germanum filium Dei* [6]). Cyrillus ita haec interpretatur: *Vidimus enim gloriam eius, inquit, omni gloria sublimiorem, et* ὁποιαν ἀν τις ὁμολογησε πρεπειν τῳ ἐκ θεου πατρος υἱῳ μονογενει *qualem decere filium ex Deo patre unigenitum quisque fateatur* [7]).

36 Verba παρα πατρος *a patre* aeqne iungi possunt nomini sive μονογενους *unigeniti* sive δοξαν *gloriam*. Si primum, sensas erit μονογενους, ὁς ἐστι παρα πατρους *unigeniti, qui est ex patre*, neqne enim verbum γεννασθαι, quod continetur in μονογενους, constructum reperitur cum praepositione παρα, plena autem constructio eadem erit ac in illis, Εἰ μη ὠν παρα του θεου [8]), Παρ᾽ αὐτου εἰμι [9]), Οὐκ ἐστι παρα του θεου [10]), Εἰ μη ἠν οὐτος παρα του θεου [11]), Παρα σου ἐστι [12]), Ἐσται . . . εἰρηνη παρα θεου πατρος, κ. τ. λ. [13]). Si alterum, δοξαν παρα πατρος *gloriam a patre* tantumdem sonat, ac δοξαν, ἠν ἐλαβε παρα πατρος *gloriam, quam accepit a patre*, qaae loqnendi ratio non semel reperitur in scriptis Ioaaais: Δοξαν παρ᾽ ἀνθρωπων οὐ λαμβανω [14]), Δοξαν παρ᾽ ἀλληλων λαμβανοντες [15]), atque aliis in locis: Λαβων . . . παρα θεου πατρος . . . δοξαν [16]) atqae adeo omisso verbo, sicat in hoc loco, apud ipsum Ioannem: Και την δοξαν την παρα του μονου θεου οὐ ζητειτε [17]), id est, την δοξαν, ἠν ἀν λαμβανοιτε παρα του μονου θεου. Horum similia sunt in Act. XXVI, 12. 22; Rom. XI, 27; II Thess. III, 8; II Tim. I, 18. Videtur antem hoc posterius priori praestare, qnippe quod plenior inde sententia exsistat. Nam et ipsi μονογενους notioni notio πατρος coniuncta quodammodo est ac veluti implicita, ut tamen necesse non sit illi nomini nomen hoc addere, et nomen πατρος, etiam si per praepositionem παρα adiungatur nomini δοξαν, non aliam tamen significare potest nisi eum, qui pater sit ipsias μονογενους; proinde, si fiat hoc alternm, nil tamen deperiret sententiae, qnae foret, si verba παρα πατρος cum nomine μονογενους construerentur. At, si haec verba constrnantur cum nomine δοξαν horum seasus, salva illa sententia, erit praeterea, gloriam hanc eam esse, quam Verbum a Patre sibi, utpote unigenito, communicatum accepit.

37 *Plenum gratiae et veritatis* [18]). De his ita Kuinoelius: *Respondit . . .* χαρις και ἀληθεια *Hebraeorum voci* חסד ואמת, *et, ut nomen* חסד *non tantum* BENIVOLENTIAM, BENIGNITATEM, *sed etiam per metonymiam* DONA, BENEFICIA *ipsa, indicat, v. Genes. XXXII, 11; Ps. XVI, 14; Ies. XVI, 5; Zach. VIII, 3, 16, ita* χαρις *hoc ipso significatu h. l., in epistola ad Rom., aliisque in locis N. T. legitur, v. Schleusneri Lex. h. v., unde et Hesychius* χαρις *interpretatus est* δωρεα. *Sed* χαριτος και ἀληθειας *positum est pro* χαριτος ἀληθινης, *ut sit* ἐν δια δυοιν, *qua ratione iam Cyrillus Alex. verba nostra intellexit, qui ea interpretatus est* χαριν τελειαν και ἀληθη. *Itaque* πληρης χαριτος και ἀληθειας *est* LARGITOR BENEFICIORUM VERISSIMORUM, vel potius, quae certo ac fideliter praestanda suat;

---

[1]) In. h. l. [2]) Io. I, 14. [3]) Lib. I. c. IV, n. 27. [4]) In h. l. [5]) *Forcellini* Lexicon totius latinitatis ad hanc vocem. [6]) In Io. hom. XII al. XI. § 1. [7]) In h. l. [8]) Io. VI, 46. [9]) Ib. VII, 29. [10]) Ib. IX, 16. [11]) Ib. 33. [12]) Ib. XVII, 7. [13]) II Io. 3. [14]) Io. V, 41. [15]) Ib. 44. [16]) II Petr. I, 17. [17]) Io. V, 44. [18]) Io. I, 14.

πληρης enim, ut sequentia docent, v. 16 ἐλαβομεν χαριν, v. 17 ἐδοθη χαρις, non tam passive, quam potius active intelligi debet, de eo, qui aliquid suum affert, largitur, et communicat [1]). Quam explanationem comprobant ea, quae leguntur in versu decimosexto, in quo dicimur *ἐκ του πληρωματος de* PLENITUDINE *eius nos omues* accepisse, de eo videlicet, quo *Verbum earo faetum* Ioaunes dixerat *plenum* esse, ita tamen ut non *της ἀληθειας* fiat mentio, sed solum *της χαριτος*. Lege, quae disseruimus de vaticinio Nathanis [2]). Ceterum haud repugnabo, si cui illud magis arrideat, ut *χαρις και ἀληθεια gratia et veritas* proprie iam voceutur ac sunt ea ipsa, quae superius [3]) per translationem *ζωη και φως vita et lux* vocata sunt, alias vero non minus proprie *δικαιοσυνη και πιστις iustitia et fides* [4]) vocantur, idque ipse Ioannes mox confirmat, *gratiam et veritatem* opponeos *legi Moysis* [5]), cui Paulus modo eadem haeo duo, modo *iustitiam et fidem* opponit quam saepissime [6]).

38 *Ioannes testimonium perhibet de ipso* [7]). Testem superius [8]) evangelista ooster uominaverat, iam testimouium ipsom refert, ot confirmet idem illud, quod modo [9]) testatus ipse est, otpote qui viderit *gloriam eius gloriam quasi unigeniti a patre.* Nam ad hunc fiuem referri verba Baptistae facile intelliges, si animadvertas veluti *παρενθετα* haeo esse, quom illa, qnae cootinuo sequuutur [10]), connexa sint illis, qnae ante haeo proxime dicta sunt [11]). Sensus igitor hoius testimonii sit oportet, Verbum, quod *caro faetum est, et habitavit in nobis*, quodque tamquam unum de oumero hominum nobiscum versari in terris vidimus, esse illud, quod *in principio erat.* Et re vera, ut recte adnotavit Kuinoelius, *adverbium ἐμπροσθεν nusquam in versione alexandrina, in libris N. T. scriptorumque profanorum, de* DIGNITATE, AUCTORITATE, *usurpatur, sed interdum de* LOCO *veluti Luc. XIX, 4: και προδραμων ἐμπροσθεν et* PRAECURRIT ANTE, *plerunque de* TEMPORE, *v. Iudd. I, 23; I Reg. III, 12; II Reg. XVIII, 5; Ioh. III, 28. V. etiam* ELSNERUS *ad h. l.* [12]). Quocirca tempus souet oportet etiam adverbium *ὀπισω post*, cui illud *ἐμπροσθεν* opponitur, atque adeo uomen *πρωτος*, quod latine versum est *prior*, continetque caussam rationemque illius *ἐμπροσθεν*, quodque, inquit Kuinoelius, *Ioannes ponere quoque solet ita, ut sit prior tempore, ut I, 41; V, 4; VIII, 7; XX, 4. 8; I Io. IV, 19 et πρωτον Io. XV, 18. Adhibuit praeterea scriptor verbum ἠν, quod antea de praeexsistentia του Λογου usurpaverat. Si denique ἐμπροσθεν et πρωτος de* DIGNITATE, AUCTORITATE, *explicautur, frigida tautologia exsistit* [13]). De argumenti autem vi nihil demitur, quod iu hoo connexo superius et inferius alterum pro altero ponere aeqoe liceat; utrumqoe enim verum est atque ob rem sive dicas: *Aute me factus est, quia prior me erat*, sive: *prior me erat, quia ante me factus est.*

39 Quae sequuntur [14]), uou Baptistae, sed evangelistae verba sunt, ut Chrysostomus [15]) et Cyrillus [16]) iam adnotarunt; neque enim Baptista usurpare potuisset verbum *ἐλαβομεν accepimus* praeteriti temporis, sed *ληψομεθα aeeipiemus* futuri, neque eum, de quo loquebatur, vocasset *Ἰησουν Χριστον*, quibus duobus simul nominibus onmquam is, dom in terris vixit, vocatus est, neque ipsi Baptistae, sed evangelistae, haec omnia *Unigenitus filius, qui est in sinu patris, . . . enarravit.* Quid sit *πληρωμα plenitudo* Christi, appsret, ut diximus (37), ex illis: *plenum gratiae et veritatis*; illa enim caussam, haec illius caussae effectum significant, nimirum ideo gratiam et veritatem *de plenitudiue eius nos* OMNES *aeeepimus*, quod sit *plenum gratiae et veritatis.* Verba *χαριν ἀντι χαριτος*, quae interpres latinus vertit *gratiam pro gratia*, Chrysostomus ita exposuit: *Quid autem aeeepimus? Gratiam pro gratia, inquit. Quam pro qua? Pro veteri novam. Sicut enim erat iustitia et iustitia, . . . et fides et fides, . . . et adoptio et adoptio* ceteraque, quae plurima enomerat, *sie*, concludit, *et gratia et gratia. Sed illa quidem ceu figura sunt, haec ut veritas, quae homonyma quidem, sed non synonyma sunt. . . . Operae pretium autem est seriem persequi. Cum dixisset: De plenitudiue eius nos omnes aeeepimus, subiunxit: et gratiam pro gratia, ostendens Iudaeos quoque per gratiam salvos fuisse. . . . Et nos quoque gratia salvi facti sumus, sed non eodem modo; neque enim iisdem in rebus, sed in multo maioribus et sublimioribus. Non itaque talis est apud nos gratia. Neque enim peccatorum tantum venia nobis collata est, . . . sed datur etiam iustitia, sanctificatio, adoptio, spiritus gratia longe splendidior et uberior. Per hanc gratiam Deo cari facti sumus, non ultra ut servi tantum, sed etiam ut filii et amici. Ideo ait gratiam pro gratia* [17]). Nec aliter Cyrillus [18]) quod ad rei summam. Alii vero ita haeo interpretantur: *και χαριν ἀντι χαριτος et* QUIDEM BENEFICIA UBERRIMA. *Και est particula ἐξηγητικη*, ET QUIDEM, NEMPE. *Χαριν ἀντι χαριτος est periphrasis*

---

[1]) In h. l. [2]) *Patrit.* De interpret. scripturar. sacr. L. II. q. IX, sect. V. § III. [3]) Io. I, 4. 5. 7. 8. 9. [4]) Rom, III, 22, etc. [5]) Io. I, 17, [6]) Rom.; Gal.; etc [7]) Io. I, 15. [8]) Ib. 6—8. [9]) Ib. 14. [10]) Ib. 16. [11]) Ib. 14. [12]) In h. l. [13]) In h. l. [14]) Ib. 16—18. [15]) In Io. hom. XIV al. XIII. § 1. [16]) In h. l. [17]) L. c. [18]) In h. l.

superlativi Hebraeis usitata חן על חן, italice diceres *grazie sopra grazie*, *v.* SCHOETTGENIUS *Horr. hebr. ad h. l.*, *nec ea Graecis insolens; Theognid. v. 344:* ἀντ' ἀνιῶν ἀνίας CALAMITATES SUPER CALAMITATES. *Vid.* GATAKERUS *Advers. posthum. c. 27 et* BENGELII *Gnomon ad h. l.* [1]). Prior tamen explicatio praeferenda, idque ea ipsa de caussa, quae Kuinoelio est, cur alteram praeferendam putet, *nam v. seq.*, inquit, *τῷ νόμῳ simpliciter opponitur χάρις* [2]). Etenim illa, quae Ioannes subiungit: *Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, liquet esse brevem quamdam ἐξήγησιν illius *χάριν ἀντὶ χάριτος*, ut docent tum verborum constructio, tum series orationis, tum verba *χάρις καὶ ἀλήθεια*, *gratia et veritas* testantia agi adhuc de illa *plenitudine*, de qua *accepimus gratiam pro gratia*, tum denique illud, quod si secus foret mera haec, quae foret, ac simplex comparatio legis et gratiae non in loco esse videretur. Si igitur his ratio priorum dictorum redditur, ratio autem haec non alia est, quam eorum, quorum Christus auctor est, praestantia iis, quorum lator fuit Moyses, orta ex ipsa Christi supra Moysen excellentia, necesse est priora dicta esse de utrisque. Neque illud obest, quod opponit Kuinoelius, quod, inquam *desiderantur praeterea loci, quibus probari possit, legem mosaicam χάριν vocari*; non enim *gratiam pro gratia*, interpretandum esse dicimus *gratiam pro lege*, neque ita Chrysostomus interpretatur, sed *gratiam longe potiorem illa, quam homines, qui legem Mosaicam, dum ea obtinuit, observabant, sunt consequuti*, eo nimirum potiorem excellentioremque, quo gratiae huius auctor atque effector latore illius legis potior atque excellentior.

40 Duo quaerenda supersunt de iis, quibus hoc evangelii exordium concluditur, quorum duorum primum est, quorsum spectet illud effatum: *Deum nemo vidit unquam*, alterum, quid illud sit, quod *Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.* Quod ad primum, Chrysostomi opinio est illud pronuntiari a Ioanne, quo comprobet Christi supra Moysem excellentiam, quippe qui *cum patre semper est, et videt eum perpetuo*, Dei vero conspectus, quo frui sive Moysi contigit, sive aliis, *συγκαταβάσεως demissionis cuiusdam fuit, non nudae substantiae, visio* [3]). Paulo aliter Cyrillus. Futuri erant, inquit, qui Ioanni haec opponerent: *Asseruisti, o bone, spectasse te* GLORIAM EIUS, GLORIAM QUASI UNIGENITI A PATRE, *cumque deceret subtiliorum istarum rerum nobis explicationem afferre, et divinum quiddam atque sublime dicere, gloriam illam demonstrasti ex eo, quod Mosis et Ioannis excellentiam superarit, quasi non posset aliter eius gloria spectari, quum tamen beatus propheta Isaias, . . . quum item Ezechiel, praedicet se spectasse . . . Dominum Sabaoth?* His itaque respondet Ioannes: *Deum nemo vidit unquam, soli enim filio naturali aspectabilis est pater*, non igitur ex rei ipsius conspectu, sed *ab illa eminentia, qua Christus cuncta superat*, argumentum peti oportere, quo demonstremus esse *gloriam eius gloriam quasi unigeniti a patre. Quemadmodum enim a creaturarum pulcritudine auctoris rerum omnium virtus proportione quadam innotescit, . . . ita quoque Unigenitus gloriosior et illustrior apparebit, si ex iis, quibus creaturam superat, intelligatur, ac putetur, ut supra ipsam existens, licet oculorum aciem effugiat, ut Deus* [4]). Quod vero ad alteram quaestionem, censet Cyrillus id, quod *unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit*, esse illud ipsum, quod proxime dictum est: *Deum nemo vidit unquam.* Ita etiam sensisse Chrysostomus prima specie videretur, prout eius verba sonant latine reddita a Montfauconio, quae sunt: *Quid enarravit? Deum nemo vidit unquam. Unus est Deus* [5]). Sed horum sensum vix colligas. Unde enim aut quorsum illa? *Unus est Deus.* Cur, veluti improbans, quod dixerat, haec subiungit? *Sed hoc, et reliqui prophetae, et Moyses frequentissime clamat: Dominus Deus tuus, Dominus unus est, et Esaias: Ante me non est factus alius Deus, et post me non est.* Cur continuo, ita ac si nondum responsum sit, rursus interrogat? *Quid ergo aliud a filio didicimus, utpote qui sit in sinu patris? Quid ab unigenito?* plura respondens, quae a Christo *sunt enarrata* [6]). Verum facile efficias, ut omnia haec liqueant, si ponas, non affirmando, sed interrogando a Chrysostomo, ut qui non omnino assentiret, prolata esse illa: *Quid enarravit? ὅτι θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε; ὅτι εἷς ἐστιν ὁ θεός; quod Deum nemo vidit unquam? Quod unus est Deus?* Profecto concludit verbo *enarravit* significari Christum enarrasse ea omnia, *quaecumque de ipso enarrata sunt. . . . Enarratio itaque doctrinae evidentiam in hoc loco significat.* Quod si, quid ego sentiam, aperire liceat, dicerem equidem totius huius versus sententiam eo spectare, ut illa omnia, quae Ioannes exposuerat, suoque ac Baptistae testimonio confirmaverat, confirmet demum testimonio ipsius Christi, eumdemque sensum esse, ac si is ita loquutus esset: Divina haec mysteria, quae retuli, non inde didici, quod oculis ipse

---

[1]) *Kuinoel.* in h. l. [2]) In h. l. [3]) In Io. hom. XV al. XIV. § 1. [4]) In h. l. [5]) In Io. hom. cit. § 2. [6]) Ib. § 3.

meis aut alius quivis ea conspexerimus, nam Deum nemo vidit unquam, sed quod unigenitus filius, qui non modo haec videt, sed penitus adeo cognoscit, atque intelligit, ut qui sit in sinu patris, ipse enarravit. *Multo enim amplius, quam videre*, inquit Chrysostomus, *est esse in sinu patris. Nam qui solum videt, non accuratam omnino rei visae cognitionem habet, qui autem in sinu versatur, nihil ignoraverit* [1]).

DISSERTATIO IX

De genere Iesu Christi.

Disputationi, quam instituimus, hoc dumtaxat propositum est, ut ne quis iure dubitet Christi genealogias ambas vere dici, quas Matthaeus et Lucas descripserunt, easque idoneas esse, ex quibus Christi genus ediscamus, atque per has ipsas evangelistarum consilio satis factum esse. Porro illud ex tota huius argumenti tractatione consequetur, neutrum evangelistarum nec pugnantia nec minus cohaerentia narrare de Christi genere, neque iis opposita, quae alter narrat.

CAPUT I

De Christi genealogiis in universum, quas Matthaeus et Lucas ediderunt.

1 Duplex genealogiarum describendarum ratio a veteribus adhibita est, alteram Iulius Africanus dixit *κατ᾿ ἀνάλυσιν* [2]), quare alteram *κατα συνθεσιν* recte dixeris. Prior est, qua initio facto ab eo, cuius genus enarramus, per omnes *προγονους* ad primum gentis aut familiae auctorem regredimur; posterior contra, qua ab auctore per seriem *ἀπογονων* ad unum aliquem pluresve ex his descendimus. Graecis usitata magis fuit prior illa ratio, eiusque specimina tibi exhibent inter ceteros Phlegon in Olympicis prosapiam Lycurgi ad Herculem usque reducens [3]), plura vero Herodotus, ubi Leonidae [4]), Leutychidae [5]), aliorumque proavos enumerat. Non desunt tamen et apud graecos scriptores exempla genealogiarum *κατα συνθεσιν;* huiusmodi enim est genealogia Miltiadis ab Aiace deducta; quam nobis servavit Marcellinus affirmans testimonio Didymi eam a Pherecide editam fuisse in sua historia [6]).

2 Scriptores hebraei utramque rationem sequuti sunt in genealogiis contexendis, quarum specimina affatim tibi suppeditat liber primus paralipomenon [7]). Prior genealogiarum ratio *κατ᾿ ἀνάλυσιν* in vetere testamento non ferme usurpatur, nisi quum alicuius prosapia enarranda est, eaeque uno eodemque modo constanter describuntur repetita voce בן *filii* post nomen uniuscuiusque ex maioribus, quae vox appositum est adiungendum nomini, non eius, cuius prosapia enarratur, sed quod proxime praecedit, proinde reddendum per casum patrium; sic exempli caussa: עזרא בן שריה בן עזריה בן חלקיה וגו׳ [8]) vertes: *Esdras filius Saraiae filii Azariae filii Helciae etc.* Lege I Reg. I, 1; IX, 1; I Par. VI hebr. 18—23. 24—28. 29—32; II Esdr. XI, 4 seqq.; Esth. II, 5; Sophon. I, 1, item Iudith VIII, 1; Baruch. I, 1. Genealogiae *κατα συνθεσιν* ad alicuius progeniem recensendam plerumque adhibentur. Quare saepissime exhibent plures alicuius filios, pluresque ex unoquoque filio nepotes, atque ex unoquoque nepote abnepotes, ceterosque. Lege Gen. X, 1—32; XXXVI, 1—19. 20—28; I Par. I — VIII. Saepe tamen unicam singularium *γενεων* seriem complectuntur, idque non uno modo, id est, vel solis nominibus editis, ut I Par. I, 1—4. 24—27, vel adiuncta unicuique nomini voce בנו *filius eius*, ut I Par. III, 10—14; VI hebr. 5—6 seqq.; 35—38, vel repetito ad unamquamque *γενεαν* verbo ילד *genuit*, ut Gen. IV, 18, aut הוליד *genuit*, ut Ruth IV, 18—22; I Par. II, 10—13. 36—41; V hebr. 30—40; II Esd. XII. 10. 11, vel addita, qua quisque genuit, aetate, quamque post genitos filios vixit, ut Gen. XI, 10—26, ac praeterea annis totius vitae, ut Gen. V, 1—31. Haec praenovisse iuvabit, ubi distinctas ac peculiares de utraque Christi genealogia quaestiones habebimus.

3 In novo testamento duas legimus genealogias, utraque vero Christi genus prodit, altera quidem a Luca edita *κατ᾿ ἀνάλυσιν* repetito articulo, ut Graeci solent, quem interpres vulgatus reddidit

[1]) L. c. [2]) Apud Eusebium H. E. L. I. c. 7. [3]) Apud *Gronovium* Thesaur. T. IX. p. 1291. [4]) L. VII. § 204. Francofurti 1608. [5]) L. VIII. § 131. [6]) In Vita Thucydidis ante huius Histor. Amstelaedami 1731. [7]) I Par. I—VIII. [8]) I Esdr. VII, 1.

per voces *qui fuit* [1]), altera edita a Matthaeo κατα συνθεσιν repetito verbo ἐγεννησε *genuit* [2]). Matthaeus Abrahae progeniem ad Christum usque per singulares γενεας recenset, Lucas vero Christi prosapiam per singulares item γενεας reducit usque ad Adamum.

4 Consonant hae duae genealogiae ab Abrahamo ad Davidem usque, discrepant autem inter Davidem et Salathielem ac denuo in Salathielis nepotibus ceterisque usque ad Iosephum. Nam ex Davidis posteris inter ipsum Davidem utque inter Salathielem quindecim Matthaeus, viginti ab his diversos Lucas enumerat; inter Zorobabelem et Iosephum novem a Matthaeo, decem et octo alii his enumerantur a Luca. An vero idem Salathiel sit idemque Zorobabel in utraque genealogia, in alio loco quaeremus [3]). In genealogia a Matthaeo edita Abrahamo et Christo adnumeratis habentur quadraginta duo nomina, nullis veterum scriptorum, qui ea retulerunt, de hoc numero discrepantibus, si codices nonnullos excipias, qui nomen Ἰαχειμ seu Ἰωαχειμ post *Iosiam* insertum exhibent, quod quum ἀκριτως inepteque factum sit, ubi locus erit, dicemus. Missum facio hebraicum evangelium a Tilio editum, in quo post *Abiud* insertum est nomen *Abner*. In genealogia vero descripta a Luca, qualem eum exhibent exemplaria, quibus utimur, si Iesum et Deum adnumeres, habentur nomina septuaginta septem. Irenaeus quidem [4]), cui Prudentius consentit [5]), scripsit *a generatione Domini usque ad Adam septuaginta duas generationes* esse apud Lucam. Duas itaque saltem γενεας Irenaeus minime reperisse dicendus est; sed, quaenam hae fuerint certo scire non possumus. Nonnulli putant Irenaeum omisisse Mathat et Levi [6]); nam Iulius Africanus [7]), Eusebius [8]), Gregorius Nazianzenus [9]), Ambrosius [10]), Augustinus [11]), Ioannes Damascenus [12]), dicunt Helim fuisse filium Melchi. At, praeterquam quod exemplaria omnia Lucae nullo excepto Mathat et Levi habent, horum scriptorum meus quaenam fuerit, non satis constat, nam Gregorius Nazianzenus in illo ipso carmine, in quo Heli dicit filium Melchi, enumerans eos, qui a Luca nominantur, et Mathat et Levi commemorat, Augustinus vero in Quaestionibus de deuteronomio [13]) componere studet nomen *Mathat*, quod legitur apud Lucam, cum nomine *Matham*, quod est apud Matthaeum, ipsumque Mathat scribit a Luca dici filium Levi, et in aliis libris a se editis narrat in Christi genealogia γενεας septuaginta septem recenseri [14]), quot esse docent Hieronymus quoque [15]) et Gregorius Magnus [16]), quotque extundere frustra coneris, nisi Mathat et Levi ceteris adnumeres. Ioannes Damascenus autem aperte ait Melchim a Levi genitum fuisse. Rem totam facile componas, si dicas Mathatem nomine avi vocatum quoque fuisse Melchim, aut si cum Beda [17]) sentias *Melchim* pro *Mathate* scriptum fuisse in codice, quo Iulius Africanus utebatur, aut denique si *Melchi* מלכי *regius regalis* sit appellatio, qua distinguere mos esset eos, qui de *regio* genere orti erant, quaeque tempore in cognomen evaserit. Cur vero septuaginta septem γενεας hi patres numeraverint incertum etiam est. Sunt quidem codices, ut videre est, apud Millium [18]), qui genealogiam hanc ita exhibent, ut nomina numerata sint nota singulis ex ordine adscripta, insertumque habent nomen *Ioram* inter Aram et Esron [19]), atque ipsum Dei nomen numero illo comprehensum praescripta hac nota οζ, id est, *septuaginta septem*. Nomen illud *Ioram* legitur in triginta amplius codicibus graecis [20]), apud interpretem arabem, in Chronico alexandrino [21]), item in vetustissimo codice veronensi [22]), sed mutatum in *Ioaram*; apud interpretes vero copticum et armenum pro *Ioram* legitur *Erni*, apud aethiopem *Orini*. Ceterum, utrum illi patres confecerint numerum septuaginta septem γενεων eo nomine inserto, an computando etiam alterutrum nomen sive Dei, sive Christi, nemo hactenus potuit affirmare. Denique inutile non erit animadvertere, ut haec nomina in utraque genealogia male habita sint a librariis, sed longe peius illa, quae refert Lucas, quam quae Matthaeus, quod apparet manifesto ex iis, quae in marginibus utriusque adnotarunt Millius, Wetstenius, Griesbachius, alii. Quaestionem illam infinitam de altero Cainane, quem Lucas [23]) interpretes alexandrinos [24]) sequutus commemoravit, in praesenti missam facimus, quum nihil de illa dicere habeamus, praeter ea, quae alii dixere.

---

[1]) Luc. III, 23—32. [2]) Matth. I, 1—16. [3]) Capp. XV. XVI. [4]) Haeres. L. III. c. 22 al. 33. § 3. [5]) Apotheos. vv. 1005. 1006. [6]) Luc. III, 23. 24. [7]) Ep. ad Aristidem apud *Euseb.* H. E. L. I. c. 7. [8]) Quaest. III ad Stephan. § 1. [9]) Carmin. XXXVIII de Christi genealogia. [10]) In Luc. L. III. § 15. [11]) Retract. L. II. c. 7. § 2. [12]) De fide orthod. Lib. IV. c. 14. [13]) Quaest. XLVI. § 2. [14]) Cont. Faust. L. III. c. 4; Serm. LI al. de diversis LXIII. § 33. [15]) Ad Damas. ep. XXXVI al. CXXV. § 5. [16]) Moral. Lib. IX. c. 3. § 3. [17]) In Luc. III. [18]) Adnot. ad Luc. III, 23. [19]) Luc. III, 33. [20]) Ap. *Millium* ib. et in Append. [21]) Ann. XIII Neron. [22]) Apud *Blanchinium* Evangeliar. quadrupl. [23]) Luc. III, 36. [24]) Gen. X, 24.

CAPUT II

De iure hereditario deque successionibus Israelitarum.

PARS I

De triplici successionum ratione.

1 Successionum ratio apud Israelitas pro eo, ac quis moriens vel masculos, vel feminas, vel nullum filium post se relinquebat, triplex fuit; eaque comperta sit oportet de Christi genealogia disputaturis.

2 Si unicus filius patri superstes erat, huic hereditas obveniebat, sin plures, ceteri aequaliter, filius natu maximo ex duplo heres erat [1]. Compertum est ex historia filium natu maximo potiorem habitum etiam quod ad successionem regni [2], eiusque iura apud maiores quoque Israelitarum obtinuisse [3], etsi subinde servata minime fuerint [4], idque vel in ipsa successione regni [5]. Deus autem ipse filiorum natu maximo excellentiam sanctam ac ratam habuisse dicendus est, lege lata, qua hos omnes suo veluti iure sibi vindicabat [6], cui legi non alio pacto derogatum est, quam integra tribu Levis Deo veluti mancipata [7]. Quanti autem fierent ab Israelitis eorumque maioribus iura haec, neminem, qui biblia legerit, latere potest. Notum quippe est, quanto odio Esau Iacobum fratrem de huiusmodi iure sibi erepto fuerit prosequutus [8]. Nota sollicitudo Iosephi, ne Manasses filius natu maior fratri Ephraimo postbaberetur [9]. Notus amor, quo David in Amnonem liberorum primum [10]. Notum, quam diligenter, qui primo geniti sunt, designentur in scripturis sacris; etsi enim, quum alicuius soboles pluribus in locis commemoratur, aliqua discrepantia sit plerumque sive in numero sive in nominibus, nomina tamen filiorum natu maximo constanter eadem exhibentur et ante nomina ceterorum, si unam Noae sobolem fortasse excipias [11], addita quam saepissime appellatione בכור *primo geniti*. Exemplo sit una ex genealogiis, quae maxima varietate quatuor in locis describitur, genealogia, inquam, Beniamitarum, ita tamen, ut *Bela* primus Beniamini filius ante reliquos ac nomine immutato semper nominetur [12]. Notum denique est, ut posterorum memoria celebraverit, quamque accurate scriptores sacri retulerint substitutiones, quibus alii in locum fratris natu maximi successerunt, ut discimus ex historiis de Isaaco et Ismaele [13], de Iacobo et Esau [14], de Iosepho et Rubeno [15], de Ephraimo et Manasse [16], de Semri ab Hoba patre fratribus praelato, etsi *non fuerit primogenitus* [17], itemque ex historia de aliis, qui prae fratribus natu maioribus ad regnum evecti, de Salomone, inquam, et Adonia [18], de Abia eiusque fratribus [19], de Ochozia [20], de Ioaso [21], de Ioachazo [22].

3 Si quis vero moriens filias solummodo reliquisset, legi locus erat, quae a Moyse de filiabus heredibus lata est [23], quamque fusius enarravimus, ubi quaestio fuit de genere Mariae Virginis [24].

4 Si denique quis nulla relicta sobole obiisset, obtinebat lex de heredibus orborum [25], ita tamen, ut, si illius uxor superstes esset, altera quoque lex obtineret de vidua et fratre defuncti aliove huius propinquo, cui hereditas veniret, matrimonio copulandis [26], isque, qui priore illa lege caperet hereditatem, non alio pacto id posset, nisi si altera lege viduam defuncti fratris aut propinqui duceret.

5 Prior lex hereditatem ei adiudicabat, qui in linea transversa propinquior agnatione esset demortuo. Qua in re, ut animadvertit Zaccaria [27], fictio quaedam legis obtinebat, qua ius heredita-

[1]) Deuteronom. XXI, 15—17. [2]) II Par. XXI, 3; XXII, 1. [3]) Gen. XXV, 29—34; XXVII, 1. 4. 19. 35. 36. 41; XLVIII, 17. 18; I Par. V, 1 coll. Gen. XLIX, 3. 4. [4]) LL. cc. [5]) III Reg. I, 32—40 coll. I Par. III, 1—5; I Par. XI, 22. [6]) Ex. XIII, 2; Num. III, 13; VIII, 17. [7]) Num. III, 12; VIII, 16. [8]) Genes. XXV, 30 seqq., XXVII, 36. 41. [9]) Gen. XLVIII, 17. 18. [10]) II Reg. XIII, 21. [11]) Lege *Patrit.* De interpret. scripturar. sacr. Lib. I. n. 198. [12]) Gen. XLVI, 21; Num. XXVI, 38; I Par. VII, 6; VIII, 1. [13]) Genes. XVII, 19. 21; XXI, 10. 12; Rom. IX, 7 seqq.; Gal. IV, 23. 30; Hebr, XI, 18. [14]) Genes. XXV, 23. 31 seqq.; XXVII, 36. 37; Malach. I, 2. 3; Rom. IX, 13. [15]) Genes. XLIX, 4. 22 seqq.; I Par. V, 1. 2. [16]) Genes. XLVIII, 5. 14 seqq. [17]) I Par. XXVI, 10 hebr. [18]) II Reg. VII, 12 seqq.; III Reg. I, 5 seqq. [19]) II Par. XI, 22. 23 coll. 18—20. [20]) Ib. XXII, 1. [21]) IV Reg. XI, 4. 12. 21 coll. 2. 3. [22]) IV Reg. XXIII, 31 coll. 34. 36 et I Par. III, 15. [23]) Num. XXVII, 8. [24]) Diss. VI. n. 5—10. [25]) Num. XXVII, 9—11. [26]) Deut. XXV, 5—10. [27]) Raccolta di dissertazioni T. I diss. V Sulla doppia genealogia di Cristo § 3. n. 5.

rium ad patrem demortui veluti regrederetur, ut inde ad alium filium, id est, ad demortui fratrem huiusque posteros veniret. Quod si nullus frater nullique fratris posteri superstites essent, ius illud ad avum paternum regrediebatur, ut in alium ex huius filiis, id est, in patruum demortui ac patrueles inde transferretur. Si neque patruum neque ex patruo agnatos is, qui ἄπαις obierat, haberet, ius hereditarium ad proavum regredi pergebat, perque hunc ad patruum magnum huiusque posteros transibat. Atque ita porro retro agebatur hoc ius ad eum usque de demortui maioribus, ex quo ille etiam ortum duceret, qui agnatione demortuo omnium proximus superesset, quique in huius bona erat lege successurus.

6 Posterior vero lex ad verbum de hebraico expressa haec est: *Quum habitabunt fratres simul, et morietur unus ex eis, et filius non ipsi, non erit uxor mortui foris viro extraneo. Levir eius ingredietur ad eam, et accipiet eam sibi in feminam, et leviri debitum ei praestabit. Et erit, primogenitus, quem pariet, surget super nomen fratris illius, mortui; et non delebitur nomen eius de Israele. Quod si non libuerit viro accipere fratriam suam, ascendet fratria eius ad portam ad seniores, et dicet: Renuit levir meus suscitare fratri suo nomen in Israele; non vult praestare mihi debitum leviri. Et vocabunt eum seniores urbis eius, et loquentur ad eum; et stabit, et dicet: Non libet mihi accipere eam. Et accedet fratria eius ad eum sub oculis seniorum, et exuet calceamentum eius de pede eius, et spuet in faciem eius, et respondebit, et dicet: Sic fiet viro, qui non aedificabit domum fratris sui. Et vocabitur nomen eius in Israele, domus exuti calceamento* [1]). Tria lex ista complectebatur. Vetabat enim viduam extra viri defuncti agnationem nuptias inire [2]). Iubebat levirum eam ducere [3]), inflicta, si renueret, levis infamiae poena [4]). Statuebat denique, ut, qui primo genitus esset ex hoc coniugio, demortui filius haberetur, huiusque bona hereditate possideret, quae idcirco dicenda sunt demortui fratri priore illa lege obvenisse solum ut heredi fiduciario [5]). Nonnulla tamen sunt inter haec, de quibus dubitatur.

PARS II

Dubia removentur.

7 Quidam enim, quos inter Harduinus est [6]), autumant filium primo genitum ex eo coniugio, de quo modo diximus, haudquaquam habitum fuisse filium demortui, sed solum in huius bona hereditate successisse; idque comprobari aiunt, tum eo, quod nihil unquam factum legimus in bibliis, quo ostendamus rem sic se habuisse, ut dicimus, tum etiam quia Obed, quem Ruth vidua Mahalonis peperit Boozo Mahalonis agnato, non Mahalonis, sed Boozi filius vocatus atque habitus est. Verum haec, quae isti opponunt, tum legis ipsius verbis, tum exemplis, tum auctoritatibus, facile est refutare.

8 Nam loquutio illa קום על שם כל המת *surgere super nomen alicuius demortui* non significat solummodo *succedere in eius bona*, sed etiam *filium adsciscei*, eo fermo pacto, quo nos dicimus aliquem in familiam *nomenque* alicuius adoptari, quum de adoptionibus loquimur. Id vero magis clarebit comparatione loqutionum ἀνάλογων. Ut enim filius primo ortus ex vidua et fratre demortui dicebatur *surgere in nomen demortui*, ita, qui eum generabat, dicebatur הקים לאחיו שם *suscitare nomen fratri*, ut in illa ipsa lege videre est [7]). Quae quidem loquutio utramque simul significat, et heredem, et prolem alicui comparare; primum apparet ex eo, quod verbis illis addantur subinde haec: *in hereditate eius* [8]), alterum ex eo, quod frater demortui, qui in hoc loco dicitur *suscitare nomen*, alias dicatur הקים זרע לאחיו *suscitare semen fratri* [9]). Id ipsum manifestius faciunt verba illa, quae rationem reddunt, cur deberet is, qui primo genitus esset, *surgere super nomen defuncti*; sunt autem haec: *Et non delebitur nomen eius de Israel* [10]). Quominus enim id fieret, satis non fuisset, ut aliquis demortui heres haberetur, nisi simul potiore quodam titulo ad eumdem hunc pertinere, eique iunctus esse, atque eius familiam propagare putaretur; alioquin quum iam foret, cui bona defuncti hereditario iure obvenirent [11]), ipse, inquam, frater demortui, supervacanea prorsus lex ista visa esset. Denique in his enuntiationibus שם *nomen* usurpari ad significandam posteritatem facile senties, si legas, quae mulier Tecuitis cum Davide expostulasse narratur, praesertim ut ea sunt in exemplari hebraico [12]). Ineptissime autem illud opponeres, ex verbis: *surget super nomen demortui, et non*

[1]) Deuteronom. XXV, 5—10. [2]) Ib. 5. [3]) Ib. [4]) Ib. 7—10. [5]) Ib. 6. [6]) Chronolog. V. I. ad A. U. C. 753 Christi genealog. [7]) Deuteronom. XXV, 7. [8]) Ruth. IV, 5. 10. [9]) Gen. XXXVIII, 8. [10]) Deuteron. XXV, 6 hebr. [11]) Num. XXVII, 9. [12]) II Sam. XIV, 7.

delebitur nomen eius de Israele, colligi *solummodo* filium primo genitum a fratre et vidua defuncti vocari debuisse eodem nomine, quo hic vocabatur, sicut Ioseph videtur verba haec intellexisse [1]), eo fere modo, quo nostrae feminae heredes bona simul et nomen familiae suae in sponsi familiam subinde inferunt. Nam, ut illud praeteream, quod nullum huius rei exemplum biblia suggerunt, ubi vero suggerere possent, secus factum fuisse docent, animadverte, ut Israelitae prioribus saltem aetatibus nominibus familiarum caruerint, nomina vero, quae singulis imponere mos erat, plures eodem tempore eadem haberent, neque periculum erat, ne horum aliquod in desuetudinem atque oblivionem iret, maxime quod mos quoque esset filiis nomina fratrum imponere, ut inferius dicemus. Iosephus vero, quamquam putarit natum ex coniugio viduae et leviri nomine demortui vocandum fuisse, putavit quoque illum pro huius filio fuisse habitum. Insuper verba: *Sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui* [2]), quibus vidua levirum nuptias renuentem obiurgare iubebatur, rem plane conficiunt; etenim בנה את בית פל' aut עשה לפל' בית *facere* aut *aedificare alicui domum*, ubi de coniugiis aut de liberis agitur, idem Hebraeis sonat, ac sobolem alicui comparare. Lege Ex. I, 21; Ruth. IV, 11; I Reg. II, 35; II Reg. VII, 11; III Reg. II, 24; XI, 38; et expende Gen. XVI, 2 hebr., et XXX, 3. Pro comperto demum est lege hac, praecipiendo viduam leviro nubere, cautum fuisse, ut natus illo, cui hereditatem demortui lex ipsa adiudicabat, ipsum demortuum, quo propius fieri posset, agnatione attingeret; cur autem, nisi quia huius filius haberi deberet, quae agnatio omnium arctissima est? Verba *et non delebitur nomen eius ex Israel*, verissime ait Augustinus, *intelligi, non quod nomen eius puer consequenter accipiat, sed quod ille non sine posteritate mortuus esse videbitur, et ideo permaneat eius nomen, hoc est memoria. Neque enim etiamsi ipse filium genuisset, nomen suum ei fuerat impositurus, ut nomen eius non deleretur ex Israel; sed ex hoc utique non deleretur, quia non sine liberis ex hac vita migraret; et hoc iubetur ex eius uxore frater eius implere, quod ille non potuit* [3]).

9 Sed neque exempla prorsus desunt, ut falso autumant adversarii, ex quibus argumenta ducamus. Nam, praeter alia, quae in hac tractatione de Christi genealogia nobis sese offerent, tale est, quod narratur de filiis Iudae, quod quum ante latam legem mosaicam acciderit, comperimus ea lege, de qua agimus, haudquaquam novum morem inductum, sed eum, qui iam antea inductus erat, fuisse sancitum. Etenim, quum Iudas, mortuo Hero filiorum suorum primo, alterum filium Onanum haec iussisset: *Ingredere ad uxorem fratris tui, et leviri debitum eidem praesta, et suscita semen fratri tuo*, sciens Onan *quoniam non sibi futurum erat semen*, id est filius, quem genuisset, nefandum flagitium admisit, *ne daret semen fratri suo* [4]). Enimvero exemplum isto illustrius, quo sententia nostra confirmetur, nec postulare est neque exspectare. Sed praesto quoque nobis est historia Ruthae. Etsi enim, ut fert multorum opinio, ad id, quod de Rutha narratur, lex de vidua et leviro minime pertineret, qua de re mox disseremus, attamen nemo nisi pertinacius infitietur Obedum, quem Booz ex Rutha vidua Mahalonis adgnati sui genuerit, pro filio ipsius Mahalonis habitum esse. Booz enim propinquum quemdam, cui, utpote qui magis quam ipse Booz Mahalonem adgnatione attingeret, potius etiam ius erat in huius bona, monuit oportere eum, una cum ceteris rebus Mahalonis, huius quoque viduam sibi accipere in uxorem *ad suscitandum nomen demortui* [5]); illo autem has nuptias renuente, Booz professus est se ducere Rutham Mahalonis viduam *ad suscitandum nomen demortui*, idque se agere, *ne deleretur nomen demortui de fratribus eius deque patria eius* [6]); quarum loquutionum vis et sensus quinam sit, iam declaravimus. Praeterea, nato Obedo, Noemi matri Mahalonis gratulationes factae sunt his verbis: *Benedictus Dominus, qui non est passus, ut deficeret* SUCCESSOR FAMILIAE TUAE, *et vocaretur nomen eius in Israel* [7]); quas quidem gratulationes, ut nemo non perspicit verti eas in propagatione familiae Mahalonis, ita cuique compertum est ab re futuras fuisse, si ageretur tantummodo de bonis ex familia Mahalonis in aliam hereditario iure transferendis. Quid denique sonant illa verba, quibus mulieres Bethlehemitides Noemi plaudebant? *Natus est filius Noemi* [8]). Si filius Boozi solummodo habitus fuisset Obed, nulla prorsus ratio erat, cur filius Noemis diceretur, quum non alia de caussa dici potuerit, nisi in quantum pro Mahalonis filio haberetur.

11 Denique sententiae, quam defendimus, suffragatur auctoritas veterum Iudaeorum, qui non secus ac nos legem illam interpretabantur. Cuius rei testis est Iosephus, inter cetera, quae ex illa lege commoda capiebantur, hoc quoque enumerans, quod FAMILIAE NON DEFICERENT, *et facultates*

---

[1]) Antiq. L. IV. c. 8. § 23. [2]) Deuteronom. XXV, 9. [3]) De Deuter. q. XLVI. § 1. [4]) Gen. XXXVIII, 8. 9 hebr. [5]) Ruth. IV, 5 hebr. [6]) Ib. 10 hebr. [7]) Ib. 14. [8]) Ib. 17.

cognatis manerent [1]). Verum posterius non magis lex ista, quum lex de hereditatibus supra exposito (5), praestitisset, nisi simul heredem arctiore quodam veluti vinculo ei coniungeret, in cuius bona successurus erat; prius vero est ipsa illa ratio legis paullo ante enarruta (8), *ne deleatur nomen demortui de Israel*, quae non alio pacto obtinere potuisset, nisi si heres in familia demortui censeretur, proque huius filio haberetur.

11 Dubitatur etiam, an frater demortui nuptias fratriae detrectanti hereditate adeunda interdictum esset. Certi aliquid hac de re ex ipsa lege petitum proferre nequimus, quum nihil tale ea nobis suggerat; alia tamen sunt, quae omnem dubitationem depellere videntur. Quamquam enim frater demortui ἄπαιδος lege heres furet, quando huius vidua superstes non erat, si tamen haec superstes esset, ita ille hereditatem cupiebat, ut in hunc succederet is, quem primo ex vidua fratris genuisset, proinde fideicommissarius potius, quam heres, babendus erat, heres vero is ipse, quem fratris vidua primo peperisset. Si itaque ille nuptias viduae renuens heredem hunc fratri generare nollet, hereditas ulterius fidei, qui id vellet, committenda fuisse videtur, ipse autem, utpote qui renueas iure suo excidisset, ab adeunda hereditate arcendus, ne hac obtenta utilitatem ex sua quadam veluti fraude percepisse diceretur.

12 Imo alia quoque de caussa id facto opus fuisse videtur. Quum enim vix fieri posset, ut connubia haec cum viduis non fere omnes aversarentur, oportebat eos, quorum erat huiusmodi uxores ducere, utilitate aliqua allici, eo maxime, quod parere detrectantibus nulla nisi levissima poena infligeretur. Quare, sicut facile factu erat, ut demortui frater, cui recusatis nuptiis hereditas nihilominus mansisset, has utique recusaret, ita eo renuente, vix alius e demortui propinquis reperiri potuisset, qui annueret, nisi hereditate simul cum vidua sibi adiudicata; atque ita his ac ceteris deinceps has nuptias refugientibus lex in cassum fuisset lata.

13 Ritus quoque ille, quem leviro, qui fratriam ducere nollet, lex imperabat, sententiam nostram confirmat. Hic enim ritus veluti signum erat, quo quis profitebatur cedere se iure, quod ipsi esset in bona et fortunas, quoties על-הגאלה ועל-התמורה *de redemptione et permutatione* [2]) horum bonorum et fortunarum agebatur; haec autem permutatio non ea erat tantummodo, qua bona unius alteri, atque huius illi simul cedebant, sed etiam quum bona aliqua, non ipsa aliis permutabantur, sed in alterius dominium transferebantur, quae videlicet non bonorum esset, sed dominorum, permutatio, ut discimus ex significatione verbi המיר in Michaeae II, 4. Ceterum, quaequae fuerit ea permutatio, illud nobis satis est, ritum hunc adhibitum fuisse in cessione bonorum et fortunarum, proinde in ea re, de qua quaerimus, significasse cessionem iuris, non quod levir haberet in nuptias fratriae, sed quod in bona fratris demortui lex de hereditatibus ipsi tribuebat, cui legi hac altera derogabatur. Tum vero eo, quod levir viduam fratris lege ducere iuberetur, si id per se ipsum consideres, seposita successione in hereditatem, non tam ius aliquod fuisse leviro tributum, quam onus impositum, facile intelliges.

14 Denique historia Ruthae denuo nobis praesto est, in qua narratur, adgnatum Mahalonis, cui ius erat in huius bona [3]), audito ducendam sibi esse Rutham Mahalonis viduam, si eo iure uti vellet [4]), quum nollet [5]), calceo detracto bonis adgnati sui cessisse [6]). Is itaque, cui lege de hereditatibus bona demortui ἄπαιδος obveniebant, his cedere cogebatur, nisi huius viduam ducere vellet. Neque enim miramur Rosenmuellerum, qui Seldenum [7]) et Carpzovium [8]) sequutus scripsit: *matrimonium cum Rutha a vindice contrahendum esse hic conditionem, quam Noemi acquisitioni agri annectebat* [9]); quod, ut nihil in historia illa est, quo probetur, vel ideo commentitium esse apparet, quia neque Noemi integrum erat conditione opposita ius veluti coarctare, quod cousuguineo lex tribuebat, sive de Mahalonis facultatibus hereditate accipiendis, sive de redimendis [10]), ageretur, neque id ille tulisset. Ceterum Seldenum plane refellit Clericus [11]).

15 Quare sentiendum omnino esse videtur, eum, qui fratris ἄπαιδος viduam ducere nollet, hereditate fraterna excidisse, si tamen vidua alteri ex adgnatis nuberet, quod lege iubebatur, nam, si secus, baud dubium est hereditatem fratri obvenisse.

16 Dubitatur denique, an lege, de qua disserimus, alii praeter fratres tenerentur, quum vel demortuus fratrem non haberet, vel frater connubium viduae renueret. Si verba ipsa legis conside-

---

[1]) L. c. [2]) Ruth. IV, 7. [3]) Ruth. III, 12. 13; IV, 4. 6. [4]) Ib. 5. [5]) Ib. 6. [6]) Ib. 8. [7]) De successione in bona defuncti c. 15. [8]) Collegium rabbinico-biblic. in libellum Ruth. ad h. l. [9]) Schol. in Ruth. IV, 5. [10]) Levit XXV, 25. [11]) In Ruth. IV, 5. 10. 14.

remus, videri haec posset nonm vidaae leviram tenere; nihil enim nisi levirum officiumqae eias in fratris viduam significaut nomen יבם et verbum יבם. Attamen plura sunt, quae secna sentire suadent.

17 Primnm attendere est, qaanta cara tam leges mosaicae caverint, tnm ipsi Israelitae enrumque maiores egerint, nt quaevis coasauguinitas, qan arctius fieri poterat, coniuncta maueret, quod connabiis coniuugeudis efficiebatur. Cuius rei argumento snnt tum lex de gradihus consanguinitatis, quos intra iangi connubia haud licebat [1]), qnique nnn ultra secandnm lineae transversae, ut vncant, inaeqnalis numerabaatur, tum haec ipsa lex de vidaa eiusque leviro, tnm qnod lege bac derogaretur praeterea eidem legi de gradibns consanguiuitatis [2]); item facta plarima, qnae nos docent moris fuisse uxorrm ex propria agnatione, ne dum ex propria tribu, ducere, qnnd fecere Abraham [3]), Isaac [4]), Iacnb [5]), imo et Noe, ut Tobias narrat [6]), quodque ipse Tobias filium snum facere iussit [7]), adeo ut patriarum cnnsaetadiaum nbservantinribus religioni esset secus agere [8]). Quare, si lex buins rei ergo iubebat leviram fratriam vidaam ducere, quod tamen aliquid minus decens atque honestum, saltem qai nunc sunt mores, prae se ferre videtur, idqne ita iubebat, nt simul per banc alteri legi derogaretnr, vix credibile fit non ceteros qanque ex ordine adguatoa demortni, si huius frater obtemperare detrectaret, lege bac adstrictos fuisse.

18 Insuper bac lege, non modo iubebatar levir fratriam vidnam dncere, sed et haec vetabatur extra viri familiam nubere: ***Non erit uxor mortui foris viro extraneo*** (6); qaibas non hnc nnum praecipi, nt vidaa leviro naberet, nemn non iutelligit, alioquin dicendum fuisset: ***Non erit uxor mortui viro alii, sed levir eius ingredietur ad eam.*** Quare, ut lex baec vetabat viduam alibi qnam inter viri defnucti agnatos nnptias sibi comparare, ita dicenda qanqae est illns iassisse nuptiis annaere, attamen ex ordine, ut primus nmaium levir id deberet, tom vern, eo renneate, ceterorum quisque, alius alio prius servata ratione prnpinqnitatis. Huuc vero ordinem lex indicavit iniecta eius dumtaxat mentione, qui primus in hoc ordine erat, id est, leviri. Et illad animadverte, quod, etsi verbam יבם, latine ***debitum leviri viduae praestare*** dixeris, proprie de uno leviro dicatnr, posset tamen et de aliis dici, in qnantum in locum leviri succedentes officio illo, quod leviri erat, fungebantur.

19 Praeterea, si fratre demortai renaente nemn alias inssas lege fuisset vidaam ducere, hereditas procul dubio fratri manebat (15); vix itaqne reperire fuisset, qai ouus nuptiaram nnn detrectaret, quam sine hoc hereditatem posset adire. Quamnbrem, nt hereditate allici levirum oportebat ad baa nuptias, ita, ne abnueret, deterrendas erat metn hereditatis, si id faceret, amittendae, alio in ipsius iura succedente.

20 Deniqne coaiugium Boozi et Ruthue [9]) ea cnnfirmat, qaae defendimna. Ut enim historia haec plane claret, si illud pusitum sit, Rutbae cnniugium petenti Boozum aunuisse, qund lege illa teneretur, ita obscurior fiet, si secus censeas, quidquid contra disputaverint Seldenus, Carpzuvius, et Rnsenmaelleras (14). Quare iuvat bistoriam banc illustrare, quod mox praestabimns.

21 Interea vern, ut recte ex bac lege argumenta petantnr, quatnor hi veluti *κανονες* sunto, quos quae hactenus sant dispatata, suggeruut. Primo: Filium *legalem* habere neqnibat, nisi is, qni vita functas esset. Secundn: Filium *legalem* babere nequibat, nisi qai *ἄπαις* obiisset. Tertin: Filius *legalis* esse nequibat, nisi unicus. Quarto: Filius *legalis* esse nequibat, nisi qai primus ortus esset ex fratre sive propinqno ipsius demortui et bnias vidua.

PARS III

De coniugio Boozi et Ruthae.

22 Aio Ratham lege de vidua et leviro Boozo nupsisse. Quo id confirmemus, primo nobis praesto est nomen גאל, qund Rutbae canssam dedit, qua Bnozi nuptias flagitaret, ita enm affata: ***Quoniam*** גאל ***es*** [10]), Apparet ex ipsn usn ipsoque nomiais etymo גאל proprie eum vocari, cui ias esset aliqnid repetere, quacumque actione id fieret, sive redimendo, sive vindicandn, sive etiam ulciscendn. Qnum autem agnationi tale ins lege connexam esset, sunt, qui autument nnmen boc etiam propinquum simpliciter pnsse significare. Quaerendum itaque est, quaenam barum notionum huic nomini subsit in verbis Ruthae.

---

[1]) Levit. XVIII, 6—18. [2]) Ib. 16. [3]) Gen. XX, 12. [4]) Ib. XXIV, 3. 15. [5]) Ib. XXVIII, 2. 5; XXIX, 5 seqq. [6]) Tob. IV, 12 graec. [7]) Ib. [8]) Diss. VI. n. 11. [9]) Ruth. III. IV. [10]) Ruth. III, 9.

23 Nequit notio haec esse *propinquus* aut *agnatus*, tamquam si Ruth Boozi nuptias peteret, quod moris esset Israelitarum, ut maribus connubia essent cum feminis adgnatis (17). Nam, praeterquam quod Ruth, quin adgnata esset aut saltem tribulis, neque Israelitis erat, sed Moabitis [1]), illud nomen, etsi commode verti subinde possit *propinquus*, ut in hoc libro constanter vertit latinus interpres, ultimo loco dempto, in quo reddidit *successorem* [2]), tamen falso putatur *propinquum* simpliciter posse significare, sed eum utique, cui iure consanguinitatis actio quaecumque esset in rem alterius; hinc illud, quod et sententiam nostram comprobat, ut nomen גאל adiungatur interdum nomini קָרוֹב, quod proprie sonat *propinquum* [3]). Neque exempla, quibus Gesenius [4]) demonstrare studuit nomine גאל etiam quemvis *propinquum* subinde vocari, quidquam conficiunt, quum praeter ea, quae sunt in libro Ruthae, e tribus reliquis [5]) duo prima nobis manifestissime suffragentur, tertium vero, ut nihil est, quod cogat pro eo reddere simpliciter *propinquos*, ita percommode verti posse *eos, quibus ex propinquitate ius esset in regnum*, series et contextus orationis plane demonstret.

24 Sed neque potest nomen גאל in sermone cum Boozo a Rutha habito eum designare, cui, utpote consaguineo, ius esset redimere aut emere, quod adgnatus vendiderat aut venditurus erat [6]); neque enim iis, qui hac in re ius suum persequi vellent, connubia ulla indicta erant. Frustra itaque est Rosenmuellerus in hanc notionem nomen illud accipiendum esse contendens [7]). Neque ipsum haec iuvant, quae Booz de Noemi narravit: *Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noemi* [8]), et ex quibus ille, praeeuntibus Seldeno et Carpzovio (14), hoc ducit argumentum. Quum Elimelecho et Mabalone filio demortuis horum adgnatis agri dominium lege obvenisset, sic tamen, ut usus fructus Noemi et Ruthae ipsorum viduis maneret, agrum hoc nomine obligatum Noemi liberare statuit sub ea conditione, ut is, cui ager iure hereditario cederet, Rutbam simul duceret uxorem; quare has nuptias coniungi oportebat, non lege aliqua, sed quod conditio esset, sub qua Noemi agri libertatem spopnderat [9]). Talis est, nec alia esse potest Rosenmuelleri argumentatio, quae alioquin haud liqueret, nec satis cohaereret. Verum quum leges mosaicae nihil statuerint de tali usufructu, verius dixeris eum esse commentitium. Nihilominus, etsi aliquis ususfructus bonorum Elimelechi Noemi mansisset, constat tamen de hoc vendendo eam haudquaquam egisse. Etenim חֶלְקַת הַשָּׂדֶה, quam latinus interpres vertit *partem agri*, neque significat, neque significare potest usumfructum, quem hebraice optime diceres פְּרִי הַשָּׂדֶה, significat autem ipsum *agrum*, qui in *partitione* Chanaanitidis familiae Elimelechi obtigerat, recteque diceres *possessionem agrestem*; idque manifestum eo fit, tum quia mox *ager* vocatur, quod Noemi venditura erat [10]), tum quia ad hujusmodi possessiones agrestes designandas ipsa vox חֶלְקָה sine adposito interdum usurpatur [11]), tum denique quia Booz, non agri partem solummodo, sed omnia, quae Elimelechi fuerunt, accepit a Noemi [12]). Sed nequaquam de usufructu vendendo egisse Noemi eo etiam comperimus, quod, priusquam venditio ista ageretur, agi oportebat de ipsius agri dominio in adgnatos Elimelechi transferendo, de quo nondum actum fuisse apparet ex tota serie narrationis [13]). Quare adgnatus ille Elimelechi iure potior, cui Booz rem totam aperuit [14]), emptionem quidem ususfructus detrectare, dominium tamen agri utpote sibi debitum iure suo sibi vindicare potuisset. Cessit tamen hoc iure, et quidem cessit deterritus conditione, sub qua ager ipsi obveniret [15]). Haec igitur conditio impusita erat quod ad dominium agri, non vero quod ad emptionem ususfructus, ideoque non de usufructu vendendo egit Noemi, sed de dominio in adgnatos viri sui transferendo. Non ergo גאל in hoc loco id significat, quod Rosenmuellerus putat.

25 Rogabis fortasse, quid itaque hic sonet verbum מָכְרָה, quod proprie idem est ac *vendidit*, siquidem agitur de dominio, quod adgnatis demortui, non emptione, sed lege obveniebat? Aio sonare fortasse actum ipsum, quo dominium agri in Elimelechi consanguineum erat transferendum; quum enim id fieri deberet sub illa conditione, onerosa sane, ut is Ruthbam uxorem duceret, conditio haec quasi pretium solvendum pro dominio, totumque hoc negotium quasi venditio quaedam atque emptio dici atque haberi poterat. Quod si verbum מכר in suam propriam notionem, quae est *vendere*, accipere malis, non modo quidquam non deperibit veritati sententiae nostrae, sed maius quoque momentum accedet. Sive enim Noemi agrum iam vendidisset, sive, ut vertit interpres latinus, venditura esset, quum venditio haec fieri non potuerit insciis aut invitis ipsis adgnatis, ad quos priore domino demortuo agri dominium lege transibat, multo minus iis sive agrum redempturis sive empturis con-

[1]) Ruth. I, 4 etc. [2]) Ib. IV, 14. [3]) Ruth. II, 20; III, 12. [4]) Thesaur. philolog. crit. ling. hebr. et chald. s. v. גאל. [5]) Lev. XXV, 25; Num. V, 8; III Reg. XVI, 11. [6]) Lev. XXV, 25. [7]) Schol. in Ruth. II, 20. [8]) Ruth. IV, 3. [9]) Schol. in Ruth. IV, 3—5. [10]) Ruth. IV, 5. [11]) II Sam. XIV, 30. 31; II Reg. III, 19. 25; IX, 21. 26; Am. IV, 7. [12]) Ruth. IV, 9. [13]) Conf. praesertim Ruth. IV, 3 cum 9. [14]) Ruth. III, 12. 13; IV, 1—4. [15]) Ruth. IV, 6—8 coll. 4. 5. 9.

ditio ulla imponi poterat, ut Ruth connubium Boozi eo nomine flagitaret, quod ipse agrum propinqui sui Mahalonis redempturus aut empturus esset. Alia igitur fuit caussa nuptiarum petendarum, alia lex, quae has Boozo imperabat, proinde alia quoque, ac placuit Rosenmuellero, nominis גאל significatio.

26 Superest itaque, ut גאל, quem titulum Ruth urgebat, ut a Boozo nuptias exoraret, significet eum, cui ex adgnatione ius esset sibi vindicare bona demortui, ducta tamen huius vidua. Si autem talis est nominis huius notio in verbis Ruthae, talis quoque sit, oportet, in toto libello, quoties sive Booz sive alter ille Mahalonis adgnatus hoc nomine appellatur. Nam Ruthae roganti ita Booz respondit: *Verum est, quod גאל ego sim, sed est etiam גאל propinquus magis quam ego* [1]), quibus se atque illum alterum talem esse professus est, qualem Ruth esse dicebat. Et re vera, quoties vel ipse Booz vel ille alter hoc nomine vocantur, istud nomen notionem, quam dicimus, percommode praefert; hinc illud, quod non semel in hoc libro interpretes syrus [2]) et arabs [3]) nomen גאל verterunt *suscitatorem sobolis.*

27 Quod si talis est huic nomini notio in libro Ruth, connubium Booz et Ruthae lege de vidua et huius leviro iunctum fuisse putandum est.

28 Quod autem ex illo nomine effecimus, efficere quoque est ex verbo גאל, unde illud derivatur. Booz quippe Ruthae nuptias flagitanti respondit adhibitis vocibus לגאלך, גאלתיך, יגאלך [4]), quae profecto ipsam Rutham, non vero agrum aut aliud quid redimendum, emendum, aut vindicandum, designabant. Quem sensum ita reddidit latinus interpres: *Si te voluerit* PROPINQUITATIS IURE RETINERE, *bene res acta est; sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam* [5]); neque alium sensum exhibent ceterae translationes. Itaque hoc verbum in eo sermone, quem inter se habuerunt Booz et Rutha, significabat viduam demortui adgnationis iure ad se vindicare sibique iungere, eo nimirum coniugio, quod lex de vidua et leviro imperabat.

29 Hoc ipsum manifesto evincunt verba, quibus Booz illum alterum propinquum Mahalonis alloquutus est: *In die* קנותך, *quo* DOMINIUM *agri* ACCIPIES *de manu Noemi, et Ruth Moabitidem uxorem demortui possidebis ad suscitandum nomen demortui super hereditatem eius* [6]). In quibus illud cum primis notandum, quod Booz iam non verbum גאל *redimere*, sed קנות *possidere* usurpat, ubi conditionem memorat, qua totum hoc negotium esset peragendum, ut vel hoc uno concludere necesse sit, conditionem hanc non *ementi* agrum aut *redimenti* statutam esse, sed *possidenti*, nomine, inquam, non *acquisitionis*, sed dominii. Quod discrimen verborum גאל et קנות mox comprobant ea, quae ille alter Boozo respondisse dicitur, usus verbo גאל iterum ac tertio et nomine גאלה; quum agrum sive *emere* sive *redimere* recusaret, continuoque, ut qui Boozo possessione agri cederet, sic eum alloquutus: קנה-לך *posside tibi* [7]). Perpendenda etiam haec, quibus ipse Booz caussam aperuit, cur Rutham acciperet uxorem: *Testes vos estis hodie, quoniam . . . Ruth Moabitidem uxorem Mahalonis possedi mihi in uxorem ad suscitandum nomen demortui super hereditatem eius, et non delebitur nomen demortui de fratribus eius, et de patria eius* [8]). Attende, ut Booz, quo caussam illam aperiret, ea ipsa verba usurpaverit, quibus lex de nuptiis viduae et huius leviri concepta est (8), utque ex his appareat Ruthae connubium eo spectasse, quo lex ista (6). Verba etiam, quibus mulieres Bethlehemitides Noemi hac de re gratulatae sunt [9]), ipse Obed, qui, etsi ex Boozo et Rutha ortus, habitus tamen est pro filio Noemis [10]), de quibus iam disseruimus (9), non leve momentum adiiciunt nostrae de hoc coniugio sententiae. Denique Iosephus hanc historiam ita retulit, ut qui autumaret hoc coniugium illa lege initum fuisse [11]).

30 Quae quum ita sint concludendum est, ex historia coniugii Boozi cum Rutha compertum fieri legem illam ad alios quoque praeter fratres demortui pertinuisse (16).

PARS IV

De adoptionibus Israelitarum.

31 Ne brevis haec, quam de successionibus iure hereditario Israelitarum habemus, disputatio manca esse cuiquam videatur, nonnulla dicamus oportet de filiis Israelitarum adoptivis.

---

[1]) Ruth. III, 12. [2]) Ruth. II, 20; IV, 1. *Michaelis* in adnotatis *Edmundi Castelli* Lexic. syriac. sub voce ܦܪܘܩܐ. [3]) Ib. II, 20; III, 12; IV, 3. [4]) Ruth. III, 13. [5]) Ib. [6]) Ruth. IV, 5 hebr. [7]) Ib. 6. 8. [8]) Ib. 9. 10. [9]) Ib. 14. [10]) Ib. 17. [11]) Antiq. L. V. c. 9 al. 11. § 4.

32 Si filium adoptivum eum voces, quem ex alia familia quis ad se receptum eo amore eaque cura habet, nutrit, atque educat, qua filium, non est, cur uegemus tales filios adoptivos Israelitis quoque fuisse, sed neque est, cur quis exempla postulet, quibus id comprobetur, utpote quod hominum moribus, quaecumque demum vigeant leges, obvium sit et consentaneum; si tamen postulet, in promptu est historia Estheris, quam patruelis eius Mardochaeus, non alio tamen pacto, quam quo diximus, filiam adoptavit [1]).

33 Sin vero loqueris de adoptionibus, quales inter nos haberi solent, quas lex sancit, et quibus aliquis adoptantis filius lege est, diserte negamus tales adoptiones fuisse inter Israelitas. Nullam enim de his legem a Moyse latam novimus. Ex lege autem de hereditatibus [2]) facile colligimus adoptiones huiusmodi Israelitis ignotas fuisse; alioquin necesse erat inter plurimos et diversos, ad quos hereditates venire poterant, adoptivorum etiam filiorum rationem a Moyse haberi, quae tamen quum nequaquam habita fuerit, liquet nullos huiusmodi in Israelitarum familiis censos fuisse. Quare, ubi de successionibus Israelitarum quaestio est, nullus de filiis adoptivis sermo esse potest. Qua de re lege, quae scripsit Seldenus [3]), ubi nobis consentiens huiusmodi adoptiones Israelitis affictas exsibilat.

34 Qui autem exemplis productis contrarium vincere conantur, frustra sunt. Quod enim narratur de Mardochaeo et Esthere, quatenus valeat, iam diximus (32). Quod Iacob duos nepotes Ephraimum et Manassem [4]) sibi esse voluerit, constat id eum fecisse, ut Iosepho horum patri, quem prae ceteris filiis amabat, in partitione Chanaanitidis partes duae tribuerentur [5]). Tum vero nunquam illi duo pro Iacobi filiis habiti sunt. Sed neque ulli legum mosaicarum, quae nondum latae fuerant, locus ea in re esse potuit. Denique inepte prorsus id affertur in exemplum eius adoptionis, qua quia ex alia familia in propriam ab aliquo recipitur, et de qua solum quaeri oportere, ubi de successionibus agitur, nemo non intelligit; quis enim neget nepotes eo loco esse, quo filios, et in avita bona ac iura aeque succedere? Ineptius porro exemplum illud est, quod petitur ex Ismaele, tamquam si eum Sara sibi filium adoptasset [6]). Quodnam enim inauditum id foret ac monstruosum adoptionis genus, ut uxor viro superstite privignum adoptaret? Num Ismael in familia Sarae census quandoque fuit? num aliqua familia ex Sara quandoque exstitit, praeter ipsam sobolem Abrahae? Num non Abrahae filius Ismael semper et dictus et habitus est, Sarae vero non alio modo nisi eo, quo Liae et Rachelis filii dicti sunt, quos Iacob ex harum ancillis susceperat [7])?

CAPUT III

De Israelitarum nominibus.

1 Quum multae sunt eaeque non leves difficultates, quae nos in comparandis componendisque ambabus Christi genealogiis remorantur, tum illa non in postremis, quam nomina ipsa propria in his descripta solent afferre. Quare et de propriis Israelitarum nominibus aliqua in universum, quae ad nomina spectant, non hominum modo, sed etiam locorum, dicere expedit. Lege quae de nomine proprio scripsere Glassius [8]) et Gesenius [9]). Ac primo non Israelitis modo, sed et prioribus aetatibus mos fuit, ut nomen filiis mater imponeret, qua de re iam loquuti sumus [10]). Nomen vero aliquid significabat, neque modo *ex virtutum vocabulo*, quod Hieronymus animadvertit [11]), sed ex aliis quoque rebus trahebatur, atque adeo ex aliquo eventu, ut in genesi praesertim legimus, idque a prima ipsa mundi aetate [12]). Mos item fuisse videtur fratrum nomina filiis imponere; nominantur quippe in bibliis *Her* filius Selae fratris *Her* [13]), *Moholi* filius Musis fratris *Moholis* [14]), *Ram* filius Ierameelis fratris *Rami* [15]), *Miphiboseth* filius Ionathanis fratris *Miphibosethi* [16]), *Thamar* filia Absalom fratris *Thamarae* [17]). Morem hunc Israelitis fuisse porro confirmat dissensio, quam Lucas describit, de nomine, quo filius Zachariae et Elisabethae vocandus esset [18]). Quantum ex bibliis discere possumus, abstinuerunt Israelitae a nobilissimis quibusdam nominibus, ut sunt Abraham, Isaac, Iacob,

---

[1]) Esth. II, 7. 15. [2]) Num. XXVII. 7—11. [3]) De successione in bona defuncti c. 4. [4]) Gen. XLVIII, 5. [5]) Conf. Ib. 6. 22. [6]) Gen. XVI, 2. [7]) Gen. XXX, 3—8. 9—13. [8]) Philolog. sac. Append. gramm. Tr. III. [9]) Lehrgeb. § 123 b. [10]) Diss. VII. n. 5. [11]) Praef. comment. de Mich. [12]) Gen. II, 23; III, 20; IV, 1. 25. [13]) I Par. IV, 21 coll. Gen. XXXVIII, 5. [14]) I Par. VI, 47 coll. 19; XXIII, 23 coll. 21. [15]) Ib. II, 25 coll. 9 hebr. [16]) II Reg. IV, 4 coll. XXI, 8. [17]) II Reg. XIV, 27 coll. I Par. III, 2. 9. [18]) Luc. I, 61.

Moyses, Aaron, David, Salomou; neque enim in bibliis duos reperias aliquo borum nominum vocatos; qui enim *Iacob* nomen hebet in vulgatis exemplaribus latinis libri primi Mnchabseorem [1]), verius dixeris *Accum* fuisse nominatum, ut eum vocant interpretes graecus et latinus vetus. Attamen insequenta aetate, qua Cbristus vixit, uomen Iacob constnt fuisse longe usitatissimum.

2 Quod vero magis nostra interest iu hac quaestione, est nomieum discrepantia, quae nou raro bibliorum lectores dubios haerere cogit, praesertim quum quidsm libri inter se couferuntur, velut libri Regum, parnlipomenon, et Esdrae. Huius autem discrepnntiae multiplex caussa est; neque enim uni libreriorum oscitantiae eam tribuere oportet, quum quaedam nomina uuus atque idem auctor uno modo, alius vero alio constanter scripserit [2]).

3 Itaque inprimis fac memineris esse, quibus duo, atque etiam plura fuere nomina [3]), velut *Iacob* et *Israel* [4]), *Esau* et *Edom* [5]), *Salomon* et *Iedidia* [6]), *Cheleab* et *Daniel* [7]) *Absalom* et *Uriel* [8]), *Isboseth* et *Esbaal* [9]), *Miphiboseth* et *Meribbaal* [10]), *Gedeon, Ierobaal* et *Ierubesceth* [11]). Hanc uutem *διωνυμιαν* usitatnm fuisse magis postremis Iudneorum aetatibus credere suedent libri Mnchabaeorum [12]) et novi testamenti; quo referendn sunt nomina a Christo quibusdam apostolis imposita [13]).

4 Illud quoque notandum, quibusdam aliud uomen prioris loco iuditum fuisse, ut suut *Abraham* pro *Abram* [14]), *Sara* pro *Sarai*, vel, ut Graeci scribunt, *Sarra* pro *Sara* [15]), *Beniamin* pro *Benoni* [16]), *Iosue* pro *Hosee* [17]), *Ioakim* pro *Eliakim* [18]), *Sedecias* pro *Matthanias* [19]), *Paulus* pro *Saulo* [20]). *Nam nomina nova imponebantur servis recenter acquisitis, et ministris regum ad maiorem dignitatem evectis*, inquit Iahn [21]).

5 Potissimum nutam observenda est nominum significatio (1), cuius maior ratio habebatur, qunm ipsius prolationis, quod iam animadvertit Richardus Simon [22]). Huc re eliqui duobus nominibus vocabantur, diversis illis quidem, idem tameu significantibus, sicut *Eliada* [23]) et *Baaliada* [24]) filius Davidis; quoniam vero Baal contemptive בשת, id est, *propudium* vocare mos fuit [25]), hinc illa unius eiusdemque hominis uomine iam commemorata, *Ierobaal* et *Ierubescet*, *Esbaul* et *Isboseth*, *Meribaal* et *Miphiboseth*. Indidem illud, ut duarum vocum, ex quibus alicuius uomeu constabat, alterutram pro lubitu alteri quisque praeponere posset, atque unus idemque homo sit אליעם *Eliam* et עמיאל *Ammiel* [26]), יהואחז *Ioachaz* et אחזיהו *Ochozias* [27]), יהויכין *Ioachin* et יכניהו vel יכניה *Iechonias* [28]), non secus ac Graecis idem sonant eomina *Δωροθεος* et *Θεοδωρος*, *Φιλοθεος* et *Θεοφιλος*. *Τιμοθεος* et *Θεοτιμος*, *Αριστοδημος* et *Δημαριστος*, *Νικοστρατος* et *Στρατονικος*, aliaque huiusmodi, etsi numquam haec ad unum eumdemque hominem nominandum usurparentur. Huc pertinent ea quoque, quae alibi edisseruimus de vi, qunm verba *vocare* et *vocari* habeut in scripturis sacris [29]).

6 Alia ratio est, propter quam quorumdam nomina nou tam discrepant, quam discrepare videntur, eosque *διωνυμους* minus vere putamus, petenda sive ex scripturarum translationibus, iu quibus graece aut latine sensus nominum hebraicorum redditus est, sive ex iis, quos inter illi vixere, et qui, quum graece loquerentur, hebraica illorum nomine graece versa proferebant. Sic ab interprete latino inter posteros Selne nomineutur, *qui stare fecit solem*, id est, *Iokim*, liberiore tamen paraphrasi, *virique mendacii*, qui alius non est, quam *Anseecozeba*, et *secnrus*, hebraice *Ioas, et incendens*, hebraice *Saraph* vocetus [30]); inter posteros autem Manassae *Regina*, cuius nomen hebraicum est *Molecheth*, quae *peperit virum decorum*, hoc est, *Ischod* [31]). Eidem ipsi interpreti latino *Iosceb-basecbet Thachmonaeus* [32]) aliter *Iaschobham filius Chachmonaci* [33]) est *Sedens in cathedra sapientissimus* [34]), et *Elehanan filius Iahir*, est *Adeodatus filius Saltus* [35]). Eadem de caussa in novo testamento *Cephas* vocatus est etiam *Petrus* [36]), et *Thomas Didymus* [37]), *Simon* vero *Cananaeus* קנאי [38]) et *Zelotes* cognomeu habuit [39]), proinde *Cannaeus*, non *Cananaeus*, legendum videtur in latinis exemplaribus novi Testamenti.

---

[1]) I Mach. VIII, 17. [2]) Cap. V. n. 3. [3]) *Origen.* Praef. commentar. de ep. ad Rom. [4]) Genes. XXXII, 28. [5]) Ib. XXV, 30. [6]) II Reg. XII, 25. [7]) Ib. III, 3; I Par. III, 1. [8]) III Reg. XV, 2; II Par. XI, 20. 21; XIII, 2. [9]) II Reg. II, 8. 10; I Par. VIII, 33; IX, 39. [10]) II Reg. IV, 4; I Par. VIII, 34. [11]) Iud. VI, 32; II Reg. XI, 21 hebr. [12]) I Mach. II, 2—5. [13]) Marc. III, 16. 17; Io. I, 42. [14]) Genes. XVII, 5. [15]) Ib. 15. [16]) Gen. XXXV, 18. [17]) Num. XIII, 17. [18]) IV Reg. XXIII, 34. [19]) Ib. XXIV, 17. [20]) Act. XIII, 9. [21]) Append. hermen. Fasc. II. p. 203. Lege etiam *eius* Archaeol. I Th. II B. § 189. [22]) Hist. crit. du V. T. L. I. c. 3. [23]) II Reg. V, 16; I Par. III, 8. [24]) I Par. XIV, 7. [25]) Ierem. XI, 13; Os. IX, 10. [26]) II Reg. XI, 3; I Par. III, 5. [27]) II Par. XXI, 17; XXII, 1. [28]) IV Reg. XXIV, 6; Ier. XXIV, 1; I Par. III, 16. [29]) Diss. VII n. 7. [30]) I Par. IV, 22. [31]) Ib. VII, 18. [32]) II Sam. XXIII, 8. [33]) I Par. XI, 11. [34]) II Reg. XXIII, 8. [35]) I Par. XX, 5. [36]) Io. I, 42. [37]) Ib. XX, 24. [38]) Matth. X, 4; Marc. III, 18. [39]) Luc. VI, 15; Act. I. 13.

7 Forte etiam ex vicibus, quas lingua hebraica habuit, atque ex dialectis ei cognatis varias quorumdam nominum formas ortas esse putare est; sic Davidis pater in vetustioribus libris ישי [1]), in recentioribus vero אישי [2]), vocatur, idque, ut sentit Gesenius [3]), ex linguae vicissitudine, etsi eius sententiae illud opponere quis possit, in recentioribus libris atque adeo in illo ipso capite, in quo legitur nomen אישי, ante hoc nullo intervallo ישי scriptum esse [4]).

8 In illustrandis autem nominibus, quae legimus in novo testamento, ratio habenda est dialecti macedonicae, cuius propria sunt nomina quaedam decurtata aut immutata inque syllabam *as* exeuntia, ut *Antipas*, *Artemas*, *Demas*, *Epaphras*, *Parmenas*, *Silas*, eadem ac *Antipater*, *Artemon*, *Demetrius*, *Epaphroditus*, *Parmenon*, *Silvanus*, quae inter *Lucas* numerandus videtur, idemque esse ac *Lucius* aut *Lucanus*, et, ut placet nonnullis, *Cleophas* idem ac *Cleopatros*. Nemo tamen horum est, qui utroque nomine vocetur in novo testamento, si unum *Silam* aut *Silvanum* exceperis [5]), qui prius nomen habet in Actis, posterius in epistolis Pauli, unum autem eumdemque hominem utrobique, etsi diverso nomine, commemorari, nemo dubitabit, qui locos quosdam Actuum apostolorum contulerit cum Pauli epistolis [6]). Nomina *Antipater*, *Artemon*, *Parmeno*, *Lucanus*, *Cleopatros* in novo testamento non comparent; *Lucanus* tamen pro *Luca* praescriptus legitur tertio evangelio in codicibus vetustissimis [7]); *Demetrium*, cuius meminit Ioannes, alium esse *Dema*, cuius mentio est apud Paulum, ex morum locorumque diversitate arguere est [8]). Si, quae de *Epaphrodito* scripsit Paulus ad Philippenses [9]), cum iis compares, quae ad Colossenses scripsit de *Epaphra* [10]), vix suspicaberis ea de uno de eodemque homine dici potuisse. *Lucius*, quem Paulus secum habebat, quum scripsit ad Romanos [11]), alius est *Luca*, qui a Paulo tunc aberat. Paulus enim ad Romanos literas dedit intra tres illos menses, quibus narratur mansisse in Graecia [12]), ante quam Hierosolymam reversus in vincula coniiceretur [13]). Per menses autem illos Lucas Philippis morabatur [14]); idque hinc apparet, quod Lucas, quum alia Pauli itinera describens primam personam pluralem verborum adhibeat [15]), utpote qui Pauli socius itinerum esset, ex quo tamen narravit se cum Paulo Philippos advenisse [16]), donec narret se Philippis discessisse [17]), quidquid interea itinerum a Paulo confectum est, describit adhibita constanter tertia persona [18]).

9 Nomen vero *Cleophas* graece *Κλεοπας* [19]) et *Κλωπας* [20]) decurtatum esse ex *Cleopatros*, ne ex facili credas, nam, quod recte adnotarunt Lighfoot [21]), Gesenius [22]), alii, *Alphaeus et Cleopas non sunt nisi unum atque idem nomen, prius graece scriptum, posterius hebraice*, *'Αλφαιος*, et חלפי [23]), quod nomen et in talmudo reperitur [24]). Etenim Iacobum *Fratrem Domini* appellatum, primum Hierosolymarum Episcopum, etsi plures scriptores Iosephi filium esse narrent, Papias tamen [25]), Chrysostomus [26]), Theodoretus [27]), *Clopae* filium dixerunt. Hunc autem *Clopam* eumdem esse ac *Alphaeum* colligimus ex his Papiae verbis: *Mariae Cleophae sive Alphaei uxor, quae fuit mater Iacobi episcopi et apostoli, et Symonis, et Thaddaei, et cuiusdam Ioseph.* Item ex his, quae scripsit Chrysostomus: *Si tantum indicare voluisset* Paulus *eum, de quo loqueretur*, id est, Iacobum fratrem Domini, episcopum Hierosolymorum, *poterat alia nota declarare, si dixisset Iacobum Clopae, quod et evangelista dixit*; quum autem evangelista, numquam *Iacobum Clopae*, sed Iacobum Alphaei commemoret, dicendus est Chrysostomus vel codicem aliquem habuisse, in quo pro *Alphaeo* esset *Clopa*, vel putasse duo haec re ipsa non esse nisi unum nomen, tametsi negari nequit incertum esse, an Chrysostomus senserit Iacobum fratrem Domini fuisse ex Apostolis [28]). Auctor operis imperfecti ait, caussam, cur Hierosolyma perierit, fuisse Iudaeos *Stephanum lapidantes, in Iacobi morte gaudentes, item* IACOBUM ALPHAEI *lapidantes* [29]); qui Iacobus Alphaei alius esse nequit, nisi is, de quo loquimur. Quod si iste Iacobus, frater Domini, Clopae filius, non alius revera sit Iacobo, Alphaei

---

1) Ruth. IV, 22; I Reg. XVI, 1 seqq. 2) I Par. II, 13. 3) Geschichte der hebr. Sprache § 10, 5. 4) I Par. II, 12. 5) Conf. *Flavius Silbas* apud Iosephum De bello. L. VII, c. 8. § 1. Lege et Antiq. L. XIV. c. 1. § 3. 6) Act. XV, 22. 40; XVI, 19; XVII, 4. 10; XVIII, 5; II Cor. I, 19; I Thess. I, 1; II Thess, I, 1. 7) Lib. I. c. III. n. 1. 8) Conf. III Io. 12. cum II Tim. IV, 9. 9) Philipp. II, 25; IV, 18. 10) Coloss. I, 7; IV, 12. 11) Rom. XVI, 21. 12) Act. XX, 2. 3. Lege *Paley* La vérité de l'hist. de St. Paul. ch. 1; *Cellérier* Essai d'une introd. crit. au N. T. II P. divis. 2, sect. 5. 13) Act. XXI, 33. 14) Act. XX, 6 coll. 4 et XVI, 12. 40. 15) Act. XVI, 10—16; XX, 7 — XXVIII, 16. 16) Ib. XVI, 10. 17) Ib. XX, 6. 18) Ib. XVI, 40 — XX, 5. 19) Luc. XXIV, 18. 20) Io. XIX, 25. 21) Hor. hebr. in Matth. X, 3; et Luc. XXIV, 13. 22) Thesaur. philol. crit. de lit. ח. 23) *Cellérier* Op. cit. divis. 3. sect. 1. n. 3. 24) *Lighfoot* l. c. 25) Apud *Grabium* Spicileg. T. II. p. 34, et *Gallandum* Biblioth. patrum T. I. p. 319. 26) De ep. ad Galat. I, 19. 27) De ep. ad Galat. I, 19. 28) Conf. Comment. de Matth. hom. V. § 3; de Io. hom. XLVIII al. XLVII. § 2; de Act. hom. III. § 2; hom. XXXIII. §§ 1. 2; hom. XLVI. § 1; de ep. ad. Gal. l. c. et II, 9. 12. 29) Opp. *Chrysost.* ed. *Monfaucon*. T. VI p. CLXXIV.

filio, apostolo, cuius meminere evangelistae [1]), quod equidem in praesenti minime affirmo, ens tamen falli, qui affirmant, nemo unus adhuc evicit, tantum non certa sententia nostra videbitur. Elementorum vero discrimen in nominibus *Ἀλφαιος*, et *Κλωπας* nullum negotium facesset iis, quibus comperta ratio est, qua Graeci exprimunt sonum literarum *gutturalium* in nominibus hebraicis reddendis; utrumque enim secundum eam rationem ex חלפי derivatur [2]). Sexcenta namque nomina nobis biblia legentibus occurrunt, in quibus litera ח a Graecis per simplicem vocalem exprimitur; exempli caussa haec sint. חלח *Ἀλαε* [3]), *Ἀλα* [4]), et *Ἀλλαν* [5]), חביר *Ἀβιωρ* [6]), חגי *Ἀγγαιος* [7]), חבקוק *Ἀμβακουμ* [8]), חזאל *Ἀζαηλ* [9]); in quibus omnibus littera ח reddita est per vocalem *A*, ut alia plurima omittam, ubi eadem haec lileru, sive initio, sive in medio, sive in fine nominum, per hanc aut per aliam vocalem exprimitur. Rarioru sunt, non tamen irrepertu, in quibus literam hanc Graeci expresserunt per *K*; huiusmodi sunt חלח [10]), Straboni *Καλαχηνη* [11]) et *Καλαχανη* [12]), Ptolomaeo autem *Καλακινη* [13]), חרן interpretibus alexandrinis *Χαῤῥαν* [14]), ceteris scriptoribus graecis *Καῤῥαι* [15]), Romanis vero *Carrae* [16]); item pro חלק *Κελεζ* [17]), pro טבח *Ταβεκ* [18]), pro פסח *φασεκ* [19]), legimus in bibliis graecis. Exitus autem nominis *Ἀλφαιος*, quin huic alium originem tribuere suadeat, eam potius comprobat, quam dicimus; est enim ***Alphaeus*** deductum ab חלפי, sicut ***Zebedaeus*** a זבדי, ***Bartholomaeus*** a בר־תולמי, ***Matthaeus*** a מתי, ***Thaddaeus*** a תדי, ***Cananaeus*** simonis apostoli cognomen a קני (6). Tum ***Alphaeus*** interpreti syro est ܚܠܦܝ, quod argumentum vel per se ipsum satis foret. Denique vocalium varietas in nominibus ***Clopa***, et Alphaeo eum tantummodo remorabitur, qui nec semel vel unam bibliorum plagulam nomina propria exhibentem, tum hebraicam, tum graecam, inter se comparaverit; comparanti quippe manifestum continuo fit, quanta inter utramque intercedat vocalium discrepantia, quantaque praesertim vocalis *O* vicissitudo deprehendatur, verbi gratia, *Ἀχαχ* pro *Χουκκωκ*, *Ἀχορ* pro *Ἡκερ*, *Ἀραμ* pro *Ὠρεμ*, *Ἀσαν* pro *Ὠσεμ*, *Ἰεχμααν* pro *Ἰοκμααμ*, *Ἰεμολοχ* pro *Ἰαμληχ*, *Θολμαι*, et *Θολαμι* pro *Θαλμαι*, *Μοολι* pro *Μαχλι*, *Νοομ* pro *Νεαμ*, *Ὀολ* pro *Ὠελ*, *Ὀχοζιας* pro *Ἀχαζια*, *Σοσομαι* pro *Σισμαι*, *Ῥεκομ* pro *Ῥεκεμ*, aliaque innumera. Itaque *Κλωπας* aeque ac *Ἀλφαιος* ortum est ex חלפי. Quod si malis *Κλεοπαν* a Luca commemoratum alium credere ac *Κλωπαν*, cuius meminit Ioannes, velisque etiam ipsa nomina distincta esse inter se, non repugnabo, quominus *Κλεοπαν* deducas ex *Κλεοπατρος*.

10 Omnes insuper species metaplasmi reperiuntur in nominibus propriis, quae exhibent scripturae sacrae. Unicum ex singulis exemplum depromamus. Prolbesis: אישי [20]) pro ישי [21]). Aphaeresis: כניהו [22]) pro יכניהו [23]). Epenthesis: דרמשק [24]) et דומשק [25]) pro דמשק [26]). Syncope: יוצדק [27]) pro יהוצדק [28]). Paragoge: תמנתח [29]) pro תמנה [30]). Apocope: פלטי [31]) pro פלטיאל [32]). Antithesis: בת־שוע [33]) et בת־שבע [34]). Metathesis: אירנה [35]) et ארונה [36]). Non raro plures simul metaplasmi species deprehenduntur, ut שלמון [37]) et שלמה [38]) vel שלמא [39]), שמה [40]) et שמעא [41]) vel שמעי [42]), חופם [43]) et חפים [44]), ארנן [45]) vel אריה [46]) et ארונה [47]).

11 Saepe alia atque alia unius eiusdemque nominis scriptio diversis orthographiae modis tribui debet. Exempli caussa sint דוד [48]) et דויד [49]); אמנן [50]) et אמינן [51]); תבל [52]) et תובל [53]).

12 Denique hoc discrimen, quod in nominibus non paucis comparet oscitantiae librariorum non raro tribuendum esse manifestum est; huiusmodi enim esse videntur אליפלט [54]) pro אלפלט [55]), אלישמע [29]) pro אלישוע [27]), זבד [26]) pro יוזכר [19]).

---

[1]) Matth. X, 3; Marc. III, 18; Luc. VI, 15; Act. I, 13. [2]) *Gesen.* l. c. [3]) IV Reg. XVII, 6; XVIII, 11. [4]) I Par. V, 26 *Complutens.* [5]) Ib. *Ald.* [6]) IV Reg. ib; at I Par. ib. *Complut.* [7]) Agg. I, 1. [8]) Habac. I, 1. [9]) IV Reg. VIII, 8. [10]) IV Reg. XVII, 6; XVIII, 11; I Par. V, 26. [11]) L. XI. p. 530 edit. *Casaubon.*; L. XVI. p. 736. [12]) L. XI. p. 503. [13]) L. VI. § 1. [14]) Gen. XI, 31. [15]) *Plut.* Vita Crassi §§ 25. 27. 28; *Dio Cass.* L. XL. § 25; *Ptol.* L. V. § 18. [16]) Plin. H. N. L. V. § 24; *Ammian.* L. XXIII. § 3. [17]) Ios. XVII, 2. [18]) Gen. XXII, 24. [19]) II Par. XXX, 1. 2. [20]) I Par. II, 13. [21]) I Ib. 12; I Sam. XVI, 3. [22]) Ier. XXII, 24. 28. [23]) Ib. XXIV, 1. [24]) I Par. XVIII, 5. 6. [22]) IV Reg. XVI, 10. [26]) Gen. XIV, 15. [27]) I Esd. III, 2. [28]) Agg. I, 1. [29]) Gen. XXXVIII, 12; Ios. XIX, 43; Iud. XIV, 1. [30]) Ios. XV, 10. 57. *Rosenmuell.* Schol. ad hh. ll., et Handbuch II B. II. Th. p. 350; *Gesen.* Lehrgeb. § 127, 1. [31]) I Reg. XXV, 44. [32]) II Reg. III, 15. [33]) I Par. III, 5. [34]) II Reg. XI, 3. [35]) II Reg. XXIV, 16. [36]) Ib. 20. [37]) Ruth. IV, 21. [38]) Ib. 20. [39]) I Par. II, 11. [40]) I Reg. XVI, 9. [41]) I Par. II, 13. [42]) II Reg. XXI, 21. [43]) Num. XXVI, 39. [44]) Gen. XLVI, 21. [45]) I Par. XXI, 15. [46]) II Reg. XXIV, 18. [47]) Ib. 20. [48]) I Reg. XVI, 13. [49]) I Par. II, 15. [50]) I Par. III, 1. [51]) II Reg. III, 2. [52]) Genes. X, 2. [53]) I Par. I, 5. [54]) I Par. III, 6. [22]) Conf. Ib. 8 et XIV, 5. 7. [36]) I Par. III, 6. [57]) Conf. Ib. 8 et XIV, 5. 7 et II Reg. V, 15. 16. [58]) II Par. XXIV, 26. [59]) IV Reg. XII, 22 coll. יוזבד Ib.

CAPUT IV

De primo versu evangelii Matthaei.

1 *Liber generationis βιβλος γενεσεως.* Titulus iste hebraicum stilum omnino sapit, huiusque similem legimus in Genes. V, 1, atque etiam in graeca translatione Genes. II, 4. Quaeritur autem utrum totius libri titulus sit, an unius genealogiae, in genesi enim vox תולדות, quam graeci interpretes *γενεσεις* reddiderunt, interdum genealogiarum titulus est, ut in Genes. V, 1; VI, 9; X, 1; XI, 27; XXV, 12. 19, interdum autem narrationum, ut in Genes. XXXVII, 2. Ut autem quaestioni huic respondeamus definire prius necesse est, quaenam notio subiecta sit in hoc loco nomini *γενεσεως*. Nomen hoc apud graecos scriptores non actum sonat, quo quis generat, sed vel nationem, vel originem, vel fortassis etiam id, quod ortum est [1]). In bibliis autem omnia haec item sonat, nationem, inquam, seu ortum, ut in Genes. XL, 20; Eccl. VII, 2; Ezech. XVI, 4, originem, ut in Ezech. XVI, 3, id, quod ortum est, progeniem videlicet aut familiam, ut in I Par. IV, 21; sed quam saepissime redditur pro nomine hebraico תולדות, quod *generationes* significat, construiturque vel cum nomine generantis, significatque actum, quo quis generat, ut in Genes. V, 1; VI, 9; X, 1; XI, 27; XXV, 12. 19; XXXVI, 1. 9; Num. III, 1; Ruth. IV, 18; I Par. I, 29, vel cum nomine geniti, et significat actum, quo quis generatus est, ut in Ex. XXVIII, 10; I Par. V, 7; VII, 2. 9; XXVI, 31, atque secundum postremam hanc significationem *τροπικως* etiam usurpatur, ut in Genes. II, 4. Quoniam autem a generationibus principium est gestorum humanorum, ideo תולדות et *γενεσεις* in Genes. XXXVII, 2 idem sunt ac *historia*; idemque etiam in Gen. II, 4 esse videntur nonnullis, hosque inter Rosenmuellero [2]), falso tamen, quod alias [3]) demonstrabimus. In primo versu Matthaei vox *γενεσεως* neque nationem aut ortum significare potest, neque id, quod ortum est, progeniem, inquam aut familiam, neque actum, quo quis generat; significat igitur vel originem, vel generationem sive seriem generationum ad eam usque qua Christus genitus est, vel denique historiam. Prima trium harum notionum, quae est origo, tum quod minus fortasse sit huic loco opportuna, tum ideo etiam respuenda videtur, quia, quum dictio haec, *βιβλος γενεσεως liber generationis*, sit ipsa dictio hebraica ספר תולדות quumque תולדות haudquaquam notionem illam exhibeat, neque vox *γενεσις* eam in hoc loco exhibere potest. Sed neque historiam significare putanda est. Etenim primo in fine genealogiae haec legimus: *Christi autem generatio* (*γενεσις*) *sic erat* [4]), quae quidem, in graecis exemplaribus, qualia Griesbachius edidit, idque, ubi locus erit, demonstrabimus, totius genealogiae clausula est; quum autem in hac clausula vox *γενεσις* superiora summatim exprimat, nequit historiam significare; quis vero putet voci huic aliam notionem subiectam esse in hac quam in primo versu? Sed, quod caput est, notio haec, *historia*, inquam, nominis תולדות minus propria est, nec in bibliis reperitur, nisi semel; quae ratio nobis satis est, nam non multum opis a graecis exemplaribus ad hanc quaestionem solvendam exspectare est. Superest itaque hoc unum, ut vox *γενεσις* generationem sive seriem generationum significet ad eam usque, qua Christus genitus est, uno verbo, ipsam Christi genealogiam. Quare *βιβλος γενεσεως* non totius libri titulus est, sed solius genealogiae.

2 *Iesu Christi Ἰησου Χριστου.* De nomine Iesu infra dicemus [5]). De nomine vero *Christi* ita Rosenmuellerus maior: *Χριστος* (nomen dignitatis) *haud commode vertitur* UNCTUS [6]). Cur vero? *Respondet enim*, inquit ille, *hoc nomen graecum . . . hebraico verbo* משיח MESSIAS, *quod plerumque significat* REGEM, *κατ᾽ ἐξοχην autem maximum ex Davidica stirpe regem.* At enim, tametsi regem significaret, cur *haud commode* UNCTUS vertatur, quum haec sit primigenia huius nominis notio? Audi hominem: *Apud Iudaeos nempe regibus et principibus sacerdotum et nomen, et potestas, atque dignitas regia et sacerdotalis* UNCTIONE *conferebatur.* Sapidam oppido ratiunculam! *Christus* non significat *unctum*, sed *regem*, quia reges ungebantur. Attendere itaque debuisset Rosenmuellerus, ut nomine משיח rex quoque vocetur, non quia nomen hoc regem significet, sed quia *unctum*, eadem ipsa de caussa, qua et sacerdos eo nomine appellatur, nempe quia et sacerdotes et reges ungebantur. Quare et משיח, et *χριστος*, et *unctus* synonyma prorsus sunt, de quo nemo ex interpretibus unquam dubitavit. Proinde liquet hoc nomen a scriptoribus sacris in propriam notionem tunc solum accipi,

---

[1]) *Stephan.* Thesaur. ad h. v. [2]) Schol. in h. l. [3]) Diss. XV. c. I. n. 3. [4]) Matth. I, 18. [5]) Cap. V. [6]) Schol. in h. l.

ubi sacerdotes aut reges Israelitarum eo designantur, *τροπικῶς* autem sic vocatos esse Cyrum [1]), maiores Israelitarum [2]), ac regem illum simul et sacerdotem omnium nobilissimum, cui *κατ' ἐξοχὴν* appellatio *Messias* facta est. Animadverte praeterea, ut hoc nomen, ubi *sacerdoti* factum legitur, semper adiungatur nomini כֹּהֵן, quum vero *regi*, semper adiunctum habeat patrium casum sive *Domini* sive *Dei*, aut pronomen possessivum, quod ad praecedens nomen *Dominum* aut *Deum* pertinet. Ceterum hoc nomen in scripturis usurpatur plerumque tamquam epithetum alicuius ex regibus Israelitarum, ipsum vero Messiam, saepius quidem secundum sensum *spiritalem*, at secundum *literalem* in his solum locis significat, id est, in I Reg. II, 10; Ps. LXXXVIII, 52; Dan. IX, 25. 26, ac fortasse etiam in Thren. IV, 20 et Habuc. III, 13.

3 *Filii David filii Abraham.* Filiorum appellationem in scripturis fieri etiam nepotibus notum est, ut in Genes. XXIX, 5 coll. XXVIII, 5 et XXII, 23; XXXI, 28; XXXII, 1; I Esdr. V, 1 coll. Zach. I, 1, imo et posteris quibuslibet, et *filios Israel*, *filios Iuda*, *filios Levi*, esse *Israelitas*, *Iudaeos*, *Levitas*, item *filios Ammon*, *filios Heth*, *filios Ismael*, esse *Ammonitas*, *Hethaeos*, *Ismaelitas*. Tale est etiam illud: *Ioseph fili David*, quod paullo inferius legitur apud Matthaeum [3]). Voces *filii Abraham* iungendas esse nomini *Iesu Christi* quidam putant, hosque inter Calmetus et Grotius; alii vero cum Maldonato, Harduino, Rosenmuellero, rectius autumant eas appositum esse nominis Davidis, quum id exigat ratio genealogiarum *κατ' ἀνάλυσιν* constanter observata a scriptoribus sacris [4]). Ceterum Abraham et David, potius quam alii, memorantur, utpote ex tota Christi prosapia nobilissimi, et quibus illustriore quodam modo Christum ex ipsorum stirpe oriturum Deus promiserat, Abrahae quidem omnium primo [5]), Davidi omnium postremo [6]).

CAPUT V

De sanctissimo nomine Iesu.

1 Quaeri solet utrum hebraicum nomen Christi fuerit ישוע *Iesus*, an potius יהושע *Iehosua* vel, ut scribit latinus interpres veteris testamenti, *Iosue*. Ratio, qua illud exhibetur a scriptoribus novi testamenti, qui constanter *Ἰησοῦν* protulerunt, atque etiam ab novi testamenti interpretibus, quos inter potissima habetur quod ad hoc nomen auctoritas interpretis ܝܫܘܥ scribentis, primum praeferre suadet. Attamen alterum, utpote quod conflatum est ex nomine Dei *ἀφάτῳ* יהוה et ex verbo הושיע, quodque adeo sublimiorem, et Christo aptiorem, atque oraculis prophetarum convenientiorem, praefert significationem, quod denique perbelle respondet appellationi *Dei salvatoris* frequenter in veteri testamento usurpatae, nonnullis magis placet, quos inter est Bellarminus [7]). Ambae tamen sententiae facile componuntur, si dicamus, quod veritati consentaneum omnino est, Christum ישוע vocatum fuisse, hoc tamen nomen idem esse ac יהושע.

2 Quod illud, non vero hoc, Christo nomen fuerit, res indubia est; dubitare enim hac de re minime sinunt rationes, quas modo attulimus, neque hilum in tota antiquitate reperias, qua de caussa secus esse suspiceris.

3 Quod autem utrumque illud non sit nisi unum atque idem nomen, pro certo affirmare me posse arbitror. Pro uno enim eodemque utrumque haberunt auctores aeque atque interpretes tum veteris tum novi testamenti. Ita pontificem maximum filium Iosedeci, cuius saepissime meminere Aggaeus, Zacharias, Esdras, et Nehemias, duo illi prophetae יהושע *Iehosia*, Esdras vero et Nehemias ישוע *Iesum*, semper vocaverunt. Scriptores autem novi testamenti *Ἰησοῦν Iesum* aeque dixerunt tum *Iesum Christum* tum *Iosue filium Nun* [8]). Interpretes graeci veteris testamenti utrumque illud hebraicum nomen semper in *Ἰησοῦν* verterunt. Latinus autem interpres nomen pontifici maximo *Iosue* fecit, quoties hebraice ישוע, contra vero *Iesum*, quoties יהושע ille vocatur. Nihil autem in hoc deprehendas Hebraeis inusitatum, quibus e contrario mos fuit nomina eo modo veluti contrahere. Exempla passim occurrunt. Talia namque sunt in voluminibus hebraicis *Salma* pro *Salmon* [9]), *Phalti* pro *Phaltiel* [10]), *Iehoscheba* pro *Iehoschabat* [11]), *Abschalom* pro *Abischalom* [12]), *Mispar* pro

[1]) Is. XLV, 1. [2]) I Par. XVI, 22; Ps. CIV, 15. [3]) Matth. I, 20. [4]) Cap. I. nn. 1. 2. [5]) Genes. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18. [6]) II Reg. VII, 11—16; I Par. XVII, 10—14. [7]) Exercitat. in Ps. XXXIV. v. 6 in fine Grammaticae hebr. [8]) Act. VII. 45; Hebr. IV, 8. [9]) Ruth. IV, 20 coll. 21. [10]) I Sam. XXV, 44 coll. II Sam. III, 15. [11]) II Reg. XI, 2 coll. II Par. XXII, 11. [12]) II Par. XI, 20 coll. I Reg. XV, 2. 10.

Misphereth [1]. Sic etiam pater Iosoae pontificis maximi ab auctore paralipomenon, ab Aggaeo, a Zacharia vocatur *Iehozadak*, ab Esdra vero *Iozadak*. In novo autem testamento *Bariona* idem est ac *Barichochanna* [2]. Sed de his superius [3] satis disputavimus.

CAPUT VI

De Iesu Christi origine a Davide ducta.

1 Messiam ex stirpe Davidis oriturum et Deus ipsi Davidi promisserat [4] et vates Israelitis praenuntiaverant [5], et Israelitae semper crediderant, ut comperimus tum ex novo testamento [6], tum ex testimoniis Talmudistarum ac ceterorum Iudaeorum, quae depromere est ex horum libris, quaeque ex parte congessere Raymundus Martinius [7], Christianus Schoettgenius [8], Balthasar Scheidius [9], Paulus Drach [10].

2 Sed neque his leviora sunt ea argumenta, quibus Iesum ex Davidis stirpe ortum re ipsa esse evincimus, et quorum plurima in primis scripturae ipsae nobis suppeditant. Huiusmodi sunt illae duae genealogiae [11], quae etsi eo discrepent, quod alios atque alios Iesu maiores exhibeant, in id tamen plane consentiunt, quod hos omnes ex Davide prognatos esse testantur. Sed de hisce genealogiis fusius infra disserendum nobis erit. Talia quoque sunt ea testimonia, quae hac de re dedere Matthaeus [12], Paulus [13] Zacharias sacerdos [14], atque ipse Gabriel archangelus [15]. Talia denique sunt testimonia data a Iudaeis aliisque Christi aequalibus, et a nobis iam relata [16].

3 Praeterea, quum Iesus ἀπάτωρ fuerit, genus non aliunde ducere potuit, nisi a quo mater eius duxerat. At Mariam Virginem a Davide genus duxisse iam demonstravimus [17].

4 Sed et priscae aetatis historia huius rei veritatem confirmat. Narrat enim Hegesippus, scriptor aetati illi suppar, cuius narrationem transcripsit Eusebius [18], quosdam ex Iesu Christi adgnatis delatos fuisse ad Domitianum eo nomine, quod *ex regia Davidis stirpe prognati essent*; quod non serius anno aerae vulgaris XCVI contingere potuit, quo Domitianus occisus est. Lege etiam, quae inferius disputabimus de origine Christi a Salomone ducta [19].

CAPUT VII

De feminis deque pluribus quorumdam filiis a Matthaeo in Christi genealogia commemoratis.

1 Lucas Christi maiores recensens eos solum nominavit, quibus in ipsa prosapia locus foret, at Matthaeus quorumdam fratres subinde atque etiam matres commemoravit. Qua de re quum scripturarum enarratores quaestionem habere soleant maiorem fortasse, quam rei momenta postulent, nos quoque aliquid dicamus necesse est.

2 Itaque commemorat Matthaeus *Iudam et fratres eius* [20], omnes videlicet filios Iacobi; caussa autem, cur commemoret, esse videtur, quod Iacob proximus fuerit gentis auctor, quum ex Abrahamo quidem atque ex Isaaco aliae quoque gentes exstiterint, at nemo ex Iacobo exstitit, qui in gente Israelitarum inque Dei populo non censeretur, singulaeque huius populi tribus ex singulis illius filiis progenitae sint. Omnes igitur Israelitae eumdem progenitorem, ac Christus, Iacobum habuere; quae communis illorum atque huius origo quum maximo illis decori esset atque ornamento, par quoque fuit, ut Matthaeus Israelitis scribens id indictum minime praeteriret. Haec Grotius quoque animadverterat [21].

3 Duo etiam e filiis Iudae inveniuntur in hac genealogia *Phares et Zaram* [22]. Cur ambo nominentur, varias ex patrum commentariis rationes deprompsit, ac simul refellit Maldonatus, tum ipse

---

[1]) Esd. II, 2 coll. Nehem. VII, 7. [2]) Conf. Matth. XVI, 17 et Io. I, 42 cum Io. XXI, 15—17. [3]) Cap. III. [4]) Lege *Patrit.* De interpret. scriptur. sacr. L. II. q. IX. [5]) Is. XI, 1 etc.; Ierem. XXIII, 5 etc. [6]) Matth. XII, 23; XXII, 42; Io. VII, 42. [7]) Pugio Fidei. [8]) Horae hebraicae et talmudicae in theologiam Iudaeorum etc. [9]) Nov. Test. ex Talmude et antiquitatib. Iudaeor. illustrat. in Matth. I, 1. [10]) Deuxième lettre aux Israélites. not. I. [11]) Matth. I, 1—16; Luc. III, 23—38. [12]) Matth. I, 1. [13]) Rom. I, 3; II Tim. II, 8; Act. XIII, 23. [14]) Luc. I, 69. [15]) Ib. 32. [16]) Lib. I. c. I. n. 25. [17]) Diss. VI. [18]) H. E. L. III. cc. 19. 20. 32. [19]) Cap. IX. [20]) Matth. I, 2. [21]) In h. l. [22]) Ib. 3.

aliam affert, quae tamen ceteris minime praestat; eaque est, quod, quum uterque uno parto ederetur, *Zara prior manum extra uterum proferret, veluti contendens cum fratre, uter primogenitus esset, et parens Christi. Magna enim laus fuit, quin parens esset Christi, tam parum abfuisse* [1]). At falso ponit Maldonatus maximo nete eos esse debeisse, ex quibus Christus progigneretur, saltem heic legi obrogatum quam saepissime esse dicendum foret, quum nemo e maioribus Pharesi et Zarae a Matthaeo commemoratis primo genitus fuerit, neque inter posteros Pharesi primo fuerint geniti Aram eius nepos, neque David, neque Salomon [2]), neque Abias [3]), neque Ochozias [4]), neque Ioas [5]), neque Inakim [6]). Denique neque ipse Phares primus Iudae filius fuit [7]). Quare illud verius mihi videtur, utrique nominando occasionem dedisse iniectam Thamaris mentionem, quae utrumque uno partu enixa est.

4 Legimus denique *Iechoniam et fratres eius* [8]) Iosiae filios a Matthaeo memoratos ea de caussa, quam ipse Matthaeus nobis aperuit illis verbis: *in transmigratione Babylonis* [9]). Nam Iosiae filiis regnantibus, omnes enim, primo dempto, regnerunt [10]), transmigratio coepta [11]), eo demum totius gentis exterminio atque Hierosolymae incendio et vastitate absoluta est [12]).

5 Feminae vero, quarum meminit Matthaeus, sunt, praeter Mariam Christi matrem, Thamar [13]), Rahab [14]), Ruth [15]), et Bethsabee [16]). Harum mentionem huic caussae assignat Hardoinus [17]), quod hae omnes alienigenae forent. Ast, omisso, quod Bethsabeem talem fuisse non aliunde arguere sit, nisi quia Urias eius vir Hethaeus esset [18]), quod est sane leve, Naema mater Roboami et ipsa alienigena fuit, Ammonitis videlicet [19]), nec tamen eam Matthaeus nominavit. Neque respondere iuvat Namam non Ammonitidem, sed Ammanitidem dici ab interprete latino; nulla enim Ammonitas inter atque Ammanitas differentia intercedit, sed, quos Hebraei Ammonitas, hos Graeci Ammanitas constanter vocaverunt. Sed neque maioris faciendo est responsio Possini [20]) negantis fieri potuisse, ut David sineret Salomonem filium uxorem alienigenam ducere. Nam ipse David, praeter Bethsabeem, quae, si Hardeino fides est, Hethaea dicenda esset, uxorem duxerat Maacham filiam regis Gessoris [21]). Tum Ammonitae non numerentur in iis gentibus, quibuscum Israelitae vetabantur inire connubia [22]). Quod autem Salomoni vitio vertunt scriptores sacri, quod mulieres alienigenas adamarit, id de mulieribus Hethaeis, quae illis gentibus adnumerantur, dictum esse putandum est [23]). De eadem hac quaestione ita Hieronymus pronuntiavit: *Notandum in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas, quas scriptura reprehendit, ut, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret* [24]). Nec secus loquitur Origenes [25]). Verum, si sic se res habet, cur in hac genealogia non comperent sive Athalia, Iorami uxor, femina perditissima [26]), sive Maacha, Abiae uxor, Asae mater, quae erat *princeps in sacris Priapi, et in luco eius, quem consecraverat* [27])? Quare, cur hae feminae a Matthaeo commemoratae sint, probabilior ratio esse haec videtur, quod nobilis foret earum nomen celebrisque historia apud Iudaeos, quibus ille scribebat.

CAPUT VIII

De Salmone et Rahaba.

1 Non modo Matthaeus [28]), sed et scriptores librorum Ruthae [29]) et paralipomenon [30]), Salmoni in Davidis prosapia id loci assignant, ut qui fuerit Davidis abavus; Matthaeus autem unus est, qui Salmoni Rahabam nupsisse nos doceat. Horum prius magnam habet difficultatem, nullam posterius, si per se ipsum consideres, at, priore semel posito, longe maiorem. Etenim, quod attinet ad connubium Salmonis et Rahabae, scimus anno altero, postquam Israelitae excesserunt ex Aegypto, tribui Iudae praefuisse Nahassonem [31]); proinde quadraginta post annis, quum Iericho diruta est [32]), poterit

---

[1]) In h. l. Conf. Genes. XXXVIII, 27 seqq. [2]) I Par. II, 9. 15; III, 5. [3]) II Par. XI, 20 coll. 19. [4]) Ib. XXII, 1. [5]) Ib. 11 coll. 12 et XXIV, 1. [6]) I Par. III, 15. [7]) Ib. II, 3. 4. [8]) Matth. I, 11. [9]) Ib. [10]) II Par. XXXVI, 1. 4. 10 coll. I Par. III, 15. [11]) II Par. XXXVI, 6. [12]) Ib. 17—20. [13]) Matth. I, 3. Conf. Genes. XXXVIII. [14]) Matth. I, 5. Conf. Ios. II; VI, 17. 23. [15]) Matth. Ib. Conf. Ruth. II—IV. [16]) Matth. I, 6. Conf. II Reg. XI—XII, 1—25. [17]) Comment in h. l. [18]) II Reg. XI, 3. [19]) III Reg. XIV, 21. 31. [20]) Diallactic. theogenealog. cc. 15. 16. [21]) II Reg. III, 3. [22]) Ex. XXXIV, 16 coll. 11; Deut. VII, 3 coll. 1. [23]) III Reg. XI, 1. 2. [24]) In Matth. I, 3. [25]) In Luc. hom. XXVIII interprete *Hieronymo*. [26]) IV Reg. VIII, 18. 26; XI, 1. 3. [27]) III Reg. XV, 13. [28]) Matth. I, 5. [29]) Ruth. IV, 21. [30]) I Par. II, 11. [31]) Num. I, 7. [32]) Ios. VI, 1—20 coll. V, 10. 11 et IV, 19 et III, 1 et I, 11 et Deut. XXXIV, 8 et I, 3.

Salmon Nahassonis filius adhuc ea esse aetate, qua nuptias cum Rahab coniungeret [1]. Verum subductis temporum rationibus vix comperimus, quomodo David Salmonis, multo vero minus, quomodo Rahabae, abnepos esse, nuptiaeque illae coniungi potuerint. David enim ortus est CCCLXVI annis post dirutam Iericho, quod sic conficitur: *Quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, in anno quarto, mense zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, aedificari coepit domus Domino* [2]. Si de summa annorum CDLXXIX, quot intercesserant inter fugam ex Aegypto arreptam et templum inchoatum, tres annos demas, quot iam regnaverat Salomon, et septuaginta, quod vixerat David [3], supererunt anni CDVI; de quibus si demas annos quadraginta, quibus Israelitae ex Aegypto egressi per deserta vagati sunt, et post quos Iericho diruta est, supererunt anni CCCLXVI, qui fuerunt inter huius urbis vastationem et ortum Davidis. Si itaque Salmon Davidis abavus fuit, et Rahabam Ierichuntinam duxit, annos istos in quatuor aetates distribuere oportet, quarum prima intercesserit inter dirutam Iericho et ortum Boozi, altera fuerit ab ortu Boozi ad ortum Obedi, tertia ab ortu Obedi ad ortum Iessae, quarta denique ab ortu Iessae ad ortum Davidis; quumque Rahab vicesimum saltem aetatis annum attigisse putanda sit, quum Iericho diruta fuit [4], Salmon autem multo iunior esse nequiverit, alterutrum dicamus necesse est, vel neminem illorum, neque Boozum, neque Obedem, neque Iessem, neque Davidem, genitum fuisse longe ante, quam pater annum ageret nonagesimum sextum, vel eorum aliquem longe post, quam annum centesimum pater expleverat; quorum neutrum credibile fit, quum aliquot ante seculis Abraham, audito filium sibi a Deo promitti, subridens dixerit: *Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet?* [5].

2 Ut rem expediant, negant quidam Rahabam a Matthaeo memoratam eamdem esse ac illam Ierichuntinam, hisque adsentiuntur Andreas Masius [6], Ioannes Harduinus [7], et Io. Georgius Rosenmuellerus [8], quibus ad hanc sententiam praeivisse putantur Auctor operis imperfecti [9] et Theophylactus [10]. Auctor enim ille ita quidem scripsit: *Haec autem Raab ipsa* DICITUR *fuisse meretrix de Iericho*, Theophylactus autem ita: *Rachab* PUTANT QUIDAM *esse Raab illam meretricem, quae Iesu Nave exploratores excepit*; verum uterque, ac praesertim prior, satis manifestant sibi unam esse atque eamdem Rahabam, quae in Matthaeo, quaeque in Iosue commemoratur. Origenes tamen secus sensisse dicendus est, quum ea scriberet, quae sic reddidit Hieronymus: *Raab, quae unde sumpta sit, scire nequeo* [11], Ceterum, quamquam duae forent, ut non illa Ierichuntina, sed altera Salmoni nupsisse dicenda sit, nondum tamen nisi ex parte difficultas sublata esset, quum nondum comperiamus, qui fieri potuerit, ut Salmon esset Davidis abavus.

3 Id vero ita resolvit Harduinus [12]. Nahassonem altero anno, postquam Israelitae aufugerant ex Aegypto, duodecim annos habuisse, genuisse autem, quum annum ageret septuagesimum quartum, hoc est, anno vicesimo secundo post excisam Iericho; quo posito minime necesse est dicere aliquem e ceteris maioribus Davidis serius quam octogesimo sexto aetatis anno eum filium genuisse, qui in Davidis prosapia legitur. Verum quisnam credat Harduino puerum duodecim annorum principatum gessisse in prima omnium tribuum? Tum satis aperte significat Moyses Nahassonem eo tempore, non duodecimum, sed ultra vicesimum annum egisse [13]. Hinc alterum argumentum, quo Harduinum refellas, quod Nahasson mortuus sit ante exitum quadraginta annorum, quibus Israelitae per Arabiae deserta vagati sunt, quum nemo eorum, qui ex Aegypto proficiscentes vicesimum annum attigerant, ingressus sit in Chanaanitidem, praeter Iosuem et Calebem [14]. Denique, etsi Nahasson ex Aegypto profectus ea fuisset aetate, qua dicit Harduinus, attamen eum in itinere mortem obiisse credere est, tum quia, ubi res narrantur anno postremo illius itineris gestae, nec ipse amplius comparet inter principes tribuum [15], nec ullus eorum, qui principatum hunc eodem, atque is, tempore gesserant [16], tum etiam quia expressis verbis narrat Moyses in altero censu, quem ipse habuit sub finem itineris, neminem inventum esse ex iis, qui in primo censi fuerant anno itineris altero, praeter Iosuem et Calebum [17].

4 Itaque liceat nobis nostram de tota hac quaestione sententiam edicere. Rahab Matthaei non alia esse putanda est, quam ipsa meretrix Ierichuntina, quippe quum et apud Israelitas nobile fuerit

---

[1]) Conf. Ios. II, 1. [2]) III Reg. VI, 1. [3]) II Reg. V, 4. [4]) Conf. Ios. II, 1. [5]) Genes. XVII, 17. [6]) Comment. in Ios. II, 1. [7]) Chronolog. V. T. ad Ann. U. C. 753. [8]) Schol. in Matth. I, 5. [9]) Hom. I in Matth. I, 5. [10]) Comment. in Matth. I, 5. [11]) In Luc. hom. XXVIII. [12]) L. c. [13]) Num. I, 2. 3. 7. 16. 18. [14]) Num. XIV, 29. 30; XXVI, 64. 65; XXXII, 10–13. [15]) Num. XXXIV, 19. [16]) Conf. Num. I, 4–16 cum XXXIV, 18–28. [17]) Num. XXVI, 64. 65.

huius nomen, tum a singulari in eos officio [1]), tum a virtutibus, quibus postea dicenda est claruisse, ut quae Paulum laudatorem merita sit [2]), et nulla alia praeter hanc usquam exstiterit, non modo quae commemorari digna foret, idque ab evangelista, sed cuius vel memoria ulla supersit. Harduinus quidem, qui mavult hanc aliam esse Ierichuntina, ait ideo eam commemoratam esse a Matthaeo, quia erat alienigena. Enimvero mirum narrat, sibi vel patriam ipsam haud esse incompertam huius feminae, quam iure dubites, an usquam gentium exstiterit, aut cuius nil nisi nomen et nuptiae nec nisi a Matthaeo memoriae prodita sunt. Ut autem difficultatem removeas, quae ex serie temporum exstat, frustra rationem aliam inibis, nisi alterutram earum, quas subiungimus. Unum est, Davidis patrem, avum, ac proavum, pluribus paucioribusve annis post centesimum, eum filium genuisse, qui est in genealogia. Alterum est, inter Salmonem et Davidem plures *γενεας* intercessisse iis, quas Matthaeus ac ceteri commemorant, quandoquidem, non modo in vetere testamento, sed vel in hoc ipso Matthaei capite exempla prostant talium praetermissionum, de quibus inferius agendum erit, ipsaque discrepantia nominum שלמון, שלמה, שלמא, quae inter Nahassonem et Boozum leguntur, nonnihil momenti huic sententiae adiicere videntur [3]), atque eo etiam haec comprobatur, quod per idem tempus usque ad Davidem in progenie Levis tres aut quatuor *γενεας* supra numerum earum reperiamus, quae in progenie Iudae descriptae supersunt [4]); nisi tamen illud obstat, quod haec genealogiae pars a Iuda ad Davidem deducta quater in scripturis legatur eumdem *γενεων* numerum constanter exhibens, videlicet in Ruth. IX, 18—22; I Par. II, 1—15; Matth. I, 2—5; Luc. III, 31—33 [5]).

CAPUT IX

De Christi origine a Salomone ducta.

1 Matthaeum et Lucam inter se discrepare in recensendis Christi maioribus, qui post Davidem fuere, nemo infitias ivit [6]); horum enim seriem Matthaeus a Salomone deducit [7]), Lucas vero a Nathane alio Davidis filio [8]). Quo pacto haec componi debeant inter se, alias disquiremus. Nunc quaerendum est, utrum a Salomone an a Nathane Christus originem duxerit. Nos quidem plane assentimur Origeni [9]) autumanti praeiudicium hac de re iam factum esse, quum Matthaeus expressis verbis nos doceat omnes Christi maiores, quos enumerat, alium ex alio genitos esse, quumque id verissime dici queat, ut ut aliqua *γενεα* intermedia omissa ab eo fuerit. Satius nihilominus putamus huic argumento urgendo in praesenti supersedere, quum contra dicere aliquis possit sive verbum *gignere*, quod Matthaeus usurpat, in propriam notionem non necessario esse accipiendum, quum Zorobabel, quem ille *genitum* fuisse narrat a Salathiele [10]), in paralipomenis dicatur filius Phadaiae [11]), sive, si quid ex hoc verbo arguere est, demonstrari quidem posse, ex Salomone prognatum esse Iosephum, non vero Christum, qui a Iosepho neque genitus dicitur, nec dici potest; quae tamen argumento Origenis minime officere, ubi locus erit, palam fiet. Hoc autem argumento seposito, patet, frustra eos esse, qui controversiam hanc dirimere conantur disquirendo, uter evangelistarum genealogiam *legalem*: ut vocant [12]), uter *naturalem* ediderit. Unicam enim rationem, qua id definiuntur, suggereret notio, quae propria est verbo *gignere* a Matthaeo adhibito, in quam si verbum istud non semper adhibuisset Matthaeus, dicendus foret *γενεαν* aliquam legalem ceteris inseruisse. At qui vincas nullam huiusmodi *γενεαν* esse apud Lucam, cuius tamen dictio minus quam dictio Matthaei id vetat suspicari? Aliis itaque rationibus rem hanc conficiemus, ut cuique longe verius esse videatur Christum ex Salomone, quam ex Nathane, fuisse progenitum.

PARS I

Argumenta aientia.

2 Primum argumentum petimus ex iis, quae de Salomone dicta aut narrata in scripturis reperiuntur. Neque enim alius comparet in vetere testamento, qui a scriptoribus sacris adeo magnifice,

---

[1]) Ioa. II, 1—21. [2]) Hebr. XI, 31. [3]) Ruth. IV, 20. 21; I Par. II, 11. [4]) Conf. I Par. II, 1—15 cum VI, 1—8 coll. XV, 11. [5]) Sainte bible de Vence T. V. Dissert. sur la généalogie de David. Paris 1828. [6]) Cap. I. n. 4. [7]) Matth. I, 6 seqq. [8]) Luc. III, 31 coll. praeced. [9]) Hom. XXVIII in Luc. [10]) Ib. 12. [11]) I Par. III, 19. [12]) Cap. II. n. 6.

ut Salomon habeatur, et quo de illustriora ac sublimiora scripta legantur; quorum plurima quum iam enarraverimus disserendo de vaticinio Nathanis [1]), non ea denuo nisi summatim perstringemus, satisque erit, si illam dissertationem recolas [2]).

3 Ante omnia sese nobis consideranda praebent vaticinia quaedam edita de Salomone, quae numquam commode interpretaberis, nisi positum habeas ex eo Christum oriri debuisse. Tale illud est, quo Salomonis ortus Davidi patri fuit praenuntiatus [3]), nonnulla enim in hoc de Salomone dicuntur eorum gemina, quae de Isaaco dicta fuerant, quum huius ortus Abrahae fuit praenuntiatus, atque in utrisque mutua quaedam ἀναλογία sane notabilis deprehenditur. Abraham enim primus est [4]), David postremus eorum, quibus Christus ex ipsorum stirpe oriturus promissus fuit; et quemadmodum Abrahae Christum aeque ac Isaacum [5]), ita Davidi Christum et Salomonem ab ipso progignendos esse uno eodemque oraculo Deus simul praedixit. Quare, quum filius ille promissus tunc Abrahae fuerit, per quem eius posteritas ad Christum usque propagaretur, idem hoc ipsum Davidi contigisse putandum est. Adde, quod de Isaaco haec Deus tunc pronuntiavit: ***Constituam pactum meum illi in foedus sempiternum et semini eius post eum*** [6]), de Salomone vero: ***Et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum*** [7]). ***Et statuam eum in domo mea, et in regno meo usque in sempiternum, et thronus eius erit firmissimus in perpetuum*** [8]); quorum quum priora illa Christum ex Isaaco oriturum praemonstrent, posteriora Christum oriturum ex Salomone praemonstrare dicenda sunt [9]). Huc ipsum autem indicant illa potissimum: ***Misericordiam autem meam non auferam ab eo*** [10]), quod fusius ostendimus in illa dissertatione, de qua modo meminimus [11]), et in qua insuper demonstravimus ipsarum scripturarum testimoniis totum illud vaticinium de Salomone dictum fuisse [12]). Praeterea de Isaaco hoc oraculum dictum Abrahae est: ***Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae*** [13]), quae quidem quo pacto dici de Isaaco possent, unica ratio fuit, quia ex huius stirpe Christus esset oriturus; quaenam itaque alia ratio sit, cur eadem haec de Salomone ita caneret psaltes: ***Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae*** [14])?

4 Comprobant quoque sententiam nostram appellationes quaedam illustriores, quibus Salomonem ornatum legimus. Eum enim ***filium suum*** futurum Deus ipse praedixit [15]), quod nemini alteri unquam contigit, nisi Israeli [16]), et Davidi fortasse [17]), iis, inquam, ex quibus Christus oriturus erat. Cuivis porro compertum est, quanto verius ***filium suum*** Salomonem Deus dixisset, si huic inter Christi proavos locus erat, quam si secus. Nec modo ***filium suum*** Deus Salomonem vocavit, sed DILEXIT EUM, ***misitque in manu Nathan prophetae, et vocavit nomen eius*** ידידיה AMABILIS DOMINO [18]). Iam vero appellatio ***filius Dei dilectus*** ea ipsa est, qua Deus non semel Iesum Christum vocavit [19]). Quaenam igitur veri similior ratio sit, cur ita vocaretur Salomon, quam quod ille, cui prae cunctis appellatio ista congrueret, ex Salomonis stirpe foret exoriturus? Quid vero, quod hebraicum ἀρχέτυπον hanc ipsam rationem non obscure prorsus indicare videtur, ubi legitur Salomoni nomen ***Iedidia*** impositum fuisse בעבור יהוה ***propter Dominum?*** quae verba maius quid suspicari iubent, quam ea, quae pro his reddidit interpres latinus, ***eo quod diligeret eum Dominus.***

5 Sed et munera atque officia, quae tamquam Salomonis propria in scripturis commemorantur, sententiae nostrae confirmandae apprime faciunt. Primum audiamus quid ipse David de Salomone filio narret: ***De Iuda*** ENIM (***Deus***) ***elegit principes, porro de domo Iuda domum patris mei et de filiis patris mei placuit ei, ut me eligeret regem super cunctum Israel, sed et de filiis meis . . . elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel*** [20]); ex quo loco non unum argumentum depromere est. In primis ex his discimus Salomonem fuisse, per quem Deus Davidi id praestiturus erat, quod promiserat, ut esset ***rex super Israel in sempiternum***; nam particula illa ***enim*** ostendit Davidem his verbis rationem exposuisse ac modum, quo fieret id, quod prius dixerat, dixerat autem haec: ***Elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei,*** UT ESSEM REX SUPER ISRAEL IN SEMPITERNUM. Itaque Salomon id effecturus erat, ut regnum Davidis in omne aevum perduraret. At Salomon, non modo non effecit, ut regnum, quod a patre acceperat, posteris aeternum maneret, sed in caussa imo fuit, cur illis maxima ex parte adimeretur. Ergo

---

[1]) II Reg. VII, 11—16; I Par. XVII, 10—14. [2]) *Patrit.* De interpret. scriptur. sacr. L. II. q. IX. [3]) II Reg. et I Par. ll. cc. [4]) Genes. XII, 3; XVII, 19. 21; XVIII, 18; XXII, 18. [5]) Genes. XVII, 19. 21; XVIII, 18 coll. 10—17. [6]) Genes. XVII, 19. [7]) II Reg. VII, 13. [8]) I Par. XVII, 14. [9]) *Patrit.* loc. cit. nn. 59. 90. [10]) II Reg. VII, 15. [11]) *Patrit.* loc. cit. nn. 73—82. [12]) Ib. n. 13. [13]) Genes. XXII, 18 coll. XXI, 12. [14]) Ps. LXXI, 17. [15]) II Reg. VII, 14. [16]) Ex. IV, 22; Os. XI, 1. [17]) Ps. II, 7. [18]) II Reg. XII, 24. 25. [19]) Matth. III, 17; XVII, 5. [20]) I Par. XXVIII, 4. 5.

regnum, de quo loquitur David, aliud esse nequit, nisi regnum Christi, quod tamen ut Davidi aeternum maneret, non aliter Salomon effecisse dici potest, quam quod Christum ipsum progenuerit. Accedit, quod verba illa: *De Iuda enim elegit principes*, in codicibus hebraicis ita sunt: כי ביהודה בחר לנגיד *quoniam Iudam elegit* AD DUCEM. Quid sonet in hac sententia nomen נגיד *dux*, ex eodem hoc libro discere possumus, ubi describitur progenies Ruben, isque dicitur, quum Iacobi filius esset natu maximo, hac praerogativa excidisse, eique Iosephus fuisse suffectus, idque ita enunciatur: כי יהודה גבר באחיו ולנגיד ממנו והבכרה ליוסף *Quoniam Iuda invaluit in fratribus suis et* AD DUCEM EX IPSO; *et primogenitura Iosepho* [1]); quod dum scriberet auctor paralipomenon, patet eum respexisse oracula, quae Iacob morti proximus protulit de Iuda [2]) deque Iosepho [3]). Quare verba etiam, de quibus agimus, et quibus hoc idem de Iuda dictum est, ad illud oraculum spectare putandum est, illumque נגיד sive *ducem* esse ipsum *Schilo*, hoc est, Christum ex Iuda exoriturum, illum videlicet, quem Daniel משיח נגיד *Christum* DUCEM vocavit [4]). Enarrat itaque David, atque explicat, quo pacto implendum foret id, quod Iudae promissum fuerat, edicitque, quamnam domum ex tribu Iudae ad hoc implendum Deus elegerit, quemnam ex hoc domo virum, quemnam huius viri filium; totiusque huius loci sensus est, *ita* Salomonem electum a Deo fuisse e filiis Davidis, ut ipse David e filiis Iessae, ut Iesse e nepotibus Iudae, ut denique Iudas e filiis Iacobi, ad illud, inquam, implendum, quod Iudae fuerat promissum. Quae quum ita sint, Salomon, aeque ac David et Iudas, Christi maioribus adnumeretur necesse est. Dicitur denique Salomon sessurus *super thronum regni Dei.* Quaenam vero ratio est, ob quam solium Salomonis vocetur *thronus regni Dei*, sive, ut alibi legimus, *solium Domini* [5])? Num quia Israelitae *populus Dei* dicti sunt? Ast haec ratio componi vix posset cum iis, quibus Deus Samuelem alloquutus est tunc, quum Israelitae ab eo regem flagitarunt; aiebat enim: *Audi vocem populi in omnibus, quae loquuntur tibi; non enim te abiecerunt, sed me,* NE REGNEM SUPER EOS [6]). Nulla itaque verior ratio illius appellationis potest afferri, quam si dicamus *thronum Dei* vocari, quia illorum progenies in eo sederet, ex qua oriturus erat rex ille, qui idem Deus esset, et cui Deus *sedem David patris eius* [7]) esset daturus.

6 Nobilissimum Salomonis officium, quod ei scriptores bibliorum laudi vertunt quam saepissime [8]), fuit, ut templum Hierosolymae exstrueret, ex quo etiam aliquid ob rem colligere est. Templum enim illud Christi typus fuit [9]). Quum igitur scripturae adeo, ut dictum est, laudibus Salomonem efferant, utpote a Deo electum ad templum condendum, extollantque ipsam templi aedificationem a Deo Salomoni demandatam et a Salomone absolutam, quum David ipse id magnificis adeo verbis depraedicet, ut haec sunt: *Salomonem filium meum unum elegit Deus adhuc puerum et tenellum, opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo* [10]), quum denique Deus ipse praedixerit Salomonem oriturum ad domum sibi aedificandam, nonne haec omnia satis aperte illud indicant, sub istis, quae figurae erant atque *umbra futurorum* [11]), quaeque Salomoni *in figura contingebant* [12]), aliquid latuisse, perque ea praesignificatum esse, quod per Salomonem foret praestandum, ut templum illud ab eo conderetur, in quo inhabitaret *omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [13]), hoc est, ut Christus ex stirpe Salomonis nasceretur? Profecto id sensisse videtur Siracides, scribens pacem Salomoni a Deo concessum, *ut conderet domum in nomine suo, et pararet sanctitatem in sempiternum* [14]). Patet *sanctitatem hanc sempiternam* aliud esse, quam templum a Salomone conditum, utpote quod, quum scriberet haec Siracides, iam a trecentis ferme annis dirutum fuerat. Cur vero duo haec inter se connexa ille commemoraverit veluti unicum opus Salomonis, cedo, si tibi praesto est, rationem aliam, nisi quia a Salomone et templum, Christi typus, conditum fuerit, et Christus templi huius ἀντιτυπον fuerit procreatus. Cui rei confirmandae apprime faciunt illa verba de Salomone a Deo prolata: *Ipse aedificabit mihi domum* [15]); loquutio enim hebraica בנות בית לפל' *aedificare domum alicui* sonat quoque sobolem alicui comparare [16]), quem in sensum in hoc ipso oraculo ea paullo ante usurpatur [17]); et quumvis in eo contextu orationis verba *κατα ῥητον* significent templum a Salomone exstruendum [18]), quum tamen templum Christi typus fuerit, eadem *κατα διανοιαν* accepta Christum ex Salomonis sanguine procreandum eo commodius possunt significare, quo ipsa per se opportuniora sunt, quibus hoc idem etiam *κατα ῥητον* significaretur [19]).

---

1) I Par. V, 2. 2) Genes. XLIX, 10. 3) Ib. 22—26. 4) Dan. IX, 25. 5) I Par. XXIX, 23. 6) I Reg. VIII, 7. 7) Luc. I, 32. 8) II Reg. VII, 13; III Reg. V, 5; VIII, 19; I Par. XXII, 9; XXVIII, 6; XXIX, 1. 19; II Par. II, 12; VI, 2; Eccl. XLVII, 15. 9) Io. II, 19—21; Coloss. II, 9 coll. III Reg. VIII, 10. 11; *Augustin.* in Ps. CXXVI. § 2; *Patrit.* l. c. nn. 36. 60. 10) I Par. XXIX, 1. 11) Coloss. II, 17. 12) I Cor. X, 11. 13) Coloss. II, 9. 14) Eccl. XLVII, 15. 15) I Par. XVII, 12. 16) Cap. II. n. 8 et *Patrit.* loc. cit. n. 34. 17) I Par. XVII, 10. *Patrit.* ib. n. 35. 18) *Patrit.* ib. nn. 55. 57. 19) Id. ib. L. I. nn. 88. 224. 327.

7 Ad haec nemo est, quem saepius et sublimius tamquam Christi typum nobis exhibeant scripturae sacrae, quam Salomonem. Iam vero regula spiritalis bibliorum interpretationis est, ut ea, verbis in spiritalem sensum acceptis, de antitypo dicta esse intelligamus, quae, iisdem ipsis verbis acceptis in sensum *literalem*, de typo quoque vere aut dicuntur, aut dici possunt, ita ut, quo verius ea possunt dici de typo, eo certior ac firmior illa interpretatio sit [1]), sive ea de typo dicantur simpliciter, sive *κατα τι*, sive secundum propriam verborum notionem, sive secundum translatam; etenim sensus *literalis*, ut Hieronymus patresque omnes sensere, *fundamentum est intelligentiae spiritalis* [2]), proinde eo firmius hoc fundamentum erit, quo verior fuerit ille sensus. Quo itaque verius Salomoni tribuantur, quae, quum de ipso Christi typum gerente *κατα ῥητον* dicantur, ut de Christo dicta *κατα διανοιαν* sunt interpretanda, eo spiritalis haec interpretatio praestantior erit. Quis autem non perspiciat futurum, ut verius illa Salomoni tribuantur, si quidem ex ipso Christus exoriri debuerit, quam si secus? Nonnulla expendamus.

8 Salomon Christi typum gessit, ubi Deus haec de ipso praedixit: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* [3]), per haec enim *μυστικως* Christum designatum esse Paulus nos docuit [4]); at nonne magis proprie de Salomone ea dicta forent, siquidem is unus e Christi progenitoribus fuerit (4)?

9 Sunt quaedam bibliorum capita, quae de typis una deque antitypis loquuntur, et in quibus typi eaque, quae typorum sunt, transferuntur ad antitypa horumque res praesignificandas [5]). Id genus est psalmus quadragesimus quartus. In hoc enim quaedam dicta esse de Christo Paulus testatur [6]); at multa etiam sunt, quae Salomonem sonant. Psaltes enim ipso initio, quemnam canere aggrediatur, edicit, regem videlicet [7]), quem alius gentis quam Israelitarum esse, nemo suspicetur. At inter horum reges nullus praeter Salomonem ea magnificentia claruit, quae in psalmo describitur, unusque Salomon est, qui regum Israelitarum beatissimus haberi potuerit [8]). Huius regis uxorem [9]) alius regis filiam [10]), cui psaltes suadet oblivisci populum suum et domum patris sui [11]), num aliam esse putes Pharaonis filia, quam Salomon duxit [12])? Puellae, quae tamquam huius reginae *sociae* ad regem adducendae [13]) inque eius regiam ingressurae [14]) dicuntur, illae ipsae esse videntur, quae Salomoni *fuerunt . . . uxores* QUASI REGINAE [15]). Splendidam reginae domum, quae in psalmo describitur [16]), nemo non sentit eam esse, quam Pharaonis filiae Salomon exstruxisse narratur in libris Regum [17]). Munera denique atque obsequia Tyriorum huic reginae exhibita [18]) nihil aliud significant, nisi ea, quae Hiram rex Tyri Salomoni suppeditavit ad domum suam atque uxoris aedificandam [19]). Rationes vero, quibus Rosenmuellerus [20]) Ioannem Henricum Michaelis [21]) sequutus negat psalmum hunc *Salomoni accommodari posse*, eoque nil nisi *Messiae virtutes et laudes . . . celebrari* contendit, nullius momenti sunt, sed neque his refellendis locus nunc est. Quae vero eas inter potissima esse videtur, ex illis huius psalmi verbis desumpta est, quae subiungimus, et ex quibus ea depromere licet, quae sint in rem nostram. Psaltes itaque ita canit: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi. Virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis* [22]); quae Paulus ita transcripsit, ut graeci interpretes reddiderant: *Ὁ θρονος σου, ὁ θεος, εἰς τον αἰωνα του αἰωνος· ῥαβδος εὐθυτητος ἡ ῥαβδος της βασιλειας σου. Ἠγαπησας δικαιοσυνην, και ἐμισησας ἀνομιαν· δια τουτο ἐχρισε σε, ὁ θεος, ὁ θεος σου ἐλαιον ἀγαλλιασεως παρα τους μετοχους σου* [23]). Si nomen *ὁ θεος* **Deus**, quod in utroque versu legitur, sit casu vocativo, nullum alium *κατα ῥητον* hoc nomine designari dicendum est, quam Christum, nec nisi de Christo agi in his duobus versibus. Sin autem sit casu nominativo, non est cur negemus haec *κατα ῥητον* de eo dicta esse, qui canitur in toto psalmo, id est, de Salomone; quo posito Christum *κατα διανοιαν* uterque versus exhiberet. Verum, utrumvis eligas, neutro tamen modo haec satis commode interpretaberis, nisi si ponas Christum ex Salomone genus ducere. Etenim, si primum, quod sane verius est, acceperis, quaerere erit, cur, ubi regnum Salomonis canitur, mentio iniiciatur regni, quod Christo aeternum futurum erat? Nexus quidem seriesque orationis id minime patitur, nisi si pro uno eodemque regno utrumque habeatur. At regnum

---

[1]) *Id.* ib. n. 344. [2]) Ad Dard. ep. CXXIX. § 6. [3]) II Reg. VII, 14; *Patrit.* op. cit. L. II. q. IX. an. 65 seqq. [4]) Hebr. I, 5. [5]) *Patrit.* op. cit. L. I. nn. 84 seqq. [6]) Hebr. I, 8. 9. ex Ps. XLIV, 7. 8. [7]) Ps. XLIV, 2. [8]) Ib. 8 coll. II Par. I, 12. [9]) Ib. 10. 11. [10]) Ib. 14. [11]) Ib. 11. [12]) III Reg. III, 1. [13]) Ps. ib. 15. [14]) Ib. 16. [15]) III Reg. XI, 3. [16]) Ib. 14 hebr. *Rosenmuell.* schol. in h. l. [17]) III Reg. VII, 8—12. [18]) Ps. ib. 13. [19]) Lege III Reg. VII, 1—8. 8—12 coll. 13—14 et IX, 10. 11. [20]) Schol. in Ps. XLV. Argum. [21]) Annotat. uberior. in Hagiogr. T. I. p. 283. [22]) Ps. XLIV, 7. 8. [23]) Hebr. I, 8. 9.

Christi quo iure Salomonis esse dixeris, si Christus ex huius stirpe ortus non est? Sin autem ortus ex huius stirpe est, eodem iure Salomonis esse dicetur regnum Christi, quo Davidis esse dicitur [1]). Quod si alterum tibi magis arrideat, ut ὁ θεός *Deus* sit casu nominativo, sique psaltes Salomonem alloquitur, quid tandem sibi vult imago haec, qua Deus solii vicem exhibet? quem sensum huius imaginis sane audacioris colligere queas? Hunc unum, puto. Solium in hoc loco ita, sicut alibi [2]), dici pro regno, quo iam illa audacia evanescit, et ad liquidum sententia perducitur; sic enim est: *Regnum tuum est Deus ipse, sceptrum est ipsa iustitia,* perinde ac si dictum foret: Non adeo, illud, quo Israelitas regis, ut aliud illo longe sublimius, regnum est, quos ceteros praestas. Quippe regnum tuum Deus, Deus ipse est. Apparet regnum a psalte id vocari, quod caput erat omnium decorum atque ornamentorum Salomonis, atque affirmari praecipuum potissimumque inter haec Salomonis ornamenta ac decora Deum ipsum esse aeternumque futurum; quanam vero de caussa? Scilicet quia ex Salomone ipse Deus exoriturus olim esset.

10 Idem genus est psalmus septuagesimus primus, quo Christum cani gravissimis tum Christianorum tum Iudaeorum auctoritatibus confirmatur, sed et alterius quoque regis laudes eo contineri vel ipsum exordium prodit: *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis* [3]); quas preces pro Christo psaltes fudisse cuinam videatur? Hunc regem Salomonem esse non modo ex titulo discimus [4]), sed ex illo ipso exordio; rex enim regisque filius, qui in eo commemorantur, alii esse nequeunt, quam David et Salomon, quum ipse David huius carminis auctor sit habendus. Etenim haec versui postremo addita leguntur: *Defecerunt laudes David filii Iesse* [5]); quam clausulam ut ad hunc psalmum vere ac recte spectare credam, illud me movet, quod, si aliquis scholiastes commentus eam fuisset, eam adscripsisset psalmo, qui postremus est in psalmis nomen Davidis praescriptum praeferentibus, non autem huic, post quem plures alii hoc nomine inscripti reperiuntur [6]), non pauci, quos Davidem habere auctorem veri plus minusve simile est [7]), aliquot vero, quos certo constat a Davide fuisse exaratos [8]), proinde concludendum est, turbato ordine psalmorum, quod plures rationes factum evincunt, psalmum hunc loco suo amotum fuisse, quod sane facilius accidere potuit, quam ut ultimus alicuius psalmi versiculus psalmo alii adsueretur. Ad haec non pauca sunt in hoc psalmo, quae aetatem signant priorem illa, qua secessio decem tribuum facta fuit. Lege versiculos 8. 11. 16. 17. Iam vero, ut cetera missa faciam, illud: *Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae* [9]), in quantum de Salomone dictum est, si huic inter Christi progenitores locus non esset, nil foret nisi quaedam imago poetica; at, si secus, non minus vere dictum erit de Salomone, quam olim de Isaaco (3).

11 Quid vero sentiendum de precibus, quibus tum David [10]) tum Salomon [11]) Deum sollicitabant, ut ipsi Salomoni praestaret, quod pollicitus fuerat, regnum progeniei Davidis aeternum mansurum? quod sane regnum apparet aliud esse non posse quam regnum Christi. Ex his precibus manifestum fit eos sensisse, Christum ex genere Salomonis fuisse oriturum. Num vero suspicabimur preces istas in cassum cecidisse, speque sua Davidem et Salmonem fuisse frustratos? Si sic esset, quoniam divino afflatu illae preces conceptae fuerunt, dicendus quoque foret Spiritus sanctus has Davidi et Salomoni suggessisse ad id postulandum, quod sibi Deum pollicitum esse ipsi quidem arbitrarentur, non tamen Deus fuisset impleturus. Neque dixeris incertum esse, an preces huiusmodi θεόπνευστοι haberi debeant, quum, etsi afflante Spiritu sancto in sacros codices relatae fuerint, non tamen ex hoc consequatur hoc eodem modo fusas fuisse a Davide et a Salomone; nihil enim te iuvabit id respondisse, nam θεόπνευστος fuit procul dubio is, qui psalmum CXXXI conscribens has ipsas preces fundebat. Sed psalmum hunc attentius consideremus.

12 Psalmi argumentum, sive id, quod psaltes precatur, primus ipse versiculus exhibet: *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis eius*; quibus in verbis emphasis est, David enim nominatur pro pacto seu foedere, quod Deus cum Davide inierat, id autem ex toto psalmi contextu clare apparet. Ea, quae sequuntur, in duas partes distributa sunt, quarum prior [12]), postulandi caussas ipsasque preces complectitur, in posteriore vero proponitur ratio, cur speret psaltes futurum, ut Deus precibus annuat, isque re ipsa annuens inducitur [13]). Quam belle autem altera pars alteri respondeat, harmonica haec, quae infra est, partis utriusque σύνοψις clarius atque expeditus te docebit.

---

[1]) Luc. I, 32. [2]) Ib. [3]) Ps. LXXI, 2. [4]) Ib. 1. [5]) Ib. 20. [6]) Ps. hebr. LXXXVI. CI. CIII. CIX. CX. CXXXI. CXXXIII. CXXXVIII—CXLV. [7]) Ps. hebr. LXXXVI. XCIII. XCVII. CI. CIII. CIX. CXXXIII. CXXXVIII. CXLI—CXLIII. [8]) Ps. hebr. XCV coll. Hebr. IV, 7; XCVI coll. I Par. XVI, 23—33 coll. 7 hebr.; CV coll. I Par. XVI, 8—22 coll. 7 hebr., CX coll. Matth. XXII, 43—45. [9]) Ps. LXXI, 17. [10]) II Reg. VII, 25 coll. 19 et 12—16. [11]) II Par. I, 9; VI, 42. [12]) Ps. CXXXI, 2—10. [13]) Ib. 11—18.

ΣΥΝΟΨΙΣ
Psalmi CXXXI.

Psalmi pars prior	Psalmi pars posterior
Exponitur ratio postulandi, petiturque ex iis, quae Davidi erant in votis, quaeque is Deo promiserat.	Ratio, cur psaltes spe agatur, ex iis petita, quae Deus promiserat Davidi.
v. 2. *Sicut iuravit (David) Domino etc.*	v. 11. *Iuravit Dominus David veritatem etc.*
Quid in votis esset Davidi, quaeque Deo promiserit.	Quid Deus promiserit Davidi.
v. 3. *Si introiero in tabernaculum meum etc* (vv. 3—5.)	v. 11. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam etc.* (vv. 11—12.
Promissa iam praestita dicuntur.	Quomodo Deus Davidem voti compotem fecerit.
v. 6. *Ecce audivimus eam in Ephrata,* *Invenimus eam in campis Silvae.* v. 7. *Introibimus in tabernaculum eius,* *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.*	v. 13. *Quoniam elegit Dominus Sion,* *Elegit eam in habitationem sibi.*
Psaltes iam Deo preces adhibet.	Precibus psaltae annuit Deus.
v. 8. *Surge, Domine in requiem tuam,* *Tu, et arca sanctificationis tuae.*	v. 14. *Haec requies mea in saeculum saeculi,* *Hic habitabo quoniam elegi eam.* v. 15. *Viduam eius benedicens benedicam, etc.*
v. 9. *Sacerdotes tui induantur iustitiam,* *Et sancti tui exultent.*	v. 16. *Sacerdotes eius induam salutari,* *Et sancti eius exultatione exultabunt.*
v. 10. *Propter David servum tuum,* *Non avertas faciem Christi tui.*	v. 17. *Illuc producam cornu David,* *Paravi lucernam Christo meo.* v. 18. *Inimicos eius induam confusione, etc.*

13 Sed iam quaeramus, quid commodi ex isto psalmo sententia nostra capere possit. Liquet psalmum scriptum esse, quum arca Dei alio transferretur [1]), non tamen quum primo translata est ex Bethsameso in urbem Cariathiarim [2]), quo tempore David nondum natus fuerat [3]); sed neque quum ex hac urbe in domum Obededomi [4]), neque quum de domo Obededomi in Civitatem Davidis ipse David eam transtulit [5]), nondum enim, quum haec acta sunt, elegerat *Dominus Sion . . . . in habitationem sibi*, quod tamen psaltes iam factum narrat [6]). Scriptus itaque est psalmus anno undecimo Salomonis regnantis [7]), quum is arcam ex civitate Davidis transtulit in montem Moriam ibique templum, arca in eo reposita, dedicavit. Id autem eo comprobatur, quod preces psaltae [8]) illae ipsae sint, quibus Salomon longiorem illam precationem clausit, quam habuit, quum arca in templo collocata est [9]), quodque in utroque loco arca vocetur ארון עזך *Arca fortitudinis*, quae appellatio numquam alias usurpata legitur, quod denique ex postremis versibus illius precationis apparet historicum, quum illam referebat, hunc ipsum psalmum summatim perstringere voluisse [10]). Quae quum ita sint, licet neges psalmi auctorem esse ipsum Salomonem, quod tamen, quum plura sunt et gravia, quae credere suadent, tum nihil est, cur negare oporteat, id tamen dare omnino debes, de Salomone loqui psaltem, et pro Salomone preces fundere huncque esse, quem *Christum Dei* ille vocat [11]); neque enim hunc Christum putabis esse Iesum, pro

[1]) Ib. 6. 7. 8. 13. 14. [2]) I Reg. VI, 21 — VII, 1. [3]) Confer. ib. VII, 2 et VIII, 5 — XI, 1 et Act. XIII, 21 et II Reg. V, 4. [4]) I Par. XIII, 1—14. [5]) Ib. XV, 25 — XVI, 1. [6]) Ps. CXXXI, 13. Conf. ll. cc. cum I Par. XXI, 18. 26. 28; et XXII, 1. 2 et II Par. III, 1. [7]) III Reg. VI, 38 coll. 1. [8]) Ps. cit. 8—10. [9]) II Par. VI, 41. 42. [10]) Conf. II Par. VI, 42 cum Ps. CXXXI, 1. [11]) Ps. cit. 10.

quo psaltem precatum esse ac postulasse, ne Deus huius preces aversaretur [1]), idque interposito Davidis merito, quis animum inducat, ut suspicetur? Caput autem precationis, quod psalmi argumentum est, ut iam animadvertimus, proponitur in primo versiculo his verbis: ***Memento, Domine, David***, quae in libro paralipomenon sic sunt: ***Memento misericordiarum David*** [2]), id est, quod Davidi promiseris Christum ex eius stirpe exoriturum atque aeternum regnaturum, hoc enim sonat nomen ***misericordiae***, quoties in scripturis ea commemorantur, quae Deus Davidi promiserat, qua de re egimus in nostra dissertatione de vaticinio Nathanis [3]). Petit itaque psaltes, ut Deus Salomoni hoc ipsum praestet, quod Davidi promiserat, idque petit ex afflatu Spiritus sancti, eodemque Spiritu preces suggerente. Confidit fore, ut, quod petit, exoret, ratio autem fiduciae ipsi est Dei promissio iureiurando firmata [4]); quae promissio nisi ad Salomonem quoque pertineret, falso rationem illam psaltes protulisset. Inducit denique Deum ipsum votis annuentem [5]), sed et hoc falso, nisi Salomoni id, quod postulabatur, Deus re vera concessisset; maxime quum ipsa Dei verba significent effecturum sese, ut Christus ex Salomone exoriatur. Etenim verba: ***Illuc producam cornu David***, ut alias edisseruimus [6]), Christum Davidis filium significant. Quae significatio illustrari porro potest, si comparetur cum his, quae in Ezechiele leguntur: ***In die illo pullulabit cornu domui Israel*** [7]), de quibus ita Rosenmuellerus: ***Prudenti autem lectori vix dubium erit, nostrum*** Ezechielem ***hoc loco spectasse magnum illum regem ex stirpe davidica oriundum, quem . . . Iudaei ab antiquissimis inde temporibus sperarunt, sperantque etiamnum*** [8]). Ea vero, quae sunt in altero hemistichio: ***Paravi lucernam Christo meo***, quamvis nomen ***lucernae*** alias felicitatem universim sonet [9]), idem tamen ac superiora valere docet tum poeticus membrorum parallelismus [10]), tum totius psalmi argumentum, confirmantque aliae quoque scripturarum sententiae in quibus haec ***Davidis lucerna*** ita commemoratur, ut aliud nequeat significare. Si enim aliud, quidnam illud, nisi regnum Iudaeae, quod Deus posteris Davidis perpetuo mansurum promiserat? Verum id promiserat hac conditione, si legibus obtemperarent, suaque mandata facesserent, ***lucerna*** vero illa perpetuo duraturo sine ulla conditione promittitur [11]), atque adeo, ubi posteri Davidis conditionis non observatae coarguuntur, ut locus esset potius praedicendi fore, ut haec lucerna extingueretur, siquidem numquam interiturum regnum Iudaeae significaret, utpote quod sub illa conditione promissum iis fuerit; quum igitur contra fiat, unaque et Iudae regibus Davide ortis gravissima peccata exprobrentur, et Deus dicatur noluisse ***disperdere domum David propter pactum, quod inierat cum eo, et quia promiserat, ut daret ei*** LUCERNAM ***et filiis eius omni tempore*** [12]) illud consequitur, ut ***lucerna*** aliud sonet ac Iudaeae regnum. Quod si adhuc de hac re dubitas, fac memineris auctorem paralipomenon haec scripsisse longo tempore postquam regnum Iudaeae posteris Davidis ablatum ac funditus eversum fuerat [13]). Itaque haec ***lucerna***, aeque ac ***cornu Davidis***, nihil aliud indicant, quam decus, quod Davidis progeniei Christus ex ea oriturus atque aeternum regnaturus olim afferret. Atqui Deus in ultimo hoc psalmi versiculo promittit se tale decus collaturum ***Christo suo***, Salomoni videlicet, ut apparet ex comparatione huius et versiculi decimi. Sanum igitur ac salvum est Salomoni ius, ut Iesu Christi progenitoribus adnumeretur.

14 Huic rei comprobandae, praeter auctoritatem scripturarum, praesto quoque est auctoritas patrum atque etiam Iudaeorum. Etenim ex patribus, quin vel unum praeter Ioannem Damascenum [14]), reperias, quem secus sensisse constet, sunt imo, qui nobis aperte adstipulantur ut Origenes [15]), Eusebius [16]), Heracleotes [17]). Iudaei autem inter tredecim ***fundamenta fidei***, quae vocant, hoc etiam habent, ut eos credere oporteat Messiam ex Salomone exoriturum esse [18]). Denique, si non ex Salomone sed ex Nathane alio Davidis filio Christus exoriri debuisset, incommoda nonnulla ex hoc consequerentur, verbi caussa, quod Christus non esset ex stirpe regum, quod maxima ex parte Interet nos historia prosapiae Christi, tametsi vix credibile sit eam silentio fuisse praeteritam, quod minime appareret caussa, cur, quum tam magna narrentur atque dicantur de Salomone, nil de rebus Nathanis praeter nomen iterum [19]) aut tertio fortasse [20]) commemoratum legamus.

---

[1]) Ib. coll. III Reg. II, 16. 17. 20 hebr. [2]) II Par. VI, 42. [3]) *Patrit.* op. cit. L. II. q. IX. nn. 73–82. [4]) Ps. cit. 11. [5]) Ib. 17 coll. 10. [6]) *Patrit.* loc. cit. nn. 24. 25. [7]) Ezechiel. XXIX, 21. [8]) Schol. in Ezech. ad h. l. [9]) II Reg. XXI, 17; III Reg. XV, 4; Iob. XVIII, 6; XXI, 17. [10]) *Patrit.* op. cit. Lib. I. c. VI. reg. IV. § 6. [11]) III Reg. XI, 36; IV Reg. VIII, 19 coll. II Par. XXI, 7. [12]) II Par. XXI, 7. [13]) II Par. XXXVI praesertim vv. 21–23 et I Par. III, 17–24. [14]) De fide orth. L. IV. c. 14. [15]) In Luc. hom. XXVIII ex interpretat. *Hieronymi.* [16]) In Ps. LXXI, 2. [17]) In Catena patrum graecorum a *Corderio* edita in Ps. LXXI, 7. 17. [18]) *Maimonides* Comment. in Sanhedrin. c. 11. Fundam. XII. [19]) II Reg. V, 14; I Par. III, 5. [20]) Zach. XII, 13.

PARS II

Negantia refelluntur.

15 Iesum Christum non ex Salomonis, sed ex Nathanis sanguine procreatum esse qui omnium primus dixerit, vel Ioannes Damascenus fuit, vel quisquis ille est, quem nomine Philonis [1]) nobis venditavit Annius Viterbiensis, et cuius narrationibus id pretium est, quod ceteris annianis mercibus. Hoc ipsum tamen cum Grotio [2]) acriter defenderunt Petrus Possinus [3]) eumque sequuti Daniel Papebrochius [4]) et Franciscus Antonius Zaccaria [5]). Sed et praeter istos sententiae huius patronis omnes licet adnumerare, quotquot autumarunt, non Iosephi, sed Ioachimi genealogiam a Luca esse descriptam; quo in numero sunt plerique Protestantes. Duobus autem potissimum argumentis hi nos oppugnant. Horum alterum petunt ex iure, quod, iis conditionibus, sub quibus Deus praedixerat se praestiturum esse, quae Davidi promiserat, quum Salomonis posteri stare neglexerint, promissis eos excidisse merito putandum sint. Alterum depromunt ex facto ipso, quod vaticiniis editis a Ieremia contra Ioakimum [6]) huiusque filium Iechoniam [7]) praenuntiatum sit fore, ut hi prole destituerentur. Verum neutro ex capite quidquam negotii nobis est, aut esse potest.

16 Etenim Davidi Deus pollicitus fuerat duplex regnum eius soboli mansurum, alterum caeleste atque aeternum (5), quod Christus Davide prognatus nunc obtinet, alterum, quod alii Davidis nepotes deinceps in Iudaea obtinuerunt, id quoque perpetuo duraturum, sed *κατα τι*. Illud simpliciter Davidi promissum fuit, nullaque imposita conditione, non modo ipsi Davidi, quod omnes ultro concedunt, sed neque huius posteris, quod negant Possinus ac ceteri, hoc vero sub ea conditione, si Davidis posteri fidem Deo datam servassent; hoc autem ipso, quod alteri huius promissionis parti conditionem apertis verbis Deus adposuerit, non item primae, compellimur credere nullam primae fuisse adpositam [8]). Hoc totum patet legentibus Nathanis vaticinium (3), ad quod exigenda est interpretatio ceterorum locorum, in quibus est de illa conditione, quique tamen, licet unumquodque eorum per se ipsum consideres, nil praeferunt, unde suspicio oboriatur rem secus se habere, quam diximus. Sed haec capita paucis enarrare praestat.

17 David morti proximus Salomonem filium hortatus est ad obtemperandum divinis legibus hanc afferens rationem: *Ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est* DE ME, *dicens*: SI *custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint coram me . . . , non auferetur* TIBI *vir de solio Israel* [9]). Agi hic de quadam regum serie deque regno, quod in Iudaea habuerunt posteri Davidis, non autem de regno Christi, verba haec ipsa satis ostendunt, idque ideo etiam, quia his non additur IN AETERNUM aut quid simile, ut fit, ubi Christi regnum Davidi promittitur. Apparet insuper haec a Davide referri, ut sibi ipsi promissa, non autem ut posteris suis, ideoque, etiam in quantum ipsi Davidi promissa fuerunt, sub conditione fuerunt; non igitur dicta esse possunt de regno Christi aeterno, quod regnum ex ea parte, quatenus Davidi promissum fuerat, nulli conditioni fuisse obnoxium nemo infitiatur. Denique, si ille *vir* esset Christus, huius regnum, quantum ea verba sonarent, dicendum foret a moribus filiorum Davidis pependisse, neque ex Davidis stirpe Christum fuisse exoriturum, nisi si illius nepotes probe vixissent, quumque horum plerique improbe vixerint [10]), nec eo secius Christus ex stirpe Davidis ortus sit, concludere oporteret illam conditionem ficte aut frustra a Deo latam esse. Iisdem fere verbis, ac David, illa promissa illamque conditionem Salomon persequutus est [11]); proinde haec in eumdem sensum, ac Davidis verba, sunt accipienda. Legimus praeterea conditionem hanc a Deo dictam, quum primo Salomonem est alloquutus [12]); verum nil tunc nisi longos vitae dies huic pollicitus est. Quum autem secundo id faceret, regnum *sempiternum* utique ei spopondit sub illa conditione [13]); attamen non hoc esse regnum Christi, nec nisi *κατα τι sempiternum* vocari, manifesta ratione colligimus. Primo enim Deus ipse promissionem hanc explicavit haec subiiciens: SICUT *locutus sum Davidi patri tuo dicens*: *Non auferetur tibi vir de solio Israel* [14]); horum autem, quae Deus Davidi dixerat, quinam sit

---

[1]) Breviar. tempor. L. II. [2]) In Luc. III, 23. [3]) Diallactic. theogeneatog. cc. 25. 26. 42. 43. [4]) Acta sanctorum Martii T. III Commentar. hist. de s. Iosepho. § VI et in Propylaeis Maii Dissert theogeneatog. § VI. [5]) Raccolta di dissertazioni T. I. Diss. V Sulla doppia genealogia di Cristo. [6]) Ier. XXXVI, 30. [7]) Ib. XXII, 30. [8]) *Patrit.* op. cit. Lib. II. quest. IX. nn. 80. 82. 90. [9]) III Reg. II, 4. [10]) Eccli. XLIX, 5–9. [11]) III Reg. VIII, 25; II Par. VI, 16. [12]) III Reg. III, 14. [13]) III Reg. IX, 4. 5; II Par. VII, 17. 18. [14]) III Reg. IX, 5 hebr. coll. II, 4.

sensus, modo vidimus. Tum, quid progenies Salomonis sibi exspectaret illa conditione minime observata, ipse item Deus continuo praedixit, gentis videlicet exterminium, templi eversionem, regionis vastitatem, cetera, quae regni iudaici interitum comitata sunt [1], nil vero de Christo ex alia quam Salomonis familia exorituro. Alias haec ipsa sibi a Deo de Salomone filio promissa David ita retulit: *Dixitque mihi* (*Deus*): *Salomon filius tuus aedificabit domum meam et atria mea;* IPSUM ENIM *elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem. Et firmabo* REGNUM *eius usque in aeternum, si perseveraverit facere praecepta mea* [2]). Sed istud regnum non aliud erat, quam regnum Iudaeae, regnum enim Christi indicant potius illa verba *ipsum enim elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem*, in quantum his ipse Christus ex Salomonis stirpe progignendus praesignificatur (4. 8); eaque cum superioribus connectuntur per voculam *enim*, utpote quod horum rationem reddunt, nullo autem modo pendent a conditione, quae subiicitur. Sed, quod caput est, David haec pronuntiavit quum Salomoni filio regnum testamento legabat coram cunctis regni primoribus [3]); quo ergo de regno eum loquutum esse putemus? Nonne de Israelitarum? Legitur haec conditio etiam in psalmo CXXXI, eaque in codicibus hebraicis sic est: *Si custodient filii tui foedus meum et testimonia mea haec, quae docebo eos, et filii eorum usque in aeternum, sedebunt super solium tibi* [4]); ubi tamen quum verba *in aeternum* seiuncta sint a *sedebunt*, iam non est cur hoc *solium* putetur idem esse ac regnum Christi, maxime quod Christi regnum perspicue significent illa *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [5]), quam promissionis partem praedicitur numquam futurum, ut Deus non impleat: ולא ישוב ממנה *et non regredietur ab ea* [6]), non tamen simul ulla conditio dicitur. Quod si minus tibi arrideat illa interpunctio, quae est codicum hebraicorum, mallesque coniungere verba *in aeternum* verbo *sedebunt*, non obluctabor, dummodo attendas, ut non *unus* aliquis ex posteris Davidis, sed *plures* sessuri in huius solio dicantur; quod quidem manus victas dare te cogit ac nobiscum infitiari hoc *solium* in hoc loco esse regnum Christi. De illis denique, quae leguntur in psalmo LXXXVIII, non est cur disputemus, quum sint veluti paraphrasis eorum, quae Nathan vaticinatus est [7]), nec quidquam difficultatis prae se ferant, quod nequeat iis, quae hactenus enarrata sunt, illustrari. Horum autem omnium locorum sententiam eam esse, quam exposuimus, illamque conditionem pertinere solummodo ad regnum, quod Davidis posteri in Iudaea obtenturi erant, porro confirmes tum eo, quod conditionem exsequi negligentibus nullae aliae poenae intententur praeter templi, urbis, ac gentis vastationem, regnique interitum [8]), tum facto ipso, quod illi reges Davidis nepotes ob perditos ipsorum mores tales poenas re vera dederint, quas autem illorum singulis prophetae saepius praenuntiaverant, quin quidquam adderent de Christo ex alia, quam eorum stirpe, exorituro, tum denique quia scriptores sacri illam promissionem, cui adiuncta erat conditio, subinde ita commemorarunt, ut quae ad populum universum spectaret, eaque Deus Israelitis conditionem observantibus perpetuum regionum suarum dominium spopondisset [9]).

18 Si itaque Davidi Deus sine ulla conditione promisit fore, ut eius progeniei, id est, Christo ex ipso exorituro, regnum aeternum maneret, neque in ullo scripturarum capite quidquam legimus, quo vel suspicemur illud quidem promissum fuisse sub conditione, quae tamen, non ipsum Davidem, sed eius nepotes attingeret, quonam iure tale quid comminiscamur?

19 Sed, quod attinet ad Salomonem, alia sunt, quae directe eo tendunt, ut comprobent Salomoni simpliciter et sine ulla conditione stetisse hoc decus, ut Christus ab ipsius nepotibus procrearetur. Nam, quae de origine deque regno Christi Davidi sine ulla conditione promissa legimus in libro secundo Regum [10]), ea relata sunt in librum primum paralipomenon ut Salomoni ipsi adhuc orituro promissa [11]); quod quidem quid aliud est, nisi dicere in Salomone eiusque progenie haec implenda omnimodis, quae Davidi promissa fuerant? Cui rationi momentum accedit praegrandi ex eo, quod de aetate paralipomenon superius (13) animadvertimus [12]). Ex hac autem ipsa ratione aliud consequitur, quo simul eadem illustratur ac robur concipit. Etenim, quod olim sine conditione ulla promisimus, non est, cur denuo promittamus; at numquam non opportune promissio iteratur certis quibusdam conditionibus affecta, quo is, cui promisimus, admoneatur, ut illas observet. Iam vero quum denuo post Davidis obitum ea Salomoni Deus promisit, nihil dixit de Christo ab eius stirpe originem ducturo. Cur vero? Hoc nimirum, quia maximum istud decus Salomoni manebat a Deo decretum

---

1) III Reg. IX, 6—9; II Par. VII, 19—22. 2) I Par. XXVIII, 6. 7. 3) Ib. 1. 4) Ps. CXXXI, 12. 5) Ib. 11. 6) Ib. 7) Conf. Ps. LXXXVIII, 31—38 cum II Reg. VII, 14—16. 8) LL. cc. 9) IV Reg. XXI, 7. 8. 10) II Reg. VII, 16. 11) I Par. XVII, 14. 12) *Patrit.* op. cit. L. II. q. IX. n. 90.

confirmatamque iis promissionibus, quas Dei ipsius nomine Nathan vaticinans Davidi retulit, et quibus nulla conditio adiuncta erat; quae si fuisset adiuncta illud quoque decus iterum iterumque Salomoni promissum legeremus non secus ac regni perpetuitatem in gente Israelitarum. Quid autem si et illud addidero, iis promissionibus, quae ad regnum dumtaxat israeliticum attinebant, ita conditionem adiunctam fuisse, ut poena iis, qui hanc negligerent, infligenda ipsum Salomonem minime attingeret, sed solum huius posteros? Facta procul dubio sententiam nostram confirmant. Quum enim Deus Salomonem increparet, quod conditionibus non steterit, haec in eum edixit: ***Disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo.*** VERUMTAMEN IN DIEBUS TUIS NON FACIAM, PROPTER DAVID PATREM TUUM; DE MANU FILII TUI SCINDAM ILLUD [1]); utque ita re ipsa factum est. Neque aliter credere suadent illi omnes loci scripturarum, in quibus hae promissiones descriptae sunt. Si ergo illa poena Salomoni haudquaquam infligenda erat, aut saltem, quod certo constat, inflicta non est, cur aliam longe graviorem inflictam autumemus, ut ex albo proavorum Christi deleretur?

20 Quin facile intelligas oppositae sententiae patronos eo quoque falli, quod ponant ita conditiones latas a Deo fuisse, ut, simul ac ii, qui has non observassent, promissis excidebant, alii e posteris Davidis in illorum locum ac iura succederent. Atqui hoc oppido falsum. Nam, quemadmodum regnum Israelitarum solis posteris Salomonis traditum a Deo fuerat, quod verba Nathanis manifestum faciunt, ita ius nullum in illud reliqua Davidis progenies habere potuit, quo in Salomonidarum locum substitueretur. Deus autem id unum futurum praedixerat, ut conditione a Salomonis posteris non observata regnum his adimeretur, atque omnino aboleretur, non vero ut transferretur ad alios Davidis nepotes in locum priorum sufficiendos; remque sic se habere, ut dicimus, facta ipsa testantur. Imo, etiamsi defendere velis non ad unos Salomonidas, sed ad universam Davidis progeniem divinas promissiones conditionemque his adiunctam pertinuisse, proinde etiam ad Nathanitas, nihilo tamen secius firma manet sententia nostra. Si enim toti progeniei in universum conditiones dictae sunt, ubi hae minime observatae fuerunt, toti quoque regnum adimi universim, neque vero hoc adempto Salomonidis Nathanitas his substitui necesse fuit. Nimirum rideres eum, qui putaret has promissiones conditionesque ad singulos Davidis nepotes ita spectasse, ut ex his improbus quisque regno excideret, ac probus succederet ad eum finem, quoad nullus iam ex Davidis stirpe superesset. Neque illud praeteribo, quod, etsi verum foret, quod ponunt adversarii, nemo tamen facile credet, quum fere omnes Salomonidae adeo perdite sese gesserint, ut regno tandem pulsi fuerint, solos Nathanitas labe immunes repertos esse atque adeo dignos, ad quos regnum deveniret.

21 Denique, quod apprime attendamus, necesse est, eo maxime aberrant Possinus eiusque collegae sententiae, quod autument Christi procreationem ius veluti quoddam fuisse, quod una cum regno ac cetera hereditate paterna ac eodem prorsus pacto, quo haec, filiis et nepotibus Davidis ita obveniret, ut, si aliqua horum linea deficeret, ad aliam item cum regno et hereditate foret transferendum; verum, quum nihil legimus, quod suadeat credere rem sic se habuisse, tum ipsa divinarum promissionum verba istud commentum abunde refellunt, ostenduntque ius illud, si ius vocari potest, distinctum prorsus fuisse minimeque dependens a cetera hereditate.

22 Hactenus de iure disputatum est, nunc ad ipsum factum veniamus. Aiunt enim Iechoniam Ioakimi filium perinde, ac Ieremias in eum [2]) inque eius patrem [3]) vaticinans futurum praedixerat, ἄπαιδα decessisse; quumque nemo alius ex progenie Salomonis superesset, in huius locum progeniem Nathanis fuisse suffectam, cui Deus ea solveret, quae olim Davidi pollicitus fuerat, atque hanc esse illam ***commutationem Christi*** commemoratam in psalmo LXXXVIII, 52, ipsumque psalmi totius argumentum [4]). Enimvero plurima et grandia sibi sumunt adversarii nostri; verumtamen ne unum quidem inter ea est, quod, ex facili adducar, ut mea voluntate concedam.

23 Etenim id vetat primo certissima πρόληψις, qua efficitur haec omnia esse commentitia. Utrum enim dicemus, promissum fuisse Salomoni Christum ex eius stirpe oriturum, an non? Si non, qui tandem Ioakimo et Iechoniae id decus adimi potuit, quod numquam habuissent? sin promissum, cur poena posterorum culpis reddita in ipsum auctorem generis recidisset, ut ob eas promissis excideret? Respondent, quia promissa recepturus non erat, nisi sub conditione. At hoc falsum esse iam evicimus.

24 Qui Iechonian ἄπαιδα abiisse narrant, iure putabis eos priora capita paralipomenon neque obiter legisse, in quibus octo saltem γενεάς ex Iechonia deductas numeramus; qua de re inferius [5])

---

[1]) III Reg. XI, 11. 12. [2]) Ierem. XXII, 30. [3]) Ib. XXXVI, 30. [4]) *Possinus* op. cit. cc. 42. 43. [5]) Cap. XIV.

disseremus, ubi simul declarabimus Ieremiae vaticinia, quae nobis solent opponi [1]), itemque psalmum LXXXVIII [2]). Sed interea esto, quod volunt, Iechonias filium nullum post se reliquerit. Quo tamen argumento nobis probabunt totam Salomonis progeniem una cum Iechonia interiisse? Urgent illi clades, quas haec passa est. Ioram enim, inquiunt, Iosaphati filius omnes fratres suos interfecit [3]). Omnes Iorami filios, excepto Ochozia, occiderunt latrones Arabes [4]), horum autem filios ipsumque Ochoziam sustulit Iehu rex Israelitarum [5]). Filios Ochoziae omnes ad unum, praeter Ioasum omnium minimum, necavit Athalia, imo *omne semen regium*, vel, ut est in hebraicis codicibus, *omne semen regni*, id est, *omnem stirpem regiam domus Ioram* interfecisse ea dicitur [6]). Achaz et Manasses suos proprios liberos combussere [7]). Praeter Iechoniam nullos alios Iosiae nepotes commemorant scriptores sacri, nisi filios Sedeciae, quos [8]) Nabuchodonosor, patre eorum capto, simulque omnes primores Iudaeorum morte mulctavit [9]). Verum ipsa scripturarum lectio credere vetat has caedes ad internecionem usque omnium Salomonidarum desaevisse. Neque enim legimus una cum fratribus horum quoque filios fuisse interemptos. Quid de combustis filiis Achazi et Manassae sentiendum sit, ubi locus erit [10]), aperiemus. Quum Nabuchodonosor Sedeciae filios ac primores Iudaeorum sustulit, iam a pluribus annis, quum magna horum pars, tum regiae stirpis [11]), Babylone morabantur, quo primum regnante Ioakimo [12]), tum una cum Iechonia abducti fuerunt [13]). Quod si scripturae nullos exhibeant Iosiae nepotes praeter Iechoniam ac Sedeciae filios a Nabuchodonosore necatos, non hac re concludere est nullos alios re ipsa fuisse praeter hos. In scripturis enim non omnes regum filii enumerantur, nisi Davidis [14]), Iosaphati [15]) et Iosiae [16]); aliorum vero regum filii vel aliqui nominantur, velut Roboami [17]), vel in universum plures fuisse dicuntur, veluti eiusdem ipsius Roboami [18]), Abiae [19]), et Ioasi [20]). Ceterum Iudaeorum regibus plurimos fuisse filios conicere est ex plurimis uxoribus, quas ducebant; Salomon enim septingentas babuit [21]), Roboam decem et octo, ex quibus *genuit viginti octo filios, et sexaginta filias* [22]), Abias, *quatuordecim, procreavitque viginti duos filios, et sedecim filias* [23]), ipsumque Iechoniam plures uxores habuisse constat [24]). Quae quum ita sint, illud consequitur, probari merito nemini neo veri simile fieri posse unum Iechoniam ex tota Salomonis progenie superfuisse. Hoc autem commento semel refutato iam cardo ipse convellitur, in quo tota vertitur adversariorum sententia.

CAPUT X

De tribus regibus a Matthaeo omissis.

1 Matthaeus ita ait: *Ioram autem genuit Oziam* [25]), qui et Azarias dictus est [26]); attamen illud indubium, quod *Ioram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Ioas, et huius Amasias filius genuit Azariam* [27]) qui idem Ozias nomen habuit. Desunt itaque isti tres reges in genealogia a Matthaeo descripta. Qua de re duae sunt quaestiones.

PARS I

Num historiae veritati quid depereat hac praetermissione.

2 Primum, quod quaeritur, est, num ob hanc rem Matthaei narratio minus vera putanda sit. Nempe, si sic esset, nullum scriptorem historiarum veracem haberemus, nullus enim est, qui omnia narret, omnes vero plurima omittant, eaque referant solummodo, quae referenda nutumant secundum eam *μεθοδον* eamque narrationum formam atque amplitudinem, quam sectantur, pro eo ac illa consilio suo conducunt. Quodnam Matthaeo consilium fuerit in evangelio scribendo, satis declaravimus [28]), videlicet ut Iesum esse Messiam Iudaeis probaret; quare huius origo ex Davide ducta praetereunda minime erat. Quum tamen nobilissima omnium inter Iudaeos esset Davidis progenies, proinde nemo

---

1) Ib. nn. 2—12. 2) Ib. nn. 13—16. 3) II Par. XXI, 4. 4) Ib. 17; XXII, 1. 5) IV Reg. IX, 27; X, 14 coll. II Par. XXII, 8. 6) IV Reg. XI, 1; II Par. XXII, 10. 7) IV Reg. XVI, 3; XXI, 6; II Par. XXVIII, 3; XXXIII, 6. 8) IV Reg. XXV, 7. 9) Ierem. XXXIX, 6; LII, 10. 10) Cap. XI. n. 5. 11) Dan. I, 3; Baruch. I, 4. 12) Dan. I, 1—3. 13) IV Reg. XXIV, 12. 14; Ier. XXIX, 2. 14) I Par. III, 1—9. 15) II Par. XXI, 2. 16) I Par. III, 15. 17) II Par. XI, 19. 20. 18) Ib. 21. 19) Ib. XIII, 21. 20) Ib. XXIV, 3. 21) III Reg. XI, 3. 22) II Par. XI, 21. 23) Ib. XIII, 21. 24) IV Reg. XXIV, 15. 25) Matth. I, 8. 26) II Par. XXVI, 1 coll. IV Reg. XIV, 21. 27) I Par. III, 11. 12. 28) Lib. I. c. I. q. IV.

eam ignoraret, quumque omnibus iam notum esset Iesum ex Davide genus ducere [1]), haudquaquam necesse habuit Matthaeus *ἀποδεικτικα* promere huius rei argumenta, sed satis fuit eum summatim enarrare, sicut fecit. Neque secus ceteri historici egerunt, non modo sacri, ut Esdras [2]) et scriptor Iudithae [3]), sed et alii, ut scriptor libri quarti Esdrae [4]) et C. Solinus Polyhistor, qui [5]) e viginti duobus Macedoniae regibus, quot ad Alexandrum usque in ea regnarunt, octo, non plures, nominat, Caranum omnium primum, Alexandrum postremum, sexque intermedios, nec tamen ideo minus verax habetur.

3 Neque maius negotium praebet verbum *genuit* in hoc loco usurpatum. Vim enim et significationem verborum ex usu pendere, *quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi* [6]), nemo negabit. Usus autem huius verbi quam late pateat in aliqua lingua, recte intelligi posse videtur ex usu nominum *patris* et *filii*, quum notio verbo *gigno* subiecta fundamentum sit eius *σχεσεως*, quae est inter patrem et filios. Iam vero Hebraei quoslibet posteros etiam remotissimos nomine *filiorum*, maiores vero *patrum* nomine designabant. Prioris appellationis exempla affatim suppeditant ipsum initium huius evangelii ac tantum non omnes libri scripturarum sacrarum [7]), neque multo rariora sunt exempla appellationis alterius [8]). Si igitur nomina haec *pater* et *filius* tam late potent in Hebraeorum sermone, cur verbum *genuit* minus putere credamus? Quumque Deus nos de nihilo creasse dicatur, etsi non ipsum corpus, sed materiem, ex qua corpus compingitur, de nihilo eduxerit, cur non aeque dici queant avus, proavus, abavus, atavus, nepotem, pronepotem, abnepotem, atnepotem, genuisse, quum eum genuerint, a quo reliqui alius ex alio originem ducunt? Atqui talis huius verbi usus est in libro geneseos, ubi, post enumeratos Liae, non modo filios, sed etiam nepotes, clausula haec subiungitur: *Hi filii Liae, quos* GENUIT *in Mesopotamia* [9]).

PARS II

Cur isti tres omittantur.

4 Si rationem quaeras huius praetermissionis, primo, velim, animadvertas probabile omnino esse alios quoque in hac genealogia a Matthaeo fuisse praeteritos, tum ante Davidem, ut in alio loco diximus [10]), tum etiam post Zorobabelem, quum inter hunc et Iosephum Matthaeus novem non aplius *γενεας* enumeret, tametsi Lucas dnplum. Duo autem quaestio complectitur; cur tres omiserit Matthaeus, cur hos potius quam alios. Utraque tamen quaestio ex eo genere est, quod genus quaestionibus nisi coniectando, nemo respondeat; ideoque diversa apud diversos legas.

5 Recentiorum opinio est, quam acriter defendit Possinus [11]), et post eum Papebrochius [12]), Lamy [13]), Zaccaria [14]), alii, hos tres reges omissos esse, quod eorum nomina de publicis tabulis ob ipsorum impietatem abrasa fuerint. Cui tamen opinioni haec opponi posse videntur. Nullum in totis bibliis exemplum reperiri, ex quo appareat huiusmodi poenam irrogari solitam aut cuiquam fuisse irrogatam. Neminem veterum reperiri, qui talem huius praetermissionis caussam memoriae prodiderit. Neque intelligi, cur horum nomina publicis tabulis erasa fuerint, non autem aliorum, qui aeque ac longe magis peccarunt, verbi caussa, Iorami, Achazi, Manassae; neque enim huius rei rationes, quas congerit Possinus [15]), facile accipere hisque contenti esse possumus. Tandem quid tabulae illae publicae fuerunt? Si quid simile ens putes esse Fastorum romanorum, sicut putat Possinus [16]), verenr, ut, quo vincas huiusmodi tabulis Iudaeos usos esse, illud satis futurum sit, quod quaedam gentes iis usae fuerint; neque tamen praeter hoc aliud argumentum ille deprompsit. Sin vero istae tabulae non aliud fuerunt, quam libri, aliave huiusmodi monumenta, in quae omnium nomina per gentes ac familias disposita referebantur, non modo veri similia nemini fiet, sed nemo non sentiet, ut a veritate prorsus abhorreat Possini atque aliorum opinio, siquidem noverit, quanta diligentia, quidquid ad uniuscuiusque genus pertineret, in eas tabulas Iudaei referrent, quod tunc potissimum observasse credendi sint, quum de regibus deque

---

[1]) Ib. n. 25. [2]) I Esdr. VII, 3 coll. I Par. VI, 7—11. [3]) Iudith VIII, 1 coll. I Par. V, 3 seqq. [4]) IV Esdr. I, 2 coll. I Par. VI, 7—11. [5]) Thesaur. c. 14. [6]) *Horat.* Art. poet. v. 72. [7]) Genes. X, 20. 31; XXIII, 7; XXXV, 19; XLVI, 15. 22; Ex. I, 7; Num. I, 22—45; XXI, 24; XXXVI, 12—51; Deut. II, 8. 9; Ios. VII, 24; I Reg. IX, 21 coll. 1. 2; IV Reg. IX, 20 coll. 2 etc. [8]) Genes. X, 21; XIX, 37. 38; XXVIII, 13; XXXVI, 43; III Reg. XV. 3. 11. 24; I Par. VII, 22; XXIV, 19; Ps. CV, 17; Is. LI, 2; LVIII, 14. [9]) Genes. XLVI, 15. [10]) Cap. VIII. n. 4. [11]) Diallact. theogenealog. cc. 27. 28. 29. 30. [12]) Acta sanctor. Martii T. III Commentar. histor. de s. Ioseph § VI, et Propyl. maii Dissertat. theogenealog. § VI. [13]) Comment. in harmon. L. I. c. 6. v. 7. [14]) Raccolta di Dissertazioni T. I. Diss. V sulla doppia genealogia di Cristo. [15]) Op. cit. c. 30. [16]) Ib.

Davidis genere agebatur. Quid quod in libris paralipomenon, qui genealogias ex illiusmodi monumentis exscriptas habent, illa tria nomina cum ceteris leguntur?

6 Existimant alii istos reges ab ipso Matthaeo ex Christi prosapia pulsos veluti fuisse, ob ipsorum improbitatem. Quod tamen si simpliciter, ut sonat, intelligatur, alii obsistent nec pauci, nec minus improbi, quos tamen Matthaeus inter Christi proavos recepit; atque illud quoque oberit, quod duo de illis tribus omissis, Ioas et Amasias, non sine laude in scripturis commemorentur [1]), quod paucis sane contigit.

7 Quocirca Hieronymo assentiendum omnino esse arbitror ita scribenti: ***Quia evangelistae propositum erat tres tessarescedecades in diverso temporum statu ponere, et Ioram generi se miscuerat impiissimae Iezabel, idcirco usque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctae nativitatis ordine poneretur*** [2]). Matthaeo enim illud re vera fuisse propositum, ipse nos docet [3]); quanam autem de caussa, alias quaeremus. Necesse igitur erat, ut *γενεας* aliquot praeteriret. Cur vero has praeterierit potius, quam alias, rationem nullam proferes ea veriorem, quam Hilario adsentiente [4]) petit Hieronymus ex consanguinitate, qua illi tres reges domui Achabi regis Israelitarum coniuncti fuerunt [5]). Etenim Achab ***fecit . . . malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum . . . irritans Dominum Deum Israel super omnes reges Israel, qui fuerunt ante eum*** [6]), imo ***non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, ut faceret malum in conspectu Domini*** [7]), adeo, ut scriptores bibliorum probro verterent impiis quibusdam regibus Iudaeorum, quod ***ambulaverint in viis domus Achab*** [8]), idque etiam post longiorem aetatem [9]). Hinc excidium huius domus a Deo decretum [10]) perfectumque [11]), atque etiam regibus Iudaeorum, utpote morum Achabi imitatoribus, intentatum [12]). Quin ipsum Hierosolymae eversionem, ipsumque gentis exterminium et captivitatem impietati Achabi acceptam referre Iudaei debuerunt, in quantum haec omnia in eos ingruerunt potissimum ob peccata Manassae [13]), cui illud scripturae sacrae exprobrant, quod Achabi exempla sectatus sit [14]). Quum itaque Ioram, ducta Athalia, Achabi filia, vel, quod alii putant [15]), sorore, femina perditissima, Davidis sanguinem infecisset sanguine Achabi, huiusque impietatem imitatus esset [16]), ac ficta numina coluisset [17]), quumque in hoc cultu eius vestigia pone sequuti sint Ochozias filius [18]), Ioas nepos [19]), Amasias pronepos [20]), continua trium *γενεων* serie, quod numquam alias in regno Iudaeorum acciderat, locus utique fuit sententiae a Deo latae, tunc videlicet, quum Israelitis idolorum fictorumque numinum cultum primo interdixerat, quae sic est: ***Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me*** [21]); hancque Matthaeus ob oculos habuisse putandus est, quum illos tres reges omisit.

CAPUT XI

De Ezechia Achazi filio.

1 Ezechiam Achazi filium habendum non esse, sententia est Possini [22]) et Zaccariae [23]), eamque tuentur, ut confirment Christum nequaquam originem duxisse ex Salomone. Ratio duplex ipsis est. Altera, quia quum Achaz regnare coeperit anno aetatis vicesimo [24]), regnumque obtinuerit annis sexdecim [25]), Ezechias vero ipsi succedens annum ageret vicesimum quintum [26]), si hic illius filius esset, dicendus esset Achaz eum genuisse anno aetatis undecimo, pro eo ac rationes subduxit Zaccaria, imo, anno uono secundum Possini computationem, quod nemini veri simile videatur. Altera vero ratio est, quod Achaz filios suos numinum aris devotos combusserit [27]), quod etiam Iosephus memoriae prodidit [28]).

2 At nisi ipse Achaz Ezechiam genuisset, liquet hunc illius filium non alia ratione dici potuisse [29]), quam lege de connubio fratris et viduae demortui *ἀπαιδος* [30]), aut adoptione, aut denique

[1]) IV Reg. XII, 2; XIV, 3. [2]) Comment. in Matth. I, 8. [3]) Matth. I, 17. [4]) In Matth. h. l. [5]) IV Reg. VIII, 18. 26. [6]) III Reg. XVI, 30. 33. [7]) Ib. XXI, 25. [8]) IV Reg. VIII, 18. 27. [9]) Ib. XXI, 3. [10]) III Reg. XXI, 21. 22; IV Reg. IX, 8. 9. [11]) IV Reg. X, 10. 11. [12]) IV Reg. XXI, 13 coll. 3. [13]) IV Reg. XXIV, 3 coll. XXI, 13, et XXIII, 26. [14]) Ib. XXI, 3. [15]) *Possinus* Op. cit. c. 28. Conf. IV Reg. VIII, 26 et II Par. XXII, 2. [16]) IV Reg. VIII, 18. [17]) II Par. XXI, 10—13. [18]) Ib. XXIV, 7. [19]) Ib. 17—20. [20]) Ib. XXV, 14. [21]) Ex. XX, 5. [22]) Op. cit. cc. 53. 54 55. [23]) Dissert. cit. § 3. n. 5. [24]) IV Reg. XVI, 2. [25]) Ib. [26]) Ib. XVIII, 2. [27]) II Par. XXVIII, 3. [28]) Antiq. L. IX. c. 12. § 1. [29]) IV Reg. XVI, 20; XVIII, 1; II Par. XXVIII, 27. [30]) Deut. XXV, 5—10. Lege cap. II. a. 6.

quia in regnum patri successerit. Hoc postremum, ut quis in scripturis alicuius filios dicatur, quod successerit in eius regnum, merum est recentiorum commentum, quod tamen arrisit Possino [1]). Adoptiones, quibus aliquis alicuius filius lege habetur, nullas cognoverunt Israelitae [2]); si autem Achaz Ezechiam in filium adoptasset, huius patrem minime reticuissent scriptores sacri, quum neque Abiam matrem reticuerint [3]). Legi vero de filiis *των ἀπαίδων* nullus locus esse potest, Ezechias enim, quum Achaz vita excessit, annum vicesimum quintum saltem attigerat; tum, si Achaz *ἄπαις* decessisset, non id indictum praetermisisset sacer historicus, potissimum quum de stirpe regia agatur, quandoquidem neque, ubi agitur de obscurioribus quibusdam hominibus [4]), id adnotare omisit. Quare verus ac proprie dictus Achazi filius fuisse Ezechias dicendus est. Lege Hieronymi epistolam ad Vitalem [5]).

3 Nec quidquam veri minus simile in eo est, quod Achaz praecoci admodum aetate pater evaserit; neque enim raro fit, ut malitia aetatem suppleat, quod de Achazo, utpote regum Iudaeorum facile deterrimo, licet suspicari. Constat insuper hos reges quam primum liberis operam dare solitos. Ioram enim [6]) et Ioakim [7]) anno decimoctavo filios genuerunt, Amon decimosexto [8]), pius Iosias summum decimoquarto [9]), ipse Salomon anno aetatis duodecimo Roboamum genuisse fertur [10]). Ad haec Beniamin, quum Iacob in Aegyptum transmigravit, nepotes iam habebat. Etenim quidam, qui in libro geneseos, ubi illud narratur, Beniamini filiis adnumerantur [11]), in libris Numerorum [12]) et paralipomenon [13]) eius nepotes esse dicuntur. At Beniamin saltem septem annis iunior erat Iosepho [14]), hic vero patre ad se in Aegyptum adveniente annum quadragesimum agebat [15]), quare tricesimum tertium agebat Beniamin. Anno igitur aetatis decimoquinto Beniamin filios genuerit, necesse est. Nisi tamen credere malis illos nepotes Beniamini idem nomen cum patruis sortitos esse. Quid tamen senties de aetate, qua Iudas huiusque filius Phares liberos procrearunt? Iudas senior erat Iosepho annis tribus [16]), proinde annos ad summum tres supra quadragesimum expleverat, quum in Aegyptum ex Chanaanitide secessit. Cum eo ivere nepotes Hesron et Hamul [17]), qui pronepotes esse potuissent, horum quippe patrem Pharesum ex Thamore nuru sua Iudas genuerat [18]). Illud itaque consequitur, Iudam eiusque filios duodecimo, ut plurimum, decimotertio aetatis anno liberos procreasse. Hieronymus narrat [19]), quamdam mulierem re habita cum puero decenni praegnantem factam esse.

4 Non ergo est, cur dubitemus, Achazum adeo immature, ut scripturae indicant, Ezechiae patrem fieri potuisse. Neque, ut id defendamus, opus est confugere ad interpretum discrepantiam, atque urgere codices, sive syriacos, sive arabicos, sive graecum bibliothecae vaticanae, qui in libro secundo paralipomenon Achazum exhibent evectum ad regnum, quum haberet annos viginti quinque, non autem ut est in codicibus hebraicis et latinis, annos viginti. Neque illud interregnum comminiscemur, quod ait Hieronymus [20]) quosdam Iudaeos commentos esse inter Achazum et Ezechiam, quodque sacer historicus manifesto explodit [21]). Animadvertere etiam est, ut calculis subductis contendere quis posset Achazum, non anno undecimo, multoque minus nono, sed quartodecimo liberos procreasse. Anni quippe in scripturis commemorati modo pleni sunt modo secus. Fac itaque Achazum regnare coepisse anno vicesimo iamdudum ac vicesimo primo tantum non expleto, regnumque obtinuisse sexdecim annis integris ac fere septemdecim, ut annos ferme triginta et octo vixerit, Ezechiam vero patri succedentem annum vicesimum quintum vix attigisse, consequens erit Ezechiam ortum esse, quum Achaz annum decimum quartum iam esset expleturus. Verum huic ratiocinio plura obstant [22]), quae tamen haudquaquam nos credere cogunt Achazum liberis operam dedisse ante, quam mensem ageret nonum supra decimum aetatis annum.

5 Ab Achazo proprios filios combustos, non pauci sunt, qui infitiantur, aiuntque narrationi huic confingendae occasionem praebuisse *μετάθεσιν* literarum, qua in paralipomenis positum est verbum יבער *combussit* pro יעבר *traduxit*, idque manifestum fieri, tum quia interpretes graecus, syrus, et latinus, legerunt יעבר, tum quia in libris Regum [23]), ubi factum illud narratur, est verbum העביר

---

1) Op. cit. c. 44. 2) Lege cap. II. n. 33. 3) IV Reg. XVIII, 2; II Par. XXIX, 1. 4) Num. XXVII. 3; I Par. II, 30. 32. 34; XXIII, 22. 5) Ep. LXXII al. CXXXII. 6) Conf. IV Reg. VIII, 17 cum 26. 7) Conf. ib. XXIII, 36 cum XXIV, 8. 8) Conf. ib. XXI, 19 cum XXII, 1. 9) Conf. ib. XXII, 1 cum XXIII. 36. et cum I Par. III, 15. 10) *Hieron.* l. c. Conf. I Par. XXII, 5 et XXIII, 1 et XXIX, 1. 23. 28 et Par. IX, 30 cum XII, 13. 11) Genes. XLVI, 21. 12) Num. XXVI, 40. 13) I Par. VIII, 3. 14) Conf. Genes. XXIX, 20. 27 et XXX 25. 26. 27—43, et XXXI, 41 et XXXIII, 17 — XXXV, 1—19. 15) Conf. Gen. XLI. 46. 47. 53 et XLV, 6. 16) Conf. Gen. XXIX, 20. 23. 27. 35 et XXX, 25. 26. 17) Gen. XLVI, 12. 18) Gen. XXXVIII. 19) L. c. 20) L. c. 21) Conf. IV Reg. XVIII, 1 cum XVII, 1 et XVI, 2. 22) Diss. XVI. n. 6. 23) IV Reg. XVI, 3.

non autem העביר, interpretibus omnibus adstipulantibus, praeter unum fortasse arabem. Adducunt, nefarium hunc ritum, quo Chananaei gentesque finitimae numina quaedam colebant, et quem Achaz imitatus est, etiam in mischna commemorari [1]) usurpato verbo עבר, a Majemonide vero et Bartenora, ubi hunc mischnae locum explanant, ita illum ritum describi, ut quo proles per ignem solummodo traduceretur, hoc denique totum posse illustrari exemplo quarumdam gentium, quae talem ceremoniam observabant, ac certa quaedam numina venerabantur per ignem transeundo, ut apud Virgilium legere est [2]). Attamen, quod recte adnotavit Iahn, *qui dictiones* העביר TRADUXIT, *et* העביר באש TRADUXIT PER IGNEM, *quae de his sacrificiis occurrunt Deut. XVIII, 10; IV Reg. XVI, 3; XXI, 6; II Par. XXXIII, 6, de solo transitu per ignem exponunt, non advertunt, has phrases alibi cum* שרף COMBUSSIT *et* זבח IMMOLAVIT *permutari Deut. XII, 31; Ierem. VII, 31; XIX, 5; Ezech. XVI, 20, 21; XXIII, 37, 39; Ps. CVI, 37, 38; Sap. XII, 4, 5.* [3]) Quare vox יבער in paralipomenis usurpata declarare dicenda est vocem העביר, quae est in libris Regum. At non ideo manus victas dare cogimur atque Achazum absque liberis obiisse putare. Nam, etsi in codicibus hebraicis paralipomenon Achaz *filios suos* combussisse dicatur, interpretes tamen syrus et arabs unicum filium combustum ab eo fuisse narrant, quibus assentiunt tum scriptor tum interpretes omnes librorum regum [4]) et Flavius Iosephus [5]). Sed, esto, Achaz plures filiorum suorum aris devoverit, num ideo omnes devovisse dicendus est? Id nullo modo dicunt aut suspicari sinunt scriptores sacri; imo secus factum esse satis aperte testificantur, quum in illo ipso capite paralipomenon dicatur *Zechri vir potens ex Ephraim Maasiam filium regis* occidisse [6]). Ex his autem intelliges quoque, quid sentiendum sit de prole Manassae ab ipso patre combusta [7]).

CAPUT XII

De Iechonia.

1 Tum veterum tum recentiorum scriptorum sententiae discrepant, an Iechonias, quem Iosia genitum dixit Matthaeus [8]), unus idemque sit atque is, a quo genitum dixit Salathielem [9]). Has sententias referemus, atque expendemus, edicturi deinceps, quaenam ex his praestare ceteris videntur.

2 Prima sententia eorum est, qui censent aliam γενεὰν insereudam esse Iosiam inter et Iechoniam, atque ita esse rescribendum: *Iosias autem genuit Ioakim, Ioakim autem genuit Iechoniam.* Ili vero sese tuentur auctoritate duodecim codicum, quos Millius enumerat, et quibus alios addit, quos putat visos fuisse a Hieronymo, is namque inter nomina hebraica, quae leguntur apud Matthaeum, retulit etiam *Ioakim* et *Ioacim* [10]). Verum ex illis duodecim codicibus, de quibus, si vacat, consule Griesbachium [11]), vix unus aut alter est saeculo nono vetustior, maxima autem pars longe sequioris aetatis est. Deinde, sicut Millius iam animadvertit, id merum esse imperiti scribae commentum, apparet ex eo, *quod* IECHONIAE *posteriori fratres tribuuntur, qui, quantum ex sacris literis colligimus, nullos habuit.* Quod Hieronymus inter nomina hebraica in Matthaeo descripta posuerit *Ioakim* et *Ioacim*, ideo factum est, quia sicut mox dicemus, Hieronymus putavit priorem Iechoniam esse ipsum Ioakimum, vel, ut alii scribunt, Ioacimum; neque enim ullum codicem Matthaei commemorat, qui nomina haec haberet pro Iechonia, quem tamen codicem, si eum vidisset, commemorare minime omisisset, ubi hanc de Iechoniae nomine quaestionem habet, maxime quum huius codicis auctoritate sententiam suam posset aliqua ex parte confirmare.

3 Existimant alii, hosque inter Augustinus [12]), auctor Operis imperfecti [13]), et forte etiam Epiphanius [14]), unicum esse Iechoniam, quem Matthaeus et a Iosia genitum et Salathielis genitorem fuisse ait, eumque ipsum, qui alio nomine Ioachin vocatur [15]). Non alia huius sententiae caussa est, quam nominis similitudo, quam tamen constat nullo esse momento ad id confirmandum, et cui plures gravioresque rationes adversantur. Etenim nomen *Ioakim* sive *Ioacim*, quod patri erat, cum nomine *Ioachin* sive *Iechonia*, quo filius vocabatur, inquit Hieronymus, *scriptorum vitio et longitudine temporum confusum est* [16]). Illud exempli caussa esse potest, quod in Ezech. I, 2 hebraica exemplaria,

[1]) Sanhedr. c. VII. n. 7. [2]) Aeneid. L. XI. vv. 785—788. [3]) Archaeolog. § 411. [4]) IV Reg. XVI, 3. [5]) Antiq. L. IX. c. 12. § 1. [6]) II Par. XXVIII, 7. [7]) IV Reg. XXI, 6; II Par. XXXIII. 6. [8]) Matth. I, 11. [9]) Ib. 12. [10]) Lib. nomin. hebraicor. [11]) Nov. test. gr. Prolegg. 1827. [12]) De consensu evangelistar. L. II. c. 4. § 10; Serm. LI de concordia Matthaei et Lucae c. 8. § 12. [13]) In Matth. I, 11. [14]) Amor. § 59. [15]) IV Reg. XXIV, 5. [16]) In Matth. I, 11 et Comment. in Daniel. I, 1.

itemque interpretes, chaldaeus, syrus, latinus habent *Ioachin*, graecus vero et arabs *Ioakim*. Saepe reperias tum Ioakimum patrem tum Ioachinum filium eodem nomine vocatos, verbi gratia, *'Ιωακειμ* in codice alexandrino et in graecis Chronici Eusebii reliquiis, *Inoakim*, in huius Chronici interpretatione armenica, *Ioachin* in Hieronymi latina eiusdem huius Chronici interpretatione. Saepe etiam unum ab altero distingui videns sola literarum *κ* et *χ* differentia, velut in codice vaticano, qui habet *'Ιωακιμ* et *'Ιωαχιμ*, in libris Flavii Iosephi, in quibus legitur *'Ιωακιμος* et *'Ιωαχιμος*, in quibusdam codicibus Chronici Eusebii, in quibus legimus *'Ιωακειμ* et *'Ιωαχειμ*. Illa igitur *ὁμωνυμια* nihil ponderis confert huic sententiae. Rationes vero, quae adversantur, hae sunt. Primo, si ponas unicum apud Matthaeum esse Iechoniam, minime constabunt tres *τεσσαρεσκαιδεκαδες*, in quas Matthaeus ipse nos monet [1]) totam hanc genealogiam distribui posse; neque ea, quae reponit Augustinus [2]), acuta plane atque exquisita, difficultati huic diluendae satis esse videntur. Deinde Ioachino fratres aliquos fuisse, scriptores sacri, ut iam diximus, memoriae minime prodiderunt. Latinus quidem interpres Sedeciam fratrem illi tribuit [3]), idque comprobari posse alicui fortasse videatur iis, quae leguntur sub finem paralipomenon in codicibus hebraicis [4]). Attamen quum aliud est unicum fratrem Ioachino adscribere, aliud vero plures, sicut facit Matthaeus, tum Sedecias, quem idem ille interpres Ioakimi filium dixit, in hebraicis exemplaribus Ioachini filius fuisse dicitur, id est, Ioakimi nepos. Alius autem isto est ille Sedecias, quem in fine paralipomenon tamquam Ioachini fratrem exhibent codices hebraici. Is enim Iosiae filius fuit, Ioakimi frater, Ioachini patruus, quod discere est ex libris Regum [5]), Ieremiae [6]), et Baruchi [7]), atque ex interpretibus ipsorum paralipomenon graeco, syro, et latino; quod autem scriptum est אחיו, patet *σφαλμα* librarii hoc esse pro אחי אביו, id est, ut graeci interpretes reddiderunt, *ἀδελφον του πατρος αὐτου fratrem patris eius*. Denique, etsi plures fratres Ioachim habuisset, adeo obscuri hi fuissent, ut, quum nulla eorum mentio in veteri testamento iniecta sit, nec ulla caussa esse Matthaeo potuerit, cur ipse unus mentionem de iis iniiceret.

4 Etiam Ioannes Harduinus [8]) autumat unicum Iechoniam a Matthaeo nominari, eum tamen non esse Ioachimum regem Iudae, sed Iohananum Iosiae filium natu maximo [9]). Ratio potissima huius sententiae Harduino est discrepantia, quae intercedit inter posteros Zorobabelis, quos Matthaeus enumerat [10]), quosque enumerat scriptor paralipomenon [11]), atque concludit Salathielem et Zorobabelem Matthaei eosdem esse ac Salathielem et Zorobabelem Lucae [12]), Aggaei [13]), et Esdrae [14]), alios tamen iis, qui sunt in libro paralipomenon [15]); at Salathiel, qui est in paralipomenis, erat regis Ioachini filius; ergo Iechonias Matthaei nequit esse idem a Ioachin. Ita Harduinus. Confirmat vero hanc sententiam tum oraculis Ieremiae [16]), quibus regem Ioachinum ex Christi prosapia exclusum fuisse autumat, tum eo, quod Zorobabel, cuius meminit Matthaeus, Salathielis filius fuerit, ille autem, qui est in paralipomenis, filius fuerit Phadaiae. Nec nominum *Iohananis* et *Iechoniae* discrepantia quidquam negotii facessere potest iis, qui in mentem ea revocaverint, quae de nominibus Israelitarum superius disputavimus, et quomodo una atque eadem horum nomina inverti solerent, etiam quum unus idemque foret nominandus [17]). Etenim *Iohanan* hebraice est יוחנן seu יהוחנן; sicut autem יכניה *Iechonia* inversum est ex יהויכין *Ioachin*, ita, si יהוחנן *Iohanan* invertatur, fiet חנניה, quod item *Iechonia* latine proferatur necesse est. Nihilominus, quum argumentum depromptum ex diversis Zorobabelis sive patribus sive filiis indissolubile haud sit, quumque oracula Ieremiae nequnquam id significent, quod putat Harduinus, quum denique huic sententiae aeque ac superiori illud obsit, quod ea posita corruant necesse est illae tres *τεσσαρεσκαιδεκαδες*, in quas genealogia distribuitur, Harduino adsentire non ex toto possumus.

5 Itaque, quoniam ipse Matthaeus ea ratione genealogiam distribuens nos cogit duos Iechonias in hac adnumerare, si autem duo sunt, nequit secundus alius esse, quam rex Ioachin, restat quaerere, quinam sit ille primus Iechonias. Unum de quatuor Iosiae liberis eum esse [18]), pro comperto est; nec minus liquet alium esse ac Sedeciam, quum neque nomen neque ulla alia ratio secus credere suadeat, quumque Sedecias aetate postremus omnium fratrum fuerit [19]), postremusque regnaverit, proinde non sit, cur ipse prae ceteris commemoraretur. Quare inter reliquos tres, Iohananum, Ioakimum, et Ioachazum ille primus Iechonias quaerendus.

---

[1]) Matth. I, 17. [2]) LL. cc. [3]) I Par. III, 16. [4]) II Par. XXXVI, 10. [5]) IV Reg. XXIV, 17. [6]) Ier. I, 3; XXXVII, 1. [7]) Bar. I. 8. [8]) Chronolog. vet. testam. ad ann. U. C. 753. Christi genealogia. [9]) I Par. III, 15. [10]) Matth. I, 13 seqq. [11]) I Par. III, 19. [12]) Luc. III, 27. [13]) Agg. I, 1. [14]) I Esd. III, 2; II Esd. XII, 1. [15]) I Par. III, 17. 19. [16]) Ier. XXII, 30; XXXVI, 30. [17]) Cap. III. n. 5. [18]) I Par. III, 15. [19]) Conf. I Par. III, 15 cum II Par. XXXVI, 2. 5. 11.

6 Ambrosius [1]), Hieronymus [2]), forte etiam Irenaeus [3]), sentiunt primum Iechoniam eumdem esse ac Ioakimum. Unicam sententiae huius rationem suggerit ordo *γενεαλογικος*, qui flagitare videtur, ut eius, qui subsequitur, pater nominetur. Ast illud obest, quod, etsi librariorum vitio ac soni similitudine nomen *Ioakim* pro *Ioachin* saepe positum deprehenditur, numquam tamen ipsi Ioakimo nomen *Iechoniam* factum legimus, quod ab illo sane discrepat. Neque ordo *γενεαλογικος* laborabit, si iste Iechonias alius sit Ioakimo alterius Iechoniae patre; nam, etsi Ioakim non nominetur, tacite tamen inter Iechoniae fratres commemoratur. Tum, ubi ceteras *γενεας* Matthaeus refert, utique necesse erat ipsum parentem nominare, quum statim edicendum esset, quemnam is *genuerit*, quod minime fit, ubi tertia *τεσσαρεσκαιδεκας* ab altero Iechonia initium capit eo prorsus modo, quo prima ab Abrahamo; neque enim scripsit Matthaeus: *Iechonias autem genuit Iechoniam*; non ergo eadem est ratio huius ac ceterarum *γενεων* apud Matthaeum, proinde neque erat necesse secundi Iechoniae parentem expresso nomine commemorare.

7 Itaque rei veritatem propius attinges, si dicas primum Iechoniam esse Ioachazum, tum quia primus Iosiae patri in regnum successit [4]), quod Matthaeo secundam *τεσσαρεσκαιδεκαδα* ex regum serie confectam recensenti in caussa esse potuit, cur hunc potius nominaret, tum quia scriptor libri tertii Esdrae, qui Graecis liber primus est, et a graecis patribus bene multis inter libros sacros receptus, Ioachazum *Iechoniae* nomine vocavit [5]). Clemens Alexandrinus id confirmat ita scribens: *Ἰωσιαν διαδεχεται Ἰεχωνιας και Ἰωαχας ὁ υἱος αὐτου μηνας τρεις και ἡμερας δεκα* ***Iosiae successit Iechonias et Ioachas filius eius mensibus tribus et diebus decem*** [6]); in quibus vel delenda sunt verba *Ἰεχωνιας και*, vel ita omnino immutanda: *Ἰεχωνιας ὁ και Ἰωαχας*, ***Iechonias, qui idem Ioachas.*** Duo tamen officiunt huic sententiae. Unum est, Ioachazo fuisse alterum nomen Sellum [7]), quare tria nomina is habuisse dicendus foret, cuius tamen rei exempla minime desunt [8]). Alterum est, scriptorem libri tertii Esdrae plura minus diligenter minusque accorate referre, imo nonnulla ab historia, qualem hanc exhibent libri sacri, dissidentia [9]).

8 Praestat itaque, quantum equidem arbitror, quod ad primum Iechoniam attinet, Harduini sententiam sequi, qui illum esse ait Iohananum Iosiae filium natu maximo, quod Zaccariae quoque probatur [10]). Nam haec duo nomina *Iechonia* et *Iochanan* consonare, iam demonstravimus (4). Insuper Matthaeus genealogiam vel ex libro primo paralipomenon transcripsit ad alterum usque Iechoniam, vel ex ipsis publicis tabulis, quibus ipse paralipomenon scriptor usus est. Etenim maxima inter utrumque scriptum, paralipomenon et Matthaei, *ἀναλογια* intercedit, in utroque progenies Esronis ad Iessem usque eodem modo describitur [11]), uterque scriptor seriem regum persequens unicum in unaquaque *των γενεων* nominat usque ad Iosiam, uterque plures Iosiae filios. Expende etiam ea, quae inferius de Salathiele edisseremus [12]). Quum itaque in Iosiae filiis primum Iohananum, qui primus re vera fuit, posuerit scriptor paralipomenon, id ipsum Matthaeus fecisse putandus est.

CAPUT XIII

De sensu verborum IN TRANSMIGRATIONE BABYLONIS.

1 Iosias vita functus est quatuor aut quinque annis ante, quam Babylone Nabopalassaro patri succederet Nabuchodonosor, qui Iudaeos illuc captivos abduxit, migrare coegit [13]). Quid ergo sonant illa verba Matthaei: ***Iosias autem genuit Iechoniam et fratres eius in transmigratione Babylonis?*** Cui quaestioni ut fiat satis, haec tria inter se horumque tempora distinguere debes in historia iudaica, transmigrationem, inquam, captivitatem, et Hierosolymae eversionem.

2 Urbs enim eversa est anno decimo nono imperii Nabuchodonosoris, eodem undecimo regni Sedeciae [14]), qui postremus in Iudaea regnavit; hancque eversionem a transmigratione aperte secernit Ezechiel [15]).

3 Captivitas, quam septuaginta annis duraturam praedixit Ieremias [16]), initium habuit regnante Ioakimo, quo tempore Chaldaei primo in illas regiones irruerunt [17]). Quum enim, non Iudaeis modo,

---

[1]) In Luc. L. III. § 46. [2]) In Matth. I, 11. [3]) Haer. L. III. c. 21 al. 30. § 9. [4]) II Par. XXXVI, 1. [5]) I Esd. I, 34 graec. vatican. [6]) Strom. L. I. § 21. [7]) I Par. III, 15 et Ier. XXII, 11. 12 coll. IV Reg. XXIII, 33. 34. [8]) Cap. III. n. 3. [9]) Lege *Calmet.* Dissert. sive observat. in lib. tert. Esdrae. [10]) Raccolta di Dissert. etc. Diss. V. Sulla doppia genealog. di Cristo § 1. n. 5. [11]) Matth. I, 3—5 coll. I Par. II, 9—12 hebr. [12]) Cap. XV. n. 5. [13]) IV Reg. XXIII, 29. 31. 36 coll. XXIV, 8. 12. [14]) IV Reg. XXV, 2. 8. [15]) Ezech. XL, 1. [16]) Ier. XXV, 11. [17]) IV Reg. XXIV, 1. 7 et II Par. XXXVI. 6 coll. IV Reg. XXIII, 29. 33—35 et II Par. XXXV, 20 et XXXVI, 3. 4.

sed omnibus gentibus Iudaeorum finitimis praedictum fuerit fore, ut septuaginta annis servirent regi Babylonis, manifestum est hos annos haudquaquam numerandos esse initio ducto ab eo tempore, quo Nabuchodonosor eversa urbe Hierosolyma totum ferme populum captivum abduxit, sed ab eo, quo illas regiones subegit; id vero accidit regnante Ioakimo [1]). Neque illud obest, quod Daniel haec loquens inducatur in vulgata bibliorum interpretatione: *Intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, ut complerentur* DESOLATIONIS *Ierusalem septuaginta anni* [2]), ex quibus fortasse quis colligat hos annos numerandos esse ab urbe eversa, eoque magis, quod vox *desolationis* reddita sit pro hebraica voce חרבות, quae *ruinas* significat; nihil, inquam, id obest, quominus initium servitutis illud sit, quod diximus, ea namque vox hebraica plurali numero usurpata, non significat urbis excidium, sed calamitates, multas illas quidem, quas aliis atque aliis temporibus intra illos septuaginta annos Chaldaei huic urbi attulere, pluresque transmigrationes, per quas tandem habitatoribus viduata ea fuit. Tum nequaquam dixit Daniel: *septuaginta annos* RUINARUM *Ierusalem*, sed: *ut complerentur ruinis Ierusalem septuaginta anni*, hoc est, ut explerentur septuaginta anni captivitatis, post quos urbs e ruinis foret excitanda [3]).

4 Gentis denique transmigratio, utque Matthaeus loquitur, *μετοικεσια* non tota simul facta est, ita ut plures re ipsa fuerint transmigrationes, quarum tres, quas Ieremias distincte recensuit [4]). Primo enim Nabuchodonosor partem gentis hosque inter Danielem abduxit, idque regnante Ioakimo [5]). Alii deinde abducti sunt simul cum rege Ioachimo Ioakimi filio unaque cum his Ezechiel [6]). Tum capta urbe anno decimo octavo imperii Nabuchodonosoris alii abducti una cum rege Sedecia [7]). Ad haec anno decimo nono *reliquiam . . . populi partem, quae remanserat in civitate, et perfugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, et reliquum vulgus transtulit Nabuzardan princeps militiae* [8]). Deinque anno vicesimo tertio idem ipse Nabuzardan *transtulit . . . animas Iudaeorum septingentas quadragintaquinque* [9]). Itaque si totius gentis transmigrationem in universum ac veluti unam species, ea coepisse dicenda est initio regni Nabuchodonosoris, anno autem vicesimo tertio fuisse absoluta.

5 Patet itaque, quid illa tria differant inter se, ac simul comperimus unum idemque initium transmigrationis fuisse atque illius captivitatis, quae unam praecipuarum *ἐποχων* definit in historia iudaica, ex quo etiam factum est, ut nomen transmigratio haud raro ipsam captivitatem significet, imo et ipsos Iudaeos in captivitatem abductos [10]), atque adeo illos, qui ex captivitate in patriam reversi sunt [11]). His omnibus positis, quae hactenus dicta sunt, non magna quaestione opus est, ut videamus, quinam sensus sit huius incisi: *Iosias autem genuit Iechoniam et fratres eius in transmigratione Babylonis.*

6 Matthaeus transmigrationem tamquam a captivitate distinctam commemoravit, continuo enim illud subiunxit, Ioachinum genuisse *post transmigrationem* [12]), quod sane nequaquam putandum est factum esse post septuaginta annos captivitatis. Non tamen peculiarem aliquam transmigrationem, sed transmigrationem universam, sicut ipsa universalis loquutio ostendit; tum si Ioachini aut Sedeciae transmigrationem designare voluisset, ipse Ioachinus ante illam fuisset nominandus, quod tamen fieri nequit, quin tertia *τεσσαρεσκαιδεκας* manca sit. Ad definiendum autem tempus secundae *τεσσαρεσκαιδεκαδος*, tamquam nota temporis, Matthaeus usus est hac ipsa transmigratione, utpote cuius initium idem fuerit ac celebris illius captivitatis merito habitae inter potissimas *ἐποχας* historiae Iudaeorum; potius autem transmigrationem meminit, quam captivitatem, tum quia deinceps recensendae erant *γενεαι*, quae, non captivitate, sed transmigratione posteriores fuerant, tum quia transmigratio sub Iosiae filiis, qui secundam *τεσσαρεσκαιδεκαδα* claudunt, id est, sub Ioakimo et Sedecia, coepta primum atque absoluta demum est.

7 Sicut igitur historiae ratio nos docet verba *ἐπι της μετοικεσιας Βαβυλωνος in transmigratione Babylonis* iungenda nequaquam esse cum verbo *genuit*, veluti si Iosias diceretur tunc genuisse, quum Iudaei iam transmigrare coeperunt, ita ea, quae modo animadvertimus, evincunt eadem haec verba accipienda esse tamquam epithetum filiorum Iosiae subaudito articulo *τους*, ac si dictum foret: *τους ἐπι της μετοικεσιας qui in transmigratione*, id est, qui fuerunt tempore transmigrationis; reddita enim haec sunt pro syrochaldaico די בגלות בבל, ut Matthaeus scripsisse putandus est, similesque ellipses comparent in graeca interpretatione partium chaldaicarum veteris testamenti, verbi caussa:

---

[1]) IV Reg. XXIV, 7. [2]) Dan. IX, 2. [3]) Lege *Rosenmuell.* ad h. l. [4]) Ier. LII, 28—30. [5]) II Paral. XXXVI, 6. 7; Dan. I, 1—4. [6]) IV Reg. XXIV, 11—16; Ier. LII, 28; Ezech. XXXIII, 21 coll. IV Reg. XXV, 2—10. [7]) Ier. LII, 29 coll. XXXIX, 7 et IV Reg. XXV, 7. [8]) IV Reg. XXV, 8. 11; Ier. XXXIX, 9; LII, 12. 15. [9]) Ier. LII, 30. [10]) Ezech. III, 11. 15 etc. [11]) I Esdr. X, 8. [12]) Matth. I, 12.

ἐν Βαβυλῶνος pro די בבבל [1]), *ἐν Ἰερουσαλὴμ* pro די בירושלם [2]), *ἐν χειρί σου* pro די בידך [3]), *ἄνευ χειρῶν* pro די לא בידין [4]).

CAPUT XIV

De Christi origine ducta ex Iechonia.

1 Christum nequaquam genus ducere ex rege Iechonia recentiores scripturarum enarratores haud parvo numero autumarunt, idque probare se posse sibi visi sunt oraculis a Ieremia prolatis contra Ioakimum huiusque filium Iechoniam [5]). Quod argumentum illi urgent potissimum, qui contendunt Christi prosapiam ex Salomone minime repetendam esse, hosque inter Possinus [6]) et Papebrochius [7]). Nos tamen iis assentimur, qui docent nihil aliud Ieremiam vaticinatum esse, quam regnum Iudaeae ac ius, quod in illud haberent, Iechoniae eiusque posteris olim auferendum ac toti simul Davidis familiae, propterea quia eas conditiones, sub quibus Deus illud regnum ipsis concesserat, minime observarent [8]). Primum itaque illa Ieremiae vaticinia secundum hanc postremam sententiam intelligenda esse demonstrabimus, refutaturi deinceps alia adversariorum argumenta.

2 Ieremias in codicibus hebraicis inducitur ita vaticinans: ***Propterea sic dixit Dominus contra Ioakim regem Iudae. Non erit ipsi sedens super solium Davidis*** [9]). ***Sic dixit Dominus: Scribite virum istum, orbum; virum, qui non prosperabitur in diebus suis. Quoniam non prosperabitur de semine eius vir sedens super solium Davidis et dominans adhuc in Iuda*** [10]). Vaticinia quidem sic se habent. Nihil autem his portendi, nisi quod diximus, nec quidquam in iis esse, quod ad regnum aeternum Christi eiusque originem ex Iechonia aut ex Davide ducendam pertineat, facile est pervidere.

3 Etenim iis, quibus Ioakimi et Iechoniae vitae atque eventus noti sunt, sensus obvius verborum nequit ullus alius videri nisi is, quem esse affirmamus. Sensum autem obvium verborum respuere nefas est, nisi quid cogat. At, quod cogat, nihil est; nihil enim tale proferunt adversarii, sed neque, quod proferant, habent, praeter haec ipsa Ieremiae verba ad suam ipsorum sententiam prave detorta.

4 Quod attinet ad primum duorum oraculorum, dices fortasse, huius oraculi verba, si regnum Israelitarum dumtaxat significarent, videri cum historiae veritate pugnare, Ioakimo enim Iechonias filius in regnum successit; ideoque sensum magis obvium futurum, si poneremus his verbis praedici fore, ut Christus, qui super solium Davidis olim sederet, nequaquam exoriretur ex stirpe Ioakimi, proinde nec Iechoniae. Hoc tamen nihili est. Praeter enim quam quod regnum trimestre Iechoniae [11]), quod obsessis Hierosolymis [12]) intra huius urbis moenia continebatur, ceu nullum haberi potest, praeterea vellem, primo considerares, ut Iechonias vere dici potuerit non sessurus in solio Davidis, sive id non possessurus, ut qui sede hac deturbandus et hac possessione pellendus esset. Deinde, ut in oraculo illo, quantum ipsa verba sonant, non de uno Iechonia agatur, sed de tota Ioakimi stirpe regno privanda, non secus ac de tota Davidis progenie dicta sunt ea vaticinia, quibus Deus Davidi, sub conditione tamen promisit non defuturum ex eius stirpe, qui sederet super ipsius solium [13]); et re vera illud oraculum impletum quum primum est ipso Ioakimo filio paterna sede depulso. Sed aliud praeterea, quod respondeamus, ex iis, quae inferius dicemus, compertum fiet (9).

5 Dicet aliquis, Ieremiam, quum praenuntiavit regnum aeternum Christi ex Davide orituri [14]), usum esse verbis eorum similibus, quibus illum rem Ioakimo praedixit, ideoque verbis Ioakimo dictis aeque saltem modo significari Christum ex huius posteris non exoriturum, ac significant regnum Iudaeae his adimendum. Verum illa altera verba: ***Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel*** [15]), non de alio, quam de Christi regno queunt dicta esse, dicta enim sunt uno anno ante, quam capto rege Sedecia regnum Iudaeae funditus sublatum esset [16]). Secus autem loquendum est de oraculo in Ioakimum dicto, quod verius compares cum his, quibus Deus ipsum Davidem alloquutus est: ***Non auferetur tibi vir de solio Israel*** [17]); ex hac enim comparatione

---

[1]) I Esdr. V, 17 complut. [2]) Ib. VI, 13. [3]) Ib. VII, 25 vatic. [4]) Dan. II, 34. 45. [5]) Ier. XXII, 30; XXXVI, 30. [6]) Dialect. theogenealog. cc. 40–43. [7]) Acta sanctorum Martii T. III. Comment. de hist. de S. Ioseph § V. n. 32. [8]) Cap. IX. nn. 16–21. [9]) Ierem. XXXVI, 30. [10]) Ib. XXII, 30. [11]) IV Reg. XXIV, 8. [12]) Ib. 10. [13]) Cap. IX, nn. 16–20. [14]) Ier. XXXIII, 17. [15]) Ib. [16]) Conf. Ier. XXXIII, 1 cum XXXII, 1. 2. [17]) III Reg. II, 4; IX, 5.

apparet illud ipsum Ioakimo negari atque adimi, quod Davidi his verbis promissum est, quae verba ad Christum ex Davide oriturum nulla ex parte pertinere, sed solum ad regnum israeliticum Davidis posteris sub certa conditione mansurum, alias demonstravimus [1]).

6 Illud Ieremiae caput, in quo secundum oraculum legitur [2]), dissentiunt inter se scripturarum interpretes, utrum editum sit sub Ioakimo, an sub Sedecia. Secundae sententiae Hieronymus adstipulatur. Et re vera hanc primae praeferre ea suadent, quae sunt initio capitis, et quibus vates videtur potius regem hortari, ut recte agat, quam prave agentem reprehendere; qui rex si Ioakim foret, minus cum his cohaereret acris illa invectio, qua postea eumdem ipsum Ioakimum appetit [3]). Ieremias itaque putandus est alloqui initio capitis novum regem Sedeciam, qui nondum morum suorum specimen exhibuerat, eumque admonere, proposita in exemplum eorum vice, qui post Iosiam patrem et ante ipsum regnaverant, Sellumi, Ioakimi, Iechoniae, ne hos imitaretur. Contra ea vero si simpliciter ponamus rem sic se habere, omniaque, quae sunt in illo capite, dicta fuisse regnante Sedecia, dicenda quoque erunt, tametsi videantur esse vaticinia de iis, quae adversa Ioakimo et Iechoniae erant eventura, tamen non vaticinia esse, sed historica. Hac autem re adversarii nostri quidem caussa facile caderent, tamen plura sunt, quae nos secus credere cogunt, vera, inquam, ea esse vaticinia ipsi Ioakimo dicta. Vates enim ait Iosiam paullo ante mortuum fuisse [4]), Sellum recens captivum abductum [5]). Ioakimum prius amare obiurgat [6]), cui tamen obiurgando locus esse non potuit regnante Sedecia, quo tempore Ioakimus vita pridem excesserat, dein sortem, quae hunc ipsum maneret, praenuntiat [7]), alios adhuc post eum reges futuros indicat [8]), praedicit denique eius filium Iechoniam captivum abducendum, quem etsi tamquam iam exsulantem commemoret [9]), manifestum tamen est id fieri more vatum, qui saepe de futuris tamquam de praeteritis loquuntur, nam paullo ante aperte dixerat exsilium adhuc futurum [10]). Utramque tamen sententiam optime componit Rosenmuellerus Grotium sequutus, atque ita scribit: ***Quod autem alteram huius capitis partem, v. 10—30, attinet, eam tunc demum, quum illam orationem, quae v. 1—9 legitur, literis consignaret vates, aut per alium quemdam mandari literis curaret, additam fuisse necesse est. Continet enim quae Zedeciae fratri (Ioakimo) fratrisque filio Iechoniae olim praedixisset vates*** [11]). Quae igitur de Ioakimo deque Iechonia hoc in capite scripta sunt, pro veris futurorum praedictionibus verisque vaticiniis haberi debent, ac tota haec altera eiusdem huius capitis pars prophetae oratio est ad Ioakimum habita non multo post, quam is regnum auspicatus est. Quibus positis ad ipsum oraculum, de quo quaeritur, veniamus.

7 Communis opinio est, virum, quem Ieremias sterilem futurum dicit, esse Iechoniam, eoque oraculo praenuntiari Ioakimo fore, ut ex eius filio nemo sit oriturus, ***qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Israel***; quare, inquiunt ii, quos impugnamus, Christus ex Iechonia originem nequaquam duxisse dicendus est, quippe cui dedit ***Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum*** [12]). Id tamen, non magis ex hoc, quam ex altero oraculo arguere est; quae enim de illo edisseruimus (4), ea in hoc etiam apprime quadrant.

8 Ego tamen, si modo nemo me temeritatis insimulet, dum a communi omnium opinione recedo, virum illum ***sterilem***, in quem Ieremias vaticinatur, non Iechoniam, sed Ioakimum esse arbitror. Nam tota illa Ieremiae oratio [13]) in Ioakimum habita fuit, ut iam animadvertimus (6), ipsum autem vaticinium veluti iudicialis sententia est, qua oratio concluditur, quaeque, quum grandi hac praefatione feratur: ***Terra, terra, terra, audi sermonem Domini*** [14]), num in alium lata sit, quam in ipsum Ioakimum, in quem tota haec oratio habita est? Insuper illud, quod hoc eodem vaticinio continetur, consectarium est et consequens eorum, quae Iechoniae Ioakimi filio adversa eventura Ieremias eadem illa oratione proxime praedixerat [15]), sed haec ipsa praedicta esse patet ut poenam Ioakimo patri irrogandam, eo magis, quod, secus, ac prophetae facere solebant, quum alicui funesta ominabantur, nulla culpantur Iechoniae crimina, sed nec, quae culparentur, forte erant, quum puer adhuc esset eo tempore, contra vero Ioakimi mores severe in hoc eodem loco castigari videmus; quare veri similius esse putarem hanc quoque vaticinii clausulam de eodem Ioakimo dictam esse. Ad haec si vir ille ***sterilis*** foret Iechonias, quum, quae de eo praedicuntur, sint poena Ioakimo ipsi irroganda, qua regnum huius posteris adimeretur, diceret is, sese poenam hanc non valde reformidare, quandoquidem, si non ex Iechonia, ex aliis tamen filiis, quos generare adhuc poterat, nepotes habiturus

---

[1]) Cap. IX. n. 17. [2]) Ier. XXII. [3]) Ib. 13—19. [4]) Ib. 10. [5]) Ib. 10—12. [6]) Ib. 13—17. [7]) Ib. 18. 19. [8]) Ib. 22. [9]) Ib. 27. 28. [10]) Ib. 24—26. [11]) Schol. in Ier. Argum. c. XXII. [12]) Luc. I, 32. [13]) Ier. XXII, 10—30. [14]) Ib. 29. [15]) Ib. 24—27.

esset, quibus regnum maneret. Denique hoc ipso vaticinio, prout verba hebraica sonant, videtur designari aliquis adhuc regnaturus ex illius stirpe, in quem editum est; neque enim dicitur nemo ex stirpe ista futurus, qui regnet, sed ille unus, qui ex ea proguatus adhuc regnaturus est, nequaquam fore, ut prosperetur: *Sic dicit Dominus: Scribite virum istum sterilem, virum, qui* NON PROSPERABITUR *in diebus suis; quoniam* NON PROSPERABITUR *de semine eius vir* SEDENS *super solium David*, et DOMINANS ADHUC *in Iuda*.

9 Si haec, sicut exposui, ita sint accipienda, actum est de argumento, quod ex hoc oraculo petere solent, ut vincant Christum ortum non esse ab stirpe Iechoniae, simulque liquet sensum alterius oraculi, quod serius editum legitur in capite XXXVI Ieremiae, eum esse, quem superius exposuimus (4). Si enim in capite XXII, ut nostra interpretatio est, de regno Iudaeorum agitur, non autem de regno Christi, hoc idem fieri dicamus oportet in capite XXXVI, quum par utriusque loci sit ratio; et, sicut prius Ioakimo praedixerat Ieremias fore, ut Iechonias filius minus prospere ageret in regno, quod exiguo tempore obtentum tandem amissurus esset, ita postea, quum Ioakim minime resipuisset, ad totam eius posteritatem pertinere sententiam illam, ac neminem ex ea futurum, qui regni Iudaeae potiretur, magis aperte praenuntiavit.

10 Neque ex appellatione ערירי *sterilis* seu, quod verius est *orbi* quidquam arguas, quod interpretationi nostrae magis quam ceterorum officiat. Nam, quod ad sobolem amborum attinet, quantum discimus ex scripturis sacris, longe plures filios habuit Iechonias quam Ioakim [1]); illa ipsa oratione praedixit Ieremias Iechoniae sobolem cum patre et avia in exsilium pellendam esse [2]). Sed propheta ipse nos docet appellationis huius rationem non ex eo peti oportere, quod vir ille *sterilis* vocatus liberis destitueretur, sed quod *nec . . . erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Iuda* [3]). Iam vero, si prior huius rationis pars videtur adversari nostrae interpretationi, quoniam Ioakimo Iechonias filius in regnum successit, non minus profecto aliorum interpretationi adversatur pars posterior, quum Zorobabel Iechoniae nepos maximam potestatem in Iudaea obtinuerit. Ceterum, ut ipsa Ieremiae verba sonant, sensus vaticinii est, fore, ut Ioakimi soboles ius hereditarium amitteret, quo iure Iudaeae regnum ipsi mansisset, atque ideo Ioakimus, utpote heredibus, qui ei in regnum iure succederent, destitutus, veluti *orbus* haberetur. Quod quidem in historia Israelitarum inauditum aut novum minime fuit, quum etiam lege mosaica quidam ערירים, id est, *orbi* censerentur, quamvis liberis non carerent [4]).

11 Ex hoc vaticinio, quod est in Ieremiae XXII, tale argumentum proferunt, qui sententiae nostrae adversantur. Ieremias non modo praedixit nullum alium regem exorturum ex stirpe Iechoniae et Ioakimi, sed neque ullum, qui *potestatem habeat ultra in Iuda*. Ex quo, quum Zorobabel dominatus sit in Iudaea, alterutrum dicamus oportet, vel hunc, ut Harduinus affirmat [5]), non ab Iechonia progenitum, proinde nec Christum, qui ab utroque evangelista numeratur in stirpe Zorobabelis, vel prophetam non de dominatu, proinde nec de regno Iudaeae, esse loquutum, sed de regno aeterno Christi, quem ex alia, quam Iechoniae stirpe progignendum praenuntiabat. Sed, quod reponamus, praesto est, neutrum videlicet tali argumentatione posse concludi. Etenim, quod ad primum attinet, ex evangeliis non magis apparet Christum a Zorobabele quam ab Iechonia genus ducere, non enim maior auctoritas est utriusque evangelistae, qui illud prius, quam unius Matthaei, qui hoc alterum scripsit [6]). Quid autem sentiendum sit de Zorobabele deque Salathiele in utroque evangelio memoratis, quos Harduinus ait alios esse iis, qui sunt in paralipomenis inter posteros Iechoniae, ubi locus erit, quaeremus; interea illud animadverto, quod tametsi Zorobabel et Salathiel, quos nominant Matthaeus et Lucas, non ex Iechonia orti essent, non hoc cuiquam liceret concludere neque Christum Iechoniae posteris adnumerandum. Fac enim *γενεα* aliqua legalis post Zorobabelem in Christi genealogiis reperiri, qua quis lege de vidua et fratre demortui *ἀπαιδος* [7]) fuerit filius eius, qui prius nominatur, eum tamen genuerit aliquis ex Iechoniae nepotibus, en tibi rursus post Zorobabelem Christi proavos ex Iechonia exortos. Quod vero attinet ad ulterum consectarium, dominatus, quem Zorobabel Iechoniae nepos obtinuit in Iudaea, nullo modo sinit vel suspicari Ieremiam loquutum esse de regno Christi. Iam enim ostendimus (8) illis Ieremiae verbis unum Iechoniam designari; praedictum enim est Ioakimo filium, qui unus *adhuc* regnaturus erat et dominaturus in Iudaea, nulla prosperitate usurum esse. Insuper Ieremias loquutus est de dominatu regio, ut comperimus tum ex parallelismo,

---

[1]) I Par. III, 16—18. [2]) Ier. XXII, 26. 28. [3]) Ib. 30. [4]) Lev. XX, 20. 21. [5]) Chronol. vet. testam. ad ann. U. C. 753. Genealog. Christi. [6]) Cap. XII. n. 5. 7) Deut. XXV, 5—10, Cap. II. nn. 4 seqq.

tum ex eo, quod uuus idemque sit איש יושב על כסא ומושל *vir* SEDENS *super solium et* DOMINANS. Deuique domiuatus a stirpe Ioakimi auferendus uon qualiscumque erat, sed qui iure hereditario ad posteros veniret. Tale autem miuime fuit dominium, quod gessit Zorobabel, huuc euim *principem Iudae constituit Cyrus* [1]), neque solus illud gessit, sed uua cum Iosedecho pontifice maximo [2]), neque ullua ex eius posteris post ipsum bereditario iure illud accepit.

12 Uunm adhuc superest argumeutum refellendum, qno ex his Ieremiae vaticiuiis deprompto sententiu nostra impeti solet, illudque sic est. Si Christus iuter Ioakimi et Iechouiue posteros numerandus foret, alterutrum ex hoc sequeretur, utrumque autem oppido fulsum, vel Ieremiae vaticinia effectu caruisse, quippe quum Cbristus Davidis regnum consequutus utique sit secundum ea, quae Davidi u Deo promissa, quaeque a Gabriele Mariae virgini fuerunt prenuntiata [3]), vel haec promissa hosque nnntios in cassum cecidisse, neque obtigisse Cbristo regnum Davidis, quum Ieremias uuiversae Ioakimi stirpi illud udimendum pruedixerit. Attamen totum hoc nihil est. Quum enim scriptores sacri Christum regnantem inducunt, nequaquam putandi sunt id potestatis utque imperii ei affingere, quale hominum regumque est, quod numquum Christus exercuit, quodque aperte docuit aliud eo esse, quo ipse foret regnuturus: *Regnum meum*, aiebat, *non est de hoc mundo* [4]); quare neque, qunm idem dicebatur fore, ut sederet in solio Davidis, istud sic intelligere oportet, ac si re vera Cbristns Duvidi iu regnum Israelitarum succedere deberet, idque ipsi, utpote ex stirpe Duvidis prognato, iure hereditario obveniret, quum et regnum illud eversa a Nabuchodonosore Hierosolyma sublatum prorsus fuerit, et illud omne ius pnsteris Davidis ademptnm, ut, inter ceteros, scripsit etiam Theodoretus [5]). Ergone, iuquies, Christo ius minime fuerit quo uvitum Iuduese regnum capesseret? Nimirum, nou Iudaeae modo, sed et omuium gentium et mundi universi, etenim *omnia dedit ei pater in manus* [6]); atque adeo quid Christo indecorum is comminisceretur, qui eius regnum brevibus unius Iudaeae finibus terminaret. Verum hoc regnum Christus ideo est consequutus, quiu filius Dei est, Deus et ipse, quem Deus pater *constituit heredem universorum* [7]), non autem, quia a Davide, cui regnum hoc spiritale atque aeternum fuerat promissum, ortum duxerit, quasi si illius heres esset, quum contra ideo Davidi promissum illud fuerit, quiu Christus, qui illud consequuturus erat, ex eo esset exoritnrus. Id ipsum, quod de Cbristi regno sentimus, et Bellarminus [8]), et Becanus [9]), et Petavius [10]) sensere, nnllum Christo, ut homo est, regnandi ius hereditarium fuisse. Sed et Hierouymus auctor nobis est, ut id sentiamus, ubi Ieremiae vaticiuium ita enarrnt: *Non sedebit quidem super thronum David vir et homo, sed sedebit Deus, regnumque eius non erit terrenum et breve, ut fuit David, sed perpetuum atque caeleste* [11]). Hieronymi sententiae et Augustinus [12]) et Theodoretus [13]) subscripsere.

13 Prueter Ieremiue vaticiuia aliud quoque urget Possiuus contra id, quod defendimus. Quum enim contendat demonstrure, Christum non Salomone prognatum, sed Nathune [14]), necesse etiam habet edicere, qui factum fuerit, ut in locum Salomouidarum, ex quibus Christum exoriturum Deus promiserat, Nuthunitae sufficerentur, qnibus Deus promissa persolveret. Ait itaque posteros Salomonis, qnum minime observussent conditionem promissioni adiunctum, excidisse eo iure, quod in promissa babebant. Ita Iechonia siue posteris demortuo, nniversaque Salomnnis progenie simul exstincta, quum omnia Salomouidarum iura Natbauitis iam cederent, unaque decua illud omuium maximum, ut ex iis Christus exoriretur [15]); Salathielem vero ub Nathane oriundnm eum esse, cui illu omnia iuru illudque decus obvenere, idque, uon aliud, cani ab auctore psalmi LXXXVIII, et *commutationem Christi* [16]) vocuri. Quum enim, inquit, Iechonia vita defuucto uemo iam Salomouidarum superesset, Iudaeos ingeus luctus incessit [17]), quod, quum ex regum suorum sanguine Christum procreandum exspectarent, exstincta horum stirpe spe omni frustrari viderentur, ludibrioque esseut genti, quae eas servitute premebat, qnueque cassum eam spem ipsis exprobrabat [18]). Ut itaque dolori suorum popularium lenimeu aliquod ac veluti medicamen adbiberet, simulque exprobratorum oru obstrueret, psaltes carmen illud cecinit, qno illos docuit, Iecboniae obitu baudquaquam spem redemptiouis ac libertatis Iudaeis ademptam, sed solum *commutationem Christi* factam esse, suffectia videlicet in

---

[1]) I Esd. V, 14. [2]) I Esd. III, 2. 8; IV, 3; V, 2; Agg. I, 1. 12. 14; II, 3. 5. [3]) Luc. I, 32. [4]) Io. XVIII, 36. [5]) In Ierem. XXII, 30. [6]) Io. XIII, 3. [7]) Hebr. I, 2. [8]) De Rom. pontif. L. V. c. 4 [9]) Theolog. scholast. P. III. tr. 1. c. 24. [10]) De incarnat. L. XII. c. 15. n. 6. [11]) In Ierem. XXII. 30. [12]) In Io. Tract. CXV. § 2; Cont. Faustum L. XII. c. 42. [13]) In Ierem. XXII, 30. [14]) Diall. theogeneal. cc. 25. 26. [15]) Ib. cc. 39—46. [16]) Ps. LXXXVIII. 52. [17]) IV Esd. III, 1. 2 coll. V, 16—18. [18]) Ps. LXXXVIII, 52.

Salomonidarum locum Nathanitis, ex quibus Christus genus duceret. Possino assentit Zaccaria [1]), atque integrum fere Possini sermonem transcripsit Papebrochius [2]).

14 Ego vero bona cum venia tantorum virorum dixerim, in tota illa Possini disputatione neque unum est, quod non veritati repugnare arguas. Mittam equidem tantisper quaerere, an ex tota Davidis progenie, quantam is undeviginti genitis liberis [3]) suscepisse putandus est, annis post eius obitum quatercentis et sexaginta aut paullo pluribus, demortuo Iechonia, soli Nathanitae superfuerint, quibus Salomonidarum iura cederent, aut, si alii superefant, cur Nathanitae his fuerint praeferendi. Illud potius, vellem, ediceret Possinus, cur scripturae sacrae ne semel quidem aliquod vel levissimum indicium praebeant, quo saltem suspicemur Nathanitas in locum Salomonidarum inque horum iura successisse. Quod si id Nathanitis contigisset, tamen de his iuribus, quae iis cesserunt, nonne ea ipsa demere oporteret, quae nominatim commemorant Possinus eiusque adstipulatores tamquam ad Nathanitas devoluta, iura, inquam, quibus Salomonidae et regnum obtinebant, et Christum ex stirpe sua progignendum exspectabant? Quippe id consequitur ex iis, quae disseruimus [4]) de regno tum Israelitarum tum caelesti ac spiritali, quod Davidis generi mansurum Deus fuerat pollicitus. Pro comperto enim est, non ad universum Davidis sobolem, sed ad unum Salomonem huiusque progeniem promissa pertinere [5]), conditiones vero promissis adiunctas non esse, nisi quod ad regnum Israelitarum [6]), atque ita, ut his non observatis ipsum hoc regnum ac regnandi ius omne, non modo adimendum Salomonidis, sed tollendum omnino esset atque abolendum, nullo autem pacto in alios Davidis posteros transferendum [7]). Haec autem, sicut dicimus, ita se habere historia confirmat; nam Iudaeae regno semel sublato nemo unus e posteris Davidis id denuo adeptus est [8]). Regnum denique spiritale ac caeleste, quod Salomonis generi, id est, Christo mansurum promittebatur, constat nullis conditionibus fuisse obnoxium [9]).

15 At enim, si Salomoni Christus ex ipso exoriturus sine ulla conditione promissus fuisset, quum tamen tota Salomonis progenies multo ante ortum Christi exstincta fuerit, num dicetur Deus fidem Salomonidis fefellisse? Imo longe secus ratiocinari est, atque adeo, quod id dici nequeat, concludimus frustra esse Possinum aliosque, quum universum illum Salomonidarum interitum Iechonia obeunte comminiscuntur, quod tamen commentum aliis quoque rationibus superius iam plane refellimus [10]).

16 Ex iis vero, quae hactenus in hac quaestione protulimus, facile etiam intelligas argumentum psalmi LXXXVIII esse non posse, quale autumat Possinus. Quin tota eius, quam habet de hoo psalmo, sententia funditus mutare dicenda est, pendet enim ex una notione, quam vocabulo *commutationem* subiicit, docens, falso tamen, eo significari *commutatam* esse Christi prosapiam, Nathanitis in locum Salomonidarum suffectis. Etenim hoc nomen non aliud in hoc loco significat, quam commutatum esse sive dilatum tempus, quo Christus adveniret, non quasi dilatum re ipsa esset, sed in quantum Iudaeorum hostes, quum ex una parte animadverterent illos spe teneri, regem quemdam olim futurum, qui ipsos in libertatem adsereret, putarentque id pertinere ad captivitatem, qua tunc Iudaei Babylone premebantur, tandem finiendam, ex altera vero parte nulla dum huius spei brevi implendae argumenta exsisterent, illis miseris illudebant, ut tradidit etiam Ieremias [11]), tamquam si exspectati regis adventus foret dilatus; cui interpretationi, praeter ipsam vim vocis עקבות, chaldaeus quoque paraphrastes suffragatur pro hac voce reddens: *cunctationem vestigiorum pedum*. Et re vera, quum pronum erat exprobrare Iudaeis id, quod dicimus, tum illud alterum prorsus alienum, quod mavult Possinus, quid enim ad exprobrandum caussae, cui probro genti universae foret illud, quod Salomonidis successerint Nathanitae? Lege ea, quae de huius psalmi argumento deque voce עקבות disputata a nobis sunt, ubi vaticinium Nathanis enarravimus [12]).

CAPUT XV

De Salathiele.

1 Salathielem Iechoniae filium dixit Matthaeus, Lucas filium Neri, auctor autem paralipomenon, prout eius verba refert Iochanan ille, qui est in gemara hierosolymitana [13]), filium Asir eum dicere

[1]) Raccolta di dissertazioni T. I. Diss. V sulla doppia genealogia di Christo § 3. n. 21. [2]) Acta sanctor. Martii T. III. Comment. hist. de s. Ioseph. § V. n. 32 et § VI et in Propylaeis Maii Diss. theogeneneat. § V. n. 32 et § VI. [3]) 1 Par. III, 1—9. [4]) Cap. IX. n. 16 seqq. [5]) Ib. 20. [6]) Ib. nn. 16. 17. [7]) Ib. n. 20. [8]) Ib. n. 17. [9]) Ib. nn. 16. 17. [10]) Cap. IX. n. 24. [11]) Ier. XXX, 17. [12]) De interpret. script. sacr. Lib. II. quaest. IX. nn. 74—77. [13]) Sanhedr. c. IV. n. 5. op. *Ugolin.* Antiquit. sacr. T. XXV. p. 561.

videtur. Quaeritur itaque an unus idemque sit Salathiel in illis tribus genealogiis numeratus, sique idem sit, quinam e tribus, quorum filius esse dicitur, eum genuerit. Qua tamen in quaestione, itemque in duabus sequentibus, quas de Zorobabele habebimus, id solum nobis propositum est, ut demonstremus, necesse nequaquam esse eam ob rem inter scriptores sacros ullam sententiarum pugnam confingi; neque enim speramus ipsam rem posse a nobis omni ex parte definiri, ac certo statui, quid de singulis, quae ea quaestio complectitur, sentire oporteat.

2 Ut autem rem citius expediamus, iuvabit veluti in antecessum ipsa verba paralipomenon habere illustrata; sic autem ea sunt in exemplari hebraeo: *Et filii Ioakim, Iechonias filius eius, Sedecias filius eius. Et filii Iechoniae* אסר, *Salathiel filius eius, et Melchiram, et Phadaia etc.* [1]).

3 Animadverte Sedeciam illum, non Ioakimi, sed Iechoniae filium esse, alium rege Sedecia. Nam verba *filius eius* apposita nomini *Sedecias*, secundum eam rationem loquendi, quae scriptoribus veteris testamenti constans est, referenda sunt ad illum, qui proxime praecedit in genealogiis, non vero ad aliquem ex remotioribus, ad Iechoniam, inquam, non ad Ioakimum. Ex pluribus, quae exemplo esse possent, satis sit illud, quod legimus hoc ipso in capite paralipomenon, ubi series regum Iudaeorum post Salomonem ita describitur secundum codices hebraicos: *Filius Salomonis Roboam, Abia filius eius, Asa filius eius, Iosaphat filius eius, Ioram filius eius etc.* [2]). Neque obsunt verba *Et filii Ioakim*, tamquam si plures huius filii forent commemorandi; saepissime enim huiusmodi loquutio usurpatur, etsi unicus filius nominetur, idque vel addita nomini filii voce בנו *filius eius* [3]) vel secus [4]), contra etiam fit, ut, ubi plures alicuius filii numerandi sunt, praeponatur vox *filius* singulari numero [5]). Tum voces *Et filii Ioakim*, non ad Iechoniam solummodo, sed ad totam progeniem pertinent, quod in aliis quoque genealogiis factum videmus [6]), licet sola filii unius singulorumque deinceps continua generationum serie posterorum nomina descripta sint [7]); ex quo appuret interpretem vulgatum, qui ita dixit: *De Ioakim natus est Iechonias et Sedecias*, nequaquam adversari sententiae nostrae, eodem enim modo loquutus est, quo alias Iudae posteros recensens, videlicet: *Filii Iuda, Phares, Hesron, et Charmi, et Hur, et Sobal* [8]), quamquam Hesron Pharesi filius fuerit [9]), Hur vero Hesronis nepos [10]), Sobal denique filius Huri [11]).

4 Vix autem sine stomacho legere est, quae hac de re scripsit Possinus [12]), qui, ut Iechoniam orbum faciat, vincere conatur Sedeciam hunc eumdem esse ac Ioakimi fratrem Iechoniae patruum, quae Grotii quoque sententia est [13]), dici autem Iechoniae *filium*, quia in regnum huic successerit, non secus ac Romanorum imperatores suorum decessorum filios sese appellabant [14]). Verum quis non sentiat longe aliud esse ἐπιγραφὰς sive honoris titulos ponere, quales eae sunt, in quibus mos iste imperatorum romanorum comparet, aliud vero historiam imo genealogiam conscribere? Mira autem est Possini argumentatio. Ait Sedeciam, Iechoniae filium eo appellari, quod huic in regnum successerit, idque illo Romanorum imperatorum more illustrari. Positum itaque habet hunc morem Iudaeis quoque fuisse. At qui istud probat? Nempe quia hoc in loco Sedecias Iechoniae patruus et successor, huius filius appellatur. At nonne Sedecias iste alius est rege Ioakimi fratre? Minime gentium, ait ille, UNUM *enim hunc* UNICE *agnoscunt sacrae huius temporis historiae Sedeciam, quem hoc loco habemus Iechoniae filium dictum esse*; ET NON POTEST SOLVI SCRIPTURA. Praeclare admodum! Quasi vero *sacrae huius temporis historiae*, eos omnes, quotquot in Iudaea vivebant, aut saltem ex stirpe regia erant, meminisse debuerint. Imo eo ipso, quod *non potest solvi scriptura*, nefas est *unum hunc unice Sedeciam agnoscere*; in hoc enim scripturarum capite alter Sedecias alius eo, qui postremus omnium regnum Iudaeae obtinuit, manifesto proditur, quum alter patruus alter vero Iechoniae filius fuisse dicatur. Pergit tamen Possinus, et, quem Iechoniae patruum simul et filium esse dixerat, tandem [15]) huius fratrem facit, iis illum adnumerans, quos Iechoniae fratres vocat Matthaeus [16]), aitque Iechoniam eiusque patruum Sedeciam fratres dici posse, quod uterque Iudaeae regno potitus sit; prior enim Iechonias, quem Matthaeus commemorat, Possino alius non est posteriore, quem ipse, non secus ac nos, Ioachinum Ioakimi filium esse autumat.

5 Illud potius nobis opponere quis posset, filios Iechoniae deinceps recenseri; nam post nomen Sedeciae haec statim leguntur: *Et filii Iechoniae etc.* [17]). Cuius loci dissolutio tota pendet a notione subiecta voci אסר, quae excipit nomen Iechoniae. Hanc vocem interpretes graecus et latinus, atque

---

[1]) I Par. III, 16 seqq. [2]) I Par. III, 10 seqq. Vide et VI, 35 seqq. hebr. [3]) I Par. IV. 7. 11. 35 etc. [4]) Ib. I, 41; II, 8. 31; III, 22; IV, 13. 15; VI, 14 etc. [5]) Ib. III, 19. 21. 23; IV, 17. [6]) Ib. IV, 1; VI, 7. 11. 35 etc. [7]) Ib. IV, 1. [8]) Ib. [9]) Ib. II, 5. [10]) Ib. 19 coll. 18. [11]) Ib. 50. [12]) Diallact. theogenealog. c. 44. [13]) In Luc. III, 23. [14]) *Mazochii* Spicileg. biblic. in Matth. I, 1. [15]) Op. cit. c. 47. [16]) Matth. I, 11. [17]) I Par. III, 17.

Iochanan ille Gemaricus, quem iam nominavimus (1), pro nomine proprio habuerunt, quo Iechoniae filius vocaretur; interpretes vero syrus et arabs eam cum sequenti nomine Salathielis copulatam, quantum ex hodiernis codicibus syriacis atque arabicis coniicere est, ut unicum nomen exhibuerunt, idque apud syrum est *Asrastil*, apud arabem *Isbasul*. Haec interpretationum discrepantia nos quidem iuvat, eatenus tamen, quatenus ea efficitur non omnino certum atque exploratum interpretibus fuisse, an illa voce aliquis homo tamquam proprio nomine designaretur, nec ne, quo fit, ut fidentius eam huius vocis significationem accipiamus, quam suggerit hebraicum *ἀρχέτυπον*, aliaque momenta defendunt, vocem vero ipsam tamquam epithetum Iechoniae, *vinctum* sive *captivum* significans. Etenim, ubi alicuius filii ac posteri recensentur praescripto illo veluti titulo בני פל׳ aut בן פל׳, numquam eius nomini adscribitur accentus *minister*, qui arctiorem sententiae continuationem indicat, nisi quum sequitur aliquod appositum eidem ipsi huic nomini iungendum, quod fit in Gen. XXXVI, 14; I Par. IV, 15. 18. 21; V, 1, 3; VIII, 39; alias, in Gen. X; XXXVI; XLVI, 8—27; Ex. VI, 14—25; Num. III, 17—20; XXVI; I Par. I—IX, illud nomen accentu *regio* notatur, quo sententia interpungitur. Iam vero nomini *Iechoniae*, quod est ante vocem אסר, accentus *minister* adpictus est, atque adeo vox ista non proprium nomen est alicuius ex filiis Iechoniae, sed Iechoniae ipsius epithetum, ut inde hic sensus exsistat: *Et filii Iechoniae* CAPTIVI, *Salathiel filius eius et Melchiram*, *et Phadaia etc.* Qua posita interpretatione, sicut nonnihil inde commodi percipit sententia, quam tuemur, ita aliquot difficultates diluuntur. Nam continuo deprehendes *ἀναλογίαν*, quae est inter hoc Iechoniae epithetum interque illa Matthaei verba: *Post transmigrationem Babylonis.* Sublata insuper est inter Iechoniam et Salathielem una *γενεά*, quam neque Matthaeus retulit; num si אסר esset nomen proprium, Salathielem non Iechoniae filium esse constat, sed nepotem, tum quia voces *filius eius* additae Salathielis nomini ad eum referendae sunt, qui proxime in genealogia praecessit (3), tum etiam quia inconcinne adderentur nomini alterius Iechoniae filiis, non autem primi ceterorumque Iechoniae filiorum, qui subsequuntur. Praeterea eadem hac interpretatione semel posita apparet, cur auctor, postquam unum Iechoniae filium Sedeciam nominavit, alios nominet praescriptis illis verbis: *Et filii Iechoniae* אסר; utique quo distinguat sobolem, quam is ante captivitatem procreaverat, ut Ieremias quoque narrat[1], ab ea, quam captivus suscepit, perinde ac si diceret: Iechonias genuit Sedeciam, postquam vero in captivitatem est abductus, genuit Salathielem. Haec autem satis profecto sunt, quibus propositam difficultatem removeamus.

6 Quae quum ita sint, quumque omnimodis constet nominum convenientia[2] inter Christi maiores, quos ab Abrahamo ad Salathielem usque recenset Matthaeus, quosque scriptor paralipomenon, quis iure suspicetur Salathielem, quem uterque nominat, non unum atque eumdem esse? Id tamen non suspicatur modo, sed pro certo affirmat Harduinus[3], cui Iechonias Salathielis pater a Matthaeo commemoratus, ut diximus[4] non est Ioachin rex, sed Iochanan Iosiae filius; quare, inquit, alius quoque sit oportet in paralipomenis Salathiel Ioachini, alius Salathiel Iochananis filius apud Matthaeum, eoque magis, quod in paralipomenis nulli Salathielis liberi comparent, Zorobabel enim ibi nominatus, non Salathielis, sed Phadaiae filius est[5]. At, quamquam Iechonias Matthaei idem esset ac Iochanan, num necessario consequeretur Salathielem Matthaei alium esse Salathiele paralipomenon? An non fieri potuit, ut eum ex vidua Iochananis, qui *ἄπαις* decesserit, Ioachin generaret, quo ille Iochananis filius lege haberetur[6]? Quum tamen, quod Harduino respondeamus, verbum *genuit* obstare videatur, negamus alterum Iechoniam a Matthaeo adnumeratum Christi maioribus alium esse quam Ioachinum regem Iudaeae, quod iam superius disputavimus[7]. Quam autem *λογικῶς* Harduinus unum eumdemque esse in utroque libro Salathielem ideo infitietur, quia aliquis Salathielis filius est in Matthaeo, nullus in paralipomenis, ipse viderit; potiore enim fortasse iure depromptum ex hoc eodem loco argumentum contra ipsius sententiam urgere possemus, quod Iochananis quoque sobolem, nedum in paralipomenis, sed et in toto sacro codice, quantus est, frustra perquiramus. Ceterum de filiis Salathielis inferius agemus.

7 Nunc venimus ad Salathielem, qui est in evangelio Lucae. Hunc eumdem esse ac Salathielem Mathaei et paralipomenon certo affirmare nequimus; unicum enim huius rei argumentum suppeditat nomen Zorobabelis, quo ab utroque evangelista Salathielis filius vocatur; contra vero tum Salathielis maiores, qui post Davidem enumerantur, tum posteri Zorobabelis, qui recensentur usque ad Iosephum, quantum ex nominibus coniicere est, diversi omnino sunt in Matthaeo ac in Luca. Augustinus quidem

---

[1]) Ier. XXII, 28. [2]) Cap. XII. nn. 4. 8. [3]) Chronol. V. T. ann. U. C. 753. [4]) Cap. XII. n. 4. [5]) I Par. III, 19. [6]) Cap. II. n. 6. [7]) Cap. XII. n. 5.

patavit [1]) in dubium vocari posse, an unus atque idem Salathiel sit, cuius evangelistae meminere; sunt imo, qui aliam atque alium esse autument, verbi caussa Galatinus [2]), Tirinus [3]), Gerardus Ioannes Vossius [4]).

8 Itaque, si nos quoque Salathielem Lucae alium Salathiele Matthaei esse dicamus, quum nihil omnino de illo literis consignaverint scriptores veteris testamenti, item nihil esse potest, sive quod de illo narremus, sive quod Matthaeum inter et Lucam componamus. Sin vero unum atque eumdem putare malis, caussam afferas oportet, cur ille a Matthaeo Iechoniae, a Luca Neri filius esse dicatur.

9 Harduinus [5]) rem facile confici posse existimat, aitque Salathielem Neri filium appellari, quod huius gener fuerit; quam sententiam merito ridet Zaccaria [6]). Nec tamen sibi deest Harduinus, quin exempla ipsi praesto sint ex scripturis deprompta, imo et ex Homero [7]), quibus probet etiam generos filiorum nomine designari. Horum primum est, quod, ubi Moyses Iacobi familiam recenset, etsi is unicam filiam Dinam habuerit, quum tamen plures eius *filiae* commemoreatur [8]), etiam Iacobi nurus appellatione *filiarum* comprehendi dicendum sit. Hac tamen re nihil ille conficit. Etenim, ubi iterum illarum filiarum mentio fit [9]), has non plures sed unam Dinam esse, pro comperto est; nam Moyses ita scripsit: *Omnes animae filiorum eius (Liae) et filiarum triginta tres* [10]); quae ratio constabit, si triginta duobus maribus, qui nominati sunt, Dinam adnumeres. Quare non est, cur eamdem vocem *filiae*, ubi primo ea usurpata est [11]), in aliam notionem accipiendam putes. Qui loquendi mos ille ipsissimus est, quem superius diximus (3), et quo scriptores sacri in genealogiis contexendis vocem plurali numero *filii* tunc etiam adhibuerunt, quum unicus alicuius filius nominandus erat. Imo linguae quoque vernaculae idem est mos, ut, quum alicuius, qui plures filios masculos unam vero foeminam genuerit, soboles summatim enuntianda est, ita loquamur: *Tra figli e figlie, ne ha tanti*; atque eum sane rideremus, qui ita loqueretur: *Tra figli e figlia etc.* Quid vero, quod Moyses aperte nos docet Iacobi norus ex illa summa esse demendas [12])? Quum deniqae filiorum nomine filios aeque ac nepotes appellare mos fuerit scriptoribus bibliorum, ut superius (3) animadvertimus [13]), atque ex hoc ipso capite geneseos discere est [14]), manifestum quoque fit filiarum nomine et Dinam Iacobi filiam et Saram neptim [15]) posse comprehendi. Alia autem exempla, quae ex libris Ruthae [16]) et Regum [17]) profert Harduinus, nihil aliud demonstrant, nisi generos et nurus a soceris et socrubus, dum simul confabularentur, *filios* ac *filias* ex amoris ac benevolentiae affectu fuisse vocatos, sicut alios quoscumque, non Iudaeis modo, sed cuilibet hominum vocare mos est. Cur vero rationem hanc componendi Matthaeum et Lucam, quod ad Salathielis patrem, inierit Harduinus, id caussae fuisse videtur, quod vellet, sibi aliquid suppeteret, quo exemplo uti posset, ubi pari ratione eosdem illos duos componere oportebat quod ad Iosephi patrem; Iosephum enim Iacobi filium Helis generum esse contendit. Illud equidem assequi nequeo, quum huae appellationis *filii* usum tam acriter propugnet, quid caussae sit, cur aeque acriter neget pro filio demortui habitum aut vocatum esse eum, quem demortui sive frater sive agnatus ex ipsius vidua eidem huic ipsi lege mosaica genuerat.

10 Potior ea ratio est, quam iniit Possinus [18]) scribens Salathielem alterius e duobus eius patribus, qui nominantur, filium dici, quod ab hoc genitus sit, alterius vero, quod in huius bona ac iura hereditate successerit. Eo tamen a Possino dissentiamus, oportet, quod Salathielem a Neri genitum fuisse omni ope vincere nititur. Quin, licet res sic se haberet, ut Possino placet, longe tamen is adhuc abesset ab eo, quod evincendum receperat, Christum non ex Salomonis, sed ex Nathanis stirpe originem docere. Quonam enim argumento id demonstravit? Num quia Lucas in Nathanis posteros eum retulit? At nonne Matthaeus magis aperte Salathielem adscripsit in progeniem Salomonis? Nonne inter Nathanem et Nerim γενεαν aliquam legalem Lucas inserere potuit? Tum, etiamsi Neri et Salathiel a Nathane genus ducerent, eos tamen, qui post utrumque ab utroque evangelista enumerantur, omnes ad unum ex Nathanis posteris esse qua ratione efficiatur? Denique, quum loquendi ratio, quam in hac genealogia exponenda sequitur Matthaeus verbo *genuit* constanter usurpato, cogat nos credere Salathielem ex Salomone progenitum, licet illud inferre probabilitate magna, ex eodem esse progenitum etiam Nerim, quippe cui filium *legalem* genuerit Iechonias unus ex Salomonis posteris, quod officium demortuo ἀπαιδι is praestare debebat, qui huic agnatione maxime omnium foret coniunctus.

---

[1]) Quaest. 46 in Deuteron. XXV, 7. [2]) De arcan. cathol. veritat. L. VII. c. 12. [3]) In Matth. I, 12. [4]) De genere Christi c. 3. § 12. [5]) L. c. [6]) Raccolta di Dissert. Diss. V. sulla doppia genealog. di Cristo. § 3. n. 10. [7]) Iliad. III. v. 162. [8]) Genes. XLVI, 7. 15. [9]) Ib. 15. [10]) Ib. [11]) Ib. 7. [12]) Ib. 26. [13]) Cap. IV. n. 3. [14]) Gen. XLVI, 15. 18. 22. 25. [15]) Ib. 17. [16]) Ruth. I, 11 etc. [17]) I Reg. XXIV, 17. [18]) Op. cit. cc. 39. 44. 45. 46.

11 Quare, ut id, quod sentio, tandem aperiam, censeo obnitendum non esse, ut unum eumdemque Salathielem ab utroque evangelista commemorari affirmemus. Attamen, si alium esse ponamus, difficultas non nihil augebitur in duabus genealogiis simul comparandis, ambae enim a Davide ad Iosephum usque numquam concordarent. Sin vero unum Salathielem atque eumdem agnoscas in utraque genealogia, nulla alia ratio tibi suppetet, qua explices, qui fieri potuerit, ut duos patres ille haberet, nisi si dicas horum alterum Salathielis patrem esse naturalem, alterum legalem; neque enim ullum aliud parentum genus agnoscunt leges mosaicae, nullumque genealogiae Israelitarum possunt exhibere, utpote quae, item ac gentium ceterarum, editae sunt ad alicuius gentis commonstrandum, quod cognosci nequit, nisi patre naturali aut saltem legali nominato. Quum autem Matthaeus Salathielem ab Iechonia genitum dicat, quumque hoc idem narrare putandus sit scriptor paralipomenon Salathielem Iechoniae filium appellans, quum omnes genealogiae, quae in paralipomenis sunt descriptae, naturales γενεὰς exhibeant, ut comperimus vel ex eo, quod in illis sedulo adnotetur, si quis orbus mortuus fuerit [1], si multos liberos habuerit [2], si paucos [3], si feminas solummodo [4], quantamque ex filia progeniem [5], quum denique in eodem illo libro paralipomenon plures Iechoniae filii ne posteri enumerentur, his ergo omnibus positis, necesse est, concludamus, Iechoniam filium legalem habere non potuisse [6], ideoque eum naturalem Salathielis patrem esse, Nerim vero legalem.

12 Adversari tamen nobis creditur δευτέρωσις Iudaeorum, qua reges exleges erant, tum quod ad ducendas viduas agnatorum, tum quod ad suas ipsorum viduas agnatis matrimonio copulandas, imo ne legem illam observarent, erant prohibendi [7]. Verum, si ea δευτέρωσις olim obtinuit atque ante captivitatem, putanda tamen est ad reges pertinuisse adeo, dum regni potiebantur, dumque integra re indaica legum vis stetit non autem eo tempore, quo, rege ipso in captivitatem abducto atque exsule, leges magnam partem nec observabantur nec observari poterant; idque eo maxime, quia, etsi illo privilegio reges uti iuberentur, non tamen hac re fiebat, ut, si quis uti noluisset, viduamque agnati sui duxisset, irritum foret coniugium, aut, qui primo ex hoc oriretur, haberi non deberet pro filio demortui. Tum in mischnae capite, in quo en δευτέρωσις est, dicitur Iudas tale coniugium, contra dicentibus utique aliis doctoribus, regi permittere.

CAPUT XVI

De Zorobabele.

1 Zorobabel Salathielis filius appellatur ab Esdra [8], a Nehemia [9], ab Aggaeo [10], a Matthaeo [11], et a Luca [12], Phadaiae filius ab scriptore paralipomenon [13]. Ratio non est, cur dubitemus Zorobabelem Matthaei eumdem esse atque illum, cuius Aggaeus, Nehemias, et Esdras meminere. Num idem haberi debeat ac Zorobabel Lucae, secundum ea, quae in superiore quaestione dicta sunt, definiendum est. Si enim unum eumdemque Salathielem Matthaei et Lucae putes esse, item sentias necesse est, de Zorobabele, non item, si duos Salathieles. Maius negotium facessere nobis videtur discrepantia, quae est Matthaeum inter iuterque paralipomena.

2 Confecta foret haec quaestio, si in paralipomenis pro Phadaia Salathiel reponeretur, sicut est in codicibus alexandrino et cantabrigensi. Ast unn duorum codicum graecorum quantumvis magni ponderis auctoritas exigui sane momenti est, si eam omnibus ceteris auctoritatibus componamus. Verum aliae rationes non desunt, quibus quaestio, quantum satis est, conficiatur.

3 Sunt, qui docent Zorobabelem non Salathielis filium sed nepotem fuisse, filium vero Phadaiae [14], quum Phadaias tamquam eiusdem huius Salathielis filius numeretur, ipsumque Phadaiam inseri volunt in genealogiam, quam scripsit Lucas, quum secus in ea non sint septuagintaseptem γενεαι, quot eas esse aiunt Hieronymus, Augustinus, Gregorius, alii. Qui tamen putari possit Salathielis filius fuisse Phadaias, non autem Iechoniae, is diiudicet, qui vel ipsum hebraicum ἀρχέτυπον, vel interpretationes paralipomenon legerit. Etenim latinus interpres, cui graecus assentit, ita scripsit: ***Filii Iechoniae fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Seneser, et Iecemia, Sama, et Nadabia. De Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei.*** Syrus et arabs in bibliis polyglottis: ***Et filii***

---

[1]) I Par. II, 30. 31; XXIV, 2. [2]) Ib. VIII, 40. [3]) Ib. IV, 27. [4]) Ib. II, 34. [5]) Ib. seqq. [6]) Cap. II. n. 21. [7]) Mischna Sanhedr. c. 2. n. 3. [8]) I Esdr. III, 2. [9]) II Esdr. XII, 1. [10]) Agg. I, 1. [11]) Matth. I, 12. [12]) Lucae III, 27. [13]) I Par. III, 19. [14]) Sainte bible *De Vence* T. XIX. Dissert. sur la généalogie de S. C. pp. 166. 167. Paris 1829.

Nadabiae, *Zorobabel cetera*, in aliis tamen utriusque exemplaribus: *Et filii Phadaiae*, *Zorobabel cetera*. Hebraice vero haec ita sunt: *Filii Iechoniae captivi*, *Salathiel filius eius*, ET *Melchiram*, ET *Phadaia*, ET *Senneser*, *Iecemia*, *Hosama et Nadabia*. *Et filii Phadaiae Zorobabel*, *et Semei*. Testimonia Hieronymi, Augustini, et Gregorii quomodo explicari queant, facile disces, si ea recolas, quae de duplici Christi genealogia in universum ediximus [1]). Quod autem Hieronymus scripserit *ab Adam usque ad Christum generationes septuaginta septem* [2]) numerari in evangelio Lucae, non hoc credere est Phadaiam nominatum fuisse in exemplari Lucae, quo Hieronymus utebatur, sed potius Ioram insertum inter Aram et Esron, quod plures codices atque interpretes habent [3]); nisi dicere malis a Hieronymo levi errore Adamum pro Deo fuisse positum.

4 Quo itaque hoc nodo te extrices, alterutra tibi via ineunda superest, ut vel ex duobus Zorobabelis patribus alterum naturalem esse dicas, alterum legalem, vel neges Zorobabelem Matthaei eumdem esse ac Zorobabelem paralipomenon.

5 Si primum tibi magis arrideat, multum habebit quaestionis, uter duorum, Phadaias an Salathiel, Zorobabelem generaverit. Matthaeus quidem Zorobabelem a Salathiele fuisse genitum diserte pronuntiat; at in paralipomenis, praeterquam quod, sicut iam animadvertimus [4]), genealogiae omnes ex naturalium γενεῶν seriebus constare putandae sunt, Phadaiae alter praeter Zorobabelem filius nomine Semei adscribitur, quum tamen filium *legalem* habere nequiret, nisi qui orbus obiisset [5]). Si coniicere lubeat, illud praesto est, Semei ante patrem praemortuo, Phadaiam nullos liberos superstites reliquisse, ideoque Salathielem Phadaiae fratrem, quum huius viduam lege uxorem duxisset, filium *legalem* Zorobabelem fratri demortuo procreasse. Sed, quum haec mera est coniectatio, tum illud obest, quod Zorobabel, quum ante Semeim nominetur, Phadaiae filius maior natu esse videatur [6]). Adde, quod nihil tale ex genealogiis in sacro codice descriptis depromere poteris, quo suspicio saltem fiat naturales simul ac legales alicuius filios promiscue atque indiscriminatim recenseri, quod inconcinnum foret quam maxime.

6 Praestat itaque, negare Zorobabelem, qui est apud Matthaeum, eumdem esse ac Zorobabelem in paralipomenis commemoratum. Etenim non modo quaestio omnis absoluta hoc pacto est, sed et rationes, quibus illud negemus, minime desunt. Nam alius est Zorobabelis pater in paralipomenis, alius in evangelio. Inter illius Zorobabelis filios, quos scriptor paralipomenon enumerat, neuter eorum comparet, quorum alterum Matthaeus alterum Lucas nominavit. Scriptorem paralipomenon, quum Salathielis posteritatem reticuerit, manifestum fit evangelistis haudquaquam adversari. Quum nomen *Zorobabel* ipsa sua notione quemdam veluti χαρακτῆρα praeferat, quo prodit se Babylone primo inventum esse, et captivitatem indicat, qua Iudaei illic premebantur, veri omnino simile est plures Babylone ortos hoc nomine fuisse vocatos. Denique verbum *genuit*, cui hac posita interpretatione vis sua integra manet, eam praeferre suadet.

CAPUT XVII

De posteris Zorobabelis.

1 In posteris Zorobabelis recensendis duo sunt, quae non levem nobis pariunt quaestionem. Primum est, quod Matthaeus [7]) Zorobabelis filium nominet alium eo, quem nominat Lucas [8]), neutrum autem horum scriptor paralipomenon inter filios Zorobabelis enumeret [9]), ac tota deinceps Zorobabelis progenies diversa sit apud istos tres scriptores. Alterum, quod inter Zorobabelem et Iosephum Matthaeus novem ex Christi maioribus enumerat, Lucas vero totidem alteris plus, hoc est, duodeviginti.

2 Franc. Antonius Zaccaria, quo hoc alterum explicet, rationem petit ex eo, quod Matthaeus, quantum ipse autumat, genealogiam ediderit mistam ex parentibus filiisque partim naturalibus partim legalibus [10]), ideoque pauciores a Matthaeo recensos dicit, *quia maiores* LEGALES *naturalibus pauciores esse solent* [11]). Quid sentiendum sit de mista illa genealogia, ubi locus erit, expendemus; nunc propositam a Zaccaria utriusque genealogiae simul componendae rationem examinemus. Aio rationem hanc esse omnino inopportunam.

---

[1]) Cap. I. n. 4. [2]) Ad Damas. ep. XXXVI al. CXXV. § 5. [3]) Cap. I. n. 4. [4]) Cap. XV. n. 11. [5]) Cap. II. n. 21. [6]) Ib. n. 2. [7]) Matth. I, 13. [8]) Luc. III, 27. [9]) I Par. III, 19, 20. [10]) Raccolta di Dissert. etc. Diss. V. sulla doppia genealogia di Cristo § 3. n. 13. [11]) Ib. n. 19.

3 Etenim quaerere, uter evangelistarum naturalem, uter legalem ediderit Christi genealogiam, idem est ac quaerere, uter naturalis Iosephi pater fuerit, uter legalis, Iacob an Heli. Quemadmodum enim, quod alter evangelista Iosephi patrem naturalem nominaverit, non hoc recte concludas omnes quoque γενεὰς ab eodem descriptas naturales esse, eaque de caussa naturalem vocari illam genealogiam, sic in genealogia, quae exhibet Iosephi patrem legalem, putandum non est nullum naturalium proavorum positum esse, ex quibus Ioseph re ipsa progenitus fuit, legalesque solummodo recenseri, atque ideo illam legalem dici. Quare quisque comperit, quod, etsi alter evangelista naturalem, alter legalem Christi prosapiam percensuisse dicatur, non tamen ex hoc quidquam consequi, quo explicentur, et inter se componantur cetera, quae in illis genealogiis videntur discrepare, praesertim vero id quod attinet ad γενεῶν numerum definiendum.

4 Praeterea haec ratio sententias Matthaeum inter et Lucam componendi ex eo petita, quod alter naturalem alter legalem alicuius patrem nominet, ad id valet, ut illas γενεὰς illustremus, in quibus idem filius diversis parentibus adscribitur; sed nunc contrarium prorsus in disputationem venit, quum agatur de diversa posterorum serie ex eodem auctore Zorobabele deducta. Quare, quum unus tantum aut alter ac tertius fortasse in his genealogiis reperiatur, cuius duos patres nominari certo constet, Ioseph, inquam, et, ut veri similius videtur, Salathiel [1]), forte etiam ille vel Mathan vel Mathat (10), solum quod ad tres istas γενεὰς illustrandas illa ratione utique iuvari ita possumus, ut rem definiamus; quod vero ad cetera genealogiarum capita, in quibus diversa progenies est ab eodem auctore deducta, ut aliquid definiamus, nihil certi confert ratio γενεῶν legalium, sed id unum nos iuvat, ut, quum certo constet hunc γενεῶν modum apud Israelitas obtinuisse, tuto ac fidenter negemus, oportere illas duas genealogias omni ex parte disparatas esse ac disiunctas, fieri enim potuit, ut, qui ab alterutro evangelistarum unius filius fuisse dicitur, filius simul esset alicuius ex illis, quos alter evangelista commemorat. Fac exempli gratia Nathanem Davidis filium absque liberis mortuum esse, ita ut Salomon fratris vidua ducta Mathatam genuerit, qui Nathanis filius et lege haberetur, et a Luca vocatur, iam, quod dicimus, plane assequeris. At quid, quaeso, legales γενεαὶ conducant ad diversum numerum capitum, quae Matthaeus et Lucas describunt, explicundum et difficultatibus, quibus premitur, liberandum?

5 Admodum, inquit Zaccaria, ideo enim pauciores enumerantur a Matthaeo *quia maiores* LEGALES *naturalibus pauciores esse solent.* At numquid omnes, quos Matthaeus enumerat, maiores Iosephi *legales* esse credendi sunt? nonne, quantum Zaccariae sententia fert, naturalibus intermisti? Quum autem maiores legales loco naturalium sint, patet, etiamsi aliqui ex maioribus Iosephi a Matthaeo descriptis *legales* essent, totam tamen maiorum summam differre non posse ab ea, quae foret, si naturales solummodo Matthaeus descripsisset. Quare, quum hanc rationem attulit Zaccaria, eam minime expendisse putandus est, nec, quid scriberet, satis cogitasse.

6 Imo haec ratio, non modo difficultatem non removet aut minuit, quam diversus ille maiorum numerus affert comparantibus duas Christi genealogias, quin eam potius auget. Etenim in universum coniugiis viduarum cum agnatis prioris mariti, unde legales illae γενεαὶ sunt repetendae, locus erat ob praematuram huius obitum, at non esse poterat, si quis affecta admodum aetate decedens viduam reliquisset vetulam et ipsam effoetam, et procreandis liberis ineptam. Iam vero alicuius maiores qui intra certum temporis spatium fuere, quo maturius praemortui sunt, eo plures fuisse oportet: ideoque plures potius quam pauciores proavos reperiri necesse est in iis genealogiis, in quibus legales naturalibus admiscentur, contra vero in iis, in quibus omnes ad unum naturales sunt.

7 Ut itaque tandem edicam, quid hac de re sentiendum esse mihi videatur, primum animadverte, quum inter Iudaeos a Cyro in libertatem adsertos et inter natum Christum quingenti et triginta anni ferme effluxerint, satis esse generationes a Matthaeo exhibitas, quarum continua serie totum illud temporis spatium expleatur. Si enim Abiud a Zorobabele genitus esse dicatur triginta circiter annis post captivitatem, Christus vero ortus, quum Ioseph annum ageret quinquagesimum, necesse non est, ut aliquem ceterorum serius genuisse ponas, quam anno aetatis quinquagesimo. Verum, quum utrumque vix credibile fiat, vel hos omnes continua serie nonnisi tam matura aetate genuisse, vel, quod unum dicere superesset, totam hanc genealogiae partem constare ex iis solummodo, qui serius geniti fuerant, quumque etiam alterutro horum posito adhuc tamen dispar ille γενεῶν numerus animum percellat, potius crederem ultimam hanc τεσσαρεσκαιδεκάδα, sicut secunda est [2]), et forte

[1]) Cap. XV. [2]) Cap. X. n. 1.

etiam prima [1]), mancam esse, atque aliquos ex Christi maioribus in ea omissos esse [2]). Qua in sententia Papebrochium adstipulatorem habeo [3]).

8 Nunc venio ad id, quod primo loco proposueram quaerendum de diversa sobole ac progenie Zorobabelis. Quod ad filios attinet, discrepantia, quae est Matthaeum inter et Lucam, iam non multum parit negotii. Si enim alius est Zorobabel in Matthaeo alius in Luca, iam nulla de diversis filiis quaestio superest. Sin autem unus atque idem est, ut fert communior sententia, atque veri magis simile videtur, non alia huius, quam superioris capitis, quod est a Davide ad Zorobabelem, discrepantiae caussa est, quia videlicet non per eumdem Zorobabelis filium genealogiam deducere Matthaeus et Lucas porro pergunt. Caussam vero, cur neutrum eorum, quos hi nominant, inter Zorobabelis filios enumeret scriptor paralipomenon, hanc esse crederem, quod, ut magna probabilitate alias diximus [4]), alius Zorobabele Matthaei, ideoque et Lucae, is sit, quem ille scriptor nominavit. Quod si alium esse neges, integrum tibi erit putare aliquem ex Zorobabelis filiis vel omissum esse in paralipomenis, quum non omnes omnium filios horum scriptor recenseat, vel binominem illum fuisse [5]). Attendas praeterea, ut Abiud, quem Matthaeus a Zorobabele genitum dicit esse, forte non huius filius, sed vel nepos fuit, vel alio agnationis gradu ab eo remotior. Fac itaque Resam, quem Lucas vocat, alio nomine vocari in paralipomenis, Abiudem vero esse unum ex ipsius Resae filiis aut nepotibus, iam nulla quod ad hanc rem supererit inter istos tres scriptores discrepantia.

9 Cur vero reliqua progenies Zorobabelis alia sit in paralipomenis ac in Matthaei aut Lucae evangelio, siquidem unicum in his tribus libris Zorobabelem agnoscas, in promptu caussam habes, eaque est, quia in paralipomenis ex pluribus Zorobabelis filiis unus Hananias est, cuius progenies describatur.

10 Discrepantiae denique Matthaeum inter et Lucam tantam difficultatem haudquaquam inesse, ut prima specie videtur, facile dabis, ubi haec in memoriam revocaveris. Aliquos ex Zorobabelis posteris, uti iam animadvertimus (7), a Matthaeo fuisse praeteritos. Tum quosdam ex illis binomines esse, ut verisimile est, pro more, qui apud Israelitas ea praesertim aetate iam obtinuerat [6]), unoque horum nominum eos a Matthaeo vocari, altero a Luca. Praeterea nomina, quae leguntur apud Lucam, pessime habita esse a librariis [7]), ut suspicari liceat horum aliquot, quae modo alia sunt, eadem olim fuisse in utraque genealogia. Denique nomina quaedam in utraque genealogia legi, inter quae aliquam adhuc similitudinem deprehendere est. Quibus positis, quidni putemus Ioannam Resae filium ac *Iudae patrem* [8]) a Luca commemoratum eumdem esse ac Abiudem commemoratum a Matthaeo [9]), quum *Abiud*, chaldaice אב יהוד significet *patrem Iudae*? Nomen *Sadoc*, quod legitur in Matthaeo [10]), quodque *iustus* verti potest, forte est agnomen alicuius, qui proprio nomine a Luca vocatur, tum enim ex novo testamento [11]), tum ex Iudaeorum monumentis [12]) discimus alius etiam hoc agnomine fuisse appellatos. *Nagge*, qui comparet in latinis Lucae codicibus [13]), in graecis vulgatioribus est *Ναγγαι*, in aliis vero vel *Ναγκαι*, vel *Μαγγε*, vel *Ἀγγαι* [14]), cui nomini adeo, ut nunc est, vexato nomen *Achim* olim fortasse respondebat in evangelio Matthaei [15]). Achimi filius apud Matthaeum est *Eliud*, Naggae vero filius apud Lucam [16]) est *Hesli*, qui et *Sedi*, et *Eslim*, et *Elim* nomen habet in diversis codicibus [17]); at *Eli* ex *Eliud* fieri potuit per apocopen [18]). Denique Iosephi avus a Matthaeo quidem *Mathan* vocatur [19]), a Luca vero, ut habent codices vulgatiores, *Mathat* [20]); quorum nominum similitudo satis visa est Augustino, cur sineret [21]), ut unus atque idem homo *Mathan* et *Mathat* esse putaretur; idque eo magis putare licet, quia sicut etiam in Luca *Mathan* pro *Mathat* legerunt Gregorius Nazianzenus [22]), Epiphanius [23]), Iosephus scriptor Hypomnestia [24]), vetus Scholiastes [25]), interpres graecus vulgaris [26]), Erasmus [27]), Palatinus [28]), ac *Mathan* pro *Mathat* habent codices ferme viginti, ita nec Matthaei exemplaria desunt in quibus *Matthat* pro *Mathan* positus est [29]). Sed de his duobus nominibus iterum loquemur [30]).

[1]) Cap. VIII. n. 4. [2]) Cap. XVIII. n. 2. [3]) Acta sanctor. martii T. III ad diem XIX Comment. hist. de s. Ioseph. § 38. [4]) Cap. XVI. nn. 4—6. [5]) Cap. III. n. 3. [6]) Cap. III. n. 3. [7]) Cap. I. n. 4. [8]) Luc. III, 26. 27. [9]) Matth. I, 13. [10]) Ib. 14. [11]) Act. I, 23; XVIII, 7; Coloss. IV, 11. [12]) *Ioseph.* Antiqq. L. XII, c. 4. § 1. Wolf. Biblioth. hebr. P. II. c. 3. pp. 763. 785. 790 etc. [13]) Luc. III, 25. [14]) *Mill.* et *Griesb.* ad h. l. [15]) Matth. I, 14. [16]) Luc. l. c. [17]) *Mill.* et *Griesb.* ad h. l. [18]) Cap. III. n. 10. [19]) Matth. I, 15. [20]) Luc. III, 24. [21]) De Deuteron. quaest. 46. [22]) Carm. 38 de genealog. Christi. [23]) Haer. LI. al XXXI. § 11. [24]) Hypomn. cc. I. 136 apud *Fabricium* Cod. pseudepigr. V. T. [25]) In *Mai* Classicor. auctor. e vatican. codd. edit. T. p. 441. [26]) *Raphel.* Annot. in N. T. ad Luc. III, 23. [27]) N. T. graec. lat. Basil. 1516. [28]) De arcan. cathol. verit. L. VII. c. 12. [29]) *Mill.* et *Griesb.* ad Matth. I, 15. [30]) Cap. XIX. n. 48.

CAPUT XVIII

Cur et quomodo Matthaeus genealogiam Christi in tres τεσσαρεσκαιδεκάδας distribuerit.

1 Matthaeus Iudaeis scribebat [1]), quibus compertum esse sciebat, unde Christus genus duxerit [2]); non ergo Matthaei consilium in hac genealogia conscribenda fuit aut esse potuit, ut argumentum omni ex parte ἀποδεικτικὸν depromeret, quo evinceret Christum ex stirpe Abrahae et Davidis progenitum esse, sed solum, ut Christi originem ab iisdem bis ductam ediceret atque enarraret, inque mentem revocaret illis, quibus scribebat. Id ipsum sensere Salmeron [3]), Toletus [4]), alii. Quare neque necesse habuit Matthaeus universam Christi prosapiam ex integro describere; quod si fecisset, non tamen hoc satis esset ἀποδεικτικῇ demonstrationi de Christi genere habendae, ut apparet vel ex eo, quod Christus ex Iosepho, ad quem usque eius prosapiam Matthaeus recenset, ortum nequaquam duxerit, nisi simul prolatis auctoritatibus illam declarasset, et confirmasset; potuitque in ea describenda aliquos tuto ac secure praetermittere, quin praetermissio obstaret, quominus plenissime conficeret, quod volebat. Etenim, quod exempli caussa sit, si Carolum X Franciae regem ex Hugone Capeto prognatum narrare vellem, satis profecto facerem, nec ideo, ut minus verax traducerer, si, pluribus ex Caroli maioribus praetermissis, dicerem ex Hugone exortum esse Ludovicum IX, cuius quintus filius Robertus Claramontanus gentis Borbonicae auctor fuerit ac parens; ex ea Henricum Navarraeum progenitum, qui primus Borboniorum regni potitus est; ex Henrico autem Carolum X. Quid, quaeso, in his veritati non plane consentaneum, aut rei, quam volo, edicendae minus opportunum? Non alia sane ratione alius quoque bibliorum scriptores quorumdam genus enarrasse iam superius comperimus [5]). Enimvero nemo multus esse solet in iis argumentis urgendis, quae scit adversario probari ac pro certis haberi, ea indicasse contentus.

2 Quum igitur Matthaeus animadvertisset [6]) totam illam Christi prosapiam ab Abrahamo repetitam in tres potissimum aetates posse distribui ac tribus praecipuis temporum notis definiri, quarum aetatum primam ab Abrahamo inceptam finirent exordia regni iudaici [7]), alteram Iudaeorum reges explerent [8]), tertia ab everso regno ad Christum usque pertingeret [9]), videretque primam aetatem, ut vetustae scripturae nos docent [10]), quatuordecim γενεὰς complecti, quo memoriae melius consuleret, forsitan etiam ut obsecundaret gustui Iudaeorum, quibus scribebat, quosque huiusmodi numerorum ἀναλογίαι et proportiones delectant, id consilii cepit, ut totidem solummodo γενεὰς ex duabus posterioribus aetatibus commemoraret, atque hac ratione universam genealogiam in tres τεσσαρεσκαιδεκάδας dispertiret. Si cui haec, quam esse coniicimus talis distributionis rationem, minus arrideat, aliam probabiliorem ipse perquirat. Mysteria autem horum numerorum legere est apud Augustinum [11]).

3 Nunc quaeritur, quomodo totam genealogiam distribuere oporteat, ut tres inde exstent τεσσαρεσκαιδεκάδες, sicut eam distribui posse Matthaeus ipse nos monuit [12]). Id vero nullius negotii est, si duos Iechonias [13]) alterum ab altero distinctum in ea nominari ponamus, quod nobis quidem certum est poni debere [14]), atque hoc ipso loco comprobatur. Primam enim trium τεσσαρεσκαιδεκάδων aperit Abraham, claudit vero David. In altera primus est Salomon, postremus Iechonias Iosiae filius. Tertia initium ducit a Iechonia Iosiae nepote, desinit autem in Iesum Christum.

4 Quod vero quidam opponunt, non constare numerum trium τεσσαρεσκαιδεκάδων, quia in harum prima et tertia verbum *genuit* non repetitur nisi ter supra decies, id risu excipi meretur. Primo enim docemur ab ipso Matthaeo numerum earum, quas γενεὰς *generationes* vocat, non pendere ab illius verbi repetitione, siquidem ipse in prima trium τεσσαρεσκαιδεκάδων diserte includit Abrahamum, etsi non dicat, quis hunc *genuerit*. Deinde, ut alius demonstravimus [15]), *generatio* in scripturis saepe ipsos filios *genitos* significat, sive aetatem, quam hi vixerunt, eo sensu, quo vulgo dicere solemus: *Ho conosciuto tre, quattro, cinque generazioni;* hunc autem ipsum sensum nomen γενεὰ in hac Matthaei sententia exhibet.

---

[1]) Lib. I. c. I. q. IV. nn. 27 seqq. [2]) Ib. n. 25 et sup. cap. VI. n. 2. [3]) Comment. in histor. evang. T. III. Tr. 28. p. 215. [4]) In Luc. III. annot. 59. [5]) Cap. X. n. 2. [6]) Matth. I, 17. [7]) Ib. 2—5. [8]) Ib. 6—11. [9]) Ib. 12—16. [10]) I Par. I, 34; II, 1—15. [11]) De consensu evangelistar. L. II. c. 4. § 10; Serm. LI. de concord. Matth. et Luc. al. LXIII de divers. cc. 8—10. §§ 12—15. [12]) Matth. I, 17 [13]) Ib. 11. 12. [14]) Cap. XII. [15]) Cap. IV. n. 1.

5 Quod si unicum Iechoniam in genealogia commemorari contendas, arbitror tamen, quo numerum expleas trium τεσσαρεσκαιδεκάδων, numquam tibi persuasurum Possinum, quod ipse commentus est fieri oportere [1]), ut, Iechonia secundae τεσσαρεσκαιδεκάδι adnumerato, Mariam virginem Iosephum inter interque Christum inseras, tamquam unam γενεάν a ceteris distinctam. Quare, quum in tota genealogia non numerentur nisi unum supra quadraginta capita, necesse omnino est, horum uni in duabus simul trium τεσσαρεσκαιδεκάδων locus sit ita, ut, qui harum unam claudit, aliam, quae subsequitur, aperiat. Res itaque inter duos veluti pendet, uter bis numerandus, David, qui primam, an Iechoniam, qui secundam τεσσαρεσκαιδεκάδα claudit.

6 Harduino [2]) placet, ut David bis numeretur. Cui sententiae, siquidem unicus sit Iechonias, ipsam Matthaei dictionem favere, non negaverim; sic enim ea est: *Ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim, et a Davide usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim*; eodem enim modo iisdemque verbis mentio Davidis fit initio secundae τεσσαρεσκαιδεκάδος, atque Abrahae mentio facta est initio primae. Totum id eo confirmatur, quod Matthaeus non scripserit: *a David usque ad Iechoniam*, sicut scripserat: *ab Abraham usque ad David*, sed: *a David usque ad transmigrationem*, quo integrum est unicum illum Iechoniam secundae τεσσαρεσκαιδεκάδι adimere, quod nisi fiat, Davidi locus in ea esse profecto nequit.

7 Eorum tamen, qui unum solummodo Iechoniam nominari autumant, communior sententia est, hunc, non vero Davidem, bis esse numerandum, quibus auctoritate sua praeit Augustinus [3]), qui simul explicat, quomodo tres τεσσαρεσκαιδεκάδες constare possint, etsi nomina tantum quadraginta et unum habeamus inter eas distribuenda; sic autem loquitur: *Cum enim (Matthaeus) quater denas generationes*, quot videlicet sunt dempto Christo, atque unico posito Iechonia, *tribus distinxisset articulis, non tamen eas duxit in summam, ut diceret: Fiunt omnes quadragintaduae. Unus quippe in illis progeneratoribus bis numeratur, id est, Iechonias, a quo facta est quaedam in extraneas gentes deflexio, quando in Babyloniam transmigratum est. Ubi autem ordo a rectitudine flectitur, atque, ut eat in diversum, tamquam angulum facit, illud, quod in angulo est, bis numeratur, in fine scilicet prioris ordinis et in capite ipsius deflexionis. Et hoc ipsum iam praefigurabat Christum a circumcisione ad praeputium, tamquam ab Ierusalem ad Babyloniam, quodammodo migraturum, et hinc atque hinc utrisque in se credentibus tamquam lapidem angularem futurum* [4]). Haec eadem fusius atque elegantius persequitur Augustinus in sermone *de consensu Matthaei et Lucae* [5]). In quibus tamen potius Augustini ingenium mirari est, quam id, de quo quaerebatur, omni ex parte illustratum videre.

8 Unum adhuc verbum de Rosenmuellero [6]), qui Gottfridum Olearium [7]) sequutus Christum ex γενεῶν numero demit; etenim *Si verbis Matthaei*, inquit, *presse insistimus . . . primam classem ducit Abrahamus, claudit Davides; secundam classem ducit Davides, claudit . . . Iosias, . . . tertiam classem iterum ducit Iosias, claudit Iosephus.* Quae partitio ut ut alicui placitura fortasse sit, eam tamen sic se habere, *si verbis Matthaei presse insistimus*, nemo pronuntiet, qui Matthaeum legerit, cumque integra genealogia extremum huius versiculum contulerit.

CAPUT XIX

De duarum genealogiarum comparatione et compositione.

1 Quum ea omnia, quantum satis est, explanaverimus, quae scitu magis necessaria sunt, magisque conducunt duabus quaestionibus recte habendis, quae de utraque Christi genealogia esse potissimum solent, qua ratione, inquam, sustolli queat mutua duarum genealogiarum ἐναντιοφάνεια, et quo modo Christi genus eae prodant, horum primum quaerere iam oportet. Ut autem, quo magis fieri potest in tanta eorum, quae hac de re scripta sunt, copia et varietate, ordinem aliquem servemus, praecipuas expendemus sententias, quas sive patres, sive recentiores scriptores sequuti sunt, ut demonstrarent, Matthaeum et Lucam in recensenda Christi prosapia alterum alteri minime adversari, eamque e cunctis delectam confirmabimus, et constabiliemus, quae verior nobis esse videtur. Hae

[1]) Diallact. theogenealog. c. 38. [2]) Chron. V. T. ad ann. U. c. 753 Genealog. Christi; Comment. in Matth. I, 17. [3]) LL. cc. [4]) De cons. evang. ib. [5]) L. c. [6]) Schol. in N. T. ad Matth. I, 17. [7]) Observat. sacr. p. 30.

vero sententiae ad tres redigi commode possunt. Prima est, ab utroque evangelista eosdem Christi maiores recenseri. Secunda, alterum Iosephi, alterum Mariae prosapiam describere. Tertia, prosapiam Iosephi ab utroque referri.

PARS I

An utraque genealogia eosdem Christi maiores aliis nominibus exhibeat.

2 Sunt, qui putent [1]) Christi maiores eosdem ab utroque evangelista, etsi aliis nominibus recenseri. Quod tamen non uno argumento commentitium esse intelligimus. Etenim, quin ulla patrum auctoritate id queat comprobari, illorum sententiae adversari dicendum est, quum neminem unum inter eos reperire sit, qui de istis duabus genealogiis disserens non diversas esse docuerit. Praeterea, quum Nathanem alium omnino esse Salomone testentur scripturae veteres [2]), etsi sententia haec vera foret quod ad reliquos in utraque genealogia nominatos, aliqua tamen adhuc persisteret inter utramque discrepantia, quae non parum haberet quaestionis. Denique, ut Lucas alterum e duobus nominibus constanter adhibuerit aliud altero, quod adhibuerat Matthaeus, casu accidisse, incredibile est; sin de industria id Lucas egisset, quum nihil hac de re praemonuerit, putandum foret, quod tamen nefas est ipsi hoc fuisse propositum, ut legentibus ipsius evangelium difficultates et quaestiones necteret crearetque.

3 Ceterum haec opinio, nisi quid me fallit, ortum suum acceptum refert cuidam libello, quem *Breviarium de temporibus* inscriptum, tamquam Philonis Iudaei opus, nescio quibus e latebris erutum in lucem protulit Annius Viterbiensis; haec enim in eo legimus: *Ab isto Ioas atque deinceps in rememorationem reges semper binomii et trinomii fuerunt* [3]). Quae quidem origo quam opinioni illi auctoritatem conciliet, is nesciat, cui pretium anuianarum mercium ignotum est. Illud certo constat, exiguo prorsus numero esse, qui hanc opinionem sequuntur.

PARS II

An alter evangelista Iosephi, alter Mariae prosapiam describat.

4 Aliam enim genealogiam a Matthaeo, aliam a Luca esse descriptam, communissima recentiorum aeque ac veterum sententia est. Eo tamen utrique dissentiunt, quod patres omnes ad unum, quotquot de istis genealogiis scripserunt, uno fortasse dempto auctore *Quaestionum de vetere et novo testamento*, qui peculiarem quamdam sententiam habet (13. 17. 34), omnesque bibliorum interpretes, qui fuere ante saeculum XVI, atque alii praeterea recentiores, docuerint utramque genealogiam ad Iosephum pertinere, plerique vero, qui deinde deinceps exstiterunt, alteram genealogiam Iosephi, alteram Mariae esse arbitrentur, idque etiam duobus modis intelligi potest.

§ I

An Matthaeus unius Mariae, Lucas unius Iosephi genus enumeret.

5 Nam ἀνώνυμος quidam scriptor [4]) contendit unius Mariae prosapiam a Matthaeo describi, unius autem Iosephi a Luca. Quum vero sententiae huic obsteut verba Matthaei: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae* [5]), nodum ille facile solvit librarium culpans, qui *virum* scripserit, ubi *patrem* scribere debuisset, atque ita rescribere iubet: *Iacob autem genuit Ioseph patrem Mariae.* Hanc autem sententiam, seu, quod verius dixeris, hoc commentum retulisse refutasse est, nec desunt, qui iam plene refutaverint [6]).

§ II

An Matthaeus Iosephi, Lucas Mariae genealogiam exhibeat.

6 Verum, isto uno excepto, quotquot autumant alteram genealogiam ad Iosephum, alteram ad Mariam pertinere, omnes ad unum pro certo credunt Iosephi genealogiam esse, quam descripsit

---

[1]) Apud *Polum* synops. criticor. sacror. in Matth. I, 16. [2]) I Par. III, 5. [3]) L. I. p. II. [4]) Analyse de dissertations sur différents sujets. Dissert. sur la généalog. de J. C. Bruxelles 1759. [5]) Matth. I, 16. [6]) La sainte bible T. 19. p. 188. Paris 1829.

Matthaeus, de quo ceteros omnes tum patres tum bibliorum interpretes nosque una cum his consentientes habent, in ea vero, quam Lucas, Mariae prosapiam enumeratam esse, maternam quidem, si Francisco Lucae Brugensi credimus, paternam, si ceteris, quorum sententiam ante sententiam Francisci Lucae expendere praestat.

7 Quum uterque evangelista descripserit prosapiam Christi, qui ἀπατωρ natus est, dubitari nequit, genus paternum Mariae virginis, quantum satis sit ad Christi genus ediscendum, a Luca aeque ac a Matthaeo tradi; quare nunc non illud quaerimus, an Lucas Mariae maiores enumeret, sed solum, an Heli, quem ille nominat, Mariae pater fuerit.

8 Si hoc positum habeamus, pro comperto est facile dissolutum iri utrumque illud, quod istis genealogiis quidam opposuere, neutra Christi, utraque unius Iosephi genus, alio tamen atque alio maiorum ordine, a Davide deductum ostendi. Ex quo factum est, ut opinioni huic, quam sub finem saeculi decimiquinti primus omnium invexit Annius Viterbiensis [1]), album calculum adiicerent plurimi, hosque inter magni etiam nominis theologi et scripturarum interpretes, potissimum vero ex Protestantibus, quos enumerare supersedeo, ne longum faciam.

9 Argumentum, quo sententiam suam confirment, aliud non habent, quam quod extorquent ex nomine Heli. Aiuntque Mariae patri duo fuisse nomina, Ioachimum et Helim. Et re vera Ioachimum aut Ioakimum eum vocaverunt, non modo Epiphanius [2]), sed et scriptores *Evangelii nativitatis Mariae*, quod ante Epiphanium in lucem editum est [3]), et libelli vetustissimi, cui titulus est *Protoevangelium Iacobi* [4]). Heli quoque nomine eum fuisse vocatum comprobant testimonio Talmudistarum, qui *Mariam filiam Heli* commemorarunt [5]). Annius Viterbiensis [6]) narrat Hieronymum haec scripsisse: *Mathan . . . . agens annum XXXVI genuit Ioakin, qui et Elyh, patrem quidem naturalem Mariae, et legalem Ioseph.* Petrus Galatinus [7]) refert Iudam cognomine Hakkadosh, id est, Sanctum Antonino consuli interroganti respondisse Messiae avum maternum *Eli* et *Iehoiakim* vocatum iri, idque ab ipso Iuda memoriae proditum esse in libro גלי רזיא *de revelutione secretorum*; Nechoniam vero Ben-Kana, qui male a Galatino vocatur *Haccanas Nechnmiae filius*, haec literis consignasse de cognatione Messiae: *Erat quaedam puella in Bethleem Iudae, nomine Maria, filia Iehoiakim Eli.* Denique totum id nonnulli eo confirmare adnituntur, quod *Heli* sit ipsum nomen *Eliachim* sive *Eliakim* decurtatum pro more Israelitarum [8]), *Eliachim* vero sive *Eliakim* idem ac *Ioachim* sive *Ioakim*, idque patere legentibus librum Iudithae [9]), atque adeo historiis regum Iudaeorum illustrari posse [10]).

10 Verum, qui huic sententiae subscribunt, operam abuterentur in rationum momentis, quibus eam probent, congerendis, nisi simul docerent, quo pacto Heli, quem Lucas commemorat tamquam Iosephi patrem, Mariae, quae in hac genealogia ne nominatur quidem, pater esse dicendus sit. Quapropter primo illud sibi pro certo sumunt, ideo Mariae nomen abesse, quod a more sacrorum scriptorum abhorreret vel feminarum edere genealogias, vel virorum a femina aut per feminas deducere, vel denique feminas genealogiis virorum inserere. Deinde, quum cardo quaestionis in eo sit, ut definiatur, quaenam in tota hac συναρθρῳ Christi maiorum serie articulo του vis insit ac significatio, num hic praepositivus sit, an potius vicarius nominis παιδος, num verba *qui fuit*, quae vulgatus aliique interpretes pro eodem articulo reddidere, nomini *Ioseph*, an potius *Iesu*, sint apposita, rem totam non uno modo pertractant, inque diversas abeunt sententias.

11 Quidam enim articulum του praepositivum esse aiunt, verbaque ὠν, ὡς ἐνομιζετο, υἱος Ιωσηφ *ut putabatur, filius Ioseph* παρενθετα esse, coniungendaque vero cum nomine Iesu illa, quae continuo sequuntur, του Ἡλι *qui fuit Heli*, ita ut verba Ἰησους . . . του Ἡλι, *Iesus*, . . . *qui fuit Heli* eumdem loquendi modum praeferant, qui graecis scriptoribus in usu est, quum dicitur: Κτησιφων Λεωσθενους [11]), Δημοσθενης Δημοσθενους [12]), Φαλιος Ἐρατοκλειδου [13]), Εὐπαλινος Ναυστροφου [14]), Ῥοικος Φιλεω [15]), Πτολεμαιος ὁ του Λαγου [16]). Quae quidem omnia praecise dicta sunt; plene enim ita forent Ἰησους ὁ υἱος του Ἡλι, ut ea sunt, quae legimus in evangelio Ioannis: Ἰησουν τον υἱον

[1]) Comment. in *Philonis* Breviariom de temporib. [2]) Haer. LXXVIII al. LVIII. § 17; LXXIX al. LIX. § 5. [3]) *Fabric.* Cod. apocryph N. T. et Opp. *Hieronymi* ed. *Vallarsii* T. XI. p. 279. Veronae 1742. [4]) *Fabric.* ib. [5]) Gemar. hierosol. Chagiga Fo. 77, 4 al. cap. 2. const. 2. apud *Ugolin.* Antiquit. sacr. T. XVIII. p. 1058; Sanhedr. Fo. 23, 3, sive cap. 6 const. 9 apud eumd. T. XXV. p. 138. [6]) Commentar. in *Philonis* Breviar. de temporib., PP. II et III. [7]) De arcan. cathol. veritat. L. VII. c. 12. [8]) Cap. III. nn. 4. 5. 10. [9]) Iudith XV, 9 coll. IV, 5. 7. 11. [10]) IV Reg. XXIII, 34. [11]) *Demosth.* pro corona p. 266. ed. *Reiske* 1770. [12]) Ib. [13]) *Thucyd.* L. I. p. 24. Amstelaed. 1731. [14]) *Herodot.* L. III. § 60. Francofurti 1608. [15]) Ib. [16]) *Pausan.* Attic. L. I sub. init.

Ἰωσηφ [1]), et quae, nisi vocum dispositione, non differunt ab illis Lucae verbis: *Ἰωαννην τον του Ζαχαριου υἱον* [2]), nec ab illis Xenophontis: *Κυαξαρης ὁ του Ἀστυαγους παις* [3]). Iesum vero Helis filium vocari, is solum mirabitur, qui nescit filiorum nomine nepotes etiam indicari quum saepissime a sacris scriptoribus [4]).

12 Quum tamen, si haec eo modo explanentur, syntaxis nimis abrupta esse videatur, plures putant quidem articulum *του* esse praepositivum, at negant participium *ὠν* verbis illis *παρενθετοις* adnumerandum, sed vocibus *του Ἡλι* iungendum esse, atque ita haec interpungi oportere: *ὠν (ὡς ἐνομιζετο υἱος Ἰωσηφ) του Ἡλι.* Quum enim Graeci *τον δεινα τον του δεινος* designare volunt, saepe id faciunt adhibito verbo substantivo. Exempli caussa sint haec Isaei verba: *οἱ συνδικουντες αὐτῳ Σμικρου μεν πατρος εἰναι φασι τον Νικοστρατον* ***Qui ipsi patrocinantur, aiunt Smicro patre esse quidem Nicostratum*** [5]), itemque haec *φασι μεν οὐν εἰναι Θρασιμαχου Νικοστρατον* ***Ergo aiunt quidem Thrasimachi (filium) esse Nicostratum*** [6]), atque haec Pausaniae: *Ἀγαθοκλει Λυσανδραν γυναικα ἠγαγετο Πτολεμαιου και Εὐριδικης οὐσαν* ***Agathocli Lysandram uxorem despondit, quae Ptolomaei et Euridices (filia) erat*** [7]). Huius dictionis, quae in his omnibus locis manca est, similem sed plenam reperies apud Herodotum ita scribentem: *ταυτης δε της γυναικος ἐων παις και Κυρου Καμβυσης* ***Cambises autem, qui huius mulieris et Cyri filius erat*** [8]), et apud Phlegontem, qui Lycurgi prosapiam ita recenset: *Λυκουργος δε ὁ Λακεδαιμονιος υἱος ὠν του Πρυτανεως του Εὐρωπου, του Σωσου κ. τ. λ.* ***Lycurgus Lacedaemonius, qui filius erat Prytanei, filii Europi, filii Sosi etc.*** [9]), eodem prorsus modo, quo Lucas recenset prosapiam Christi, atque ita, ut articulus *του* ante nomen *Πρυτανεως* procul dubio sit praepositivus. Particula vero *ὡς*, si ex verbis eo modo interpunctis sensum aliquem colligere velis, idem valeat necesse est, ac *ἐπει* seu *και γαρ* ***nam, etenim*** [10]), non autem *ὁτε*, ***quum, quando***, ut putavit Rosenmuellerus [11]), atque ea valere dicenda est in aliis quibusdam Lucae sententiis [12]).

13 Lighthfootus [13]), eumque sequuti Bengelius [14]) aliique theologi e Protestantibus, quos enumerat Wolfius [15]), miram habent huius loci explanationem, in qua excogitanda facem ipsis praetulisse videtur auctor (17) ***Quaestionum de vetere, et novo testamento*** [16]), etsi is nequaquam putet Helim Mariae patrem esse. Acriter in illos invecti sunt Mazochius [17]) et Raphelius [18]) huius caussa commenti, quod sic est. Aiunt articulum *του* esse praepositivum, nihilque *παρενθετον* vident in tota sententia, nisi verba *ὡς ἐνομιζετο*, sed integram genealogiam *ἐξαρθρωθεισαν* esse contendunt, iubentque ante singula nomina non *υἱον* ***filii***, quo priori posterius continua serie iungatur, sed *υἱος* ***filius*** repetere, quo omnia illa nomina singillatim copulentur cum nomine Iesu sic: *Ἰησους . . . ὠν (ὡς ἐνομιζετο) υἱος Ἰωσηφ, υἱος του Ἡλι, υἱος του Ματθατ, κ. τ. λ.* ***Iesus . . . (ut putabatur) filius Ioseph, filius Heli, filius Mathat etc.*** Bengelius etiam voces *ὡς ἐνομιζετο* una cum *υἱος* repetere iubet. Qui vero in hac sententia fuere, religione quadam ducti sunt, ne in extrema genealogia, quam Lucas descripsit, Adam ***filius Dei*** dici videatur, ***quod non solum duriuscule sonat***, inquit Lightfootus, ***sed hic enormiter et fere blaspheme.*** Nec ratio haec, inquiunt, genealogiarum describendarum insolens videri potest iis, qui scripturas versarunt, utpote cuius exempla tum latinus harum interpres [19]), tum graecus [20]), tum ipse Moyses [21]), suppeditant.

14 Denique, quo duriusculam illam *παρενθεσιν* vitent, magisque usui atque indoli graecae linguae in huius loci interpretatione obsequantur, alii dicunt, articulum *του*, non praepositivum, sed vicarium esse nominis *παιδος* vel *υἱου* ***filii***, et nomini, cui continuo succedit, semper coniungendum, proinde articulum nomini *Ἡλι* praescriptum ad nomen *Ἰωσηφ* pertinere. Iosephum autem ideo ***filium Heli*** a Luca vocari, quia ipsius Helis gener fuerit, uti post Annium Viterbiensem [22]) sensere Galatinus [23]), Iansenius Gandavensis [24]), Harduinus [25]), Vossius [26]), Raphelius [27]), a quibus non dissentit Calmetus [28]).

15 Verum, qui ad sustollendam duarum genealogiarum *ἐναντιοφανειαν* talem ineunt rationem, ut dicant Helim Mariae virginis patrem esse, quum non satis cavisse videantur, ne, quum unum fugiunt, in plures scopulos sese impingant, adduci nequimus, ut in hac sententia defendenda illis adstipulemur.

---

[1]) Io. I, 45. [2]) Luc. III, 2. [3]) Cyrop. L. I. § 5 al. 27. [4]) Cap. n. 3. [5]) Orat. III de Nicostrati heredit. sub init. [6]) Ib. [7]) Attic. L. I. c. 9. [8]) L. II. § 1. [9]) Olympicor. apud *Gronovium* Antiquitat. graecar. T. IX. p. 1291. [10]) *Viger.* De praecip. graecae dictionis idiotismis c. 8. sect. 10. reg. 16. [11]) Schol. in Luc. III, 23. [12]) Luc. I, 23; II, 15. [13]) Hor. hebr. talmud. in Luc. III, 23. [14]) In Luc. l. c. [15]) Cur. crit. in evang. ad Luc. l. c. [16]) Inter opera *Augustini* quaest. LVI. T. III edit. *Maurin.* [17]) Spiciteg. bibl. in L. c. [18]) Annotat. in totam sacr. scriptur. ad Luc. l. c. [19]) II Esd. XI, 5. 7. 11. 12. 13. 15. 17. 22. [20]) Ib.; I Par. IV, 35. [21]) Genes. XXXVI. 2. 14 coll. 24. 25; Ib. 39. [22]) L. c. [23]) L. c. [24]) Concord. c. 14. [25]) Chronol. V. T. ad ann. U. C. 753. [26]) De genere Christi c. 4. [27]) L. c. [28]) In Luc. III, 23.

Quid ea peccet, primo in universum disquiremus, deinde quid incommodi habeant illae rationes, quibus proposita hactenus est.

16 Etenim, quam levibus argumentis (9) ea innitatur, quis haud sentiat? ***Eliakim*** et ***Ioakim***, sive ***Eliachim*** et ***Ioachim***, quominus una eademque nomina esse putentur, non obluctabimur [1]); at ***Heli*** horum *συνωνυμον* esse quasi ab ***Eliakim*** aut ab ***Eliachim*** deductum *κατ' ἀποκοπήν*, neque, cur putemus, quidquam est, praeter unam annisui illius Philonis auctoritatem [2]), nec minima sunt, quae contrarium credere suadent. Nullum enim huius *συνωνυμίας* exemplum sufficiunt sacra volumina, nomenque ***Heli*** ex ***Eliakim*** duci non posse, atque adeo aliud eo esse, nedum hebraica horum nominum forma et scriptio, sed vel ipsa graeca et latina clare demonstrant; ab Hebraeis enim ita scribuntur עלי et אליקים, a Graecis *Ἠλὶ* et *Ἐλιακεὶμ*, a Latinis ***Heli***, et ***Eliakim***. Tum qui primi commenti sunt, ***Mariam*** illam ***Helis filiam***, cuius meminere Talmudistae, esse ipsam Christi matrem, theologi protestantes, quum nulla alia ratione duci potuerint, quam quod Helim a Luca nominatum pro Mariae Virginis patre haberi vellent, nulla enim prorsus ratio est, cur ita talmudis verba intelligamus, imo secus omnino interpretari suadet totus illius capitis contextus, illud peccasse dicendi sunt, quod vulgo ***circulum vitiosum*** vocare solemus. Quae Annius protulit tamquam verba Hieronymi, apud alium forte reperire erit, ut nusquam comparebunt, si in Hieronymi libris ea requiras. Denique sentias, quod lubet, de illis narratiunculis Iudae Hakkadosch et Nechoniae [3]), quas uni Galatino, homini utique minime malo, sed non magis *εὐρινι*, acceptas referimus, quid, quaeso, vetat, quominus alius sit Heli, qui est in Lucae evangelio, alius Heli Mariae virginis pater, quum agnatio ipsa, qua, ut inferius demonstrabimus, ambo erant coniuncti, in caussa esse potuerit, cur uterque eodem nomine vocaretur [4]).

17 Licet autem non adeo lubrico, ut illud est atque instabili fundamento haec sententia fuisset excitata, in ea tamen securos quiescere nos illud prohibet, quod ea non discrepet modo, sed directe opponatur illi sententiae, quam patres omnes ad unum, nedum plures ex praeclarissimis, qui post hos fuere, scriptoribus amplexi sunt, a Luca aeque ac a Matthaeo Iosephi patrem nominari, ut missam faciam Annii illius Viterbiensis nemini non perspectam *ἀκρισίαν*, ex quo tamen veluti fonte opinio ista primum manavit. Cui quidem opinioni confirmandae, non defuerunt, qui et Hieronymi et Augustini suffragium aucupare studuerint, irrito tamen conatu. Annius enim haec ex Hieronymo nescio quo, deprompta nobis obtrusit: ***Ioseph fuit filius Iacob genitura, et Elyh lege uxoria*** [5]), id est, sicut ipse Annius haec interpretatur, quia Mariam Helis filiam uxorem habebat. Ego vero neque in Hieronymi scriptis haec reperio, nec aliam ullam novi legem ***uxoriam*** apud Israelitas obtinentem, qua quis alicuius filius vocaretur, et haberetur, praeter illam, quae iubebat viri *ἀπαιδος* viduam leviro nubere, atque eum, qui inde primo genitus esset, pro demortui filio haberi [6]). Maldonatus [7]), etsi huic sententiae minime ipse subscribat, subscribentem tamen inducit Augustinum, quem narrat inter ceteras rationes componendi controversiam de duplici Christi genealogia, hanc etiam retulisse in ***Quaestiones evangelicas*** [8]) et in libros de ***Consensu evangelistarum*** [9]); at neutro in loco quidquam tale reperire est. Nonnulli huius sententiae patronis adnumerant auctorem ***Quaestionum de vetere et novo testamento***, quae Augustino olim adscribebantur; verum abs re prorsus sunt, quae ex eo libro proferuntur, quum auctor solummodo dicat Iosephum et Helim ***fratres*** fuisse, Christum vero, uti Iosephi, ita et Helis, et ceterorum omnium, qui ex eadem tribu Iudae essent orinudi, filiam vocari potuisse: ***Ipsa enim ratione***, inquit, ***qua ipsius Ioseph filius dicitur salvator, ipsa est et Heli filius, et ceterorum omnium, qui de eadem tribu sunt*** [10]); ex quo illud factum est, quod superius diximus (13), ut is senserit verba ***qui fuit*** in genealogia a Luca descripta semper ad nomen ***Iesus*** esse referenda. Quod si putasset Helim Mariae patrem esse, falso dixisset Christum eadem ratione Iosephi ac Helis filium posse appellari; nam, illo posito, Christi avus maternus foret Heli, Ioseph vero avunculus magnus. Hic vero praetereundi minime sunt Salmeron [11]) et Suaresius [12]), qui aiunt in hac sententia fuisse Dionysium quoque Chartusianum et Caietanum, quorum tamen primos prorsus assentitur Iulio Africano, de quo postea dicemus, alter Iosephum Helis filium illa lege, cuius modo meminimus, esse autumat. Denique ex numero eorum, qui huic sententiae suffragantur, expungendus est etiam Grotius, quem tamen inter hos eosdem nominari videas a nonnullis [13]).

---

[1]) Cap. III. nn. 4. 5. [2]) Breviar. de temporib. L. I. P. II. [3]) *Wolf.* Biblioth. hebr. T. I. a. 1687. 4. p. 908; T. II de scriptis Hebraeor. anonym. n. 114. p. 1274. [4]) Cap. III. n. I. [5]) Comment. in Breviar. *Philonis* P. ult. [6]) Cap. II. nn. 6 seqq. [7]) In Matth. I, 16. [8]) L. II. q. 5. [9]) L. II. cc. 1. 2. 3. [10]) Quaest. de vet. et nov. test. L. I. q. LVI. [11]) In evang. T. III. tract. 28. p. 207. [12]) In Thom. 3. q. 27. a. 1. disp. 2. sect. 3. [13]) Sainte bible *Devence* T. 19. p. 174. Paris 1829.

18 Atque illud praeterea caute animadvertendum est, quod, etsi patribus, non secus ac nobis, controversia haec de duplici Christi genealogia implexa satis ac difficilis videretur, nec raro manus eos conserere oporteret, cum iis haereticis, qui ex his genealogiis argumenta corradebant, quibus Mariam integra virginitate peperisse negarent, nunquam tamen aliquis illorum hoc sibi effugium quaesiverit, ut diceret Matthaeum quidem Iosephi, Lucam vero Mariae genealogiam edidisse patremque nominasse, atque adeo ab uno Luca, non a Matthaeo, Christi genus enarrari; quo iam lis omnis esset dirempta.

19 Neque priscis patribus modo illa opinio indicta fuit atque inaudita, sed ferme ad hunc usque aetatem delituit, quum inter Annii commentaria primo, ut diximus, nec ante extremum saeculum decimumquintum, prosiluerit; ille enim bonus Annius anno MDII vita defunctus est.

20 Haec autem omnia, quae hactenus contra illam opinionem congessimus, nihili fieri pateremur, si evangeliorum vel graeca *ἀρχέτυπα*, vel aliis linguis edita exemplaria, ei suffragarentur; verum utraque plenissimo codicum omnium consensu refragari potius dicenda sunt, quippe quae vel nihil exhibent, quo Heli Mariae pater esse putetur, vel Iosephum Helis filium aperte vocant. Et re vera, qui graeca Lucae verba ad illam sententiam trahere nituntur, quam parum e voto ipsis res cedat, quamque ea verba distorquere opus habeant, nemo, qui graecas literas vel leviter delibaverit, non facile perspicit, nosque inferius plane perspecturos esse confido. Qui vero in latinis hoc idem moliuntur, ea neque pervertere dicendi sunt. Quid, quaeso, *παρένθετον* prae se aut ferunt, aut etiam ferre possunt in Lucae narratione voces *ut putabatur filius Ioseph*? Quis *παρένθετα* hoc modo enuntiet: *Iesus erat incipiens quasi annorum triginta* (*ut putabatur, filius Ioseph*), *qui fuit Heli*, non autem ita potius? *Iesus . . . qui* (*etsi putaretur filius Ioseph*) *fuit Heli*. Nonne expeditius fuisset nullam *παρένθεσιν* intermiscere, remque totam ita enunciare? *Iesus, . . . ut putabatur, filius Ioseph, qui tamen fuit Heli*? Praesto sunt latini evangeliorum codices vetustate praegrandi, in quibus vel nullus *παρένθεσι* est locus, vel Ioseph expressis verbis Helis filius esse dicitur. Codex vercellensis saeculo quarto veneranda Eusebii episcopi et martyris manu conscriptus, de cuius pretio te docere poterunt Iricus [1]), Blanchinus [2]), et Marchinus [3]), haec habet: *Et ipse Iesus erat fere annorum triginta incipiens, filius, ut existimabatur, Ioseph, qui fuit Heli*; in quibus quinam *παρένθεσι* locus? Codex brixiensis, de quo lege scripta a Philippo Garbellio in epistola, adit Blanchinum missa [4]): *Iesus . . . sicut existimabatur, filius Ioseph*, FILII *Heli*. Codex corbeiensis [5]), de quo, lege ea, quae Blanchinus adnotavit [6]): *Iesus*, *quod putabatur esse*, *filius Ioseph*, FILII *Heliae*. Horum similia in quibusdam codicibus lecta esse a Hieronymo probabile fit eo, quod postremum huius genealogiae partem ita is retulerit: FILII *Seth*, FILII *Adam*, FILII *Dei* [7]). Denique interpretes syrus, arabs, et persa hanc genealogiam itidem verterunt in suas linguas, ut latine versa legitur in codicibus brixiensi et corbeiensi, reddita pro articulo *τοῦ* voce, quae *filium* significat; hac autem designari eum, cuius nomen proxime praecedit articulum, ita, ut posita inter nomina *Ioseph* et *Heli* significet hunc illius patrem esse, non secus, ac posita inter nomina *Heli* et *Mathat*, hunc patrem illius esse significat, per se quidem patet, sed manifestum quoque fit ex iis, quae de huiusmodi genealogiis hebraica lingua *κατ' ἀνάλυσιν* descriptis alias disseruimus [8]).

21 Neque illud praeteream, quod, qui vulgatum Lucae exemplar ad eam sententiam, quam impugnamus, trahere nituntur, dicendi sint eum sensum verbis affingere, quem neque habent, neque habere possunt. Latinum quippe exemplar evangeliorum illud ipsum est, quod Hieronymus a se *graecae fidei* redditum narrat [9]), ideoque veluti Hieronymi opus habendum est. Quare adeo parum veri simile est exemplar istud adversariorum sententiae posse suffragari, quam certum ipso Hieronymo teste [10]), eum ex duobus Iosephi patribus, quos nominant evangelistae, alterum naturalem esse, alterum legalem, utrumque tamen Iosephi patrem, putasse.

22 Postquam autem adversarii nostri id praestiterint, ut evincant graecum Lucae *ἀρχέτυπον* versaque in alias linguas exemplaria ipsorum sententiae consonare, et id eos rogabimus, ut doceant nos, qui factum sit, ut Lucas, non Iosephi, sed, ut ipsi autumant, Mariae patrem quum nominaret, ipsiusque virginis genus exponere vellet, Mariam tamen ipsam ne nominaverit quidem, quam procul dubio nominare debuisset, si eorum sententia vera esset, quod etiam Salmeron animadvertit [11]).

---

[1]) Sacro sanct. evangel. cod. s. *Eusebii*. Praefat. [2]) Evangeliarium quadrupl. Prolegom. [3]) De divinit. et canonic. sacror. libror. p. 312. [4]) Apud *Blanchin*. l. c. [5]) Apud *Sabatier* Latin. version. antiq. ad Luc. III, 23. [6]) Op. cit. init. evang. Lucae. [7]) In ep. ad Ephes. III, 15. [8]) Cap. I, n. 2. [9]) De scriptorib. eccl. c. 135. [10]) In Matth. I, 16. [11]) In evang. T. III. tract. XXVIII p. 208.

Quid illi responsuri sint, probe tenemus, neope illud, quod sibi somunt (10), moris non fuisse sacris scriptoribus genealogias describentibus feminas adnumerare. Verum, quod illi sibi sumunt, nos istud ipsum nequaquam damus.

23 Nam, quod iam a Salmerone adnotatum est [1]), etsi scriptoribus sacris non fuisset mos rectae maiorum aut posterorum lineae ullam feminam inserere, multo saoe minus morem fuisse crederem, eos inserere viros, ex quibus is, cuius nativum stemma contexitur, minime esset prognatus; quod tamen facere haudquaquam religioni sibi duxit Matthaeus, quum Christi genus a Davide ductum ostendit enumerando maiores Iosephi, qui nihil operae contulit ad Christum progignendum. Cur igitur putemus Lucam adeo veritom esse, ne illum morem infringeret, ut *maternam* dumtaxat Christi prosapiam si adversariis credimus, exhibens, et ad *maternum* huius avum usque producens, ab ipsa Christi *matre* vel nominanda refugeret?

24 Sed quid illud est, quod aiunt moris fuisse scriptoribus sacris? Quasi vero eadem his omnibus in mora posita fuerint, non autem alia aliis, prout ipsorum ingenium, patria, stilus, consilium, cetera, alia atque alia erant, quodque eorum aliquis minime fecit, nec ceterorum ullus facere quiverit. At scripturae ipsae id refellunt. Etenim, si quos inter ex illis convenientia haec morum et consuetudinum deprehenderetur, inter eos potissimum id fieret, qui populares eudemque gente orti essent. Verum id minime fieri ex ea ipsa genealogia comperimus, quam edidit Matthaeus. Is enim, utpote Iudaeus et Iudaeis scribens, illum morem, quem Iudaeorum scriptorum proprium fuisse ponunt, observare debuisset, potius quam Lucas homo Syrus, et aliis scribens quam Iudaeis; attamen Matthaeus plures feminas, ex quibus Ioseph genus ducebat, huius maioribus intermiscuit, et, quamquam unius Iosephi, non autem et Mariae, genus exponere videatur, genealogiam tamen claudit Mariam quoque nominando, ac diserte narrando Christum ex Maria natum esse, nullo commentitiae illius consuetudinis respectu. Quid ergo eam religiosius quam Matthaeus, Lucas observasse putandus est? Quare, quod talem consuetudinem nobis opponant adversarii, id abs re prorsus esse affirmamus, uti et Salmeron [2]), et Possinus [3]), et alii affirmarunt.

25 At enim, inquies, patres id ipsum respondere solebant. Verum in alium omnino sententiam. Sensere quippe Christi stemma unique esse, quod ab utroque evangelista proponitur, ita tamen proponi, ut uterque Iosephi prosapiam expresserit, patremque alter alterum nominaverit; quare huius rei caussam rogantibus, curnam evangelistae Christi genus enarrantes Iosephi potius quam Mariae prosapiam recensuerint, respondebant, non fuisse morem Iudaeis sacrisque scriptoribus mulierum genealogias edere [4]). Quibus verbis, manifestum est, patres nihil Iudaeis sacrisque scriptoribus veluti proprium attribuere voluisse, quod et aliorum gentium scriptoribus proprium non esset, sed solum aiebant, Iudaeos, non secus ac aliarum gentium scriptores, in describenda alicuius prosapia paternum eius genus, non autem maternum, persequi solitos fuisse, ac simpliciter negabant, quod aliorum gentium moris non erat, id Iudaeorum fuisse, quasi dicerent: Neque Iudaeorum mos est, sicut nec ollorum populorum, genealogias per feminas describere; si enim in aliom sensum ea patrum verba acciperentur, a rei veritate abhorrerent. Iam vero hoc posito, quod talis sit illorum verborum sensus, qualem esse dicimus, nemo non intelligit, ut patres, si potassent, non Iosephi, sed unius Mariae prosapiam patremque, hoc est, maternum solummodo Christi genus a Luca exhiberi, ineptum quid atque absonum, quodque cum ipsorum sententia pugnaret, respondissent.

26 Ineptum, inquam, atque absonum. Ubi enim alicuius prosapia recensenda sit, nominatis patre, avo, proavo, ceteris, uti a Matthaeo et a Luca factum est, nullum sane in toto illo albo feminam legere erit, si modo de alicuius viri genere quaestio sit; at si feminae genus sit exponendum maioresque recensendi, quibusnam soles, sive populis sive scriptoribus mos fuisse dicatur feminam illam in genealogia non nominari? Hunccine morem tam absurdum tamque rei naturae adversantem scriptoribus sacris affingamus, qui, quum maternum Christi genus, id est, genus unius Mariae enumerare vellent, ut sancte morem illum observarent, Mariae nomen omiserint? Quis, ineptissimum commentum ferat? quod quidem scripturae ipsae abunde refellunt. Harum enim auctores et feminarum genealogias ediderunt, uti Iudithae, cuius prosapiam ab ipsa ad Rubenum usque longo ordine reductum legimus [5]), et virorum a feminis ductum originem, ubi res id ferebat, edixerunt, uti filiorum Surviae et Abigailis, quae Davidis sorores erant [6]), aliorumque [7]), et eam, quam quis ex filia habuit,

[1]) L. c. [2]) L. c. p. 208. [3]) Diatect. theogeneatog. c. 56. [4]) *Chrysost.* in Matth. hom. II. § 4. *Hieron.* in Matth. I, 18. [5]) Iudith. VIII, 1. [6]) I Par. II, 16. 17. [7]) II Par. XXIV, 26.

progeniem enumerarunt, uti Sesanis posteros ex filia, quam Ieraae servo aegyptio nuptui dederat [1]), et feminas *προμήτορας* non raro genealogiis adtexuerunt, uti vel ab ipso Matthaeo factum esse videmus [2]), neque adtexuerunt solummodo, sed, contra ac ferret ille mos, in ipsa maiorum serie veluti borum unum collocarunt, sicut fecerunt, ubi Rebeccae genus narratur [3]). Patet igitur, ineptum illud atque absonum foret, nec ne, quod patres respondebant, siquidem ii putasseut a Luca maternum dumtaxat Christi genus describi.

27 At enim, inqninnt, non id Lucas sibi proposuerat, ut Mariae prosapiam nos doceret, sed ut Christi genus a Davide ductum ostenderet; quod etsi aliter fieri uequiret, quam maternos eius maiores recensendo, potuit tamen Lucas de more matrem praeterire. Sed si Ioabi, Asaelis, Abisai, Amasae genus ab ipsorum matribus Davidis sororibus repetitum legimus, ut notum esset eos Davidem cognatione attigisse, quanto magis Christi matrem, si adversariorum sententia vera foret, Lucas nominaret, oportuit, per quam unam Christus a Davide genus duxerat, quaque omissa vel iocari visus esset, ut qui divinandum lectoribus proponeret, utrum maternum au paternum Christi stemma exhibuerit, vel, quod verius est, hos fallere, utpote usus iis dicendi modis, quibus genus paternum recensere credendus esset. Sique scriptor paralipomenon Sesanis filiam commemoravit et Sesanis posteros ex ea prognatos, qui hoc ipso non poterant, nisi minus proprie, tales haberi, cur Lucas non commemorasset filiam Helis, si tamen huius filia est, Mariam, inquem, per quam unum factum est, ut Christus vere ac proprie unius Helis nepotibus adnumeraretur? Denique, si quorumdam genus a feminis repetiernnt scriptores bibliorum, quo nobilis illorum cognatio memoriae proderetur, si alicuius progeniem, etsi ea minus proprie ita vocaretur, per ipsius filiam propagatam enumerarunt, nonne multo meliore cum ratione, qui genealogiam aliquam describit, feminam illam nominet, quae, quum filium absque viro conceperit, ac pepererit, propriam suam ipsius familiam propagasse dicenda est? Quod quidem nulli alii feminae accidisse, quam Mariae virgini, indubia res est; verum hoc ipso, ut ait Salmeron, ***quia singularis conceptus hic esset, non mirum, si singulari genealogia esset per Mariam describendus*** [4]).

28 Quare illud pro certo tenemus, quod, si Lucas maternam modo Christi prosapiam maternumque avum nos docere sibi proposuisset, ita, ut Heli Mariae pater habeudus esset, ipsum Mariae nomen nullo pacto fuisset praeteriturus.

29 Unum praeterea superest, quo impedimur, quominus adversariis adstipulemur. Si enim alter evangelista putandus foret sibi proposuisse ita Christi genus edicere, ut maternam dumtaxat huius, quam solam re ipsa habuit, prosapiam recenseret, maternumque avum nominaret, id profecto Matthaeus potius sibi proponere debuisset, quam Lucas, ut facile intelligere est ex iis, quae de utriusque consilio alias disputavimus [5]). Si ergo Matthaeus id non praestitit, multo minus erat, cur id Lucas praestaret.

30 Nihil enim est, quod respondent, ideo Matthaeum Iosephi potius, quam Mariae, genus retulisse, ut demonstraret, Christo, utpote Iosephi heredi, ius illud fuisse, quod ipsi Iosepho e Davide oriundo fuerat, adeundi regnum, eaque bona possidendi, quae Davidi a Deo fuerant promissa. Hoc, inquam, nihil est. Si enim loquuntur de iure regnandi, quod olim posteris Davidis hereditate manebat, meminerint oportet, hoc nullum fuisse aetate Iosephi, ut apparet ex iis, quae disputavimus de Christi origine ducta ex Iechonia [6]). Ad haec, tametsi tale ius illa aetate stetisset adhuc Davidis nepotibus, quum tamen Iechoniae progenies in plures familias esset dispertita [7]), duo adhuc divinanda superessent, ut Iosepho hoc ius attribueretur; unum est, cuinam illarum familiarum id maneret, alterum an ex hac ipsa Ioseph genus duceret. Cetera vero bona Davidi a Deo promissa, quibus Christum veluti heredem scriptum putant, quaenam sint, fatear ingenue me nulla hactenus nosse praeter ipsum Christum huiusque regnum spiritale atque aeternum, quod, non ut Davidis, sed ut Dei filius consequutus est; proinde non dispicio, qui fieri potuerit, ut huiusmodi bona ex Davide hereditate acciperet, idque ipsum Matthaeus docere nos vellet (43).

31 Quid peccet sententia haec putantium Helim Mariae patrem esse, quum satis disseruerimus, restat disquirere, quid habeant incommodi rationes illae diversae, quibus ea proponi solet.

32 Prima enim harum rationum (11) ita rem conficit, ut syntaxis nimium quantum contorta cuilibet, qui graece vel parum norit, esse videatur. Si enim *τα παρενθετα* seponamus, quae eadem

---

[1]) I Par. II, 34 seqq. [2]) Matth. I, 3. 5. 6. [3]) Gen. XXIV, 15. 24. [4]) L. c. p. 214. [5]) Conf. Lib. I. cap. I. q. IV et cap. III. q. 5. [6]) Cap. XIV. n. 12. [7]) I Par. III, 17—24.

talia sint oportet, ut citra sententiae dispendium abesse possint, quid sibi ista vellent? *και αυτος ἠν ὁ Ἰησους ὡσει ἐτων τριακοντα ἀρχομενος του Ἡλι*, tam multis aliis praeter illa *παρενθετα* inter nomina ***Iesu*** et ***Heli***, quae tamen nomina coniungenda forent, interiectis? Praeterea, quum alicuius filius est appellandus, ita Graecis loqui mos est: *Ἀλεξανδρος Φιλιππου*, sive *Ἀλεξανδρος ὁ του Φιλιππου*, sive, quod forte magis usitatum est, *Ἀλεξανδρος ὁ Φιλιππου*, non autem *Ἀλεξανδρος του Φιλιππου*; quare neque Lucas ea ratione loquutus esset, si Iesum Helis filium appellare voluisset. Exempla vero loquutionum ab adversariis in rem suam prolata, adeo parum eorum sententiam confirmant, ut eam potius convellere dicenda sint. Sed et certum atque indubium exemplum, vellem, proferres, quo probes graecos scriptores simili loquutione usos esse, ut aliquem alicuius nepotem dicerent. Quis enim horum *Ἀλεξανδρον του Ἀμυντου* appellavit, aut *Σολομωντα του Ἰεσσαι*, vel, ut filiorum nomina enuntiare Graeci solent, *Ἀλεξανδρον τον Ἀμυντου*, *Σολομωντα τον Ἰεσσαι*? Denique quaevis enuntiatio, si qua eius pars *παρενθετος* est, aliud omnino sonet necesse est, ac sonaret; si *παρενθετος* haec non esset; quare et verba Lucae aliud sonabunt lecta ita, ut sunt, quam si eam *παρενθεσιν* confingamus, qua ipsorum sensum plane immutari quisque intelligit. At nos audacius facto putandum est, nullius codicis, nullius *πατροπαραδοσεως*, nullius patris neque vetustioris scriptoris auctoritate suffragante, nullaque re nos ad id compellente, imo cunctis refragantibus patribus nonnulliisque evangeliorum exemplaribus vetustissimis, post quindecim demum annorum centena eam *παρενθεσιν* comminisci, quae evangelii sensum immutet?

33 Idque ipsum aeque facit ad refellendam alteram rationem, qua verba Lucae exponuntur (12), quamque vel hac una de caussa recusarem accipere, etsi nihil aliud foret, quod me id vetaret. Vetat enim illud praeterea, quod, etsi ea ratione graecae grammaticae an sententiae perspicuitati minus male fit, ipsa tamen *παρενθεσις* durius fortasse enuntiatur, nec pro particula *ὡς* satis commode particula ***nam*** reddi videtur, quod tamen nisi fiat, iam nullus huic *παρενθεσι* sensus apte subesset.

34 Tertia horum verborum explicatio (13) ***mole ruit sua.*** Quis enim eo modo genealogias describat? Nonne potius secundum ea, quae paullo ante diximus (32), articulus *ὁ* fuisset repetendus, qui nominis *Ἰησου* vices gereret, quam praepositivus *του* insequenti nomini adiunctus? Cur autem non etiam nomini *Ἰωσηφ* articulus iste praefigitur? Quam autem inconcinna atque inscita foret in latinis Lucae exemplaribus illa verborum ***qui fuit*** ante singula nomina repetitio, quum totam sententiam, non modo pressius magisque ad graecum *ἀρχετυπον*, sed etiam minus ineleganter ac perspicue magis ita interpres reddidisset: ***Qui fuit Heli, Mathat, Levi etc.*** Nec video, quaenam religio in Lightfootum incesserit, ut vereretur, ne, quod Adam Dei filius dicatur, id ***non solum duriuscule*** sonet, ***sed hic enormiter ac fere blaspheme.*** Hieronymo quidem religio haec haudquaquam fuit, qui illud ipsum apud Lucam legi testatur (20). Tum nonne sexcenties scriptores sacri ***filios Dei*** nos vocant? Nonne Paulus Aratum laudavit haec canentem: *του γαρ* (*θεου*) *και γενος ἐσμεν* ***ipsius enim*** (***Dei***) ***et genus sumus*** [1])? Neque me movent exempla, quae ex scripturis depromuntur ad constabiliendam istam Lucae verborum interpretationem. Etenim illa duo stemmata, alterum Oolibamae, quae Esaui [2]), alterum Meetabelis, quae Adaris [3]) uxor fuit, quum, non modo sola ea sint, quae ob rem adversariis suggerat ipsum *ἀρχετυπον* scripturarum, sed in utroque semel solummodo illud fiat, quod in tota genealogia a Luca descripta fieri oportere illi contendunt, quid valeant ad modum hunc genealogiarum describendarum defendendum contra innumera exempla, quibus contrarium efficitur, non equidem video; idque eo minus, quod et exemplar samaritanum [4]), et interpretes graecus [5]), syrus [6]), samaritanus [7]), arabs [8]), et plura exemplaria vulgatae interpretationis [9]), credere suadeat fuisse olim codices hebraicos, in quibus, non בת צבעון ***filia Sebeonis*** et בת מי זהב ***filia Mezaabi***, sed בן צבעון ***filii Sebeonis*** et בן מי זהב ***filii Mezaabi*** legebatur, ut pro eo modo eaque ratione, quam scriptores bibliorum in genealogiis describendis constanter tenuerunt, legendum docent Houbigantius [10]) et Kennicottius [11]). Exempla vero ex interpretibus graeco et latino petita nullius momenti esse facile dabis, si animadvertas ea et hebraico *ἀρχετυπῳ* adversari, et eorumdem ipsorum interpretum consuetudini, qui vocem בן, per quam maiorum nomina in genealogiis copulantur, non alio casu quam patrio reddiderunt. Accedit, quod in exemplaribus latinis vox ***filiae*** non nominibus Oolibamae et Meetabelis respondet, sed Anae et Matredis harum patrum, quos interpres feminas

---

[1]) Act. XVII, 28. [2]) Gen. XXXVI, 2. 14. [3]) Ib. 39; I Par. I, 50. [4]) Gen. XXXVI, 2. 14. [5]) Ib. 2. 14. 39. [6]) Ib. 2. 39; I Par. I, 50. [7]) Gen. XXXVI, 2. 14. [8]) I Par. I, 50. [9]) Gen. XXXVI, 2. 14. [10]) Not. crit. in h. l. [11]) Diss. I, p. 356.

esse credidit hoc ipso, quod eorum nominibus בת continuo succederet. Auctor *Quaestionum de vetere et novo testamento*, qui primus eo modo genealogiam hanc explicavit, ait quidem Iosephum et Helim fratres fuisse, non tamen Helim fuisse Mariae patrem; imo contra sensisse dicendus est, quum longo sermone contendat Iesum Iosephi aeque ac Helis filium haberi posse, quod falsum foret si Maria patrem habuisset Helim. Cur hanc interpretationem excogitaverit ille auctor, ratio ea fuit, quod, verbis illis, quae in extrema genealogia leguntur, *qui fuit Dei*, nomini Iesu additis, iam ipsum Iesum a Luca Dei filium dici constaret. Ceterum manifestum cuique fit talem interpretationem neque obesse nec prodesse alterutri sententiae, sive qui Helim Mariae, sive qui Iosephi patrem esse opinantur.

35 Postrema denique interpretationis ratio (14), qua dicitur Ioseph Helis filius ideo vocari, quod eius gener esset, iure ac merito exploditur a Grotio [1]) et a Zaccaria [2]). Missa enim illa facio, quod hominum nemini in mentem venerit, ut alicuius genealogiam ex soceris ac generis contextam describeret; quod nemo unus historicorum *filii* pro *generi* appellatione usus sit, qua de re, lege, quae superius scripsimus [3]), denique quod Lucas Christi originem nos ducere instituens rem totam ab aenigmate exordiri voluisse videretur, atque unum hoc quaero; quid ineptius, quam, post enumeratos maternos alicuius maiores, omissa matre, patrem stemmati inserere, idque ita, ut, qui haec scripsit, nullo vel levi iudicio ea de re lectoribus praemonitis, non maternos, sed paternos maiores enumerasse putetur? Enimvero ineptissime id fecisset Lucas, utpote cui Christi ἀπάτορος genus maternum referre propositum foret, ineptissime, inquam, nativae huic Christi genealogiae ad finem perductae ille, id est, Ioseph insereretur, qui neque ab Heli genitus esset, nec gignendo Christo quidquam operae praebuisset.

36 Nunc venio ad Francisci Lucae opinionem, quam initio retuli (6), quaeque est maternam Mariae prosapiam a Luca describi maternumque Helim esse virginis avum. Sed haec quoque nihil habet, quo se nobis probet. Quippe neminem reperias, qui Francisco Lucae adstipuletur, nisi forte aliquid, quod huic faveat, deprehendere tibi videaris in iis, quae scripsit Hyppolytus Thebanus [4]). Verum Hippolytus, non Helim, sed Mathanem Mariae avum maternum esse ait, hunc vero Mathanem eum esse, qui in codicibus Lucae saepius scribitur *Mathat*, atque Helis parens est, id ille nequaquam dicit; quamquam enim in Hypomnestico Iosephi Christiani haec Hippolyti narratio descripta habeatur, additis ad eam confirmandam Lucae verbis: *qui fuit Heli, qui fuit Matthan*, nihilominus, quum constet narrationem hanc aliena manu additam esse Hypomnestico [5]), quumque ea Lucae verba apud ipsum Hippolytum non legantur, quum denique Matthanem illum sacerdotem vocet Hippolytus, nihil ab Hippolyto emolumenti capiet opinio Francisci Lucae. Quod si Mathan Hippolyti foret is, qui a Luca Mathat vocatur, et Helis pater erat, ipse Heli neque Mariae avus esset, neque pater, sed avunculus secundum Hippolyti sententiam. Etsi vero Cornelius Iansenius Iprensis Francisci Lucae opinionem haud improbet, eam tamen non amplectitur, illique posthabet, quam mox exponemus. Ceterum iisdem omnibus difficultatibus hac opinio premitur, quibus et illa, quam ante hanc expendimus. Imo in hac confingenda falsis quibusdam principiis rationibusque ductus videtur Franciscus Lucas. Huiusmodi est illud, quod is pronuntiat, ex legalis patris genealogia alicuius genus nos discere minime posse; id enim sane falsum esse apparet ex iis, quae hac de re iam disputavimus [6]).

37 Quae quum ita sint, habes, arbitror, quibus diiudices, quo loco habere oporteat eorum sententiam, qui ducent Mariae prosapiam a Luca enumerari, vel paternam ita, ut Heli eius parens fuerit, vel maternam ita, ut idem Heli Mariam neptim ex filia habuerit. Ceterum, uti iam praemonuimus (7), dubitare non est ex utroque stemmate Mariae quoque genus nos discere posse; quo autem pacto, inferius disquiremus [7]).

PARS III

An uterque evangelista Iosephi genealogiam ediderit.

38 Superest modo, ut postremam sententiam expendamus, quae est, ab utroque evangelista Iosephi genealogiam exhiberi, ita nempe, ut tum Iacob tum Heli Iosephi pater haberi debeant. Hanc vero sententiam ceteris omnibus superius expensis praeferre tum auctoritas tum ratio suadent.

---

[1]) In Luc. III, 23. [2]) Raccolta di dissertaz. T. I. diss. 5. § 3. n. 10. [3]) Cap. XV. n. 9. [4]) Chronic. inter Opp. *Hippolyti* episcopi et martyris ed. *Fabric.*; et *Canisii*. Varias lectiones T. III. P. I. ed. *Basnag.* [5]) *Galland.* Biblioth. patrum T. XIV. Prolegom. c. 1. [6]) Cap. II. n. 6—21. [7]) Cap. XX.

39 Etenim ad finem usque (19) saeculi decimiquinti haec sententia obtinuit apud omnes, qui hanc quaestionem habuerunt, uno dempto scriptore *Quaestionum de vetere et novo testamento* (13. 17), exinde adeo plurimos defensores ac sapientissimos sortita est. Patres quidem nominare supervacaneum foret, quum eorum nemo secus senserit, si illum unum demas, quem modo dixi. Scriptores vero patribus recentiores, qui in ea fuere sententia, hos potissimos habes; Hugonem a Sancto Charo, Thomam Aquinatem [1]), Raymundum Martinum [2]), Lyranum, Gersonem [3]), Tostatum, Dionysium Chartusianum, Caietanum, Erasmum, Zegerum, Estium, Salmeronem, Toletum, Maldonatum, Baronium [4]), Casaubonum, Marianam, Grotium, Menochium, Possinum [5]), Papebrochium [6]), Iansenium Iprensem, Natalem Alexandrum, Clericum, Mazochium, Zuccariam [7]), quibus adde graecam evangelii interpretationem lingua vulgari.

40 Ratio autem petitur tum ex ipso contextu orationis, tum ex graeca syntaxi. Quis enim neget verba Lucae, nam, quod ad Matthaeum attinet, qui contra dicat, nemo est, si absque praeiudicatis opinionibus, ita ut sunt, legantur, eum sensum prae se ferre, quem dicimus? adeo ut, si ea legenda tradas homini, qui quaestionem nostram ignoret, is ne suspicetur quidem Helim non Iosephi patrem, quantum Lucas narrat, habendum esse. Eumdem autem hunc sensum ex Lucae verbis colligendum esse syntaxis graeca omni ex parte confirmat. Quum enim aliquis alicuius filius est appellandus, si inter utriusque nomen duo articuli interponantur, prior ad nomen filii pertinet, cui succedit, eodemque caso atque illud ponitur, posterior pertinet ad nomen patris, proinde ponitur casu patrio, ut *Πτολεμαιος ὁ του Λαγου* (11), *Ἰακωβον τον του Ζεβεδαιον* [8]); sin unicus, ad filii ille pertinet nomen, eodemque casu effertur, ut (32) *Ἀλεξανδρος ὁ Φιλιππου*, vicarius enim est nominis *παιδος pueri* aut *υἱου filii*. Hinc apud graecos scriptores genealogiae illae *κατ᾽ ἀναλυσιν* descriptae, in quibus articuli singulis nominibus praescripti patrio casu semper proferuntur, primo dempto, qui eius nomini, cuius genus edicitur, succedit eodem casu efferendus, quo idem hoc nomen, vel recto, ut *Λεωνιδης ὁ Ἀναξανδριδεω του Λεοντος του Εὐρυκρατιδεω κ. τ. λ.* [9]): vel dativo, ut *Κλεισθενει τῳ Ἀριστωνυμου του Μυρωνος* [10]), vel accusativo, ut *Λαϊον τον Λαβδακου του Πολυδωρου του Καδμου* [11]). In his, quum primus articulus ad nomen, cui succedit, pertineat, quumque nomen insequens patrio casu prolatum articulo destituatur, manifestum est ceteros quoque articulos ceteris nominibus praescriptos, non ad nomen, quod sequitur, sed ad illud, quod praecessit, pertinere, sicuti pertineret ipsum nomen *παις* aut *υἱος*, cuius vices gerunt, si vel adiungeretur, ut in illis Herodoti: *Κυαξαρης ὁ Φραορτεω του Δηιοκεω παις* [12]), inque illis: *Περκαλον την Χιλωνος του Δημαρμενου θυγατερα* [13]), vel loco articuli poneretur, ut in libro Iosuae: *Ἀχαρ υἱος Χαρμι, υἱου Ζαμβρι, υἱου Ζαρα κ. τ. λ.* [14]). Ex quo consequitur, si nomen eius, cuius prosapia describitur, patrio casu enuntiandum sit, etiam insequentem articulum patrio casu proferri oportere, nequaquam tamen pertinere ad nomen, cui praescribitur, sed cuius est integra genealogia. Ita, quod exempli caussa sit, haec legimus apud Herodotum: *Φαμενοι ἀπο Ἀσιεω του Κοτυος του Μανεω κεκληϲθαι την Ἀσιαν* [15]), in quibus primus articulus casu patrio ideo proferri dicendus est, non quia iungitur nomini *Κοτυος*, sed quia pertinet ad nomen *Ἀσιεω*; itemque in libro Tobiae: *Βιβλος λογων Τωβιτ του Τωβιηλ του Ἀνανιηλ κ. τ. λ.* [16]), de quibus idem ac de prioribus iudicium esto. Quae quum ita sint, nemo iam, puto, non intelliget in verbis Lucae *Ἰησους . . . υἱος Ἰωσηφ του Ἡλι* articulum *του* ad nomen *Ἰωσηφ* pertinere ita, ut manifestum sit a Luca Iosephum Helis filium appellari. Plura de hoc articuli *του* usu leges apud Raphelium [17]).

41 Duo huic sententiae inesse potissimum incommoda videntur, quae quidem inter cetera caussam dedere, cur tot disputationes de his duabus Christi genealogiis excitarentur. Primum est, aenigma nobis proponi, quum Ioseph tamquam duorum patrum filius inducitur, alterum, minime intelligi, cur Lucas genealogiam ab alio deducat, ac Matthaeus fecit, siquidem illi neque ac huic Iosephi patrem, avum, proavum, ceterosque maiores, recensere propositum fuit. De utroque nunc separatim agemus. Nam illa duo, quae praeterea opponi solent, Iosephi prosapiam nihil conducere ad Christi genus ediscendum, sique aliquid ad id ea conduceret, praestitisse tamen prosapiam Mariae describere, eius quaestionis sunt, quam secundum hanc habituri sumus.

---

[1]) 3. q. 31. a. 3. ad 2; a. 8. [2]) Pugion. fidei P. 3. d. 3. c. 7. § 8. [3]) Monotessar. c. 13 not. [4]) Apparat. ad Annal. eccles. § 34. [5]) Diallact. theogenealog. c. 51. [6]) Acta sanctor. martii T. 3. ad diem 19 Comment. hist. de s. Ioseph. [7]) Raccolta di dissert. T. I. Diss. V. [8]) Matth. IV, 21. [9]) Herodot. L. VII. § 204. Francofurt. 1608. V. et L. VIII. § 131. [10]) Id. L. VI. § 126. [11]) Id. L. V. § 59. [12]) L. I. § 103. V. et § 107. [13]) Id. L. VI. § 61. [14]) Ios. VII, 1. V. et 1 Par. VI, 33. 39. 44; I Esd. VII. 1. [15]) L. IV. §. 45. [16]) Tob. I, 1. [17]) Annotat. in tot. sacr. scriptur. ad Luc. III, 23.

PARS IV

Quo pacto duo patres Iosepho esse potuerint.

42 Quaeramus itaque, qui fieri potuerit, ut Ioseph duorum patrum filius esset. Ante omnia necesse est haec duo posita habeamus, Iacobum et Helim naturales Iosephi patres ambo esse nequivisse, quod probatione non indiget, alterutrum autem Iosephi patrem naturalem certo esse, qua de re nemo unquam dubitavit. Hinc item duo disquirenda sese offerunt. Primo, uter, Iacob an Heli, naturalis Iosephi pater fuerit. Deinde, qua ratione alter, qui Iosephum nequaquam genuit, huius pater haberi queat; de quo tres praecipuae feruntur sententiae, hasque primum expendemus, ut, comperto, quaenam ceteris verior sit, definire queamus.

§ I

An alteruter Iosephi pater dicatur propter hereditatem huic transmissam.

43 Prima sententia eorum est, qui putant Iosephum alterius filium habitum esse, propterea quia huius heres fuit. Id Grotius [1]) et Possinus [2]) tuentur, affirmantque Iacobum sobole caruisse, ideoque huius bona ad eum venisse, qui ipsum consanguinitate proxime attingebat, ad Iosephum videlicet Helis, qui Iacobi frater erat, filium. Verum praeter illos duos vix reperias, qui sic sentiat; Papebrochius enim ac Zaccaria (39), quos ceteroquin adstipulatores habet Possinus in disputatione de Christi genealogia, ab eo tamen hac de re dissentiunt. Et re vera, quis id concoquat? Iosephum a Iacobo *genitum* dici, quod eius hereditatem adierit? Argumenta vero Grotii et Possini refutare, opere non est. Sed neque Helis *filius*, quem tamen Lucas eum dicit, vocari Iosephus potuisset ratione unius hereditatis, quam accepisset ab Heli; nemo enim unquam alicuius filius habitus est, quod eius heres esset. Tum quamnam apud gentem mos fuit genealogias, ut ita loquar, hereditarias describere, et quidem ita, ut naturales genealogiae legenti videantur. Quorsum vero morem hunc inauditum sectati fuissent evangelistae? Respondit Possinus, id Matthaeum ideo fecisse, *quia eius erat, qui Iudaeis scriberet Messiam ex Davidis et Abrahami stirpe expectantibus . . . nasciturum, et repromissionum heredem futurum, ostendere ipsis, quomodo recta linea ad ipsum benedictionum descenderit hereditas, quam, ut Iosephus a Iacobo, ita ipse per cognationem ac iuris ordinem accipere potuisset a Iosepho, nisi Dei filius Deique bonorum haeres omnium habuisset ex se ipso.* At vellem nos docuisset Possinus, quaenam fuerint illae *benedictiones*, sive potius illa beneficia, quae Abraham et David ex Dei manibus accepta Christo hereditate transmittere per Iosephum debuissent. Quippe alia esse nequeunt, quam quod Christus ex eorum sanguine exoriturus esset, quod ex eorum progenie, id est, ex Christo maxima bona omnibus gentibus essent proventura, quod eamdem hanc progeniem, id est, Christum, regnum aeternum maneret [3]); in quibus omnibus nihil esse, quod hereditate Christo obveniret, ipsa harum rerum natura demonstrat, proinde nemo coniectet, quomodo ea Christus hereditate capere potuerit. Enimvero non haec Deus Christo praestitit, quia is ex Abrahamo et Davide, quorum stirpi ea se ille praestiturum praedixerat, ortus est, sed ideo Abrahae et Davidi id praedixit, quia ex ipsis Christus erat oriturus. Recole, quae de regno Christi aeterno alias disseruimus [4]). Quid, quod, tametsi illa omnia veluti quaedam hereditas essent, quae Christo venire deberet, minus tamen secum cohaerere Possinus dicendus est, quum affirmat talem hereditatem a Iacobo ad Iosephum, perque hunc ad Christum venisse, quum antea contenderit [5]) Iechoniam una cum ceteris Salomonidis, quorum unum Iacobum ipse etiam agnoscit, iure omni excidisse, quod eis fuerat in illam hereditatem, utpote quorum ex genere Christus non amplius esset procreandus.

§ II

An alteruter pater Iosephi fuerit adoptione.

44 Aliorum sententia est alterum ex duobus Iosephi patribus esse adoptivum. Hanc sententiam proposuit Augustinus [6]), non tamen eam amplexus est, imo diserte repudiasse videtur in libris Retractationum [7]). Profecto nullas apud Israelitas fuisse adoptiones, quales apud nos sunt, quae

[1]) In Luc. III, 23. [2]) Diallact. theogenealog. c. 51. [3]) V. Genes. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18; II Reg. VII, 13—16; Ps. LXXI, 17. [4]) Cap. XIV. n. 12. [5]) Ib. n. 1. [6]) De consensu evangelist. L. II. c. 3; Serm. LI de concordia Matth. et Luc. al. LXIII de divers. c. 18. [7]) Lib. II. c. 7.

lege sancirentur, alias demonstravimus [1]). Nec ergo mos eis esse potuit huiusmodi genealogias, ut ita dicam, adoptivas describere, sique fuissent descriptae, momentum tamen habuissent, quum ad alia sane exiguum, tum nullum ad alicuius genus ostendendum. Quare neque haec alteram sententiam sequi integrum est.

§ III

An alteruter Iosephi pater fuerit lege de connubio viduae cum leviro.

45 Tertia igitur sententia superest, quam accipiamus, eaque est alterum Iosephi patrem legalem, ut vocant, fuisse ea lege, quae de connubiis viduarum cum leviris a Moyse lata est [2]).

46 Rationes, quae sententiam hanc comprobant, eamque duabus prioribus praeferre suadent, praesto sunt. In primis sententia haec, sive hic modus utriusque genealogiae simul componendae, fundamentum in ipsis legibus Israelitarum iactum habet, quo quidem reliquae dune destituuntur. Eadem hac sententia posita, utraque genealogia apta est evangelistarum consilio ostendendi genus atque originem Christi, quum patrem legalem agnatione proximum esse oportuerit patri naturali. Ut autem non fere quisquam (13. 17) e tota antiquitate aliam viam certo et constanter inivit ad utramque genealogiam componendam, ita plurimi omnino sunt inter patres, qui pro certa hanc sententiam habuere, ut Iulius Africanus [3]), Eusebius [4]), Hilarius [5]), Gregorius Nazianzenus [6]), Ambrosius [7]), auctor Quaestionum ad Orthodoxos [8]), Hieronymus [9]), Augustinus [10]), Ioannes Damascenus [11]), Beda [12]), Ioannes Nicaenus [13]), Theophylactus [14]). Horum quidem aliqui minus nobis favere eo videntur, quod putaverint Iacobum et Helim fratres esse uterinos, quo posito nullus, quod ad hos dons eo nomine, quod uterini fratres essent, locus fuisset illi legi, quae solum de fratribus eodem patre genitis ceterisque ex ordine agnatis lata erat; locus tamen esse utique potuit, si aliqua, quae inter ipsos praeterea esset, agnationis ratio attenderetur, vel illa adeo, quod uterque ex Davide originem duceret (74). Tum illud manet fixumque est, quod omnes patres, quos enumeravimus, ex illa lege dissolutionem petunt totius difficultatis, quae inest huic quaestioni, ut ut eorum nonnulli sensum legis minus sint assequuti. Ceterum patribus scriptores illi fere omnes assentiunt, quos superius (39) nominavimus.

47 Duo visa sunt Augustino [15]) huic sententiae adversari. Unum est, quod, si illa lex hic obtinuisset, Iosepho patris legalis, sive is Iacob fuerit, sive Heli, nomen imponi debuisset, ut ea praecipere videtur, nec tamen id factum est. Verum hoc dilucide resolvit Augustinus ipse, nosque alias demonstravimus illud ea lege nequaquam praecipi [16]). Alterum sic est. Iacob erat ex Salomonidis, Heli ex Nathanitis. Iam vero, qui fieri potuit, ut, altero eorum demortuo, nemo ex huius gente superstes foret, cui ipsius vidua nuberet, adeo ut ad legem observandam necesse fuerit eam nubere uni ex alterius gente, idque post mille fere annos ab aetate Salomonis et Nathanis, quum inter utramque gentem nulla iam consanguinitas interesse putanda foret? Attamen nihil nos credere compellit duas genealogias ita disiunctas esse ac disparatas, ut omnes omnino diversi sint, quotquot inter Davidem et Iosephum recensentur, nullaque consanguinitate propinquos, nisi ea, quae ipsis ex utriusque gentis auctore, id est, ex Davide deducta inerat.

48 Etenim illam discrepantiam, quae apparet inter maiores Iosephi, necesse non est altius repetere, quam a Zorobabele [17]); quo maxima ex parte removetur ea difficultas, quam faciunt tum longa annorum series, tum gentium diversitas. Imo tota res planior etiam evadet, si Mathat, quem Helis parentem Lucas appellat, unus idemque sit ac Mathan Iacobi pater a Matthaeo memoratus, quod probabile esse alias vidimus [18]), probabilius autem eo fit, quod Iacob et Heli fratres esse prisca illa rei christianae aetate crediti fuerint. Etenim, etsi fratres uterini haberentur, errore tamen id factum fortasse est; propter diversa enim nomina *Mathan* et *Mathat* vel potius *Melchi* [19]), diverso patre geniti visi quidem sunt, quum tamen vulgo constaret fratres eos esse, hoc unum restabat, ut uterini putarentur. Sed de hoc in alio loco.

49 Eidem huic difficultati, quam illa discrepantia habet, minuendae faciunt haec, quae memoriae prodidit Iulius Africanus: *Familiae, quae cum a Salomone tum a Nathan deducuntur, adeo inter se*

---

[1]) Cap. II. n. IV. [2]) Cap. II. nn. 6 seqq. [3]) Ep. ad Aristidem. [4]) H. E. L. I. c. 7. [5]) In Matth. I, 1. [6]) Carm. 38. [7]) In Luc. L. III. § 15. [8]) Quaest. 131. 133. [9]) In Matth. I, 16. [10]) Retractation. L. II. c. 7. [11]) De fide orthod. L. IV. c. 14. [12]) In Matth. I, 16; Luc. III, 23. [13]) Ep. ad Zachar. patriarch. Armen. ap. *Combefis.* Hist. Monothelitar. col. 308. [14]) In Luc. III, 23. [15]) De deuteronomio Quaest. 46. [16]) Cap. II. n. 8. [17]) Capp. XV. XVI. [18]) Cap. XVII. n. 10. [19]) Cap. I. n. 4.

permixtae sunt reparatione nominis, secundis nuptiis, et seminis suscitatione, ut iidem homines diversos patres habuisse merito credantur, hos quidem putativos, illos autem naturales [1]. Quibus Eusebius assentire dicendus est, utpote qui ea referat ad banc controversiam de duarum genealogiarum discrepantia dirimendam. Haec vero, quae narrat Iulius Africanus, credere est facta esse ea maxime aetate, intra quam nostra quaestio praecipue versatur, id est, inter Zorobabelem et Iosephum, nec desunt, quae credere suadent; tum quod illa aetate genus Davidis pluris fieret, tum quod Christus ex genere Davidis oriturus brevi exspectaretur, hisque ipsis de caussis id curaretur apprime, ne Davidis progenies cum aliis Iudaeorum familiis commisceretur, ut alias animadvertimus [2].

50 Negotium, quod ambas genealogias comparantibus facessit sive nimium dissimilitudo, sive dispar numerus generationum, non adeo grave esse, ut prima specie videtur, satis demonstravimus, ubi egimus de posteris Zorobabelis [3].

51 Quod si, ut multi opinantur, Heli esset ex genere Nathanis, Iacob vero ex Salomonis, neminem tamen alterutro propinquiorem fuisse inventum, qui ulterius viduam lege duceret, minus incredibile efficit ratio ex eo desumpta, quod familiae per illa tempora non adeo numerosae in Iudaea essent, ut ante captivitatem; obsoleverat enim saltem ex parte πολυγαμια, Iudaei huc illuc diversas in regiones dispergebantur, frequentioribus insuper bellis graviores quoque clades genti illatae sunt. Quae ratio longe maiorem vim concipit, siquidem Heli et Iacob, ut probabilior sententia est, ex Salomone prognatus uterque fuerit.

52 Novum denique illud non est, quod alicui stirpi, quantumvis ea olim floruerit, post plura tamen saecula vir unicus tandem supersit, quo vita functo, et ipsa exstinguatur. Neque hoc, quod dicimus, pugnat cum iis, quae respondimus Possino comminiscenti Salomonis stirpem una cum Iechonia exstinctam fuisse, quippe quia ea, de quibus in praesenti agimus, eventum habuere sex fermo saeculis post regnum Iechoniae [4].

§ IV

Uter naturalis Iosephi pater fuerit, Iacob, an Heli.

53 Nunc definiamus oportet, uter duorum naturalis Iosephi pater fuerit, uter legalis. Vides, ut arbitror, utramvis sententiam sequi placeat, aeque ea effici Iosephum a Davide genus duxisse, proinde utramque conducere consilio evangelistarum, qui ex genere Iosephi Christi genus nos discere voluerunt. Etenim, ut ait Hilarius, *non refert quis in originis numero atque ordine collocetur, dummodo universorum familia coepta esse intelligatur ab uno* [5]. At enim non aeque constabit Christum ortum esse ex stirpe Salomonis, quod tamen nos defendimus [6], si Iosephus patrem habuit Helim Nathanitem. Verum, quod Christus a Salomone originem traxerit, id non his genealogiis sive ipsi comprobavimus, sive comprobare propositum fuit evangelistae, nec magis quam quod a Roboamo, ab Abia, aliove rege. Tum Helim, non a Nathane, sed a Salomone esse progenitum, veri longe similius esse modo vidimus (47—52).

54 Sed iam argumenta, quae pro utraque sententia proferri possunt, expendamus, atque inter se conferamus, ut quaenam probabilior sit, tandem liqueat. Quatuor sunt horum argumentorum loci. Petuntur enim primo ex iis, in quorum usum scripta sunt evangelia, dein ex patribus legalibus in alterutra genealogia positis, tum ex ipsis loquutionibus, demum ex auctoritate scriptorum tum veterum tum recentiorum.

Argumenta petita ex iis, in quorum usum evangelia scripta sunt.

55 Qui opinantur naturalem Iosephi patrem esse Helim, ita disputant. Matthaeus evangelium suum Hebraeis inscripsit, Lucas vero aliis. At aliarum gentium nihil intererat nosse agnationes illas legales, quas tamen permagni faciebant Iudaei atque adeo pluris etiam, quam agnationes naturales. Quare Matthaeus dicendus est Iosephi patrem legalem, Lucas naturalem nominasse. Hoc argumentum adhibuit Zaccaria (39).

56 Verum Lucas non ad gentem aliquam, sed ad Theophilum scripsit, quem, etsi Iudaeum fuisse minime putemus, mores tamen Iudaeorum compertos habuisse constat [7]. Quod si opponas,

---

[1]) Ep. ad Aristid. apod *Eusebium* H. E. L. I. c. 7. [2]) Diss. VI. n. 4. [3]) Cap. XVII. [4]) Cap. IX. n. 24. [5]) In Matth. I, 1. [6]) Cap. IX. [7]) Diss. I. n. 24.

Lucam, etsi Theophilo inscripserit evangelium, non tamen in unius Theophili usum, sed et eorum omnium, qui in Christianos nomen dederant, illud exarasse, hoc reponam vicissim, hos, si non maxima, magna saltem ex parte Iudaeos religione fuisse. Quum autem horum potius, quam aliarum gentium, interesset noscere veram ipsam nativamque ac proprie dictam Christi genealogiam, si quid primo hoc argumentorum genere efficere est, illud consequitur, a Matthaeo potius, quam a Luca, naturales γενεας recenseri. Quippe falso aiunt Iudaeos pluris fecisse agnationes legales, quam naturales. Etenim in naturalibus ea omnia erant, quae in legalibus, imo potiore etiam titulo, insuper alia erant, quae in legalibus esse non poterant, ea videlicet, quae naturalibus agnationibus ita inhaerent, ut harum solummodo propria sint. Fieri utique potuit subinde, ut legalis agnatio pluris haberetur, quam naturalis, ob certa quaedam rerum adiuncta; sicuti in praesenti a nobis, qui Iudaei non sumus, pluris id fieri solet, ut quis alicuius filius sit adoptivus, quam naturalis alterius, veluti quum quis de plebe tunicatus a viro nobili et divite pro filio adoptatur. Ast id nemo credat accidisse Iosepho, qui fabrilia tractabat.

57 Qui vero malunt Iosephi patrem naturalem Iacobum credere, urgent illud ipsum, quod modo diximus, pluris Iudaeorum, quibus Matthaeus scribebat, interfuisse, quam ceterarum gentium, nosse Christi genus a Davide deductum, sive, quod rectius dixeris, ediscere veram, genuinam, ac naturalem Christi prosapiam, quae ipsis huius genus, quod iam cognitum habebant, demonstraret. Hoc argumento etiam Salmeron usus est [1]), quod Irenaei auctoritate confirmatur haec narrantis: *Evangelium secundum Matthaeum ad Hebraeos scriptum est.* Hi enim maiorem in modum cupiebant ex semine David Christum ostendi. *Matthaeus vero, qui* eadem, *nec remissiore, quam ipsi, cupiditate teneretur,* omni ratione *contendit* plenam *ipsis fidem facere, quod Christus sit ex semine Davidis; propterea a Christi genealogia initium duxit* [2]).

Argumenta petita ex patribus legalibus in alterutra genealogia recensitis.

58 Alterum argumentum ex analogia depromunt, quod ille putari debeat legalem Iosephi patrem nominasse, qui alios patres legales in genealogia a se descripta commemoravit. Hoc tamen levioris omnino momenti esse facile perspicies, si animadvertas, non, quia in alterutra genealogia aliquis pater legalis reperitur, ideo nullum in altera reperiri posse [3]). Si tamen huiusmodi argumentum quid valet, potius Iacob quam Heli naturalis Iosephi pater dicendus foret.

59 Etenim, qui Iosephum ab Heli genitum esse defendunt, aiunt constare in libris paralipomenon [4]) Zorobabelem a Salathiele genitum neququam esse, ideoque unum saltem apud Matthaeum reperiri patrem legalem, quod de Luca minima constat, quum Salathiel et Zorobabel, quos hic nominat, alii fortasse sint iis, quos nominat Matthaeus.

60 At neque ulla satis valida caussa est, cur alios fuisse putemus [5]), proinde par est huc usque, quod ad agnationes legales, utriusque genealogiae ratio. Imo, si iidem sint Salathiel et Zorobabel in utraque genealogia, iam alterum patrem legalem apud Lucam reperiemus, Nerim, inquam, ut alias disputavimus [6]). Sed demonstravimus praeterea Zorobabelem, qui commemoratur a Matthaeo, veri longe similius credi, naturalem Salathielis filium esse, atque alium illo Zorobabele paralipomenon [7]).

61 Quod si simili argumento uti velis, quo ostendas Iosephum genitum esse a Iacobo, ita vicissim et κατ' ἄνθρωπον licet ratiocineris. Ex historia veteris testamenti pro certo comperimus, quotquot Salomonem inter et Salathielem Matthaeus recensuit, naturales patres esse eorum, quos genuisse dicuntur, idque confirmare est Talmudistarum auctoritate, quam in alium locum retulimus [8]). Eorum vero, qui intra eamdem aetatem hoc est, inter Nathanem et Salathielem, recensentur a Luca, neque onus est, de quo hoc idem certo pronuntiare liceat. Si quid itaque ex analogia efficere velis, sique argumentum ex ea petitum hac in re quidquam habet momenti, quum maior profecto vis posteriori huic, quam priori illi (59) argumentationi insit, non Heli, sed Iacob Iosephum procreasse putandus erit.

Argumenta petita ex loquutionibus.

62 Qua ratione Lucas in genealogia articulum usurpat, eadem hac ipsa scriptores graeci ad veros ac naturales filios designandos usurparunt (40). A Luca igitur naturalem Iosephi patrem

[1]) T. 3. tract. 28. p. 208. [2]) Oper. edit. *Massuet* 1710. p. 347 et in Catena patrum graecorum in Matth. edita a *Possino* p. 3. [3]) Cap. IX. n. 1; Cap. XIV. n. 11. [4]) 1 Par. III, 19. [5]) Capp. XV. XVI. [6]) Cap. XV. n. 11. [7]) Cap. XVI. nn. 4—6. [8]) Cap. XV. n. 12.

nominari ipse loquendi modus ostendit. Ita argumentantur, qui Heli genitore Iosephum esse contendunt.

63 Attamen Lucas meminit etiam *Ζοροβαβελ του Σαλαθιηλ του Νηρι* etsi Neri, siquidem iste Salathiel idem sit, ac ille, qui est apud Matthaeum, eius pater naturalis putari vel nullo modo, vel non probabili certe ratione possit. Quid autem sentias de illis Lucae verbis, quibus meminit *Σηθ του Αδαμ του θεου*? Tum Graecis patribus ille articulus nullo modo obstitit, quominus Iosephum a Iacobo genitum esse affirmarent (66).

64 Ratio vero, qua loquitur Matthaeus, illudque: *Iacob autem genuit Ioseph*, num nos vel suspicari sinat, ab alio, quam a Iacobo, genitum fuisse Iosephum? Quo argumento usi olim sunt Iulius Africanus [1]), Origines [2]), et Augustinus (44), praeter alios recentiores scriptores, ut Hugonem a Sancto Charo, Caietanum, Salmeronem, Gherardum Ioannem Vossium [3]), ceteros.

Argumenta petita ex auctoritate scriptorum tum veterum tum recentiorum.

65 E patribus, qui putaverint Iosephum ab Heli esse procreatum, nemo est, Ambrosio fortasse dempto [4]), qui tamen, quum totam rem ex Africani narratione descripserit, videtur nomina Iacobi et Helis alterum pro altero posuisse. Inter recentiores autem scriptores, quos superius enumeravimus (39), ita sensere Grotius, cui Clericus assentire videtur, Possinus, Papebrochius, Zaccaria.

66 Ceteri patres tum graeci tum latini, qui hanc quaestionem habuerunt, ad unum omnes Iosephum a Iacobo genitum dixere. Quibuscum sentiunt scriptores plurimi ex iis, qui ab utroque evangelista Iosephi patrem nominari opinati sunt (39).

Conclusio.

67 Omnia itaque argumenta, quae ex quatuor locis hactenus inspectis peti possunt, pro comperto est in id convenire, ut credamus, non Helim, quem Lucas, sed Iacobum, quem nominat Matthaeus, naturalem esse Iosephi patrem, ideoque Helim huius patrem fuisse legalem.

PARS V

Cur Lucas genealogiam descripserit aliam illa, quam descripserat Matthaeus.

68 Alterum (41) incommodum, quod inesse videtur eorum sententiae, qui putant in utraque genealogia patrem ac prosapiam Iosephi recenseri, est, quod non appareat, cur Lucas genealogiam ab alio deducat, ac Matthaeus facit, siquidem illi neque ac huic Iosephi patrem ceterosque maiores recensere propositum erat.

69 Id tamen, ipsi illorum sententiae minime nocere facile sentias, si haec perpendas. Primo, quum utraque genealogia opportuna sit, qua origo Christi a Davide ducta demonstretur, quod potissimum fuit evangelistarum in ea edenda consilium, utramvis pro lubitu exhibere illi potuerunt. Aliam huius rei rationem suppeditat id, quod paullo ante diximus (56. 57) de iis, ad quos evangelistae scribebant. Fieri enim subinde potuit, ut patres legales notiores vulgo essent, quam naturales, eoque magis, quia hos, non illos, lex pro patribus agnoscebat. Id duobus Iosephi patribus forte accidit, ut credibile fit eo etiam, quod Ioseph, *quum esset iustus* [5]), in hac quoque re legum observantissimus fuerit. Ex quo credere est in Iosephi familia notiorem fuisse prosapiam legalem eaque de caussa hanc potius, quam naturalem, a Luca transcriptam esse. Matthaeus vero, qui Hebraeis scribebat, eam prosapiam exhibere maluit, quae demonstrandae origini, quam Christus habuit a Davide ceterisque regibus, foret opportunior. Neque veri minus simile est, Lucam, cui Matthaei evangelium notum erat [6]), consulto genealogiam aliam ea, quam legimus in Matthaeo, edidisse, ut alia etiam ratio ac via pateret demonstrandi Christum genus a Davide duxisse.

PARS VI

De agnatione Iacobi et Helis.

70 Sed iam quaerere oportet, undenam ea Iacobi et Helis agnatio, ob quam, uno eorum demortuo, alteri huius vidua nubere lege debuerit, priorique marito ex posteriore conceptum filium

[1]) Ep. ad Aristid. [2]) Homil. XXVIII in Luc. interprete *Hieronymo*. [3]) De genere Christi. c. 1. § 3. [4]) In Luc. L. III. § 15. [5]) Matth. I, 19. [6]) Lib. I. c. III. nn. 10. 11.

purere. Rem ita explicat Africanus, quam tamen aliter quoque explicari posse videbimus in quaestione insequente [1]): *Mathan et Melchi, quum eamdem uxorem unus post alterum habuissent, liberos ex ea, qui uterini fratres erant, susceperunt. . . . Ex Estha (hoc enim mulieris nomen fuisse accepimus) primus Mathan, qui a Salomone genus ducebat, Iacobum filium sustulit. Post Mathanis autem interitum, Melchi, qui ad Nathanem originem referebat, quum ex eadem tribu, sed ex diversa familia, editus esset, ut antea diximus, eam sortitus Heli filium suscepit. Hoc modo Iacob et Heli, licet diverso genere prognatos, uterinos fratres reperiemus. Quorum alter, Iacob scilicet, quum frater ipsius Heli sine liberis decessisset, viduam eius coniugem sibi accipiens tertium ex ea Iosephum genuit, naturali quidem ratione filium suum, unde etiam scriptum est: Iacob autem genuit Ioseph, sed secundum legem filius erat Heli, quippe quum ei semen Iacobus frater suscitavisset* [2]).

71 Africano hac de re tota consentiunt Eusebius [3]), Gregorius Nazianzenus [4]), Augustinus [5]), Ioannes Damascenus [6]), qui tamen nonnulla addit, de quibus agemus, ubi locus erit, aliique patres, ac multi interpretes recentiores. Quae Africani narratio tum ob ipsius scriptoris vetustatem, tum ob praestantiam testium, a quibus ea didicisse videtur, *δεσποσυνων*, inquam, qui videlicet Christi erant consanguinei, tum denique ob eorum auctoritatem, qui Iulio subscripsere, permagni facienda videtur. Quaedam tamen in ea sunt, quae aliquod negotium facessere possunt.

72 Nam Helim non Mathatis, ut legimus in Luca, sed Melchis filium fuisse dicit Iulius, tametsi Melchi Helia proavus habendus sit, quantum ex Lucae codicibus colligere est. Sed habes iam in nostris quaestionibus quid respondeas [7]).

73 Alterum in Iulii narratione, quod nobis obesse videtur, est, illum sive Melchim sive Mathatem originem duxisse a Nathane, quamquam aeque ac Mathan numeretur in posteris Salathielis, qui, si unus idemque sit in utraque genealogia, ipse totaque eius progenies, proinde tum Mathan, tum Melchi seu Mathat, genere quidem fuerunt Salomonidae, Nathanitae vero nisi lege haberi nequiverunt, secundum ea, quae disputavimus [8]); eoque posito in eam difficultatem denuo adigeremur, quae Augustino (47) visa est inesse sententiae putantium ab altero evangelista legalem Iosephi patrem commemorari. Enimvero, tametsi Melchi seu Mathat, imo et Heli, Nathanitae fuissent, non ideo tamen ineluctabilem fore illam difficultatem, neque ob eam minus adhaerendum sententiae, quam defendimus, iam demonstravimus (51. 52). Sed ipsius Iulii Africani verba retulimus (49), ex quibus colligere est, postremos inter Iosephi maiores etiam legales, siquidem is, ut ille affirmat, ex Salomonis genere erat, et ipsos fuisse Salomonidas. Quare, si Melchim *ad Nathanem originem referre*, dixit, vel minus proprie loquutus esse, quum dicere potius debuisset, *ad Nathanem lege pertinere*, vel ad id spectasse putandus est, quod Lucae verba sonare videntur, si seorsum Matthaei narratione ea legamus.

74 Tertium, quod ex Iulii narratione depromptum difficultatem nobis afferre videtur, est, Iacobum et Helim fratres fuisse uterinos, lex vero de connubiis viduarum cum leviris ad fratres germanos solummodo ceterosque ex ordine agnatos pertinebat, proinde nihil ex ea consequitur, quo controversiam hanc de duabus genealogiis dirimamus. Quod vere dici minime infitiarer, si nulla alia inter illos duos cognatio intercessisset. Quum tamen uterque eumdem gentis auctorem Davidem haberent, imo, ut communior sententia fert, ab uno eodemque Salathiele originem ducerent, et, quantum vel ex ipsis Iulii verbis (49) coniicere est, propiore quoque aliquo agnationis gradu iuncti essent, liquet inter eos et ipsorum viduas illi legi locum esse potuisse.

75 Itaque Iulii Africani narratio in praesenti satis est, cur concludamus Iacobum et Helim eo agnationis gradu propinquos fuisse, ut illa lege tenerentur, et alter naturalis, alter legalis Iosephi pater esse potuerit. Ceterum alia interpretatio, quam inferius habebimus [9]), magis fortasse nobis arridet, quum, ea posita Iacob et Heli fratres germani sint habendi.

PARS VII

Conclusio totius quaestionis.

76 Sed iam disputationis nostrae vela contrahamus, qua, ni mea me fallit opinio, satis demonstratum est, ab utroque evangelista Iosephi patrem ceterosque ex ordine maiores recenseri, ex duobus Iosephi patribus alterum naturalem esse, alterum huius patrem haberi non posse, nisi lege

---

[1]) Cap. XX. n. 20. [2]) Ep. ad Aristid. apud *Euseb.* H. E. L. I. c. 7. [3]) L. c. [4]) Carm. 38. [5]) Retract. L. II. c. 7. [6]) De fide orthod. L. IV. c. 15. [7]) Cap. I. n. 4. [8]) Cap. XV. n. 11. [9]) Cap. XX. n. 20.

de vidua et leviro, huno demum legalem Iosephi patrem esse Helim, illum, hoc est naturalem, Iacobum.

CAPUT XX

Quomodo Christi genus ex istis genealogiis discere possimus.

1 Ideo genealogias describi, ut certorum hominum genus innotescat, nemo dubitat; quare hoc ipsum duobus etiam evangelistis Matthaeo et Lucae in his, quibus de agimus, genealogiis describendis propositum fuisse dicendum est. Voluisse autem illos Christi genus edicere, nemo, quantum arbitror, hactenus inficiatus est, aut unquam infitiabitur. Id enim voluisse Matthaeum comperimus tum ex ipso titulo: *Liber generationis Iesu Christi* [1], tum quod Christus genealogiam claudat, quodque eum ad numerum γενεῶν, quas illa complectitur, Matthaeus ipse adscripserit [2]. Denique ipsa res credere suadet eius genus edici, cuius historia narrari coepta est. Hac autem de caussa illud ipsum, quod de Matthaeo, etiam de Luca affirmamus, qui ceteroquin putandus minime est, ob unum Iosephum, de quo postea usque silet, longam illam γενεῶν seriem, quot a Christo ad exordia usque mundi numerantur, percurrere atque ad Deum ipsum reducere voluisse. Maneat itaque ab utroque evangelista Christi genus enarrari.

2 Hic vero statim sese exhibet quaestio potissima earum, quae de his duabus genealogiis haberi solent, quaeque huic ipsi quaestioni explanandae conducunt, quomodo his genealogiis Christi genus ostendatur, quum Ioseph, ex cuius maioribus utraque conficitur, nihil contulerit ad Christi procreationem.

3 In qua quaestione illud cumprimis attendamus oportet, quod Grotius [3], Possinus [4], Gherardus Ioannes Vossius [5], Zaccaria [6] iam animadverterunt, evangelistas, quum Christi genus nos docere vellent, non potuisse nisi eam edere genealogiam, quae, licet Iosephi foret, simul tamen esset et Mariae [7]. Non igitur disputandum est, an Mariae prosapiam, quantum ipsorum consilio satis foret, evangelistae recensuerint, qua de re dubitatio esse nequit, quin ita sit, sed modus quaerendus, quo genealogiae, quas Iosephi esse constat, simul sint et Mariae. Haec autem ratio patebit, ubi demonstraverimus Mariam fuisse Iosephi agnatam, eoque gradu agnationis ei propinquam, ut Iosephi maiores ab evangelistis enumerati, omnes aut non fere nulli, simul Mariae maiores esse potuerint. Rem vero totam expediemus argumentis, quae tum scripturae suppeditant, tum vetustissima πατροπαράδοσις; hanc enim procul dubio sequi praestat, potissimum si ea sit, ut re vera est, quae nihil prae se ferat, ex quo dubitationem aliquam habere queat, magnaque commendetur vetustate, et praeclarissimorum scriptorum tum veterum tum recentiorum suffragium sit consequuta. Talem, inquam, πατροπαράδοσιν sequi praestat, atque omnino tutius id fiet, quam si scripturarum sacrarum sensum contorserimus, ut illum ad capitis nostri commenta constabilienda pertrahamus; quod a pluribus in hac quaestione peccatum esse, compertum satis est.

PARS I


De Mariae et Iosephi adgnatione.

4 Mariam ex Davidis stirpe progenitam ac Iosephi agnatam fuisse alias demonstravimus [8]. Quo antem gradu agnationis eam huic propinquam esse oportuerit, ut una eademque utriusque prosapia foret adeo, ut Iosephi maiores Mariae quoque ut Christi maiores haberi queant, quaerendum modo est. Id vero praestabimus praecipuas quasdam, quae hac de re hic obtinuerunt, opiniones expendendo.

5 Ioannes Damascenus rem ita explicat: *Ex stirpe Nathan filii David nascitur Levi. Levi genuit Melchi et Pantherem. Panther autem genuit Barpantherem sic cognominatum. Barpanther genuit Ioakim. Ioakim genuit sanctam Dei genitricem. Rursus ex stirpe Salomonis filii David Mathan uxorem habuit, ex qua genuit Iacob. Mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan,*

[1] Matth. I, 1. Lege cap. IV. n. 1. [2] Matth. I, 17. Lege cap. XVIII. [3] In Matth. I, 16, et Luc. III, 23. [4] Diallact. theogenealog. c. 56. [5] De genere Christi c. 1. § 19. [6] Raccolta di dissertaz. T. I. diss. V. § 3. n. 16. [7] Cap. XIX. n. 7. 37. [8] Diss. VI.

filius Levi, et frater Pantheris, uxorem ipsius Mathan, quae etiam Iacob mater erat, duxit, atque ex ea genuit Heli. Quam ob rem uterini fratres erant Iacob et Heli, Iacob quidem ex tribu Salomonis, Heli vero ex tribu Nathan. Porro Heli, qui ex tribu Nathan erat, sine liberis mortuus est; qua de caussa Iacob ipsius frater, qui ex tribu Salomonis erat, uxorem eius accepit, fratrique suo semen excitavit, et Iosephum progenuit [1]). Eadem haec Andreae Cretensi [2]) sententia fuerat, quam tamen minus plene, quam Ioannes, exposuit. En tibi totius rei συνοψιν.




6 Haec tamen explicatio non paucis nec levibus incommodis obnoxia est. Ea enim posita, nullam Mariam inter et Iosephum, non modo adgnatio, sed ne affinitas quidem intercedere videretur praeter adgnationem illam remotissimam, quae eis erat a Davide usque repetenda, minimum a Zorobabele. Expungendi praeterea omnino forent ex Christi maioribus tum naturalibus tum legalibus Mathan et Iacob a Matthaeo in illis numerati, itemque Melchi et Heli numerati a Luca. Imo omnes Mathanis maiores ex Zorobabele prognati, si unus atque idem est in utraque genealogia Zorobabel, sin vero alias, omnes etiam reliqui post Davidem enumerati a Matthaeo; proinde maxima pars genealogiae ab hoc editae, qua ratione ad Christi prosapiam pertinuerit, nemo intelliget. Denique Christus, iam non ex Salomone, sed ex Nathane originem duxisset, contra ac superius disputatum a nobis est [3]). Ceterum illud animadvertere ne omiseris, totam hanc Ioannis Damasceni enarrationem, si familiam illam pantherinam ex ea demas, esse ipsissimam enarrationem, quam ex Iulio Africano in superiores paginas [4]) retulimus.

7 Hugo Grotius [5]) narrationes Iulii Africani, Ioannis Damasceni, aliorumque, quasi coagmentans, et suae opinioni accomodans, ait unum atque eumdem esse in utraque genealogia Zorobabelem a Nathane oriundum. Ex huius Zorobabelis posteris Mathanem a Matthaeo commemoratam absque liberis obiisse, Melchim commemoratum a Luca, ducta Estha Mathanis vidua, ex ea Iacobum genuisse, qui legalis Matthanis filius habitus est. Porro Melchim duos praeter Iacobum filios habuisse Helim et Levim, Iacobum ἄπαιδα mortuum esse, Helis filium fuisse Iosephum, qui, quum Iacobi patrui heres esset, huius filius vocatur, Levi denique patre ortum esse Barpanthera, ex quo ortus Panther genuit Ioakimum Mariae parentem. Grotii sententiam ex subiecta tabella planius disces.

---

[1]) De fide Orthod. L. IV. c. 14. [2]) Orat. de circumcis. [3]) Cap. XI. [4]) Cap. XIX. n. 17. [5]) In Luc. III, 23.



8 Verum hic etiam quaedam sunt, quae nullo modo accipere possumus. Missam facio Christi originem a Mathane ductam. Sed enim quis credat Iosephum patruelis sui proneptim uxorem duxisse? Mathani vero, Iacobo, atque Heli iam nullus inter Christi maiores tum naturales tum legales locus superesset. Imo, et ceteri a Matthaeo enumerati Zorobabelem inter et Nathanem, laterent nos adhuc, qui in Christi prosapia recenseri potuerint.

9 Ioakimum Mariae parentem et Iosephum huius virum fratres fuisse, Possini sententia est[1]), quam sequuntur Papebrochius[2]) et Zaccaria[3]), quamque unam veram esse censeo, utpote unam ex omnibus huic dissolvendae quaestioni aptam atque idoneam. Expendamus igitur momenta rationum, quibus confirmari ea potest.

10 Zaccaria rem paucis expedit. Uterque evangelista, inquit, Christi prosapiam descripsit (1). At Christus nullam prosapiam habuit nisi maternam. Ergo utraque genealogia Mariae prosapiam nobis exhibet. Verum utraque Iosephi quoque prosapia est, neque enim secus credere ipsa earum verba ullo modo sinunt[4]). Omnes itaque aut fere omnes Iosephi maiores ab evangelistis enumerati Mariae quoque maiores fuerunt. Quum autem ne suspicari quidem liceat eam esse Iosephi sororem, ex ipsius Iosephi fratre orta esse putanda est. Quid contra haec dici queat, non equidem dispicio. Sed et argumenta in promptu habemus, quibus eadem haec confirmentur.

11 Narrat enim Epiphanius[5]) tum Iacobum, tum Iosephum Iacobi filium, ***Pantheras*** appellatos esse. Et re vera Celsus, ut testatur Origenes[6]), Iesum ***Panthere*** patre ortum esse aiebat. In talmude etiam reperimus Iesum filium ***Panderae***, id est, ***Pantheris***[7]). Panther itaque Iosephi aeque ac Ioakimi (7) pater fuit. Neque illud obest, quod Ioakimi pater a Ioanne Damasceno (5) ***Barpanther*** vocetur, ***Panther*** vero Ioakimi avus; Grotius enim (7) alios graecos scriptores memorat, apud quos huius rei contrarium legere est. Tum haec discrepantia, quae est inter istos scriptores interque Ioannem Damascenum, quin nostrae sententiae obsit, prodest potius; ea enim comprobat, quod existimamus, ***Pantherem*** cognomen esse unius familiae ita, ut singuli saltem maiores natu illud

[1]) Dialect. theogen. c. 57. § 4; c. 58. § 7. [2]) Acta sanctor. ad diem 19 Martii Commentar. de s. Ioseph. n. 35. [3]) Raccolta di dissertazioni. T. I. Diss. V. § 3. n. 17. [4]) Cap. XIX. P. III. [5]) Haer. LXXVIII al. LVIII. § 7. [6]) Cont. Celsum Lib. I. § 32. [7]) Abhoda-sara apud *Raymundum Martinium* Pugion. fidei P. III. d. III. c. 7. § 7; Sanhedrin babylon. f. 67.

haberent, ideoque illorum unusquisque *Panther* vocaretur, simulque esset *Barpanther*, hoc est, *Pantheris filius.* Sic, verbi gratia, Ioseph, cognomento *Panther*, etiam *Barpanther* dici poterat, quod Iacob quoque ipsius parens *Panther* appellaretur. Etenim neque nos *Scipionis filium*, *Ciceronis filium*, *Augusti filium*, appellare reformidamus eos, quibus sive Scipionis, sive Ciceronis, sive Augusti, aeque ac ipsorum parentibus, cognomen erat.

12 Iulius Africanus haec memoriae prodidit: *Iacob . . . viduam eius (Helis) coniugem sibi accipiens* TERTIUM *ex ea Iosephum genuit* [1]). Duos itaque fratres habuit Iosephus, Iacobi ex alia uxore filios.

13 Horum alterum esse Clopam, docent nos Hegesippus [2]) et Epiphanius [3]), qui praeterea dicit Iosephum et Clopam eodem patre Iacobo Panthere natos [4]). Congruunt huic sententiae ea, quae de duobus prioribus Hierosolymae episcopis Iacobo et Symeone a prima rei christianae aetate memoriae tradita sunt. Iacobum enim illum ipsum esse, quem *fratrem Domini* Paulus appellavit [5]), discimus ex scriptis Papiae [6]), Hegesippi [7]), Eusebii [8]), Cyrilli Hierosolymitani [9]), Epiphanii [10]), Ioannis Chrysostomi [11]), Hieronymi [12]), Auctoris *Operis imperfecti in Matthaeum* [13]), Theodoreti [14]), Iosephi Christiani [15]). Cur autem *frater Domini* est appellatus? Eusebius et Epiphanius respondent, quia Iosephi ex priore uxore filius erat, quem fuisse etiam Hegesippus dixisse videtur [16]), aliique dixerunt. At id diserte negant Hieronymus [17]) et Theodoretus [18]), quorum primus Iosephum nullos unquam filios fuisse, scriter contendit [19]); idque ipsum negare putandi sunt, quotquot Iacobum Clopae filium esse crediderunt. Iidem autem Hieronymus et Theodoretus aiunt, Iacobum Christi fratrem fuisse vocatum, quia huius materteram parentem habuit, fuitque Christi consobrinus. Equidem Christi consobrinum fuisse Iacobum non infitiabor, quum etiam Papias sic senserit, si tamen germana sunt omnia Papiae verba, quae refert Grabius; qua de re illud dubitationem movet, quod ea verba, quibus mater Iacobi dicitur Mariae virginis soror, ratioque redditur, cur Maria Cleophae dicatur, non modo sint fere ipsa Hieronymi verba, quae contra Helvidium scripsit, sed cum prioribus Papiae verbis minus cohaereant. Verum licet Christi materteram matrem habuerit Iacobus, ideoque fuerit Christi consobrinus, patrem tamen habuit Clopam, ut narrant [20]) Papias, Chrysostomus, Theodoretus, quibus addendi sunt Auctor *Operis imperfecti*, nec sine optima ratione, ipsi evangelistae Matthaeus [21]), Marcus [22]), et Lucas [23]), quum *Clopas* et *Alphaeus*, ut alias demonstravimus [24]), unum sit atque idem nomen. Quare habes eum qui et Clopae filius est, et Christi frater vocatur; quod sane congruit eorum sententiae, qui Clopam Christi patruum esse putant. Quin hoc ipso, quod Iacobus Mariae virginis sororem matrem haberet, credere est illius patrem esse Iosephi fratrem. Quae enim caussae fuerunt, ut Maria virgo Iosepho nuberet [25]), eaedem fuisse putandae sunt, ut Mariae soror nuberet Iosephi fratri. Porro sententiae, quam defendimus, ea quoque congruunt, quae de Symeone altero Hierosolymae episcopo patres literis consignarunt. Nam et hunc Christi fratrem vocavit Nicephorus Constantinopolitanus [26]), et Christi *ἀνεψιον*, *patruelem* Hegesippus [27]); patruelem inquam, non consobrinum, nam ex Christi patruo eum ortum dicit [28]). Patrem vero Symeonis Clopam dixerunt [29]) idem ipse Hegesippus, Eusebius, Epiphanius, Nicephorus, a quo *Συμεων ὁ Κλωπα* sive ὁ*Κλεωπα* dictus esse putandus est, non ὁ *Κλεωπας*, ut legitur in vulgatis exemplis libelli Nicephori. At cave, ne in errorem te inducat Petavius, qui vertens haec Epiphanii verba: *Συμεων . . .* ὁ *τουτου (Ἰακωβου) ἀνεψιος, υἱος δε του Κλωπα* [30]), vocem *ἀνεψιος* transtulit *ex sorore filium*, quum reddere debuerit *patruelem*, ut compertum fit conferentibus hoc cum alio Epiphanii capite, in quo Clopam Iacobi *πατραδελφον*, *patruum* appellat [31]). Clopas itaque alter ex Iosephi fratribus fuit.

14 Quinam vero tertius, quot fuisse scripsit Iulius Africanus, vix est, cur dubites. Ioakim Mariae virginis pater is fuit. Quod quidem sine ratione a me affirmari ne credas. Ioannes haec narrat: *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius, et soror Matris eius Maria Cleophae* [32]). Hanc vero, quae *Maria Cleophae* vocatur, esse sororem germanam Mariae virginis et Clopae

---

[1]) Apud *Euseb.* H. E. L. I. c. 7. [2]) Ap. *Euseb.* H. E. L. III. c. 11. [3]) Haeres. LXVI al. XLVI. § 19; LXXVIII al. LVIII. § 14. [4]) Haer. LXXVIII al. LVIII. § 7. [5]) Gal. I, 19. [6]) Apud *Grabium* Spicileg. T. II. p. 34, et apud *Galland.* Biblioth. patrum T. I. p. 319. [7]) Apud *Euseb.* H. E. L. II. c. 23. [8]) H. E. L. II. c. 1. [9]) Catech. XIV. § 21. [10]) LL. cc. [11]) In ep. ad Galat. I, 19. [12]) In ep. ad Galat. I, 19; De scriptorib. Eccles. c. 2. [13]) Operum *Chrysost.* T. VI. p. CLXXIV edit. *Maurinor.* [14]) In ep. ad Galat. I, 19. [15]) Hypomnest. c. 134 ap. *Fabric.* Cod. apocr. V. T. [16]) Apud. *Euseb.* H. E. L. III. c. 11. [17]) De scriptorib. eccles. c. 2. [18]) L. c. [19]) Adv. Helvid. § 19. [20]) LL. cc. [21]) Matth. X, 3. [22]) Marc. III, 18. [23]) Luc. VI, 15. [24]) Cap. III. n. 9. [25]) Diss. VI. an. 5 seqq. [26]) Chronograph. [27]) Apud *Euseb.* H. E. L. III. c. 11. [28]) Ib. c. 32. [29]) LL. cc. [30]) Haer. LXXVIII al. LVIII. § 14. [31]) Haer. LXVI al. XLVI. § 19. [32]) Ioa. XIX, 25.

uxorem, nôn facile crediderim; sed potius Clopae filium ipsius Virginis patruelem. Neque enim ἡ ἀδελφὴ sororem germanam necessario significat, quum neque οἱ ἀδελφοὶ Christi, quorum non semel mentio est in novo testamento, germani huius fratres sint habendi. Tum graeca loquutio: *Μαρια ἡ του Κλωπα* filiam non vero uxorem Clopae sonat. Denique veri minus simile fortasse est duas sorores germanas idem nomen *Mariam* sortitas esse.

15 Fidenter igitur affirmare iam licet esse Iosephum Mariae patruum. Neo tamen desunt, quae huic sententiae adversari videantur. Nam vetitas Israelitidas fuisse connubio iungi cum patruis, tametsi non hoc expressum habeatur in pentateucho, neque enim ad rem pertinent, quae leguntur in Lev. XVIII, 14 [1]), ex eo quis iure colligat, quod Israelitae amitas ducere lege mosaica aperte vetarentur [2]). Karaitae quidem ita sentiunt [3]). Novimus tamen leges legibus non raro obrogare, utque illi ipsi legi, quae de illicitis connubiis lata erat, lege alia de nuptiis viduae et leviri fuerat obrogatum [4]), ita etiam lege de filiabus heredibus [5]) obrogatum fuisse putandum est. Aristobulus rex Iudaeorum idemque pontifex maximus Absalomum patruum eumdemque socerum habuit [6]).

PARS II

Quid duae genealogiae ad Christum pertineant.

16 Genealogiam a Matthaeo descriptam totam, quanta ea est, ad Christum aeque ac ad Iosephum pertinere, ex iis, quae modo disseruimus, manifesto consequitur, quum Iacob et Iosephi parens fuerit et Mariae avus paternus. At quid ad Christum pertineat ea genealogia, quae est apud Lucam? siquidem Heli, quem Iosephi patrem *legalem* esse contendimus, neque naturalis neque legalis Ioakimi pater esse [7]), proinde neque Christus ex eo potuerit exoriri.

17 Id vero nullo negotio definiri posset, si indulgere vellemus coniecturis, quae quidem probabilitate aliqua haudquaquam destituerentur. Fac, exempli caussa, Iacobum et Helim, non fratres fuisse, sed alterum alterius patrem, ita, ut alter Iosephi et Ioakimi parens, alter avus paternus foret dicendus, iam, si *γενεων* legalium rationem habeas, neminem superesse perspicies ex duabus genealogiis, qui ad Christum aeque ac ad Iosephum non pertineat. Profecto id commodi ex huiusmodi coniecturis capere esset, quod satis eae forent, ut Matthaeus et Lucas alter alteri adversari minime crederentur, pateatque ea, quae uterque scripsit, componi optime posse.

18 Quum tamen haud facile factu sit vetustatis suffragia nobis coniectantibus conciliare, necesse est, aliam propositae quaestionis habendae viam ineamus, idque ita, ut ex albo Christi maiorum patiens excedat unus aut alter de iis, qui in extrema genealogia a Luca recensentur; quo sane minus peccabimus, quam si alterutram genealogiam Christi esse negaremus.

19 Itaque, si iis, quae tradidit Iulius Africanus [8]), ex toto adsentiri fixum nobis est, tres ex Christi prosapia demamus oportet, a Luca numeratos, Levim, Mathatem, et Helim, neminem tamen praeter hos. Etenim Melchi, cuius meminit Iulius, non ille est, quem Iannae filium dixit Lucas, sed Levis filius, ut eum dixit Ioannes Damascenus (5), atque Helis pater, Mathat a Luca nominatus [9]). Quum autem veri omnino simile sit aliquot *γενεας* a Matthaeo esse praetermissas in tertia hac *τεσσαρεσκαιδεκαδι* non secus ac in primis duabus [10]), dicerem Levim, non modo Mathatis, qui est apud Lucam, sed et Mathanis, quem Matthaeus nominavit, parentem habendum esse, ex quo duo solummodo ex Christi prosapia demendi forent, Mathat atque Heli; sed illud obstat, quod, hoc posito Mathani et Mathati, utpote germanis fratribus, eamdem uxorem Estham ducere non licuisset [11]). Quare neo Levi, secundum Iulii Africani narrationem, inter Christi proavos locus est. Quod autem Iulius Mathani et Melchi seu Mathati diversum genus attribuere videatur, id nihil huic nostrae interpretationi officere appuret ex iis, quae superius animadvertimus [12]); potuit quippe Melchi seu Mathat naturalis nepos esse senioris illius Melchis Salomonidae, *legalis* vero alicuius ex Nathanitis, imo Nathanites ideo haberi, quia idem ille ipse Melchi eius avus lege Nathanitis adscriberetur.

20 Sin autem a Iulii sententia ex parte recedere religioni nobis minime ducimus, et, venia ab Augustino [13]) data, Mathatem a Luca nominatum eumdem ac Mathanem nominatum a Matthaeo esse

---

[1]) Conf. Lev. XVIII, 17. [2]) Levit. XVIII, 12. 13; XX, 19. [3]) Apud *Seldenum* Uxor hebr. L. I. c. 4. [4]) Conf. Deuteron. XXV, 5—7 cum Levit. XVIII, 16; XX, 21. [5]) Num. 6—12 hebr. [6]) *Ioseph.* Antiq. L. XIV. c. 4. § 4; Bell. L. I. c. 7. § 6. [7]) Cap. II. n. 21. [8]) Cap. XIX. n. 70. [9]) Cap. I. n. 4; Cap. XIX. n. 72. [10]) Cap. VIII. n. 4; Cap. X. n. 1; Cap. XVII. n. 10; Cap. XVIII. nn. 1. 2. [11]) Lev. XVIII, 16. [12]) Cap. XIX. n. 73. [13]) De deuteronom. quaest. 46.

existimemus, quod non exigui momenti rationes confirmant [1]), Iacob et Heli fratres germani erunt habendi, atque Heli unicus ille erit, quem ex Christi prosapia delere oportebit. Cui explicationi comprobandae argumentum suppeditat etiam error ille, qui olim apud nonnullos obtinuit, Mariam virginem genus duxisse ex tribu Levis. Huius, inquam, erroris caussam, ut Grotius animadvertit [2]), ex eo repetere est, quod unus ex postremis in Mariae prosapia Levi nomen habuerit; *tribum* vero aeque ac φυλὴν pro *familia* seu *patria* quandoque adhiberi compertum est [3]), talemque notionem voci φυλῇ subiicit inter ceteros Ioannes Damascenus in hac ipsa quaestione (5). Mariae vero *familia* Levi exorta percommode dicetur, si utramque genealogiam in Levim ultimo veluti confluxisse ponamus; quod fieri nihil vetat, si Mathan et Mathat unius viri nomen sunt. Nos quidem huic postremae interpretationi album calculum adiicimus.

21 Ut autem haec omnia facilius commodiusque percipias, habes duplex laterculum, tum ad Iulii Africani, tum ad Augustini sententiam concinnatum, exhibens, quidquid in his duobus postremis capitibus definitum est. Notarum quae in laterculo adhibentur, significatio ea est, quam subiicimus.

ἄπ.	ἄπαις, id est sine liberis.
f.	filius.
ff.	filii.
fr.	frater.
N.	Nathanitea ex lege.
S.	Salomonides genere et lege.
s.	soror.
u.	uxor.
v.	vidua.

PARS III

Cur ad Iosephum potius quam ad Mariam genealogias perduxerint evangelistae.

22 Satis, puto, demonstravimus has genealogias ita Iosephi proprias esse, ut simul pro Christi genealogiis haberi debeant, eatenus saltem quatenus Mariae genus nos edocent, prosapiamque referre vere dici possunt. Porro autem ex tota disputatione consequitur nullam evangelistis, nec secum ipsis, nec inter se, pugnam aut ἀντιλογίαν esse de Christi genere atque maioribus. Quibus positis iam vix ullius momenti videatur ea quaestio, quam adhuc dissolvere restat, quid caussae Matthaeo ac Lucae fuerit, cur, siquidem Christi prosapiam nobis tradere voluerunt, non ad Mariam virginem usque, ex qua Christus ἀπάτωρ ortus est, sed ad Iosephum Mariae virum, qui nihil contulerat ad Christi procreationem, has genealogias perducerent. Cui tamen quaestioni, id unum solliciti, ne eam indictam praetereamus, paucis respondebimus.


23 Apud Ioannem Chrysostomum hanc illius rei caussam legimus: *Nolebat (Deus) Iudaeis notum esse ipso partus tempore ex virgine nasci Christum. . . . Si enim haec Iudaei ab initio audissent, maligne rem interpretantes, virginem lapidassent, atque ut adulteram damnassent. . . . Si namque post tot signa illum adhuc Iosephi filium appellabant, quomodo ante illa signa ipsum ex virgine natum credidissent?* [4]) Enimvero, quid sibi haec velint, fatear equidem, non plane video. Nonne enim secundum ipsam genealogiam arcanum illud continuo proditur a Matthaeo [5])? Nonne illud Lucas iam prodiderat antequam genealogiam describeret [6])? Tum quid, quaeso, hae genealogiae, utpote non ad Mariam, sed ad Iosephum usque perductae, conducere ad id poterant, ut ea res Iudaeos, *ipso partus tempore* et *ante illa signa* a Christo patrata, lateret? quum neutra duarum ante eum annum, qui tertius erat a morte Christi, in lucem prodierit [7]). Ceterum illam caussam Salmeron plenissime refellit [8]).

24 Iansenius Gandavensis autumat sic egisse evangelistas, quia *alioqui . . . infideles mysterium virginei partus ignorantes, qui Ioseph putabant esse naturalem patrem Iesu, non credidissent filium Mariae esse ex semine David, quia apud Iudaeos non reputabatur aliquis esse ex aliquo semine, nisi ratione patris sui* [9]). Sed, sodes, qui fieri potuit, ut, qui evangelia legebant ignorarent *mysterium virginei partus*, quod in evangelia ipsa diserte relatum est? Si autem hoc mysterium noverant,


---

[1]) Cap. XVII. 10. [2]) In Luc. III, 23. [3]) Diss. VI. nn. 5. ss. [4]) In Matth. hom. III. § 1. [5]) Matth. I, 18—25. [6]) Luc. I, 26—38. [7]) Lib. I. c. I. q. III. [8]) Commentar. in evangelic. hist. T. III. tract. 28. p. 213. [9]) Comment. in Concord. c. 6.

Christi stemma ad Iulii Africani sententiam exactum Ad pag. 104



Christi stemma ad Augustini sententiam exactum



intelligebant quoque Christo nullum aliud genus esse potuisse, nisi quod ex matre habebat; genus autem eius a Davide repetendum esse, si Davide Christi mater exorta erat. Quare genealogiis a Davide ad Mariam usque perductis minime id fieri poterat, quod ait Iansenius. Falso autem utrumque ponitur, tum evangelium sive Matthaei sive Lucae *infidelibus* scriptum esse [1]), tum horum interfuisse magis doceri Christi genus a Davide, quam nationem ex virgine.

25 Ego vero hanc rei, de qua quaerimus, caussam esse putarem. Quum Iudaeis, qui uni *legales γενεας* agnuscebant [2]), mos fuerit eorum, quibus patres legales erant, stemma describere recensitis ipsorum patrum legalium maioribus, ut hae ipsae genealogiae comprobant [3]), nonne multo meliore cum ratione factum est, ut Christi genus evangelistae enarrarent enumerando prosapiam Iosephi, qui longe verius Christi pater dici potuit, quam si huius pater legalis fuisset, utpote cui se vivo, ex ipsa sua solius uxore, in ipso coniugio, et absque alius viri opera, Christus ortus est? Idque eo sane magis, quod evangelistarum consilium haud esset universos Christi maiores ad unum referre atque enumerare, quod vel ex ipsa una genealogia a Matthaeo descripta manifesto colligimus [4]), sed Christi genus, quod a Davide habuit, memoriae prodere, atque ostendere, ut oracula, quae huc spectarent, impleta fuerint, idque non argumenta ἀποδεικτικα depromendo atque urgendo Dialecticorum more [5]), sed rem, ut ea se habebat, simpliciter referendo. Quum itaque illud se consequi posse animadverterent recensitis Iosephi maioribus, quorum fere omnes pertinuisse etiam ad Mariam compertum vulgo esse noverant, nil sibi satis caussae esse putarunt cur recederent a more aliorum scriptorum sacrorum, qui, ut ceteri omnes, in alicuius genealogia describenda paternos eius maiores, non vero maternos, recensent. Atque ad id redigitur illa patrum responsio, qua huic quaestioni faciebant satis, idque sibi, ut diximus [6]), voluere, quum aiebant, *non esse consuetudinem scripturarum, ut mulierum in genealogiis ordo texatur* [7]); quod clarius et accuratius expressit Ambrosius his verbis: *Consuetudo . . . scripturarum*, non secus videlicet ac aliorum quorumlibet scriptorum, *semper viri originem quaerit*, non autem uxoris, id est, paterna, non vero materna prosapia, in genealogiis, quas scripturae habent, recensetur; ideo Christus *secundum carnem natus usum debuit sequi carnis, et, qui in saeculum venit, saeculi debuit more describi* [8]).

PARS IV

Conclusio.

26 Quum itaque argumenta non desint ex scripturis simul atque ex patribus deprompta, quibus probemus Mariam Iosephi agnatam fuisse (4), eaque agnationis gradu huic propinquam, ut omnes fere Iosephi maiores Mariae quoque maiores, atque adeo Christi ipsius fuerint (9—15), quumque inde appareat veram Christi prosapiam in duabus genealogiis integram ferme contineri (16—21), ergo, ut ut evangelistae illas ad Iosephum potius quam ad Mariam perduxerint (22—25), eas tamen Christi genealogias vere dici, Christique genus ex iisdem his nos discere posse, et evangelistarum consilio (1. 3) satis per eas factum esse, tandem concludemus.

DISSERTATIO X

De Maria virgine Elisabetham visente.

CAPUT I

Quaenam ea sit, quam Lucas CIVITATEM IUDÁ *vocavit.*

1 Quaenam ea sit, quam Lucas vocat *civitatem Iuda* [9]), et in quam Mariam virginem ivisse narrat ad Elisabetham invisendam, non facile quis dicere potest. Quare diversas hac de re sententias, saltem praecipuas, expendemus, ut, quaenam ceteris veri similior sit, intelligamus.

---

[1]) Lib. I. c. I. q. IV; c. III. q. III. [2]) Cap. II. nn. 6 seqq. [3]) Cap. XIX. p. IV. § III. [4]) Cap. X. n. t. [5]) Cap. XVIII. n. t. [6]) Cap. XIX. n. 25 coll. 22—24. [7]) *Hieron.* in Matth. I, 17. Conf. *Chrysost.* in Matth. hom. II. § 4. [8]) In Luc. L. III. §§ 3. 4. [9]) Luc. I, 39.

2 Franciscus Maria Fontaninius [1]) ipsumque sequutus Daniel Papebrochius [2]) evincere conantur eam fuisse Machaeruntem LX stadiis a lacu Asphaltite inter septemtrionem et orientem sitam [3]). Etenim non longe distabat a Bethabara, urbe *trans Iordanem*, *ubi erat Ioannes baptizans* [4]), inque illa is, ut narrat Iosephus [5]), Herodis Antipae iussu est obtruncatus. Praeterea narrationi Lucae illud consonat, quod legimus apud ipsum Iosephum, Machaeruntem fuisse *prope montes Arabiae* [6]). Denique auctor vetustissimi martyrologii, quod multa eruditione Fontaninius illustravit, haec scripsit: *VIII kal. octobr. In Machaerunte castello conceptio S. Ioannis Baptistae.* Vocari autem putant a Luca πολιν Ἰουδα *civitatem Iuda*, quia, ut Plinius testatur, *secunda quondam arx Iudaeae ab Hierosolymis* fuit [7]), in qua Herodes regiam aedificaverat [8]); atque is ipse rex Iudaeae dicebatur, etsi ex aliis quoque regionibus regnum eius constaret, non autem ex una regione tribus Iudae, ita illa *civitas Iudae* seu *Iudaeae* dicta est, quod esset secundum Hierosolymam huius regni caput, eo fere modo, quo Constantinopolis *nova Roma* nomen habuit.

3 Verum, etsi Fontaninii praesertim disputatatio digna sane sit, quae legatur, tamen, an hae rationes, quibus illi duo talem appellationem defendunt, cuivis aeque sese probaturae sint, valde dubito. Si enim Lucas urbem commemorasset adeo nobilem, ut hac sola pronominatione, qua κατ᾽ ἐξοχην *civitas Iuda* vocaretur, omnes illico, quaenam esset, intelligerent, cur situm huius urbis adnotasset, *montana*, inquam, quo Mariam profectam dicit? Nam, quum *montana* haec, siquidem Lucas de Machaerunte loqueretur, quae propinqua erat montibus Arabiae (2), non possent vocari *montana Iudaeae* [9]), nisi forte in quantum Iudaeae nomen, ut putant, toti regno Herodis factum est, non modo supervacaneum erat, posita urbis nobilitate, illud adnotare, sed nullius omnino usus, quum eodem pacto *montana Iudaeae* quaelibet alia regio montuosa illius regni potuerit appellari. Tum, si Machaerus SECUNDA *arx Iudaeae a Hierosolymis* erat, illa pronominatio potius Hierosolymam significaret. Cur vero non ipsum urbis nomen Lucas usurpasset? Quod attinet ad martyrologium, quatuor non amplius codices locum *conceptionis* Baptistae adnotatum exhibent, quam adnotationem νοθειας vitio laborare ipse Papebrochius suspicatus est [10]). Plura denique, quae illis opponamus, nobis suppeditat ratio loquendi scriptoribus novi testamenti usitata. Quorum unum est, quod et ipsi Papebrochio negotium facessit, non πολιν Ἰουδα Lucam scripturum fuisse, sed πολιν της Ἰουδαιας, si regionem, in qua urbs erat, nominare voluisset, sicut semper alias fecit, verbi gratia, quum, πολιν της Γαλιλαιας [11]), πολιν της Σαμαρειας [12]), πολεις της Λυκαονιας [13]) commemoravit, et sicut paullo inferius regionem illam vocavit ὀρεινην της Ἰουδαιας [14]). Alterum est numquam novi testamenti scriptores quum de aliqua urbe loquuntur, regionem, in qua illa sita erat, nominare, quin ipsum urbis nomen efferant; quod si in Actis legimus πολιν της Σαμαρειας [15]) simpliciter appellatam, liquet ideo id fieri, quia regioni atque urbi unum idemque nomen erat *Samaria*. Accedit quod ipsa regio numquam *Iuda*, sed *Iudaea* nomen habeat in graeco exemplari novi testamenti. Ad haec universum Herodis regnum Iudaeam vocatum esse, aiunt illi quidem, sed falso; neque id ex eo consequitur, quod ipse Herodes rex Iudaeae appellaretur, quum neque Siciliae Neapolim, neque Sardiniae Pedemontium nomen facere mos est, quia ditionibus regum Neapolis et Pedemontii sunt contributae. Constat denique regiones transiordanenses appellatione Iudaeae nequaquam comprehendi [16]). Illud autem, quod promit Papebrochius ex appellatione *Novae Romae*, ab re prorsus est; haec enim non aliam urbem, quam Constantinopolim, poterat significare, neque enim alia ita vocabatur.

4 Aliorum opinio est illam urbem esse Hebronem, quam *in monte Iuda* sitam fuisse dicunt, qui Palaestinam descripserunt in vetere testamento [17]). Insuper prima haec fuit inter urbes sacerdotales tribus Iudae [18]), quocum illud apte cohaeret, quod illic degeret Zacharias, imo prima totius tribus [19]), ideoque apposite πολις Ἰουδα nuncupata, sicut πολις της Σαμαρειας [20]) nuncupata est prima huius regionis urbs.

5 Attamen huius opinionis monumenta priora saeculo IX reperiri negat Papebrochius [21]), imo existimat ortam illam esse ex errore, quo domus Zachariae prophetae, quae visitur prope locum, ubi Hebron olim fuit, credita est domus Zachariae sacerdotis. Quid, quod nec ipsum huius urbis nomen post dirutam a Chaldaeis Hierosolymam unquam legitur in scripturis; ex quo suspicio est et ipsam dirutam fuisse, nec denuo exstructam? Tum hic quoque quaerere licet, cur Lucas non

---

[1]) Vetustius occidentalis ecclesiae martyrolog. 24. septemb. [2]) Acta sanctor. ad diem 24 Iun. Commentar. histor. de s. Ioanne c. 2. § 3. [3]) *Ioseph.* De bello iud. L. VII. c. 6. § 1. [4]) Io. I, 28. Conf. exemplar. graec. [5]) Antiq. L. XVIII. c. 5. § 2. [6]) Antiq. L. XIV. c. 5. § 2; Bell. L. I. c. 8. § 2. [7]) Hist. nat. L. V. c. 15 al. 16. [8]) *Ioseph.* De bello L. VII. c. 6. §. 2. [9]) Luc. I, 39 coll. 65. [10]) *Fontanin.* l. c. [11]) Luc. I, 26; IV, 31. [12]) Act. VIII. 5. [13]) Ib. XIV, 6. [14]) Luc. I, 65. [15]) Act. VIII, 5. [16]) Diss. XLIII. n. 13. [17]) Ios. XI, 21; XX, 7; XXI, 11. [18]) Ib. XXI, 10. 11. 13. [19]) II Reg. II, 1 — V, 6. [20]) Act. VIII, 5. Luc. XVII, 11 et Io. IV, 4—7. [21]) L. c.

potius proprium urbis nobilissimae nomen usurpaverit. Denique huic etiam opinioni adversantur pleraque eorum, quae deprompta ex ratione loquendi novi testamenti scriptoribus usitata contra priorem opinionem attulimus.

6 Itaque veri mihi similius est nomen *Iudam* proprium esse eius urbis, in quam ivit Maria ipsamque urbem esse יוטה *Iutam* [1]), unam urbium sacerdotalium in montibus tribus Iudae positam, quae quum obscurior esset, praesertim aetate Lucae, illius locum is accuratius definivit. Nomen profecto consonat, loquutio vero ea ipsissima est, qua urbium nomina semper enuntiantur a Luca, *πολις Ναζαρετ* [2]), *πολις Ἰοππη* [3]), *πολις Λασαια* [4]). Atque ita sentiunt non pauci recentiorum post Relandum [5]), quorum sententiae, praeter *δ* et *τ* literarum ὁμοφωνων permutationem, quod opponas, nihil reperies.

CAPUT II

De Mariae et Elisabethae colloquio.

7 Lucas Mariam domum Zachariae ingressam Elisabethae salutem dixisse narrat [6]). At quinam de hoc dubitet aut suspicetur id minime factum, quod omnes aliquem invisentes faciunt? Quorsum igitur id in evangelia relatum est? Nimirum quia mox narrandum erat, quomodo, *ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth* [7]). Quare vel hoc unum, quod Lucas huius salutationis meminerit, Rosenmuellerum refutat ita scribentem de illa exsultatione Ioannis: *Hoc fieri constat ultimis praesertim graviditatis mensibus, ac saepius tum, quum animus matris ullo modo commovetur, ac perturbatur. Hoc ipsum igitur evenit quoque Elisabethae, quae de adventu Mariae impense laetaretur* [8]); eum, inquam, sola refutat illius salutationis mentio, ut quae inanis foret ac sane nulla, si ille vera diceret. Etenim, fuerit Ioannis exsultatio quid foetibus naturale atque commune, satis habuisset Lucas Elisabetham inducere ea narrantem, neque vero prius ipse narrasset, multoque minus ea nobis exhibuisset, ut tamen exhibet, tamquam prodigium aliquod, cuius caussa esset Mariae vox; proinde nec locus fuisset illi de Maria Elisabetham salutante narratiunculae.

8 *Και ἐπλησθη πνευματος ἁγιου ἡ Ἐλισαβετ* ***Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth.*** Nomen Elisabethae repetitur, ne haec et alia, quae de ea mox dicentur, de Ioanne dicta esse videantur, quo vitio, si secus fieret, laboraret graeca syntaxis. Ipsam vero sententiam ita explanat Rosenmuellerus: *Repleta est afflatu divino, piis sensibus animi, quibus maxime contenta esse solet mulierum religio.* Ergo appellatio haec *Spiritus sanctus* significat *afflatum divinum* et *pios animi sensus.* Esto, id ea significet tantisper, dum ipsum Rosenmuellerum urgemus. Iam vero, si id significat, ubi Elisabeth dicitur *repleta . . . Spiritu sancto*, idem significet oportet, ubi de Ioanne Gabriel haec praedixit: *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae* [9]). Itaque futurum erat, ut Ioannes *adhuc ex utero matris suae* repleretur *afflatu divino, piis sensibus animi.* At, si res sic habet, cur, non prodigiosa, sed foetui naturalis (?) habenda est illius exsultatio in utero Elisabethae? Verum non desunt Rosenmuellero, quae respondeat.

9 Primum animadverte *Spiritus sancti* mentionem tertio iam fieri ab evangelii exordio [10]). Nobis quidem semper unum idemque sonat haec appellatio, tertiam videlicet divinarum personarum, at non item Rationalistis, qui supremam scripturarum exponendarum legem sibi aiunt esse rationem loquendi scriptoribus sacris usitatam, verius dicerent, quam ipsis lubet usitatam putare. Quare Rosenmuellerus, qui illam appellationem, ubi tertio legitur, explicat, sicut diximus, ubi primo eadem habetur, interpretatur *singularia dona Spiritus*, ubi denuo, *operationem virtutis divinae*, nec longe inferius, ubi quarto de Spiritu sancto fit mentio [11]), *oestrum poeticum.* Alia itaque est appellationis illius vis in verbis: *repleta est Spiritu sancto Elisabeth*, alia in illis: *Spiritu sancto replebitur (Ioannes) adhuc ex utero matris suae.* Acutulum enimvero interpretem atque argutulum! Attamen, quam *κεκριμενως* quadruplex illa unius eiusdemque nominis interpretatio, nemo non perspicit. Illud potius perspicere neminem arbitror, cur, non modo uni eidemque nomini *Spiritus sancti*, sed uni eidemque loquutioni *repleri Spiritu sancto*, in uno eodemque fere sermone, alia atque alia vis et significatio

---

[1]) Ios. XV, 55; XXI, 16. [2]) Luc. II, 4. [3]) Act. XI, 5. [4]) Ib. XXVII, 8. [5]) Palaestina L. III. [6]) Luc. I, 40 [7]) Ib. 41. [8]) Schol. in h. l. [9]) Luc. I, 15. [10]) Luc. I, 15. 35. 41. [11]) Luc. I, 67.

sit affingenda. Sed et hoc sibi habeat ille, et, quae Gabriel de Ioanne vaticinatus est: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae*, idem valeant, ac *singularibus donis spiritus exornatus erit*; at, si Ioanni id contigit *adhue ex utero matris*, cur non ex hac caussa eius exsultatio repetatur?

10 At enim *adhue ex utero matris suae* idem valet, ac *a pueritia, . . . a prima aetate* [1]), inquit Rosenmuellerus. Tu vero id fortiter nega, ac pernega, nec, quid ulterius mussitet, illi suppetet; exempla enim loquutionum, quae ad id confirmandum profert petita ex Ps. XXII, 10 al. 11 et ex Act. III, 2, vel nihil ipsum iuvant, vel potius iugulant, quidquid demum sentiendum sit de voce ἐτι, utrum haec sonet idem ac ἠδη *iam*, an potius cum interprete latino *adhue* vertenda sit.

11 Contra ea vero, illis verbis: *Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth*, πληρωμα eorum prodi, quae de Ioanne praedicta fuerant a Gabriele [2]), sapienter animadvertit Grotius ita disserens de hac praedictione. *Non ausim hoc cum Augustino ad solam destinationem divinam referre; plus enim aliquid verba exigunt. Sed notandum est foetum, qui in utero est, non haberi pro homine existente, sed ut partem matris censeri.* Postquam autem id productis auctoritatibus comprobavit, ita pergit: *Impletum est ergo hoc angeli dictum tunc, cum Elisabeth, in cuius visceribus Iohannes latebat, repleretur* SPIRITU SANCTO, *ut infra ipsa angeli verba repetens Lucas loquitur* [3]).

12 In sermone habito ab Elisabetha cum Maria virgine [4]) haec notatione maxime digna videntur. *Εὐλογημενη συ ἐν γυναιξι benedicta tu inter mulieres*; loquutio hebraica est, quam latine ita reddas: *Benedicta tu prae cunctis mulieribus* [5]). Hisce ipsis verbis iam Mariam salutaverat Gabriel [6]). *Ἡ μητηρ του κυριου μου mater Domini mei*; Christum ab Elisabetha *Dominum suum* vocari, sicut eum vocaverat David ita canens: *Dixit Dominus Domino meo* [7]), alii iam animadverterunt. *Ἐσκιρτησε το βρεφος ἐν ἀγαλλιασει exultavit in gaudio infans*; dictio ἐν ἀγαλλιασει, inquit Grotius, *solet ad animum transferri, proprie tamen gesticulationem significat, qualis esse laetantium solet. Atque hoc videtur indicare Elisabeth, . . . citra caussam naturalem et modo non naturali infantem suum subsultasse. Quod autem quidam hinc colligunt rationis usum in Ioanne anticipatum, nec Augustino neque vero mihi satis rectum videtur.* Lege Augustinum [8]). *Μακαρια ἡ πιστευσασα . . . τοις λελαλημενοις αὐτῃ beata, quae credidisti, . . . quae dicta sunt tibi*; graeca, si verbum verbo reddas, sic sonant: *Beata, quae credidit, . . . quae dicta sunt ei*, interpres tamen latinus maluit in secundam verbi personam haec vertere, et ratione quidem, quum, non modo ea Mariae loquuta fuerit Elisabeth, ut voces feminini generis testantur, sed praeterea nihil hoc est nisi personarum enallage hebraeo affinibusque sermonibus non insolita. Lege Vorstium [9]). *Μακαρια ἡ πιστευσασα, ὁτι ἐσται τελειωσις κ. τ. λ. beata, quae credidisti, quoniam perficientur etc.*; quaeritur utrum verba *quoniam perficientur* significent rem, quam Maria virgo credidisse dicitur, et *credidisti, quoniam perficientur* tantumdem valeat, ac *credidisti perfectum iri*, an potius caussam, cur *beata* habeatur. Ut hoc alterum accipiamus, suadere videtur ἀναλογια aliarum sententiarum, quae in evangeliis leguntur [10]). Attamen, si ita foret, videretur Elisabeth veluti vaticinata esse ac Mariae praedixisse id, de quo nemo, multoque minus ipsa Christi mater, dubitasset; eamque ob rem primam interpretationem praestat amplecti.

CAPUT III

De temporis spatio, quo Maria mansit in domo Elisabethae.

13 Quum Lucas scripserit Mariam mansisse apud Elisabetham ὡσει μηνας τρεις *quasi mensibus tribus* [11]), quaeritur an mensis integri fuerint ita, ut Maria cum cognata sua manserit, donec illa Ioannem in lucem ederet, an secus.

14 Nullum argumentum nobis suppeditat particula ὡσει, cur unam potius, quam alteram, opinionem amplectamur. Duplex enim est particulae huius usus, vel ad similitudinem significandam, aeque ac Latinorum *sicut* [12]), quem tamen usum in hoc loco non habet, vel ad numerum mensuramve

---

[1]) In Luc. I, 15. [2]) Luc. I, 15. [3]) Annot. in Luc. 15. [4]) Luc. I, 42—45. [5]) Conf. Ios. XIV, 15; Iudic. VI, 15; II Sam. VII, 9; Cant. I, 8; V, 9; VI, 1; Ier. XLIX, 15; Mich. V, 1. [6]) Luc. I, 28. [7]) Ps. CIX, 1. Conf. Matth. XXII, 41—46. [8]) Ad Dardan. ep. CLXXXVII al. LVII. c. 7. §§ 23. 24. [9]) De hebraismis novi testamenti c. 26. § 2. V. et *Gesen.* Lehrgeb. § 196, 5; § 216, 3. [10]) Lege graec. Matth. V, 3—10; Luc. VI, 20. 21. [11]) Luc. I, 56. [12]) Matth. III, 16; IX, 36; XXVIII, 3. 4; Luc. XXII, 44; XXIV, 11; Act. II, 3; VI, 15.

praeter propter definiendam, ita, ut idem valeat ac *plus minus* vel *circiter*, quod postremum pro ὡσεὶ aliquoties reddidit interpres latinus [1]), idque significat procul dubio in Matth. XVI, 21, in Luc. IX, 14, in Io. VI, 10, atque etiam in Marc. VI, 44, siquidem haec particula ibi retinenda sit, in his enim locis grandis numerus indicatur praeter propter. Hanc autem esse vim huius particulae, quum de mensura aut numero sermo est, apparet ex eo, quod rem aliquando extenuet, ac minuat, ut Latinorum *fere* aut *quasi* [2]), aliquando augeat [3]). Quare, quum in hoc loco particula ὡσεὶ temporis spatium designet, neque tamen, utrum illud minuat, an augeat, compertum sit, consequens est minime nos ex hac voce posse colligere illos tres menses, quibus Maria mansit apud Elisabetham, integros fuisse, an mancos.

15 Si rem ipsam attenderis, non facile in animum induces, ut credas Mariam a cognata sua discessisse ante ortum Ioannis. Nam sub finem illorum trium mensium partus Elisabethae iam prope instabat [4]). Num vero Maria, quae cognatam suam tanto studio, *exurgens . . .* ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις *in ipsis diebus . . . cum festinatione*, ut narrator [5]), inviserat, quia praegnantem esse audierat, tamque longam moram fecerat apud illam, eam sub ipsum partum deseruisset? Erit fortasse, qui mihi opponat ipsam seriem narrationis, in qua, prius Mariae discessum [6]), postea Elisabethae partum legimus [7]). Quod non leve momentum habere videtur, quum Lucas rerum ac temporum ordinem sequutus, quod ipsemet ipso evangelii initio facturum se pollicetur [8]); rationem tamen alias suggessimus, quo istud diluatur [9]).

16 Quae quum ita sint, non modo non obluctabor ei, qui autumet Mariam virginem apud Elisabetham esse commoratam, donec Ioannem in lucem ederet, sed me quoque sic sentire profiteor, tametsi quidquam certi hac de re non ausim pronuntiare.

DISSERTATIO XI

De carmine Mariae virginis.

1 Carminis, quod Maria cecinit, quum Elisabetham adivit, nullum exemplum, quod sane dolendum, nisi ex proprio virginis sermone interpretatum, superest. Nam hebraice aut syro-chaldaice ab ea illud fuisse prolatum, non modo res ipsa loquitur, sed nemini non putet, qui sive stilum hebraeorum poetarum proprium in eo consideret, sive loquutionem et syntaxin hebraicae linguae. Nullam autem sententiam, imo vix ullam dictionem exhibet, cuius geminam aut similem reperire non sit in carminibus veteris testamenti, aut apud prophetas, quorum etiam stilus merito poeticus habetur. Recte de hoc carmine haec scripsit Rosenmuellerus, sive is, qui demum cumque sit, quem forte ipse exscripsit: *Qui nunc sequitur, hymnus Mariae simillimus est hymno Hannae verbis et ordine. Conf. I Sam. II. Similis est etiam psalmis davidicis, sive materiam spectes sive formam. Materiam enim quod attinet, exprimit Maria sensum laetitiae, quod a sua humilitate evecta esset ad magnam dignitatem, et addit, omnipotentem Deum hoc fecisse; deinde vero commoratur in cogitanda Dei omnipotentia, et tandem hoc beneficium ad omnem nationem iudaicam pertinere dicit. Sic Davides in psalmis saepe laetatur de liberatione ex malis et periculis, et addit, se hoc Deo debere; commoratur deinde in cogitanda Dei misericordia, omniscientia, et omnipotentia; et tandem Deum Sioni quoque opem ferre dicit. Quod autem ad formam hymni attinet, quaevis periodus, ut in psalmis, duobus plerumque membris constat, in quibus res rebus verbis verba quasi demensa et paria respondent* [10]).

2 Canit itaque virgo, quomodo Deus per ipsam illud tandem praestiterit, quod Israelitarum patribus promiserat, divinam videlicet ἐνσάρκωσιν; atque hoc proprium est carminis argumentum. Sublimi prorsus exordio utitur divina poetria, quod ducit a celebrandis Dei laudibus laetitiaque aperienda, qua ipsa exsultat Luc. I, 46. 47. Continuo huius utriusque rei rationem affert, indicans generalibus quibusdam verbis miraque cum modestia ac verecundia insigne munus sibi a Deo collatum Ib. 48. 49, quod in honum omnibus aetatibus esset eventurum Ib. 50. Tum ipsum Dei opus, quod canere adgressa est, enuntiat, *potentiam* κατ' ἐξοχὴν id vocans Ib. 51, seque ipsam, per quam hoc opus perficeretur, a Deo electam esse narrans, non quidem apertis verbis, sed obliqua quadam

[1]) Act. II, 41; V, 36. [2]) Luc. IX, 28 coll. Matth. XVII, 1 et Marc. IX, 1. [3]) Luc. XXIII, 44 coll. Matth. XXVII, 45 et Marc. XV, 33. [4]) Conf. Luc. I, 26. 36. [5]) Luc. I, 39. [6]) Ib. [7]) Ib. 57. [8]) Luc. I, 3. Diss. n. 22. [9]) Ib. n. 18 et Lib. I. c. III. n. 61. [10]) Schol. In Luc. I, 46.

periphrasi, quod Deus homines deprimat opibus elatos, humiles vero atque inopes extollat Ib. 51—53. Concludit tandem affirmans Deum, quae Israeli fuerat pollicitus, iam implevisse Ib. 54. 55.

3 In hoc carmine nihil offendimus, quod intellectu sit difficile, aut saltem quod non continuo clareat, ubi cum his conferantur plurima, quae huius carminis sententiis et loquutionibus *παραλληλα* in vetere testamento inveniuntur. Proderit igitur haec infra suggerere, indicatis tantummodo librorum capitibus, in quibus ea leguntur. Psalmos eo ordine numeramus, quo sunt in bibliis hebraicis.

v. 46. *Magnificat anima mea Dominum.* Conf. Ps. XXXIV, 4; LXIX, 31; Sap. XIX, 9; Eccl. XLIII, 35.

v. 47. *Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo*, graeca: *ἐν τῳ θεῳ τῳ σωτηρι μου in Deo salvatore meo.* Conf. I Sam. II, 1; Ps. IX, 3. 15; XIII, 6; XXI, 2; XXXV, 9; etc. Is. LXI, 10; Hab. III, 18; Zach. X, 7.

v. 48. *Quia respexit humilitatem ancillae suae.* In his *humilitas* graece *ταπεινωσις* non virtutem significat, sed humilem conditionem. Conf. Gen. XXIX, 32; Deut. XXVI, 7; I Sam. I, 11; Iudith VI, 15; Ps. IX, 14; XXV, 18; XXX, 8; CXIX, 153.
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Conf. Gen. XXX, 13; Prov. XXXI, 28; Cant. VI, 8; Mal. III, 12.

v. 49. *Quia fecit mihi magna*, plerique graeci codices habent *μεγαλεια sublimia.* Conf. Deut. X, 21; II Sam. VII, 23; Ps. CXXVI, 2. 3.
Qui potens est, graece *ὁ δυνατος (il potente)*; nota emphasim. Conf. Iudith XI, 6; Iob. XXXVI, 5; Ps. XXIV, 8; LXXXIX, 9.
Et sanctum nomen eius. Loquutio hebraica est pro: *et cuius sanctum est nomen.* Conf. Ps. XCIX, 3; CXI, 9; Is. LVII, 15.

v. 50. *Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.* Rursus loquutio hebraica est pro: *et cuius misericordia etc.* Conf. Ps. LXXXIX, 2; IC, 5; CIII, 17.

v. 51. *Fecit potentiam (κρατος robur) in brachio suo.* Conf. I Par. XXIX, 12; II Par. XX, 6; Ps. LXXXIX, 11. 14; CXVIII, 15. 16; Sap. XI, 22; XVI, 16; Is. XL, 10; LI, 9.
Dispersit superbos mente cordis sui. Graeca magis proprie ita vertes: *cogitatione cordis eorum.* Conf. Iob. XII, 17; XXVI, 12; XL, 6; Ps. XXXIII, 10; LXXXIX, 10 graec. 11 vulg.

v. 52. *Deposuit potentes de sede δυναστας ἀπο θρονων dynastas de soliis, et exaltavit humiles.* Conf. I Sam. II, 4. 7. 8 graec.; Ps. XVIII, 28; CXIII, 7. 8; CXXXVIII, 6; Eccl. X, 17.

v. 53. *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Conf. I Sam. II, 5. 7; Ps. XXXIV, 11.

v. 54. *Suscepit Israel puerum suum.* Conf. Is. XLI, 8. 9; XLII, 1.
Recordatus misericordiae suae [1]. Conf. Ex. II, 24; VI, 5; Lev. XXVI, 42; II Par. VI, 42; Ps. XCVIII, 3; Mich. VII, 20; Hab. III, 2. Quum Graeci modum infinitivum pro participio subinde usurpent [2], recte infinitivus modus *μνησθηναι* latine vertitur *recordatus*, neque opus est opem arcessere a codicum discrepantia. Abest SUAE a graecis exemplaribus item a latinis cantabrigensi, vercellensi, veronensi, gateanensi [3], est in exemplaribus latinis brixiensi, foroiuliensi, germanensi I, vaticano, turonensi, michaelensi, item in corbeiensi, additum tamen manu recentiore, inque Breviario mozarabico [4], item apud interpretes, coptum, syrum, armenum, aethiopem, arabem, persam. E graecorum patrum operibus unum novimus commentarium de evangelio Lucae Titi Bostrensis, tametsi perperam, nomine inscriptum, in quo legatur *ἐλεος αὐτου*; neque enim fidimus Catenae Corderii, in quam relata sunt verba Basilii latine versa, interque ea illud *suae*. E latinis scriptoribus fortasse unus Beda omittit *suae*; ast legitur apud Augustinum [5], et apud scriptorem vetustissimum, quem e prima scriptura bobiensis codicis palimpsesti saeculo IV aut V exarati eruit Angelus Maius [6]. Haec fusius commemoravi, quod de hac voce sileant Wetstenius, Griesbachius, ceterique critici recentiores.

v. 55. *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius.* Quum verba: *προς τους πατερας ἡμων ad patres nostros*, sint casu accusativo, verba vero: *τῳ Ἀβρααμ και τῳ*

---

[1]) *Patritii* De interpr. scriptur. sacr. L. II. q. IX. nn. 73—82. [2]) *Vigerus* De idiotismis linguae graecae c. 5. sect. 3. reg. 6. not. *Hoogevenii.* [3]) *Blanchin.* Evangeliar. quadr.; *Sabatier* Latin. version. antiq. [4]) Iid. [5]) De cons. evangel. L. II. § 17. [6]) Scriptor. veter. nova collect. T. III. P. II. p. 197.

σπέρματι αὐτοῦ *Abraham et semini eius*, casu dativo, censent non pauci totam sententiam *sicut locutus est ad patres nostros* παρένθετον esse, reliqua vero *Abraham*, *et semini eius*, coniungenda cum verbis *misericordiae suae*, non secus ac παρένθετα esse putantur a nonnullis in cantico Zachariae illa: *sicut locutus est per os sanctorum*, *qui a saeculo sunt*, *prophetarum eius etc.* [1]). Equidem contra dicere haud queo. Nam huiusmodi parentheses scriptores sacri interdum usurparunt atque adeo ipse Lucas pluries [2]); sicut autem soloecum foret unum verbum cum diversis casibus construere, quod Lucas sane cavisset, ita haec loquutio: μνησθῆναι ἐλέους . . . τῷ Ἀβραάμ, utque ea latine versa est: *recordatus misericordiae suae . . . Abraham et semini eius*, hebraicae linguae propria est [3]), huiusque similibus graeci bibliorum interpretes usi sunt [4]). Porro ex his colliges eos quoque non recte hanc postremam cantici sententiam interpungere, qui parenthesim otique hic haberi sentiunt, sed in illam etiam verba: *Abraham et semini eius*, recipiunt. Ceterum, quod duobus his postremis versiculis cecinit Maria, id ipsum celebravit postea Zacharias prima sui cantici parte [5]). Conf. Gen. XVII, 19.

In saecula. Sunt, qui multa disputent de sensu harum duarum vocum, sed nescio quorsum. Sensus perspicuus adeo est, ut nihil supra, ipsaque φράσις saepe comparet in bibliis, tum ubi de aliis rebus, tum ubi de foedere a Deo inito cum patribus Israelitarum sermo est. Conf. Gen. XVII, 19.

DISSERTATIO XII

De anno, mense, et die natali, deque ortu et pueritia Ioannis Baptistae.

1 Si quaeras, quo anno quove anni tempore aut die Ioannes in lucem prodierit, ex sola Lucae narratione id unum certo colliges, Ioannem quinque aut sex mensibus ante Christum ortum esse. Quum enim non sit, cur in dubium revocetur Christum conceptum esse quando Gabriel ad Mariam legatus est, quumque legatus ad eam fuerit mense sexto a concepto Ioanne [6]), utrum autem mense ineunte an exeunte, incertum, fieri potuit, ut id contingeret etiam primo die mensis, potuit etiam postremo, quorum tamen utrumvis tibi sumas, semper manebit Christum conceptum fuisse mense sexto post Ioannem. Fac itaque Gabrielem legatum die primo mensis, iam quinque non amplius menses erunt a concepto Ioannis; sex vero, si die postremo. Quare, si praeterea consideres feturas non semper eodem dierum numero absolvi, intelliges spatium temporis, quod fuit inter utrumque ortum, non secus, ac nos fecimus, esse definiendum. Quum vero Maria, statim, ut nuntium acceperat [7]), profecta sit ad Elisabetham invisendam, manseritque apud hanc *quasi mensibus tribus*, hoc est, usque ad ortum Ioannis, sic enim credimus [8]), illud ex his consequitur, nuntium ad eam prolatum fuisse sub extremum mensem sextum praegnationis Elisabethae, proinde Ioannem sex fere mensibus ante Christum fuisse genitum.

2 Vetustissima quidem martyrologia Ioanni natalem assignant diem VIII kal. iul., quo die is natalis celebrabatur iam aliqua aetate ante Augustinum [9]), nullum tamen huius sententiae monumentum ex remotiore antiquitate superest, quum e contrario non difficile factu sit coniicere, unde ea originem duxerit.

3 Etenim, quum diem Christi natalem mos esset a primis ecclesiae aetatibus, saltem, quod certum est, ante scripta matyrologia, qua de re inferius agemus [10]), celebrare a. d. VIII kal. ian., ipse autem Christus conceptus fuerit mense sexto, post conceptum Ioannem, cuius tamen natalis dies ignoraretur, proonm omnino fuit imo et congruum huic celebrando diem statui, quem inter interque natalem Christi sex menses intercederent.

4 Praeterea creditum olim est Zachariam Ioannis patrem summo pontificatu functum esse, sacraque, quibus operabatur, quum Gabriel ad ipsum venit [11]), ea esse, quae fiebant die festo expiationis; quumque hoc sollemne nec ante primos dies mensis septembris, neque post primos octobris ageretur, consequens erat Elisabetham [12]) praegnantem factam fuisse inter medium septembrem

[1]) Luc. I, 70. [2]) Luc. II, 4. 35; V, 24; XXIII, 51; Act. I, 15. 18. 19; IV, 4; IX, 12; XIX, 29—31 coll. 28. 32. [3]) Ps. XCVIII, 3. [4]) Ps. XCVII, 3; CXVIII, 49. [5]) Luc. I. 68—73. [6]) Luc. I, 26. 36. [7]) Diss. X. n. 15. [8]) Ib. n. 16. [9]) In Ps. CXXXII. § 11. [10]) Diss. XXI. [11]) Luc. I, 8—10. [12]) Luc. I, 23. 24.

mediumque octobrem. Ita ratiocinatur Chrysostomus [1]. Porro autem alii ulterius progressi sunt, ut definirent quoque ipsum diem conceptus, isque Graecis, etsi non omnibus [2], fuit a. d. IX kal. oct., quo die etiam nunc conceptum Ioannis illi celebrant, Latinis vero postridie, id est, VIII kal. octobr., quo die in martyrologiis omnibus vetustioribus, quibuscum sensit Baronius [3], huius conceptus mentio fit, primusque omnium Bellinus de Padua eum expunxit ex martyrologio Usuardi, quod formis impressum edidit anno MCCCCXCVIII [4]. Quare, numeratis ab eo die novem mensibus, natali Ioannis celebrando dicta est dies VIII kal. iul.

5 Nemo tamen non videt quam inconcinne tum historia perpensa fuerit, tum calculi subducti. Etenim nec Zachariam fuisse pontificem maximum credere est [5], nec ex narratione Lucae ullo modo coniicere datur die expiationis aliove die festo ea, quae narrantur, contigisse [6]. Sed, esto, utrumque fuerit; attamen, quum menses Iudaeorum ultro citroque excurrant in annis iulianis, quibus utimur, dies festus expiationis modo in mensem septembrem, modo in octobrem, incidebat. Ut igitur certo innotesceret, quinam horum mensium dies cum hoc sollemni concurrerit eo anno, quo Ioannes conceptus est, prius, quotus hic annus foret vel ab Urbe condita, vel secundum aliam quam annorum iulianorum computationem definire oportebat; quod tamen fieri neglectum est, aut praepostere factum, quum pluribus aetatibus error late obtinuerit circa annum Christi natalem, hocque anno ignorato nec natalis annus Ioannis sciri queat. Denique, quantumvis certus foret ac definitus dies, quo Gabriel Zachariae apparuit, certum aeque est ex illo dies aliquot praeteriisse, antequam Zacharias domum reverteretur [7], incertum vero, an is Ioannem genuerit statim, ac reversus est, an aliquot post mensibus [8].

6 Itaque summa eorum, quae hactenus disputavimus, est, diem natalem Ioannis nullo pacto nos discere certo posse [9].

7 Secus tamen sentiendum est de eius anno natali. Patet enim hunc annum alium non esse illo, vel quo Christus ortus est, vel qui huic proxime antecessit, quum Christus quinque aut sex mensibus post Ioannem conceptus sit. In alio loco [10] Henricum Sanclementium [11] sequuti demonstrabimus, annum Christi natalem fuisse annum U. c. DCCXLVII a palilibus inceptum, inque posteriorem huius anni partem eius ortum incidisse. Ergo eidem huic anno U. C. ortus Ioannis est adscribendus.

8 Non tamen animadvertere illud omittam, quod, quum veri longe similius sit Christum natum esse VIII kal. ianuar., quam alio die, aut certe nulla omnino ratione sententia haec refelli queat, manifestum est eos, qui Ioannis diem natalem VIII kal. iul. festum habere solent, nisi veritatem attingunt, non tamen nimis ab ea aberrare.

9 Sed iam huius narrationis verba illustrare oportet. *Quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa* ὅτι ἐμεγάλυνε κύριος τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετ' αὐτῆς [12]. *Magnificare misericordiam* μεγαλύνειν τὸ ἔλεος hebraica loquutio est, gemina illius, quam legimus in Gen. XIX, 19 et passive in Ps. LVI, 11, idemque valet ac *magnum beneficium praestare*, ut apparet ex illo praesertim capite geneseos. Similia vero constructione huic sunt μεγαλύνειν τὰς σωτηρίας τινὸς *magnificare salutes alicuius* [13]), μεγαλύνειν ἐπί τινα πτερνισμὸν *magnificare super aliquem supplantationem* [14]). Illud autem, quod Elisabethae *vicini et cognati . . . gratulabantur*, non erat, quod talem tantumque filium pepererit, qualis enim et quantus is futurus esset, nondum illos compertum habere potuisse colligimus ex ipsa narrationis serie, sed quod filium, sterilis quum foret provectaque iam aetate, tandem pepererit [15].

10 *In die octavo venerunt circumcidere puerum* [16]. Die, qui octavus erat a natali, mares circumcidebantur, id Deus Abrahamo primo praeceperat [17], deinde omnibus Israelitis lege lata [18]. Quare illa Christi verba: *In sabbato circumciditis hominem . . . Circumcisionem accipit homo in sabbato* [19], non significant diem sabbati circumcidendis pueris indictam esse, sed etiam sabbato, etsi dies festus sit, circumcisiones fieri, eorum videlicet, qui superiore sabbato nati sunt. Ritus iste circumcidendi masculos non Abrahami posteris proprius fuit ac privus, sed cum aliis gentibus

---

1) Hom. in diem Christi natalem §§ 4. 5. 2) *Fontaninius.* Vetustiae occidentalis ecclesiae martyrolog. ad diem 24. septbr. 3) Apparat. ad annal. § 68. 4) *Papebroch.* Acta sanctorum 24. iunii, Commentar. historic. de s. Ioanne. n. 48. 5) Diss. II. n. 2. 6) Ib. n. 4. 7) L. c. I, 23. 8) Ib. 24. Diss. III, nn. 3. 4. 9) *Papebrochius* l. c. n. 51. 10) Diss. XX. 11) De vulgaris aerae emendatione. L. IV. 12) Luc. I, 58. 13) II Reg. XXII, 51 graec.; Ps. XVII, 51. 14) Ps. XL, 10. 15) Conf. Luc. I, 25. 16) Luc. I, 59. 17) Gen. XVII, 12. 18) Lev. XII, 3. 19) Io. VII, 22. 23.

communis. Obtinuit enim apud Aegyptios [1], quod etiam Ieremias memoriae tradidit [2], neque in dubium ea revocant, quae Deus dixit Israelitis, postquam in Galgalis universalis circumcisio facta est: *Hodie abstuli opprobrium Aegypti a vobis* [3]. Bene quippe haec ita explicat Rosenmuellerus iunior: OPPROBRIUM ALICUIUS *tum active tum passive dicitur. . . . Hoc loco non dubium, quin active dicatur, ut Ezech. XVI, 57. . . . Vid. et Ezech. XXXVI, 15; Ps. XXXIX, 9. Quum Aegyptii ipsi circumcisi essent, . . . ceteras gentes vocabant* INCIRCUMCISAS *per contemtum, . . . ut postea fecerunt Iudaei erga alias gentes. Igitur* PROBRUM AEGYPTI *est illud, quod tamquam probrosum quid Aegyptii aliis obiicebant* [4]. Minus autem arridet interpretatio, quam fecit Iahn, et quae sic est: *Praeputium Ios. V, 9 opprobrium Aegypti dici potuit, si modo non omnes Aegyptii circumcisi erant* [5]. Obtinuisse hunc morem apud Aethiopas, Colchos, Troglodytas, Phoenicas, Syros, Macrones, narrant Herodotus, Diodorus Siculus, et Strabo [6].

11 *Et vocabant eum nomine patris sui* [7]. Alias scripsimus moris fuisse apud Israelitas eorumque maiores a prima mundi aetate, ut filiis mater nomen imponeret [8]. Neque huius rei contrarium est id, quod legimus in hac evangelii pagina, Elisabethae filio nomen imponere eos voluisse, qui eius circumcisioni aderant. Ille enim mos neque perpetuus fuit, neque inviolabilis, quum fuerint interdum non a matribus nomina imposita, sed a patribus [9], quibus in ea, quae ad filios pertinerent, ius semper manebat, ex eoque nomen *Benoni* a Rachele matre postremo filiorum factum, a Iacobo autem patre in *Beniaminum* immutatum [10]; idque ipsum, quod de Zachariae et Elisabethae filio, narratur quoque de filio Boozi et Ruthae [11]. Ceterum etiam Ioanni nomen a matre inditum tandem fuit [12]. Ut puero nomen imponeretur, quum circumcidebatur, id recentiore aetate fieri coepisse putarem [13], nihil enim hac de re lege cautum novimus, olimque secus usu venisse ex sacra historia coniicere est [14]. Quod denique, qui aderant, puerum vocare vellent *nomine patris sui*, id Maldonatus, Grotius, quique hunc exscripsit, Rosenmuellerus maior, autumant fuisse Iudaeis usitatum, ut parentum quoque nomina filiis imponerentur, nihil tamen simile proferunt ex scripturis, nec, quod proferant, habent; imo Maldonatus usum hunc ex hoc ipso loco se didicisse fatetur. Melius Lighfootus: *Rarum exemplum*, inquit, *cui in s. scripturis vix, aut ne vix, par reperias, ut puer ex patre nomen accipiat* [15], et cuius caussam rationemque frustra quaeras.

12 *Et respondens mater eius dixit: etc.* [16]. Quum Zacharias, utpote loquela destitutus, nequiverit verbis uxorem docere nomen, quod Gabriel puero imponi iusserat [17], dicenda est Elisabeth vel divinitus illud didicisse, vel literis consignatum a marito accepisse.

13 *Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine* [18]. Agnatorum, imo et fratrum ac sororum nomina filiis filiabusque indere Israelitas fuisse solitos, iam diximus [19]. Id haec narratio confirmat, sancteque servatum etiam sequioribus aetatibus rei iudaicae demonstrat.

14 *Innuebant autem patri eius etc.* [20]. Cur *innuebant*, non autem potius interrogabant? Quia *per nutum*, inquit Rosenmuellerus maior, *loqui solemus etiam cum bene audientibus* [21]; vel quia, quum muti simul surdi esse soleant, ipsa consuetudine gestibus cum hominibus mutis colloquendi induci potuerunt, ut ita mutum Zachariam alloquerentur. Mihi tamen veri magis simile videtur Zachariam surdum quoque fuisse. Etenim id credere suadet obvia significatio eorum verborum, de quibus quaestio est; eoque posito iam patet, cur gestu, non autem voce, Zachariam illi fuerint alloquuti. Insuper, nisi auribus captus is fuisset, audisset profecto uxorem nomen Ioannis proferentem, eique signo aliquo vel gestu annuisset, etiam priusquam ab illis interrogaretur. Quid autem, ubi *Zacharias postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen eius, . . . mirati sunt universi* [22], nisi quia mirum his videretur eum in eamdem sententiam cum uxore convenisse? at quid mirum hac in re, si prius nomen audisset ab uxore prolatum? Denique in latinis quidem evangelii exemplaribus Zacharias dicitur post visum Gabrielem mutus factus [23], ast in graecia, non ἀλαλος, quod *mutum*, sed legitur κωφος, quod, etsi subinde *mutum* significet [24], *quoniam et το ἀλαλον consequens του κωφου*, inquit Scapula [25], proprie tamen idem valet ac *surdus* [26].

---

1) *Herodot.* L. II. cc. 36. 104; *Diodor. Sic.* L. I. p. 17 B et L. III. p. 115 D ed. *Rhodomani; Strab.* L. XVII. p. 824 ed. III *Casaubon.* 2) Ier. IX, 25. 26. 3) Ios. V, 2—9. 4) Schol. in Ios. V, 9. 5) Archaeol. § 163. 6) LL. cc. *Rosenmuell.* Schol. in Gen. XVII, 10. 7) Luc. I, 59. 8) Diss. VII. n. 5; Diss. IX. cap. III. n. 1. 9) Gen. V, 28. 29; XVI, 15; XXI, 3 de quo tamen Diss. VII. n. 5. 10) Gen. XXXV, 18. 11) Ruth. IV, 17. 12) Luc. I, 60. 13) Conv. Luc. II, 21. 14) Gen. XXI, 4 coll. 3; XXXV, 18; I Reg. IV, 19—21. 15) Harmon. quatuor. evangelistar. sect. V. 16) Luc. I, 60. 17) Luc. I, 13. 18) Luc. I, 61. 19) Diss. IX. c. III. n. 1. 20) Luc. I, 62. 21) In h. l. 22) Luc. I. 63. 23) Luc. I, 22. 24) Matth. IX, 33; XII, 22; XV, 31; Luc. XI, 14. 25) In Lexico ad h. v. 26) Matth. XI, 5; Marc. VII, 32 coll. 33—35. 37; IX, 25; Luc. VII, 22.

15 *Scripsit dicens* ἐγραψε λεγων[1]). Ex his verbis quidam colligunt[2]) nomen Ioannis etiam voce a Zacharia tunc fuisse prolatum, sed forte minus vere. Postea enim, quamquam *illico*, loquelam is recepit[3]), sicut Gabriel praedixerat futurum[4]). Est autem hic quidam dicendi modus, etiam a graecis veteris testamenti interpretibus usurpatos[5]), neque hebraicae solum affiniumque linguarum proprius[6]), sed etiam graecae, quo Iosephus quoque usus est[7]), atque id genus dictio, ex quo sunt illa in novo testamento frequentissima: ἀπεκριθη λεγων, seu: ἀπεκρινατο λεγων, *respondit dicens*, illaque: ἀποκριθεις λεγει, ἀποκριθεις εἰπε, ἀποκριθεις ἐρει, ἀποκριθεις ἐφη *respondens ait*, ὑπολαβων εἰπε *suscipiens dixit*, quae quorumque similia in vetere testamento vertendo interpretes etiam graeci frequenter adhibuerunt, imo et alii graeci scriptores[8]).

16 *Apertum est* ἀνεῳχθη *autem illico os eius, et lingua eius*[9]); ita nimirum Gabriel futurum praedixerat[10]). Quibus minus proprie dici videtur *linguam apperiri*, ii inseruerunt ante nomen ἡ γλωσσα *lingua* verbum διηρθρωθη DEARTICULATA EST, *id est, velut articuli et ligamenti ope coepit moveri lingua eius, vocalis reddita est*[11]), quod verbum in exemplar complutense bibliorum irrepsit; alii vero inserendum putarunt verbum ἐλυθη *soluta est*. Verum, qui norunt scriptoribus sacris insolentem non esse hanc καταχρησιν abusionemque vocabolorum significatione propinquorum, nullam in illa loquutione explananda difficultatem vident. Ceterum verbo *aperire* pro *solvere* et Moyses[12]), et Isaias[13]), et Ieremias[14]), et psaltes[15]), et scriptor libri Iobi[16]), usi sunt.

17 *Etenim manus Domini erat cum illo*[17]). In graeco exemplari non legimus και γαρ *etenim*, sed και *et*. Neque enim videtur nunc adverbio huic locus esse, quum nullius rei ratio reddenda sit; caussam enim rationemque, cur homines admirarentur, sicut proxime dictum est, ex illis peti oportet, quae prius a Luca narrata sunt. Sunt autem haec verba ipsius scriptoris, non autem eorum, quos illa *Quis, putas puer iste erit?* proferentes induxit scriptor; hi enim, utpote syrochaldaice loquentes, verbum substantivum non adhibuissent, Lucas vero ipsorum verba referens, siquidem ipsorum ea forent, tempore praesente, non autem imperfecto, idem verbum retulisset. Ceterum horum sensus patet, eorumque gemina legere est in Actis apostolorum[18]).

18 *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto*[19]). Quid in his sonet nomen *Spiritus sancti*, Rosenmuellero sonare videatur, superius vidimus, hominemque castigavimus[20]). De verbo προφητευειν *prophetare* aeque ac de cantico Zachariae peculiares quaestiones habebimus[21]).

19 *Et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel*[22]). Sunt, qui haec ita explicant: *intra domus paternae fines se continuit, non prodiit in publicum*[23]). Hos tamen iam refellerat Grotius[24]). Profecto, quamvis ἐρημοι *deserti* etiam homines esse ac dici queant, dictio tamen ἐν ταις ἐρημοις, quam nomine χωραις *regionibus* supplere oportet, nil, nisi *in desertis* aut in *solitudinibus*, significare solet. Tum, si talis, qualem isti putant, sit verbi vis in hoc loco, talis quoque esset in illo: *Factum est verbum Domini super Ioannem* ... IN DESERTO, *et venit in omnem regionem Iordanis praedicans baptismum poenitentiae*[25]), inque illo Matthaei: *Venit Ioannes Baptista praedicans* IN DESERTO *Iudaeae*[26]), illoque Marci: *Fuit Ioannes in* DESERTO *baptizans*[27]), atque adeo in his quoque, quae Christus dixit de Ioanne: *Quid existis* IN DESERTUM *videre?*[28]), in his, inquam, omnibus capitibus evangeliorum *in deserto* idem erit ac *domi*, quod tamen quis credat? Neque enim ratio ulla illius interpretationis apparet. Nam, quod dicatur Ioannes fuisse *in desertis* USQUE *in diem ostensionis suae*, non inde colligat quis post diem hunc ex desertis Ioannem remeasse, quod sane quam adversaretur historiis evangelistarum[29]), nisi eum lateat vis, quae in bibliis saltem, inest adverbiis *usque, donec*, et similibus, et de qua velim adeas Noldium[30]); non ergo Lucas, ne dicatur parum cavisse perspicuitati, verba *in desertis* in illum sensum accepisse putetur necesse est.

---

1) Luc. I, 63. 2) *Wolf.* Cur. crit. in h. l. 3) Luc. I, 64. 4) Luc. I, 20 coll. 13. 5) II Reg. XI, 15; IV Reg. X, 1. 6. 6) Ib. et I seu III Reg. XXI, 9. 7) Antiquit. L. XIII. c. 4. § 1. 8) *Vorst.* De hebraismis N. T. c. 33. n. 4. et *Vitringae* Animadversion. ad *Vorst.* c. 6. nn. 2. 3. 9) Luc. I, 64. 10) Ib. 20. 11) *Vatablus* in h. l. in Criticis sacr. 12) Gen. XXIV, 32. 13) Is. V, 27; XLV, 1; etc. 14) Ier. XL, 4. 15) Ps. CII, 21; etc. 16) Iob. XII, 18. 17) Luc. I, 66. 18) Act. XI, 21. Conf. I Sam. XXII, 17 et II Sam. XIV, 19. 19) Luc. I, 67. 20) Diss. X. n. 9. 21) Dissert. XIII. XIV. 22) Luc. I, 80. 23) *Rosenmuell.* Schol. in h. l. 24) In h. l. 25) Luc. III, 2. 3. 26) Matth. III, 1. 27) Marc. I, 4. 28) Matth. XI, 7. 29) LL. cc. Conf. Is. XL, 3. 30) Concordant. particular. ebr. chald. ad voc. עד n. 2. not. p. 534. Ienae 1734.

DISSERTATIO XIII

De נביאים, *quos graece prophetas vocamus.*

1 Lucas ait Zachariam carmen illud suum continentem *προφητευσαι prophetasse* [1]); qua de re en quid censeat Rosenmuellerus: *Προφητευειν*, נבא, *hoc loco significat* MEDITARI CARMEN, CELEBRARE LAUDES DEI CARMINE, *ut 1 Sam. X, 5 seqq., quem locum confer. Hanc significationem hoc loco retinendam esse, ex eo patet, quod Zacharias hic nihil praedixit* [2]). An recte ille censeat, intelliges ex iis, quae de נביאים *nebiim*, quos graeco nomine *prophetas* vocamus, deque multiplici eorum munere opportunam occasionem nacti aggredimur disputare. Legisse prius iuvabit Num. XII, 6; Deut. XIII, 1. 5; XVIII, 15—22; Ierem. XXVIII, 8. 9; Ezech. VII, 26.

2 De ipsa vocis notatione ita Winerus [3]): נבא *in kal. inusit., arab.* نَبَأَ PROTULIT *veluti terra plantas v.* ROSENMUELLER. *ad Psalm. I, p. IV not., hinc* PROTULIT VERBA, NUNCIAVIT, INDICAVIT. . . . . *Sic* נביא *dictum censebis a* FANDO, NUNCIANDO, *quemadmodum lat.* VATES, *gr. φατης. Sed, cum* PROPHETANDI VATICINANDIQUE *sensus in passivis tantum declinatibus insit, . . . coniicere possis* נבא (PROFERRE) *ad Deum potius referendum esse ex sententia vett. Hebr., quippe qui* NUNCIET *vatibus, quae palam exponenda sunt; ita ut* נִבָּא *proprie sit a* DEO AGI, DIVINITUS MOVERI, videlicet *ad aliquid loquendum.* Ipsa forma nominis נביא confirmat huius notationem eam esse, quam Winerus proposuit, nam hac forma nominibus secundum primigeniam notionem ipsis subiectam ea vis est, quae participio *paul* [4]), ut נביא significet eum qui *a Deo agitur*, ut *loquatur.* Reconditiorem quamdam vocis originem reperies in Gesenii *Thesauro philologico critico* [5]).

3 Itaque *nebiim* fuerunt Dei interpretes, oratoresque ac legati, qui Dei verba ac iussa populis referebant, mandataque sibi ad eos data exsequebantur, quod etiam Gesenius nuper scripsit [6]), contra ea sacerdotum est legatione ad Deum fungi populorum nomine, horumque res cum eo agere [7]). Hanc autem subesse notionem nomini נביא facile probatur. Qui enim ita vocatur, is quadam circuitione dicitur *missus a Deo* [8]), contra vero *pseudoprophetae* dicuntur *non missi* [9]). Eamdem hanc notationem comprobat descriptio prophetae omnium maximi, quam legimus in deuteronomio [10]). Insuper Ioannes Baptista, etsi nihil praedixerit, neque ullum prodigium patraverit [11]), tamen *propheta* vocatus [12]) atque habitus est [13]), quod a Deo missus fuerit [14]), ut esset *vox clamantis* [15]). Sed apprime facit illud, quod, quum Moyses blaesam linguam excusaret, ne ad Pharaonem legaretur [16]), Deus ipsi ita respondit: *Ecce constitui te* DEUM *Pharaonis, et Aaron frater tuus erit* PROPHETA TUUS; *tu loqueris ei omnia, quae mando tibi, et ille loquetur ad Pharaonem* [17]). Sermo quoque profanorum scriptorum haec confirmat. Apud Virgilium ita Aeneas: *His* VATEM *aggredior dictis, ac talia quaeso: Troiugena* INTERPRES DIVUM *etc.* [18]); atque haec quoque apud eumdem legimus: *Nunc et Iove* MISSUS *ab ipso* INTERPRES DIVUM *fert horrida iussa* [19]). Apud Livium autem Evander ita Herculem alloquitur: *Iove nate, Hercules, salve . . . Te mihi mater, veridica* INTERPRES DEUM, *aucturum caelestium numerum* CECINIT [20]). Chrysostomus ita loquitur: *Και γαρ ὁ προφητης ἑρμηνευτης ἐστιν, ἀλλα του Θεου Etenim propheta interpres est, sed Dei* [21]); eodemque modo Philo loquutus fuerat [22]).

4 Hac nominis notione semel posita, patet iam totum ipsius *nabi* munus fuisse in alloquendo homines Dei nomine ac iussu [23]); unde illud exordium in prophetarum orationibus frequentissimum: *Haec dicit Dominus.* Hinc etiam nota seu character pseudoprophetae proprius atque indubius, atque vocant, *a priore*, quod erat mendacium [24]), et quidem prolatum ex consilio decipiendi seu fingendi, non autem quod mendacium esse crederetur ideo solum, quia ea, quae forte ille praedixerat, minime evenirent, quum fieri posset, ut casu aliquo evenirent praedicta a pseudopropheta [25]), contra vero, quae verax propheta praedixerat, minime fierent, verbi caussa, quum vaticinia sub aliqua con-

[1]) Luc. I, 67. [2]) Schol. in h. l. [3]) In Lex. ad h. v. [4]) *Gesenius* Lehrg. § 120, 5. [5]) Ad rad. נבא. [6]) Thesaur. ad h. v. [7]) Hebr. V, 1. [8]) Iudic. VI, 8; Ier. I, 5 coll. 7; Io. I, 6 coll. Matth. XI, 9 et XIV, 5. [9]) Ier. XIV, 14. 15; XXIII, 21; XXIX, 9; Ezech. XIII, 6 etc. [10]) Deut. XVIII, 14—18. [11]) Io. X, 41. [12]) Luc. I, 76. [13]) Matth. XI, 9; XIV, 5. [14]) Io. I, 6. [15]) Ib. 23. [16]) Ex. VI, 30. [17]) Ib. VII, 1. 2. [18]) Aen. L. III. v. 359. [19]) Ib. L. IV. v. 477. 478. [20]) L. I. c. 7. [21]) In I Cor. hom. XXXVI. § 4. [22]) De poenis et praemiis p. 918. Francof. 1691. [23]) Ierem. I, 5—7; XVIII, 18. [24]) III Reg. XXII, 22. 23; Is. IX, 15; Ier. V, 13. [25]) Deut. XIII, 2.

ditione vel expressa vel tacita edita fuerant [1]); ex quo eventus rerum praedictarum erat utique iudiciam legitimae legationis a Deo [2]), sed solum, ut scholae loquuntur, *a posteriore*.

5 Ea autem, in quibus munus horum *nebiim* praecipue versabatur, erunt, ut hominibus vel Dei iussu referrent [3]), vel Dei nomine aliquid eligendum proponerent [4]), peccata improperarent, ipsosque ad frugem reducerent [5]), eos aliquid docerent [6]), Deum Deique acta laudibus efferrent, ac celebrarent [7]), denique occulta panderent [8]), futuraque praenuntiarent, tum prospera [9]), tum adversa [10]), ut videre est in ipsis libris prophetarum. Praeterea initio rei christianae eorumdem horum quoque erat sacras scripturas divino numine explicare. Nam legimus inter ea, quae a Paulo *donationes* [11]) seu *divisiones gratiarum* [12]) dicuntur, et quibus prisca illa ecclesia decorabatur, fuisse etiam *prophetiam* [13]), de qua idem is fusius agit in capite XIV primae epistolae ad Corinthios scriptae, quique ea praediti essent, *prophetas* vocatos atque habitos, praecipuumque honoris gradum inter Christianos tenuisse [14]). *Prophetiam* hanc non eam esse, saltem non eam solummodo, qua futura praedicuntur, facile intelliges, si leges I Cor. XIV, 3. 4. 22; esse vero facultatem divinitus inditam explanandi sacras scripturas, patebit, si attentius consideres, quae de ea Petrus [15]) et Paulus [16]) scripserunt. Haec de munere horum *nebiim*.

6 Sed et alia nomina his iisdem data reperiuntur, חזה, et ראה, quae utraque interpres latinus vertit *videntem*. In libro I Paral. XXIX, 29 vocantur Samuel ראה, Nathan נביא, et Gad חזה. Et quamvis, qui נביא habebatur, et dicebatur, diceretur simul ראה, ut Samuel [17]), aut חזה, ut Gad [18]), Addo [19]), Iehu [20]), tamen haec tria nomina aliquid significatione discrepare, saltem non omnino congruere inter se, ex ipsis scripturis arguuntur, ut נביא aliud sonet ac ראה [21]) atque חזה [22]), itemque ראה aliud quam חזה [23]). Discrimen inter ראה et חזה non facile apparet, nisi ad ipsas horum radices recurramus. Nam verbum ראה idem omnino est ac latinum *videre*, חזה vero idem ac *conspicere*, *intueri* (*guardare*), quod probari videtur significatione nominis חזה inde deducti, cui notio subiecta est PECTUS *brutorum*, *proprie pars antica* ASPECTUI *patens*, ut scribit Gesenius [24]). Praeterea verbum חזה maiorem quamdam *ἐνέργειαν* veluti expromit, et, aeque ac nomina inde deducta, non ferme usurpatur, nisi quum agitur de rebus nobilioribus ac sublimioribus, de visis, quae sive oculis, sive menti prophetarum obiiciebantur, deque iis, quae mente conspiciuntur. Hinc coniicere poteris, quid illa duo nomina, quae sunt ipsa horum verborum participia, differant inter se. Animadvertit insuper Gesenius nomen חזה, de quo agimus, sequioris aetatis esse quam ראה, et quidem recte; etsi enim utrumque in iisdem scripturarum libris compareat, ac primo in libris Samuelis, testimonio tamen ipsius scriptoris horum librorum constat nomen ראה antiquiore aetate in usu iam fuisse [25]), quod de חזה aeque pronuntiare non possumus. Quid autem ab utroque discrepet nomen נביא, iam compertum habemus ex iis, quae de hoc diximus superius. Quod enim aliquis *conspiceret* aut *videret*, sive mente, sive oculis, quae Deus ipsi manifestabat, חזה aut ראה, pro diversa visionis visorumque ratione, dicebatur; quod autem a Deo ageretur, ut ea, quae sibi manifestata fuerant, proferret, dicebatur נביא. Hac re probatur aliud quoque discrimen, quod scripturae inter haec nomina exsistere docent, ut appellatio ראה seu חזה fieret prophetae, per quem homines Deum consulebant, ut huius responsa ad ipsos idem ille referret, quum haec legamus in primo libro Samuelis: *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque* VADENS CONSULERE DEUM: *Venite, et eamus* עד-הראה *ad* VIDENTEM [26]), totaque historia, quae in illo libri capite descripta est, id ipsum comprobet [27]), atque ad id pertinere videantur appellationes חזה-המלך *videns regis* [28]), חזה-דויד *videns Davidis* [29]), praesertim חזה-המלך *videns regis in sermonibus Dei* [30]), נביא vero per quem Deus hominibus loquebatur, ut iam demonstravimus. Porro autem hoc discrimen eo confirmatur, quod נביא Dei esse dicitur, ראה et חזה non item [31]); hinc commentitiis quoque fictisque Diis sui sibi נביאים olim exstiterunt, at nulli sive ראים, sive חזים [32]).

---

[1]) V. III Reg. XXI, 29 coll. 20—22; IV Reg. XX, 5 coll. 1; Ion. III, 10 coll. 4. [2]) Deut. XVIII, 22. [3]) Iudic. IV, 4. 6; I Reg. XV, 1—3; III Reg. XII, 22—24; IV Reg. IX. 4—7; II Par. XXIX, 25. [4]) II Reg. XXIV, 11. 12. [5]) Iudic. VI, 8—10; II Reg. XII, 1—14; II Par. XXIV. 19. 20; Matth. III, 2. [6]) Num. XI, 27. 29; Io. I, 7. [7]) Ex. XV, 20. 21. [8]) I Reg. IX, 20; III Reg. XIV, 5. 6; IV Reg. VI, 12; II Par. XX, 37; Luc. VII, 39; Io. IV, 19 coll. 17. 18. [9]) II Reg. VII, 10 seqq.; III Reg. XX, 13; IV Reg. VII, 1; I Par. XVII, 10 seqq. [10]) III Reg. XIV. 10 seqq.; XVI, 3. 4; II Par. XXV, 16. [11]) Rom. XII, 6. [12]) I Cor. XII, 4. [13]) I Cor. XII, 10; XIII, 2. 8; XIV, 6. [14]) Act. XIII, 1; I Cor. XII, 28. 29; Eph. IV, 11. [15]) II Pet. I, 20. 21. [16]) Rom. XII, 6; I Cor. XIV, 24. 37. [17]) I Sam. III, 20 coll. IX, 19. [18]) I Sam. XXII, 5 coll. I Par. XXIX, 29; II Sam. XXIV, 11. [19]) II Par. XIII, 22 coll. XII, 15. [20]) III Reg. XVI. 7. 12. coll. II Par. XIX, 2. [21]) I Sam. IX, 9. [22]) II Sam. XXIV, 11; IV Reg. XVII, 13 *ktib.* [23]) Is. XXX, 10. [24]) Thesaur. philol. crit. ad h. v. [25]) I Sam. IX, 9. [26]) I Sam. IX, 9. [27]) Ib. 6 seqq. [28]) II Par. XXIX, 25; XXXV, 15. [29]) II Sam. XXIV, 11; I Par. XXI, 9. [30]) I Par. XXV, 5. [31]) Num. XII, 6; I Sam. III, 20; III Reg. XVIII, 4. 13. 22; XIX, 10. 14; XXII, 7; IV Reg. III, 11; XVII, 13 kri; I Par. XVI, 22; etc. [32]) III Reg. XVIII, 19. 22. 25. 40; II Reg. X, 19; etc.

7 Quae contra significationem nominis *nabi* produci possunt ex eo, quod Abrahamo [1]), et Mariae sorori Moysis [2]) haec appellatio facta sit, etsi neuter quidquam praedixerit, quod Saul rex [3]) eiusque satellites [4]) התנבא *prophetasse*, ut scribit interpres vulgatus, dicantur, etsi *nebiim* nequaquam essent, quod apud Israelitas haberentur scholae horum *nebiim* [5]), quum, si divinum fuit eorum munus, scholae huiusmodi haberi nusquam potuerint, quod denique Nehemias quosdam *nebiim* sibi constituisse dicatur [6]), haec, inquam, omnia facile diluuntur, magnamque partem vel iis rationibus, quas nostra haec disputatio suppeditat.

8 Primo adverte non eum solum esse aut dici *nabi*, qui futura praedicit (5), atque ideo fieri potuisse, ut Abrahamo et Mariae illa appellatio fieret, etsi nihil praedixerint, quia videlicet alia qua ratione interpretes Dei agerent. Nam Abrahamum auctorem illius gentis, quam Deus elegit, ut esset sibi *populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram* [7]), Abrahamum, inquam, qui promissa a Deo sibi posterisque suis foedusque datum iis hereditate traditurus, eosque divinum cultum Dei nomine docturus erat [8]), nemo minus proprie *interpretem Dei* appellari contendet. Maria vero eadem hac appellatione honestata est, vel quod divino numine Israelitidas ad Dei laudes celebrandas cieret [9]), vel aliis de caussis, quas scriptor sacer memoriae non prodidit.

9 Considera e contrario, ut minime consequens sit, omnes, qui aliquid olim praedixere, eam ob rem *nebiim* habendus esse aut vocandos, alioquin Caiphae quoque conveniret haec appellatio [10]); proinde fieri potuit, ut aliquid e ceteris, quae horum *nebiim* munus complectebatur, quis subinde faceret, quin ideo *nabi* foret aut diceretur. Atque hac ratione dissolves ea, quae de Saule eiusque satellitibus in scripturis narrata nostrae interpretationi officere putantur. Quid autem Saul eiusque satellites egerint, ut התנבא seu *prophetasse* dicerentur, scire nostra non refert, quum huic interpretationi constabiliendae satis sit, quidquid demum egerint, numine actos id eos egisse, ita autem egisse ex historia apparet manifesto [11]). Attamen, ubi de Saule haec leguntur: *Invasit spiritus Dei* MALUS *Saul, et* PROPHETABAT [12]), verbum ויתנבא, pro quo latine redditum est *prophetabat*, libens dabo *καταχρηστικως* esse usurpatum, quod omnibus verbis inque omnibus linguis accidere solet, aut certe potest.

10 Quod ad *scholas prophetarum* attinet, si autumes eas fuisse, in quibus Israelitae sub ludimagistro הנבא *nebiim agere* addiscerent, veluti artem quamdam, vehementer tua te fallit opinio; quippe id genus Scholae nusquam nec unquam exstiterunt, nisi in cerebello Rationalistarum, quum eas excogitarunt, ut e sacris vatibus Dei interpretibus et futurorum praenuntiis meros poetas effingerent. Scripturare, non *scholas prophetarum* commemorant, sed חבל *catervam* sive *turmam* [13]), להקת *senatum* seu, quod aliis placet [14]), *coetum* prophetarum [15]), narrantque horum aliquos una subinde habitasse [16]). Rosenmuellerus minor tales prophetarum veluti scholas nobis oggerere studuit [17]), talesque fuisse, hoc est, poetarum collegia, iis quidem vincere tentavit, quae de Saule eiusque satellitibus narrantur (7), probationi tamen suae minus fisus esse videtur, quum postremam illius narrationis particulam [18]) transcribere omiserit, quae plenius confirmat id, quod ex tota narratione colligitur, non oestro poetico, sed superna numinis vi correptos illos, ut interpres latinus ait, *prophetasse*.

11 Denique ex eo, quod factum dicitur a Nehemia, nihil habemus negotii. Nonne enim Nehemias veris ac proprie dictis *nebiim* id demandare potuisset, ut ipsum regem in populi concione acclamarent? Neque enim נביאים העמיד *prophetas ponere* idem valet ac *prophetas creare* aut *efficere*. Tum, qui id a Nehemia factum dicit, non est ipse scriptor, sed Sanaballat Iudaeorum hostis, qui calumniam Nehemiae struebat. Demum neminem latet falsos quoque *prophetas* hoc nomine non secus ac veros legitimusque designari [19]), eodemque iure, quo *Deus* nomen etiam fictis numinibus in bibliis inditum est [20]); ita Paulus Epimenidem scriptorem libri *περι χρησμων de oraculis* non dubitavit *prophetam* appellare [21]), qualis is habitus est a Graecis, qui, aeque ac aliae gentes, proprios suorum numinum *prophetas* agnovere [22]). Hadrianus, ut legimus apud Hegesippum, in honorem Antinui *εκτισε προφητας prophetas creavit* [23]).

---

[1]) Gen. XX, 7. [2]) Ex. XV, 20. [3]) I Sam. X, 10; XVIII, 10; XIX, 23. 24. [4]) I Sam. XIX, 20. 21. [5]) I Sam. X, 5. 10; XIX, 20; IV Reg. VI, 1. [6]) II Esd. VI, 7. [7]) Deut. VII, 6. [8]) Gen. XVII, 7; XVIII, 19. [9]) Ex. XV, 20. [10]) Io. XI, 51. [11]) I Sam. XIX, 20—24. [12]) I Sam. XVIII, 10. [13]) I Sam. X, 5. 10. [14]) *Gesen.* Thesaur. ad h. v. [15]) I Sam. XIX, 20. [16]) IV Reg. VI, 1. [17]) Schol. in Ps. Proleg. c. 1. [18]) I Sam. XIX, 24. [19]) Deut. XIII, 1 seqq.; XVIII, 20 seqq.; III Reg. XVIII, 19. [20]) Gen. XXXI, 30 etc. passim. [21]) Tit. I, 12. [22]) *Masochii* Spicileg., *Rosenmuelleri* Schol., *Heinrichsii* Annot. in Tit. I, 12. [23]) Ap. *Euseb.* H. E. Lib. IV. c. 8.

12 Graecum nomen *προφητης propheta*, quo graeci et latini interpretes bibliorum graecique scriptores novi testamenti usi sunt, ut quisque perspicit, non totum id exprimit, quod sonat nomen נביא. Etenim *propheta* is est, qui *προφησι praedicit* ea, quae futura sunt; at munus, quo *nebiim* fungebantur, praeter futurorum praedictionem plura alia complectebatur (5). Verum, quum neque Graeci, neque Latini, vocabulum habeant, quod nativa sua notatione vim nominis *nabi* apposite referat, nomen vero *προφητης*, etsi non ex etymo, ex usu tamen Graecis idem esset ac hebraicum *nabi* [1]), id est, *interpres Dei*, nam, inquit Festus, prophetas dicebant veteres *antistites fanorum oraculorumque interpretes* [2]), nullum aliud graecum nomen illo magis idoneum, quo hebraicum exprimeretur, reperiri poterat, proinde illud interpretes graeci testamenti veteris, hosque sequuti scriptores novi testamenti, et latini bibliorum interpretes, usurparunt.

13 Ex omnibus hactenus disputatis iam quisque intelligit verbis הִנַּבֵּא et הִתְנַבֵּא vim inesse *ἀναλογον* eius, quae inest nomini *nabi*, utpote ex eadem radice atque istud deductis, et, sicut pro hoc nomine nomen *propheta* redditum est, ita et pro illis verbis verbum *prophetare*; quod verbum (9), aeque ac illud nomen (11), *καταχρηστικως* usurpari quidem potest; sed ubi nulla ratio est, cur ita usurpatum credatur, in sensum proprium est accipiendum. Ex his autem omnibus iam habes, quo iudicium feras de interpretatione illorum Lucae verborum: *Et Zacharias* . . . PROPHETAVIT *dicens: etc.* [3]), facta a Rosenmuellero (1), videlicet *prophetare* in ea narratione idem esse, ut ille ait, ac MEDITARI CARMEN, CELEBRARE LAUDES DEI CARMINE, quod utique accipimus, ita tamen, ut *θεοληπτως* divinoque numine id fiat; qua in re Gesenius [4]) plane nobis suffragatur.

DISSERTATIO XIV

De cantico Zachariae

1 Facile est canticum Zachariae [5]) praecipuis quibusdam partibus distinguere. Exorsus enim a Dei laudatione [6]) laudationis caussam ille affert [7]), fuseque explicat, atque illustrat [8]). Ad filium postremo sermone convertitur [9]), eiusque officium praedicit [10]), atque eo pertinere docet, ut notum fiat Israelitis illud, quod initio carminis dixerat caussam sibi esse cur in Dei laudem erumperet [11]), quodque aliis verbis explicans carmen absolvit [12]).

2 Secus tamen est syntaxis, quae carmen legentibus haud leves creat difficultates, non quod intricata atque implexa ea sit, sed quia e contrario nimis dissoluta disiunctaque esse videatur, ut minime appareat, utrum quaedam sententiae cum prioribus, an cum posterioribus, connectantur. Quod incommodum repetendum est ex syntaxi linguae, hebraicae videlicet aut syrochaldaicae, qua carmen editum est, magnaque ex parte diluetur, si ipsas loquutiones hebraicas aut syrochaldaicos, ex quibus graecas expressas esse patet, in harum locum substituas. Interea velim consideres, ut quaedam sint, quibus Zachariae canticum a cantico Mariae Virginis discrepat; sunt autem ipsa syntaxis, quae in cantico virginis clara atque obvia est, modi infinitivi in Zachariae cantico crebro usurpati, atque aliquot, ut grammatici vocant, appositiones, ipse denique stilus, qui tum verbis tum rebus aliquid magis poeticum sapit in hoc altero, quam in primo illo carmine. Haec autem si animadvertas, aliud quid praesto erit, ex quo iudices, an carmina haec ab ipso Luca conficta fuerint, quod post Fritschium commentus est Rosenmuellerus [13]).

3 Quo magis perspicua fiat huius cantici series sententiarum, eius *συνοψιν* infra damus tum graece tum latine, latine tamen ita, ut hebraica syntaxis ferre videtur, additis, ubi opus est, brevibus explicationibus.

CANTICI *συνοψις* GRAECE.

Dei laus

Εὐλογητος κυριος ὁ θεος του Ἰσραηλ

---

[1]) *Mazochii* Spicileg. l. c. [2]) De verbor. signific. L. XVI. [3]) Luc. I, 67. [4]) Thes. phil. crit. ad rad. נבא niph. n. 2. [5]) Luc. I, 68—79. [6]) Ib. 68. [7]) Ib. 68. 69. [8]) Ib. 70—75. [9]) Ib. 76. [10]) 76—77. [11]) Ib. 77. [12]) Ib. 77—79. [13]) Diss. IV. nn. 2. 4.

Laudis caussa.

ὁτι ἐπεσκεψατο

και ἐποιησε λυτρωσιν τῳ λαῳ αὐτου,	και ἐγειρε κερας σωτηριας ἡμιν,

ἐν τῳ οἰκῳ Δαυιδ του παιδος αὐτου

Caussae explicatio.

καθως ἐλαλησε δια στοματος των ἁγιων των ἀπ᾽ αἰωνος προφητων αὐτου

σωτηριαν

ἐξ ἐχθρων ἡμων	και ἐκ χειρος παντων των μισουντων ἡμας,
ποιησαι ἐλεος μετα των πατερων ἡμων	και μνησθηναι διαθηκης ἁγιας αὐτου

ὁρκον ὁν ὠμοσε προς Ἀβρααμ τον πατερα ἡμων του δουναι ἡμιν ἀφοβως ἐκ χειρος των ἐχθρων ἡμων ῥυσθεντας λατρευειν αὐτῳ ἐν ὁσιοτητι και δικαιοσυνῃ ἐνωπιον αὐτου πασας τας ἡμερας ἡμων

Apostrophe ad filium.

Και συ παιδιον

Huius munus.

προφητης ὑψιστου κληθησῃ

Muneris modus.

προπορευσῃ γαρ προ προσωπου κυριου

Quorsum hoc munus, quidque pertineat ad illud bonum, quod carminis argumentum est.

ἑτοιμασαι ὁδους αὐτου του δουναι γνωσιν σωτηριας τῳ λαῳ αὐτου ἐν ἀφεσει ἁμαρτιων αὐτων

Unde illud bonum.

δια σπλαγχνα ἐλεους θεου ἡμων,

Modus huius boni.

ἐν οἱς ἐπεσκεψατο ἡμας ἀνατολη ἐξ ὑψους ἐπιφαναι τοις ἐν σκοτει και σκιᾳ θανατου καθημενοις του καθευθυναι τους ποδας ἡμων εἰς ὁδον εἰρηνης

CANTICI συνοψις LATINE.

Dei laus.

Benedictus Dominus Deus Israel

Laudis caussa.

Quia visitavit [plebem suam, hoc est, nos]

Et fecit [id est, faciendo] redemptionem plebi suae,	Et erexit [id est, erigendo] cornu salutis nobis,

in domo David pueri sui

Caussae explicatio.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius

salutem

ex inimicis nostris	et de manu omnium qui oderunt nos,

[scilicet]

facere misericordiam cum patribus nostris [id est, quae ad patres nostros pertinet, iisque promissa fuit],	et memorari testamenti sui sancti;

iusiurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, ad dandum nobis [id est, quo daret nobis] sine timore, [utpote] de manu inimicorum nostrorum liberatos, [nos] servire ipsi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Apostrophe ad filium.

Et tu, puer,

Huius munus.

propheta altissimi vocaberis,

Muneris modus.

praeibis enim ante faciem Domini

Quorsum hoc munus, quidque pertineat ad illud bonum, quod carminis argumentum est.

parare vias ipsius ad dandam [id est, quo des] scientiam salutis plebi ipsius in remissionem peccatorum ipsorum

Unde hoc bonum.

per viscera [id est, quae remissio fiet per viscera] misericordiae Dei nostri,

Modus huius boni.

in quibus visitavit nos, Oriens,
ex alto illuminare [id est, ad
illucescendum] iis, qui in tenebris
et umbra mortis sedent,
ad dirigendos [id est, quo,
qua illuminatione dirigat] pedes
nostros in viam pacis.

Canticum hac ratione descriptum atque ob oculos positum satis profecto claret, neque aliud facere restat, quam ut sententias ac loquutiones aliquot magis explicemus.

4 Altera pars versiculi 68 et versiculus 69 unicam sententiam complectuntur. Verum *visitare* in scripturis, quum Deus visitare aliquem dicitur, significat vel prospera dare [1]), vel adversis premere [2]); in hac vero sententia prospera sonat, ea videlicet, quae continuo enuntiantur verbis: *et fecit redemptionem, . . . et erexit cornu salutis*, quod, inquam, Deus *visitaverit* plebem suam haec praestando. Atque inde intelligimus per particulam *et* ante *fecit* et ante *erexit* positam exprimi ו, ut vocant, *exegeticum* linguae hebraicae [3]), illaque, *et fecit, et erexit*, usurpari pro gerundiis *faciendo, erigendo*. Dicitur Deus *fecisse redemptionem*, id est, *dedisse redemptorem*, et *erexisse cornu salutis, salvatorem* videlicet excitasse; utraque appellatione Christus designatur, ideoque illa *in domo David* ad utrumque sententiae membrum referenda sunt. De appellatione cornu alius disseruimus [4]).

5 Sunt, quibus versiculus 70 παρενθετος esse videatur; ut minime rationis id est, si de hoc uno versiculo illi loquuntur. Nam, ut illud praeteream, quod plures accusativos casus modosque infinitivos nullo cum verbo constructos ac veluti pendulos in iis, quae sequuntur, inveniremus, neque enim potest versiculus 71 construi cum versiculo 69, reformidanda minime est illa dictio: *locutus est . . . salutem*, cuius geminum, quod ad syntaxim, leges in deuteronomio [5]). Tota tamen utriusque versiculi 70 et 71 sententia potest παρενθετος haberi.

6 Quae sunt in versiculo 72, siquidem priora putes παρενθετα esse, coniunges cum versiculo 69, modosque infinitivos ποιησαι, μνησθηναι, exprimes vel gerundiis, *ad faciendum, ad memorandum*, vel participiis, *faciens, recordatus* [6]), ut sensus alteruter exstet, uterque tamen eodem recidens, vel ***Deus visitavit plebem suam, ut faciat misericordiam, et ut recordetur testamenti sui***, vel ***Deus visitavit plebem suam faciens misericordiam et recordatus testamenti sui.*** Sic autem παρενθεσιν illam respuas, infinitivos modos ποιησαι et μνησθηναι construere non erit cum versu 69, dependebunt enim una cum nomine *σωτηριαν salutem* a verbo *ἐλαλησε locutus est*, quod hic idem valet ac *promisit* [7]), atque eorum alterutrum, vel nomen hoc, vel modi illi infinitivi, erit ἐπεξηγησις quaedam seu appositio, qua alterum illustratur, ut sensus sit: ***Deus locutus est salutem, quae salus in eo est, ut faciat misericordiam, et recordetur testamenti sui***, ubi per modos infinitivos illustratur nomen, vel, quod magis placet: ***Deus locutus seu pollicitus est, quod in salutem cedet, facere misericordiam et recordari testamenti sui***, ubi per nomen illustrantur modi infinitivi; ergo ita praestabit haec explicare, quam per participia, non enim recte diceretur Deus *locutus esse faciens misericordiam et recordatus testamenti sui*, quum haec ipsa *misericordia* atque hoc ipsum *testamentum* ea sint, quae *locutus* seu pollicitus fuerat se facturum eorumque recordaturum [8]). Verba *cum patribus nostris* minime constructa sunt cum verbo *facere*, non enim *patribus nostris*, sed universo hominum generi, hoc beneficium praestitit Deus; sed sunt apposita nomini *misericordiam* omisso pronomine relativo, quae omissio apud hebraeos poetas prophetasque frequentissima est, plena autem loquutio sic foret: *misericordiam, quae cum patribus nostris*, quales loquutiones reperire est in scripturis hebraicis [9]). Apparet autem hanc *misericordiam cum patribus nostris* חסד עם אבותינו vel את אבותינו eamdem esse ac illam, quam Maria virgo dixit *misericordiam Abraham et semini eius* חסד לאברהם ולזרעו [10]), quam Salomon et Isaias חסדי דויד *misericordias Davidis* [11]), hoc est, *misericordiam*, quae *patribus nostris*, quae *Abraham et semini eius*, quae *Davidi* promissa a Deo fuerat [12]).

---

[1]) Gen. XXI, 1; etc. [2]) Ex. XX, 5. [3]) *Iahn* Gramm. ling. hebr. § 123. n. 10. [4]) Diss. IX. c. IX. n. 13. *Vorstius* De Hebraismis N. T. c. 3. n. 10. [5]) Deut. VI, 3 hebr. [6]) Diss. XI. n. 3 ad v. 54. [7]) Conf. graec. Deut. I, 14; XIX, 8; Ion. III, 10 al. 8. [8]) Lev. XXVI, 42; Ps. LXXXVIII, 29. 50; Is. LV, 3; Ezech. XVI, 60. Conf. Deut. VII, 12; Mich. VII, 20. [9]) Iudic. XIX, 19; II Sam. XXIII, 9. [10]) Luc. I, 55. Diss. XI. n. 3. [11]) II Par. VI, 42; Is. LV, 3. [12]) Conf. II Sam. VII, 15; Ps. LXXXVIII, 2. 50. Diss. IX. c. IX. n. 13.

7 In versiculo 73 qnidam censeut *ὁρκον iusiurandum* dici pro *ὁρκου iurisiurandi* et coustrui cum verbo *μνησθηναι recordari*, quod genitivum postulat, casu autem accusativo positum ideo esse, quia coniungitur cum prouomine relativo *ὁν quod* proxime insequente, ut integra syntaxis sit *μνησθηναι ὁρκου, ὁν ὁρκον ὠμοσε recordari iurisiurandi, quod iusiurandum iuravit.* Verum id acciperem, siquidem dictum esset *ὁν ὁρκον ὠμοσε quod iusiurandum iurovit*, non autem *ὁρκον, ὁν ὠμοσε iusiurandum quod iuravit.* Neque loquetionum exempla, quae ad hanc opinionem confirmandam afferuutur [1]), quidquam conficiunt; tum ordo et series sententiarum hac rntione turbareter. Alii minus ab re *ἐλλειψιν* supplendam esse putant praepositioue *κατα*, ut sensus sit, Deum ea, quae pries dicta sent, praestitisse *secundum iusiuroudum, quod iuravit.* Ast equidem verius esse existimo *ἐπεξηγησιν* sive appositionem, quam grammatici vocant, hio etiam esse, qea superiora illustrentur, et confirmeutur, ideoque eumdem nominis casum, ac in seperioribes, esse adhibitem, utpote quod his appositum sit, cumque iis ab eodem verbo dependeat. Eamdem ferme sententiam reperies apud Ieremiam [2]), in qna ab alexandrinis interpretibus verbem *του δουναι* redditum est pro hebraico לתת, quod verti debet *ad dandum*, euque de caussa etiam in Zachariae cantieo sic vertimus idem illud verbum graecum, quum is eodem boc verbo bebraico usus esse iure putetur; italiee diceres *il giuramento di dare a noi.* Id, qeod Deus nobis daturus dicitur, non esse *ὁρκον iusiurandum*, sed *sine timore . . . servire illi*, nemo non perspicit.

8 Quum reliqua buies cantici pars satis clareat, si legns latinam *συνοψιν* superius scriptam, superest declaraudum uuum vocabulum *oriens*, quod iu versiculo 78, non participiem, sed uomee est significans *ortum solis*, quum iu graeeo exemplari legatur *ἀνατολη*, perque appositionem quamdam cum nomine *Dei*, qui nos *visitasse* dicitur, coniunctum est.

9 Hino praesto nobis est testimonium de Cbristi divinitate a Zacbaria dictum, quem indidem comperiames Christum, quem Zacbarins *Dominum* iam apellaverat [3]), *Deum* aperte ab eodem vocari illis verbis *per viscera misericordiae* Dei *nostri etc.* [4]). Nam illa metapbora *ἀνατολη oriens* uil nisi Christum sonare potest, quem Zacbarias orienti soli comparat, sicut Isaias quoque fecerat [5]), quique *ἀνατολη oriens* dictus est etiam iu greeeis exemplaribus Zachariae propbetae [6]), etsi nomen illed apud beuc uon significet *ortum solis*, sed *βλαστημα germen*, bebraicem euim est צמח, nou vero זרח. Ergo etinm uomeu *Dei*, cui appositum est uomen *oriens*, Cbristum iu illa enuutiatioue aeque significet, necesse est. Lege Philouis librum de Confusioue linguarum [7]).

DISSERTATIO XV

De Iosephi somnio, deque huius somnii narratione.

1 Haec evangelii pagiea, in quam relatum est somnium Iosepbo divinitus immissum, non pauca nobis exbibet, iu qeae peculiarem considerationem intendamus. Quare siegulas de singulis quaestiones habebimus, iis antea remotis difficultatibus, si qeas forte ipsa verba afferre videntur.

CAPUT I

Verba narrationis illustrantur.

2 Primo quaeritur, utrum verba *του δε Ἰησου Χριστου ἡ γεννησις οὑτως ἠν Christi autem generatio sic erat* de posterioribus dicta siut, an de prioribus, quorum quamdam veluti clausulam coetineant.

3 Aio baeo verba, si de graeco exemplari agimus, nou de posterioribus, sed de prioribes esse dicta, et prioribes tamqeam clausulam ediencta, ut Origenes sensisse videtur [8]), utque sensit Hierouymus [9]), perque ea significari, Cbristi generationem, boc est, genealogiam *sic* esse, ut prius narratum est. Etenim, si verba *Christi autem generatio sic erat* de posterioribus dicta esseut, quoddam

[1]) Marc. VI, 16; Io. XVII, 24. [2]) Ier. XI, 5. [3]) Luc. I, 76. [4]) Ib. 78. [5]) Is. IX, 2; LX, 1. 2. [6]) Zach. III, 8; VI, 12. [7]) De conf. linguar. p. 329. Francof. 1691. [8]) In Luc. hom. XXVIII. [9]) In h. l.

veluti exordium forent narrationis, qua huius *generationis* modum aperire Matthaeus adgreditur, illudque *ούτως sic* ad posteriora referendum esset, proinde particula *γαρ enim* initio insequentis narrationis posita, quum semper indicet rationem reddendum eorum, quae prius dicta sunt, supervacuo et absque ullo sensu usurparetur, nihil enim esset in verbis *Christi autem generatio sic erat*, cuius rationem reddere oporteat. At, si verba illa ad priora spectent, istud *γαρ enim* nequit abesse, quum Matthaeus re vera rationem iam reddat, modumque explicet eius, quod proxime dixit, *generationem* seu genealogiam Christi *sic* fuisse, uti narraverat, perductam ab ipso gentis auctore Abrahamo ad Mariam usque *de qua natus est Iesus* sine Iosephi opera. Clausulam huius simillimam reperies in genesi [1]), clausulam, inquam, non autem exordium historiae alicuius, ut illud esse contendit Rosenmuellerus [2]), quem decipi vel sola illius versiculi lectio demonstrat; sic enim hebraica sunt transferenda: ***Istae sunt generationes caeli et terrae, quum crearentur, in die, quo fecit Dominus Deus caelum et terram***, quae vero sequuntur, non de caeli creatione, imo neque de creatione terrae in iis est, proinde non cum illis sunt coniungenda, quod etiam inepte fieret, sensus enim foret, Deum creasse caelum et terram, virgulta et herbam, vox autem טרם, quae est in posteriore sententia, quamque graeci interpretes verterunt *προ του*, latinus *antequam* et *priusquam*, unde fortasse difficultas aliqua nobis fieret, proprie significat *nondum*, ut post Onkelosum, et syrum interpretem, et Salomonem Iarchium, sentit ipse Rosenmuellerus [3]). Si haec secus interpreteris, vix sententiae illius narrationis constabunt; sin ita, ut diximus, omnia perspicua erunt. Absoluta enim historia creationis illaque clausula subscripta, narrare plenius aggreditur Moyses modum germinationis, atque: ***Nondum autem ullum virgultum agri erat in terra et nondum ulla herba agri germinaverat, quoniam Dominus Deus non fecerat pluere super terram, et homo non erat ad colendam terram*** [4]). Ratio autem, quacum Rosenmuellerus opinioni suae suppetias venit, quod *caelum, et terram* Moyses dixerit pro ipsa terra, nec vera est, imo neo veri similis, atque, ut ut veram esse concederemus, nihil conficeret, quia nostrum argumentum non ex his solummodo vocibus petitur, sed ex integra sententia. Hac itaque clausula a Moyse adhibita illustratur clausula illa adhibita a Matthaeo, ut haec legitur in graecis codicibus.

4 Secus tamen existimandum est de translationibus huius loci. Nulla namque harum voculam illam *γαρ* versam exhibet. Ergo, nisi illa *Christi autem generatio sic erat* ad ea pertinerent, quae sequuntur, haec insequentia, contra ac scriptores novi testamenti constanter facere solent, nulla particula cum superioribus connecterentur, avulsaque veluti ab illis omnino forent. Enimvero Chrysostomus, qui *γαρ* omisit, censet verba, de quibus agimus, non cum priore, sed cum posteriore narratione contexta esse. Neque animadvertere omittam in exemplaribus evangelii syriacis, aeque ac in aethiopicis, et in arabicis, et in persicis, quae in plures *περικοπας* distincta sunt, alteram *περικοπην* his verbis inchoari.

5 Hinc facile est intelligere, an in graeco legere oporteat *γεννησις*, ut vulgo legitur, an *γενεσις* secundum Griesbachii emendationem. Si enim illud: *Christi autem generatio sic erat*, est clausula totius genealogiae, nemo non videt haec gemina esse eorum, quibus genealogiam Matthaeus exorditur: *Βιβλος γενεσεως Ἰησου Χριστου Liber generationis Iesu Christi*, ideoque *γενεσις* legendum, non *γεννησις*. Quod si, non priorum clausulam, sed posteriorum exordium illis verbis haberi putes, ut ipse Griesbachius, quod mireris, nulla particulae *γαρ* habita ratione putavit, fatear equidem me nescire, quaenam tanti momenti auctoritas eum impulerit, ut in *γενεσις* mutaverit illud *γεννησις*, cui, ut testis est Millius, patres omnes omnesque, quos hic pervolvit, graeci codices suffragantur.

6 Utrum autem sequi praestet graecos codices retenta particula *γαρ*, an hac omissa latinos syriacos, ceteros, ac verba, de quibus quaerimus, iungere iis, quae sequuntur, facile apparet. Neque enim erat, cur Matthaeus illud absoluta *genealogia* adnotaret, ut haec, inquam, sic fuerit, sicut eam ipse retulit; erat vero cur affirmaret illud, quod mox ostensurus erat, ut Christi *γεννησις* sic facta sit, ut proxime dixerat, nec a Iosepho ille fuerit genitus, sed ex Maria solummodo natus.

7 ***Antequam convenirent*** [5]). De his ita Hieronymus: ***Quod autem dicitur: Antequam convenirent, non sequitur, ut postea convenirent, sed scriptura, quod factum non sit, ostendit*** [6]). Et contra Helvidium: ***In eo vero***, inquit ***quod ait (Helvidius): Neque enim de non conventuris evangelista dixisset: Priusquam convenirent, quia nemo de non pransuro dixit: Antequam pranderet, doleamne, an rideam, nescio, imperitiae arguam, an temeritatis accusem. Quasi si quis dixerit: Antequam***

[1]) Gen. II, 4. [2]) Schol. in Gen. l. c. [3]) Conf. *Gesenius*. Thesaur. philol. crit. ad h. v. [4]) Gen. II, 5. *Rosenmuell.* in h. l. [5]) Matth. I, 18. [6]) In h. l.

in portu pranderem, ad Africam navigavi, non possit stare sententia, nisi et in portu prandendum quandoque sit. Aut si velimus dicere: Paulus apostolus, antequam ad Hispanias pergeret, Romae in vincula coniectus est, aut certe illud: Helvidius, antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est, statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit eundum, aut Helvidio poenitentia agenda post mortem, ... ac non potius sit intelligendum, quod ANTE *praepositio, licet saepe consequentiam indicet, tamen nonnunquam ea tantum, quae prius cogitabantur, ostendat* [1]). Haec Hieronymus, cui quid repunat, Helvidius profecto non habet.

8 Nimis tamen large nedum liberaliter Hieronymus egisse videtur, dum Helvidio dabat illud *πριν ἢ συνελθεῖν αὐτούς antequam convenirent*, significare congressum maritalem. Hoc enim necesse non est. Henricus Stephanus [2]) quidem negat verbo *συνέρχομαι* hanc subesse significationem, attamen fallitur; subest enim apud Xenophontem [3]), apud Origenem [4]), aliosque fortasse. In bibliis sive veteris sive novi testamenti hoc verbum numquam illud sonat, si excipias primam Pauli epistolam ad Corinthios scriptam [5]), in qua tamen, iudicio Griesbachii, germana vox, quam et latinus interpres in ea legisse videtur, non est *συνέρχεσθε convenite*, sed *ἦτε venite*. In hac autem Matthaei narratione non modo nihil est, quod nos cogat hoc verbum in eum sensum accipere, sed est imo, quod contra facere suadeat, ut tota sententia: *Cum esset desponsata, ... antequam convenirent* idem valeat, ac *post sponsalia et ante nuptias*, non autem *post sponsalia et ante maritalem congressum*, deesset enim, quod medium erat inter sponsalia et congressum, nuptiae, inquam, domumque sponsi deductio, idque iam animadverterat Wolfius [6]). Nec enim recte loquereris, si diceres, Abelem post Cainam ortum esse ante obitum Sethi, quum inter ortum Abelis et Sethi obitum ortus ipsius Sethi sit medius. Quemadmodum autem, si id diceres, videreris ponere Sethum ortum esse ante Abelem, quod falsum est, ita, si Matthaeus in illam sensum usurpasset verbum *συνελθεῖν*, ponere videretur nuptias iam confectas ipsamque virginem in Iosephi domum iam fuisse deductam tunc, quum angelus ad Iosephum legatus fuit, quod tamen ex his, quae sequuntur, coniicimus veritati minus consonare (20).

9 Neque putandum est illam significationem magis consentaneam esse Matthaei proposito, quod erat, ut probaret Mariam inviolata virginitate absque viri congressu concepisse. Huic enim proposito aeque facit significatio, quam sequimur, fortasse etiam magis. Ea enim aetate vetabantur Iudaei ante nuptias cum sponsa concumbere (23); ex quo, si verbum *συνελθεῖν* eo modo intelligas, quo nos intelligimus, non modo constabit Mariam inter interque Iosephum nullum ad id concubitum fuisse habitam, sed nec haberi potuisse, quippe qui patria instituta sancte servarent. Ceterum satis consilio suo fecit Matthaeus atque id, quod diximus, comprobavit eo, quod Mariam *μνηστευθεῖσαν desponsatam* dixerit (20), quodque narraverit Iosephum nondam eam in uxorem accepisse [7]), quod denique angeli sermonem atque Isaiae vaticinium retulerit.

10 *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto* [8]). Hieronymus iam illud adnotavit, quod Maria praegnans *non ab alio inventa est nisi a Ioseph, qui pene licentia maritali futurae uxoris omnia noverat* [9]) eademque loquitur contra Helvidium [10]). Verba *de Spiritu sancto*, eamdem habere vim in hac narratione, quam paulo infra, ubi angelus inducitur Iosephum alloquens, ea habere demonstrabimus (52), facile cuiquam, puto, compertum fiet.

11 De *ἰδοὺ ecce* [11]) Henricus Sanclementius in libris, quos *De vulgaris aerae emendatione* acri iudicio multaque eruditione conscripsit, suam aperit sententiam, aitque vocem hanc in novo testamento significare rem continuo aut brevi post ea, quae prius narrata sunt, factam esse [12]). Hoc tamen quatenus vere dicatur, accurate consideremus necesse est. Ut enim scriptores ceteros praeteream, apud quos idem est huius adverbii usus ac apud Matthaeum, in huius evangelio e locis sexaginta duobus, in quibus ea legitur, sexdecim sunt aut decem et septem, in quibus ad rem simpliciter indicandam usurpata est, quin ulla habeatur ratio temporis, quo res facta est [13]), saltem quatuor, ubi *ἰδοὺ ecce* etiam tempus, quo facta res est, designat, ita, ut liqueat quidem rem gestam esse post id, quod proxime narratam est, inque ipso loco, ac nullo alio longiore historiae tractu, quale iter aliquod foret, interposito, num tamen continuo statimque post priora, non satis constet [14]), in reliquis, plerisque saltem, hoc adverbio id significatur, quod ait Sanclementius, in quorum tamen

---

[1]) Adv. Helvid. § 4. [2]) Thesaur. ling. gr. ad h. v. [3]) Memorabil. L. II. p. 741. D edit. *Amelburni*. [4]) Cont. Celsum. L. I. § 17. [5]) I Cor. VII, 5. [6]) Curae crit. ad h. l. [7]) Ib. [8]) Matth. I, 18. [9]) In Matth. ad h. l. [10]) Adv. Helvid. § 4. [11]) Matth. I, 20. [12]) De vulgaris aerae emendatione L. IV. c. 7. [13]) V. gr. Matth. VII, 4; XI, 8. 19. XII, 41. 42. 49. [14]) Ib. VIII, 2; IX, 2; XV, 22; XIX, 16.

nonnullis, si dubitatio aliqua incidat, ex adiunctis potius totius narrationis, quam ex loquendi consuetudine, vis et significatio adverbii poterit definiri. Quare patet ex solo huius adverbii usu peti non posse argumenta, saltem plane firma, quibus sciamus, quando ea acciderint, quae adhibito hoc adverbio narrantur. Hoc autem eo fidentius affirmare licet, quia, siquidem haec continuo aut brevi post priora evenerunt, id, non ex hoc adverbio, sed ex totius narrationis contextu deprehendimus, etiam si ipsum adverbium tollatur [1]), verbi gratia, ubi participium praesens casu, ut vocant, absoluto est ante *ἰδου*, sicut in his Matthaei verbis: *Ταυτα αὐτου λαλουντος αὐτοις, ἰδου κ. τ. λ. Haec illo loquente ad eos, ecce etc.* [2]), multoque magis ubi huiusmodi participio additum est adverbium *ἔτι adhuc*, ut: *Ἔτι δε αὐτου λαλουντος τοις ὀχλοις, ἰδου κ. τ. λ. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce etc.* [3]); dele enim illud *ἰδου*, nihil tamen ex hoc sententia detrimenti capiet, quia rem continuo factam narrari intelligas, ut videre est in similibus dicendi formis, a quibus illud adverbium abest [4]). Ceterum facile illud, puto, dabis, eam vim huic adverbio esse, ut obstet quominus narrationes, quas connectit, separari queant.

12 *Angelus Domini apparuit in somnis ei* [5]). Quid tandem impulit Iosephum ut somnio fidem adhiberet? Nimirum, quod merum somnium nequaquam illud esse plane intellexerit. Etenim, inquit Alphonsus Tostatus, *Ioseph potuit in somno habere revelationem a Deo, et certificari per illam de quacumque re, sicut si esset vigilans .... Revelationes, quae a Deo fiunt, sive per somnium sive in vigilia fiant, tam efficaces sunt, quod non plus certificatur homo in vigilia quam in somno* [6]); quae pluribus factis ex sacro codice petitis ipse confirmat. Tum ea, quae in somnis viderat, atque audiverat, talia erant, quae species somniantis esse non posse probe animadverteret, sentiretque haec omni ex parte respondere tum sponsae virtuti, quam penitus perspectam habebat, tum oraculis prophetarum, quae de tempore ac modo, quo Christus oriturus esset, deque stirpe, ex qua esset progignendus, olim edita fuerant. Neque enim iis assentimur, qui aiunt Iosephum vigilasse, quum angelus ipsi visus est, verbaque *in somnis* idem valere ac *inter somnum*, quod videlicet eum angelus expergefecerit; nam huic opinioni adversatur tum graecum *κατ' ὀναρ*, quod interpres latinus vertit quidem *in somnis*, proprie tamen vertendum fuisset *per somnium*, tum illud, quod post angeli sermonem Iosephum evigilasse narrat Matthaeus illis verbis: *Exurgens*, vel, ut graece est, *διεγερθεις expergefactus autem Ioseph a somno, fecit, sicut praecepit ei angelus* [7]).

13 *Exurgens autem Ioseph a somno fecit, sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam* [8]). Verbum *accepit* significare nequit congressum maritalem, quod vel cum iis pugnaret, quae continuo sequuntur [9]). Sed neque significat Iosephum amoto consilio uxoris dimittendae statuisse eam retinere, velut si iam antea duxisset, ut cum aliis sentit Cornelius A lapide [10]); quid enim hoc foret, nisi verbum torquere, et ei sensum affingas, quem habere nequit? tum ex eo, quod Matthaeus ita exordiatur: *Exurgens autem Ioseph a somno*, apparet narrari aliquid, quod statim post somnum Iosephus gesserit, atque absolverit, quale esse non potuit, quod uxorem retinuerit, hoc enim non id genus esset, quod geri atque absolvi recte dicatur, quodve fieri queat, quum quis expergiscitur, sed quid perpetuum est totaque vita continuandum. Quod si censeas eo verbo exprimi, non actionem, sed consilium initum a Iosepho uxorem retinendi, longius etiam a verbi notione recedes. Hac autem re illud confirmatur, quod inferius (50) demonstrabimus, verbo *accepit* ipsas nuptias significari sponsaeque domum deductionem, quae continuo post somnium Iosepho immissum gesta fuisse, ex tota enuntiatione consequitur.

14 *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum* [11]). Haec cum priore illa sententia: *Et accepit coniugem suam*, connectenda sunt, utpote quae declarant, quem in sensum dicatur Iosephus Mariam accepisse, idemque valent, ac: *sed non cognoscebat eam*. Cur haec interpretari sic oporteat, inferius dicam (17), quod vero liceat, procul dubio est, quum particula *και et*, non secus ac hebraicum ו, pro *sed* seu *tamen* quum saepissime usurpetur a scriptoribus sacris. Quod attinet ad particulam ו, exempla affatim tibi suppeditat Noldius [12]), pleneque te docebit Gesenius [13]); particulae vero *και* in illum sensum adhibitae specimina non pauca suggerent Schleusneros [14]) et Wahl [15]), qui nobiscum sentit quod ad hunc locum Matthaei. En tibi nonnulla alia capita novi

---

[1]) Diss. XXVII. c. III. n. 12. [2]) Matth. IX, 18. Conf. IX, 10. 32; XXVIII, 11. [3]) Matth. XII, 46. Conf. XVII, 5. XXVI, 47: Luc. XXII, 47. [4]) Matth. VIII, 16, etc.; Marc. V, 21, etc.; Luc. III, 15. 21. etc.; Io. II, 3. etc. [5]) Matth. I, 20. [6]) In Matth. I. qq. 55. 56. [7]) Matth. I, 24. [8]) Matth. I, 24. [9]) Ib. 25. [10]) In h. l. [11]) Matth. I, 25. [12]) Concord. particularum ebraeo-chaldaicar. ad. h. partic. §§ 59. 65. [13]) Thesaur. philolog. crit. p. 397. Lipsiae 1835. [14]) Nov. thes. crit. philolog. V. T. et Lex. N. T. [15]) Clavis N. T. philolog.

testamenti, in quibus particula *και* ante negationem, ut est in hac Matthaei enuntiatione, idem valet ac *sed:* Matth. XII, 5. 39. 43; XXVI, 55. 60; Act. VII, 5; Ephes. IV, 26; Coloss. II, 8. Ceterum, ut quidam scriptor adnotavit od hunc locum, haec addit Matthaeus, *ne scilicet cavillator aliquis ex loco Iesaiae paulo ante adducto obiicere auderet, prophetam quidem vere dicere virginem concepturam et edituram esse filium, non autem asserere virginem parituram esse filium* [1]).

15 De usu adverbii *donec* huiusque similium regulam hanc duplicem eamque rectissimam statuit Christianus Noldius: USQUE AD *et* DONEC *post affirmationem non semper* NEGANT *consequens.* USQUE AD *et* DONEC *post negationem non semper* AFFIRMANT *consequens* [2]). Posterior regulae pars apprime facit contra eos, qui ex hoc loco, seu verius ex hac vocula, argumentum sibi praesto esse putarunt, quo veriti haud sunt infitiari sanctissimum Christi matrem post partum virginem perpetoo mansisse. Plurimos aotem locos habes, ex quibus petas, quae hanc regulam comprobent. Quae ad adverbium *donec* post negationem adhibitum pertinent, haec inter plura reperiuntur: Gen. VIII, 7; Num. XX, 17; Deut. VII, 24; Ps. LXX, 18; CXI, 8; Is. XLII, 4; Matth. V, 18; Luc. XXII, 16. etc. Lege Hieronymi librum in Helvidium [3]) et scriptorem *Operis imperfecti* [4]).

16 Franciscus Lucas Brugensis iam illud animadvertit, quod Matthaeus Christum Mariae filium PRIMOGENITUM *vocavit, non quod post eum alii ex Maria nati sint (ut volebat Helvidius), sed quod ante eum nullus* [5]). Neque enim in hoc quidquam est, quod loquendi modo Hebraeis usitato non conveniat. Nam et in aliis scripturae libris appellatio *primogeniti* illud subinde significat [6]), imo et apod scriptores alios, ut apud Orpheum, qui, ut narrat Lactantius, *Deum verum et magnum πρωτογονον, id est, primogenitum appellat* [7]), itemque apud patres graecos [8]). Inde autem illud, quod hoc nomen a Moyse explicatur per id, *quod aperit vulvam* פטר רחם vel פטרת רחם [9]); qoin etiam haec ipsa hebraica verba subinde usurpantur tamqoam illius appellationis *συνωνυμον* [10]). Tum totum id manifestum eo fit, quod, quidquid masculi primo genitum esset, quum lege Deo devotum haberetur [11]), hominum quidem et animalium immundorum post mensem [12]), animalium vero mundorum octo diebus ab ortu [13]), redimi oporteret, nimirum intra id temporis spatium, qoo nihil aliud natum esse poterat, cuios respectu illa primo genita esse dicerentur. Atque inde petebat Hieronymus, quod Helvidio reponeret [14]); si appellatio *primogeniti* ex istius sententia foret explicanda, opus fuisse, ut Maria, antequam Iesum Deo offerret in templo, redimeretque, filium alium pareret, quo Iesus *primogenitus* vocari atque haberi posset.

17 *Et vocavit nomen eius Iesum* [15]). Syntaxis, ut ita dicam, luxata videtur. Narrat enim Matthaeus, Iosephum vocasse nomen infantis Iesu, idque cum prioribus coniungit per particulam *et*, veluti iam narraverit ortum Christi, quum tamen nil nisi indirectam quamdam huius mentionem iniecerit. Sed difficultas evanescet, commodeque syntaxis tibi fluet, si attendas, qoomodo superiora illa verba: *fecit sicut praecepit ei angelus Domini* [16]), regant duo membra, quae sequuntur, qoorum unom est: *et accepit coniugem suam*, alterum: *et vocavit nomen eius Iesum.* Etenim haec duo angelus Iosephum iusserat, Matthaeus vero narrat Iosephum utrumqoe iussum fecisse. Neque sententiam interrumpunt illa: *et non cognoscebat eam etc.*, si haec, praesertim vero particulam *et*, a qua initium capiunt, explicaveris, ut superius diximus (14). Quare tota narratio sic erit: *Fecit sicut praecepit ei angelus Domini* ID EST [17]), *accepit coniugem suam,* SED *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum* ET *vocavit nomen eius Iesum.*

CAPUT II

Quonam tempore ea acciderint, quae in hoc evangelii capite narrantur.

18 Etsi non desint, quae contra dici possunt, manifestum tamen est, Iosepho somnium, quod Matthaeus descripsit, immissum fuisse paulo post quam Maria ab Elisabetha redierat, ut existimat etiam Augustinus [18]), attamen antequam haec illi noberet.

---

[1]) *Knatchbullus* in h. l. [2]) Op. cit. ad v. עד § 2 not. [3]) Adv. Helvid. §§ 3—8. *Glassius* Philolog. sac. L. I. tr. V. c. 12 ed *Bathe.* [4]) Hom. I at. II. p. XXVII. Tom. VI opp. *Chrysostomi* ed. *Maurinor.* [5]) In h. l. [6]) Coloss. I, 15; Hebr. I, 6. [7]) Divinar. institut. L. I. c. 5. [8]) *Suicerus* Thesaur. ecclesiast. ad h. v. [9]) Ex XIII, 2; Num. III, 12; VIII, 16. [10]) Ex. XIII, 12; XXXIV, 19; Num. XVIII, 15. [11]) Ex. XIII, 2. [12]) Num. XVIII, 16. [13]) Ex. XXII, 30. [14]) Adv. Helvid. § 10. [15]) Matth. I, 25. [16]) Ib. 24. [17]) *Gesenius* et *Noldius* opp. citt. ad v. ו *και et.* Conf. Gen. XIII, 15 coll. Act. VII, 5; Iudic. VIII, 27 coll. Hebr. XI, 32; I Sam. XVII, 40 hebr. [18]) De consensu evangelist. L. II. § 17.

19 Immissum namque fuit, postquam Iosephus sponsam praegnantem deprehendit, deprehendere autem non quivit, nisi tempore, quod diximus, videlicet postea quam illa Nazarethum reversa fuerat. Etenim signa praegnantis virginis ante huius iter ad Elisabetham nondum comparuisse potuere, quum ea post nuntium a Gabriele sibi allatum *in diebus ταυταις* IPSIS abierit *cum* FESTINATIONE ad cognatam suam [1]). Itineris atque mansionis apud Zachariam Iosephum socium non habuit; si enim habuisset, innotuisset Iosepho mysterium conceptus virginei etiam ante, quam illa signa apparerent, quippe quod in Zachariae domo iam innotuerat, magnisque clamoribus adveniente Maria celebratum est [2]). Quare, nisi post reditum sponsae, fieri non potuit, ut Iosephus ad illa signa animum adverteret. Quum autem mulieres post tres menses a conceptu uterum iam gerere soleant, non longo post tempore a sponsae reditu rem Iosepho innotuisse putandum est.

20 Nondum tamen Mariae et Iosephi nuptias confectas fuisse hinc colligimus, quod Iosephus Mariam in itinere ad Elisabetham nequaquam fuerit comitatus (19), tum etiam quod dicatur Mariam coniugem *accepisse* post somnium (13. 50) [3]). Hoc ipsum comprobari eo etiam posse videretur, quod, quando Iosephus ab angelo monitus fuit, Maria esset adhuc *μνηστευθεισῃ*, quae vox idem valet ac *desponsata*, atque opponitur *nuptae* etiam in sermone graeco sacrorum scriptorum, ut videre est in deuteronomio [4]), ubi verbo *μνηστευομαι* opponitur verbum *λαμβανω* ita, ut illud *desponsari*, hoc uxorem *accipere*, id est, nuptias facere, significet procul dubio; quare, quum verba *μνηστευομαι* et *παραλαμβανω*, quod verbum non minus nuptiale est, quam *λαμβανω*, etiam apud Matthaeum opposita reperiantur, idem ac in deuteronomio ea sonare iure putaremus, sicut putandum est quoque de participio *μεμνηστευμενην* in Luc. I, 27. Non tamen id urgemus, nam Maria virgo a Luca *μεμνηστευμενῃ* [5]) dicitur etiam tunc, quum nuptias iam factas fuisse nemo dubitat. An etiam ex dictione *πριν ἢ συνελθειν αὐτους priusquam convenirent* argumentum aliquod nobis praesto sit, apparet ex illis, quae superius (8. 9) de ea dicta sunt. Denique ita sensit Hilarius [6]), ita Epiphanius [7]), ita sensisse videtur etiam Hieronymus haec scribens: *Non ab alio inventa est, nisi a Iosepho, qui* PENE *licentia maritali* FUTURAE *uxoris omnia noverat* [8]), *ita et Chrysostomus, quamquam putaverit Mariam in Iosephi domum iam fuisse deductam* [9]). In Evangelio de Nativitate Mariae haec leguntur: *Nuptiarum iure*, hoc est, sponsalibus, *de more celebrato, ipse quidem* Ioseph *in Bethlehem recedit civitatem, domum suam dispositurus, et nuptiis necessaria procuraturus. Virgo autem Domini Maria .... ad domum parentum suorum in Galilaea reversa est. His vero diebus*, PRIMO *scilicet adventus sui in Galilaeam tempore, missus est ad eam angelus Gabriel a Deo, qui ei conceptum dominicum narraret, et cetera .... Ioseph igitur a Iudaea in Galilaeam veniens desponsatam sibi virginem uxorem ducere intendebat* IAM *namque* TRES FLUXERANT *menses et* QUARTUS *instabat ex eo tempore, quo sibi desponsata fuerat* [10]).

21 Neque obest, quod Iosephus Mariae *ἀνηρ vir*, non *sponsus*, dicatur [11]), Maria vero *γυνη uxor* vel *coniux*, non Iosephi *sponsa*. Etenim *sponsalia tantumdem valent, quantum nuptiae*, inquit Philo, *quando in sollemni amicorum conventu mariti uxorisque nomina inscribuntur tabulis* [12]), atque adeo post sponsalia rite facta sponsus et sponsa statim sicuti vir et uxor, uno verbo, sicuti coniuges habebantur, etiam ante sponsae deductionem in domum sponsi, nedum ante congressum [13]), idque scripturae sacrae confirmant, in quibus nomina *vir* [14]) et *uxor* [15]) pro *sponso et sponsa* usurpantur. Haec iam animadverterat Hieronymus: *Recordare*, inquit, *consuetudinis scripturarum, quod sponsi viri et sponsae vocentur uxores* [16]). Atque hinc illud, quo hoc idem comprobatur, ut, qui alicuius sponsam violasset, adulter haberetur, ac simili poena mulctaretur [17]); contra ea vero, qui suam sibi sponsam ante nuptias cognovisset, non ideo eam stuprasse censeretur (23). Nec desunt harum appellationum exempla in aliarum gentium scriptoribus. Apud Xenophontem puella Spithridatae Persae filia Cotyi Paphlagonum regi, nondum desponsa, sed despondenda, et *νυμφη sponsa* et *γυνη uxor* intra eamdem periodum vocatur [18]), et apud Sophoclem *γυνη* uxor dicitur, quae solum *sponsa* erat [19]). Ex quo etiam consequitur sententiae nostrae non obesse verbum *ἀπολυσαι dimittere* (38), quod paullo infra legitur.

---

[1]) Luc. I, 39. [2]) Ib. 41 seqq. [3]) Matth. I, 20. 24. [4]) Deut. XX, 7. [5]) Luc. II, 5. [6]) In h. l. [7]) Haer. LXXVIII al. LVIII. § 8. [8]) Comment. in Matth. ad h. l. [9]) In Matth. hom. IV. § 2. [10]) Evang. de Nativ. Mariae cc. 8. 9. 10. [11]) Matth. I, 19. [12]) De specialib. legib. p. 788. Francof. 1691. [13]) Talmud hieros. tract. Pea c. 6. fol. 19. col. 3; *Maimonid.* Iad chazaka L. IV. hal. Ischut. c. 1. § 3 ap. *Seldenum.* Uxor ebr. L. II. c. 1. p. 130, et ap. *Lightfoot.* Horae hebr. in Matth. I. 19. [14]) Deut. XXII, 23; Ioel. I, 8. [15]) Gen. XXIX, 21 coll. 22; Deut. ib. 24. [16]) In Matth. l. c. [17]) Deut. XXII, 24 coll. 22. [18]) Historiar. graec. L. IV. p. 508 D. ed. *Amelburni.* [19]) Ismene vv. 578. 664. 669.

22 Aiont verba angeli *μη φοβηθης παραλαβειν* [1]), non esse vertenda, ut sunt in exemplaribus latinis, ***noli timere accipere***, sed ***noli timere accepisse***, quia *παραλαβειν* est ***aoristus***; sed imperite. Nam, ut illud omittam, quod, non praeterita, sed futura timentur, nonne ***aoristus*** modi infiniti rem adhuc futuram interdum significat, item aliquid nondum factum [2])? hanc certe vim habet in his, quae paullo prius leguntur in Matthaeo: *πριν ἢ συνελθειν αὐτους **prinsquam convenirent*** [3]). Denique Iosephum sponsam non accepisse, nisi post somnium, diserte Matthaeus affirmat [4]).

23 Quod autem sentit Franciscus Lucas, non satis consultum futurum fuisse honori virginis, si praegnans apparuisset ante nuptias, imo antequam tantum temporis post nuptias effluxisset, quantum nuptis opus est, ut uterum gerant, non tanti est momenti, ut nos de nostra sententia dubitare cogat. Etenim, quum ipsis sponsalibus vir et mulier coniuges fierent, congressus maritalis habitus ante nuptias, tametsi vetitus, non quidem lege mosaica, sed serioribus institutis, etiam indicta poena [5]), non tamen stuprum esse putabatur, proinde congredientes minime honore periclitabantur. Tum Mariam, quae, ut haec ipsa narratio loquitur, mysterium ita silentio presserat, ut de eo etiam sponsum suum celaverit, sese quoque, ne illud aperiret, quantum poterat, occuluisse putandum est, primoque omnium Iosepho, ut narrat Hieronymus (20), ac familiaribus rem innotuisse, quorum e pectore suspicio curaque omnis brevi depulsa fuit, ubi ipsi Iosepho somnium divinitus immissum est. Profecto rem adhuc latuisse ex eo colligi videtur, quod Iosephus, quum NOLLET ***eam*** TRADUCERE, ***voluit*** OCCULTE ***dimittere eam*** [6]). Neque illud praeteribo, quod non minus intererat consultum esse mysterio, qua virgo conceperat, quam ipsius virginis honori. Atqui mysterio huic magis consultum crederem, si conceptus virginis innotuit, ante eius deductionem in domum Iosephi, namque hoc pacto, non unus Iosephus, sed et parentes ceterique Mariae familiares rei totius testes fuisseut. Si illud opponas, hos testari solum potuisse Mariam non concepisse ex Iosephi concubitu, reponam in vicem illud, quod etiam Ioseph hoc unum testari potuisset, nisi de mysterio nuntius ad eum caelitus fuisset perlatus, qui tamen aeque ad illos perferri potuit, sicut in Zachariae quoque domum perlatus antea fuerat (19).

24 At enim, instat Franciscus Lucas, quis credat nuptias tunc demum confectas, quum virgo uterum iam gereret? Atqui id credat oportet, qui nolit sensum pervertere verborum Matthaei narrantis Mariam uxorem ductam a Iosepho post visum somnium. Tum nuptiae intra domesticos parietes adornabantur. Denique trimestris fetura non adeo conspicua solet esse, ut non facile queat occultari.

CAPUT III

De Iosephi agnomine Iusto.

25 Sunt, qui autumant Iosephum ***iustum*** dici secundum ampliorem iustitiae notionem pro ***recto, probo, integro***, hosque inter Chrysostomo locus est, qui haec scripsit: *Δικαιον ἐνταυθα τον ἐναρετον ἐν ἁπασι λεγει **Iustum hic omni virtute praeditum dicit*** [7]). His autem scriptorum sacrorum suffragia affatim suppetunt, ***iustum impio*** et ***peccatori*** quam saepissime opponentium [8]), inque eam notionem nomen ***iustitiam*** [9]) et verbum ***iustificare*** [10]) accipientium; quae tria una simul in hunc sensum accepta reperies in III Reg. VIII, 32. Ex novi testamenti scriptoribus nemo saepius hoc nomen usurpat, quam Matthaeus, neque tamen unquam, nisi in hunc sensum, ubi de hominibus loquitur. Aliud praeterea huic interpretationi momentum accedit, quod patria lingua scriberet Matthaeus, in qua maxime frequens est haec illius vocabuli significatio.

26 Alii malunt ***mansuetum, benignum, clementem, facilem***, pro illo reddere, hisque non adversatur Chrysostomus, cui *δικαιος **iustus*** in hac narratione idem quoque esse videtur, ac *χρηστος και ἐπιεικης **bonus et facilis*** [11]), etsi prius aliter hanc vocem interpretatus sit (25). Et re vera interpretes graeci scripturarum *δικαιον **iustum*** [12]) et *δικαιοσυνην **iustitiam*** [13]) reddiderunt pro חסד, quod est *ἐλεημοσυνη **misericordia, benignitas***, contra vero pro צדקה ***iustitia*** reddiderunt *ἐλεος* [14]) et *ἐλεημοσυνην* [15]) ***misericordiam, benignitatem.*** Hebraica insuper nomina צדיק ***iustus*** et חסיד ***benignus*** coniuncta reperies per poeticam *ἐπεξηγησιν* [16]).

---

[1]) Matth. I, 20. [2]) ***Matthiae*** Gramm. ling. graecae. § 506, 2. [3]) Ib. 18. [4]) Ib 24. [5]) ***Selden.*** op. cit. cc. 1. 2. 3 et ***Maimonid.*** l. c. c. 10. §. 1. [6]) Matth. I, 19. [7]) In Matth. hom. IV. § 3. [8]) Ps. I, 6; VII, 10. etc.; Prov. XI, 18. 23. etc. [9]) Gen. XV, 6; etc.; Ps. V, 9; VII, 9 etc. [10]) Iob. IV. 17 etc., Ps. LXXII, 13; CXLII, 2; Prov. XVII, 15; Is. LIII. 11. [11]) In Matth. hom. IV. § 4. [12]) Is. LVII, 1. [13]) Gen. XIX, 19 etc.; Ex. XV, 13 etc. [14]) Is. LVI, 1; Ezech. XVIII, 19. 21. [15]) Deut. VI, 25; XXIV, 13; Ps. XXIII, 5 etc. [16]) Ps. CXLV, 17.

27 Sunt denique, qui putant *iustum* appellari Iosephum secundum eam vocis notionem, quae maxime propria est, in quantum, inquam, iustitia, sicut ait Tullius, est *animi affectio suum cuique tribuens* [1]).

28 Quaenam vero harum trium significationum ceteris praestet, intelligemus, si caussam attendamus, propter quam Matthaeus iustitiam Iosephi commemoraverit. Diversae autem sunt de hac quaestione sententiae.

29 Una est, Iosephum *iustum* appellari, quo ratio reddatur, cur sponsam is traducere nollet, ac si dictum foret: *quum esset iustus, et* IDEO *nollet eam traducere* [2]). Quo posito, locus esse nequit tertiae significationi. Etenim, quin iustitiae adversaretur hoc nomine in sensum maxime proprium accepto, traducere uxorem vitiatam, leges erant, quae, licet virum non adigerent ad eam traducendam, praecipiebant tamen modum, quo actio adulterii uxori intenderetur, poenamque infligendam, quod inferius enarrabimus. Commode tamen primae huic sententiae faceret prima significatio, commodius vero secunda.

30 Sentiunt alii appellatione *iusti* reddi rationem, cur Iosephus vellet sponsam occulte dimittere [3]); quorum sententia multimodum habet intellectum. Ut autem id clarius appareat, duo prius oportet animadvertere. Unum est, verbis *occulte dimittere* duas res enuntiari, ipsam dimissionem, et dimissionis modum occultum. Alterum, verbis *nollet eam traducere*, non dimissionis, sed modi, quo haec fieret, caussam aperiri. Quibus praecognitis sic disputo.

31 Si appellatio *iustus* caussam suggerit ipsius dimissionis, hoc est, cur Iosephus vellet sponsam dimittere, tertia significatio (27) primam rei speciem intuentibus praeferenda fortasse videatur, recte ne, an secus, mox dicetur (34. 35).

32 Sin autem rationem aperit modi, quo fieret dimissio, cur, inquam, sponsam vellet Iosephus *occulte* dimittere, praestat primam (25) aut potius secundam (26) significationem sequi. Verum, si sic habet, iam eiusdem rei rationem nos doceret appellatio *iustus*, ac illa enuntiatio: *nollet eam traducere* (30), quae propterea eo dumtaxat pertineret, ut explanaret eamdem illam ipsam appellationem, atque ostenderet, quaenam vis ei insit; sive potius vox *iustus* rationem indicaret, cur Iosephus nollet sponsam traducere, voces vero *nollet eam traducere*, cur *voluit occulte dimittere eam*. Proinde ratio, cur Iosephi iustitiam commemoraverit Matthaeus, illa ipsa esset, quam primo loco (29) attulimus.

33 Si denique appellatio *iustus* utriusque rei caussam exhibet, tum sponsae dimittendae, tum modi, quo eam dimittere Ioseph statuerat, prima significatio obtinebit. Hoc autem pacto Matthaeus rationem simul reddidisset primo tum dimissionis tum modi per vocem *iustus*, deinde modi tantummodo verbis *nollet eam traducere*. Quum tamen haec altera ratio nihil foret aliud, nisi explanatio ipsius nominis *iusti* ex ea parte, quatenus istud rationem contineret modi sponsae dimittendae, hoc est, cur vellet Ioseph eam *occulte* dimittere (32), videretur alia ratio desiderari, quae idem illud nomen *iustum* ex ea quoque parte explanaret, quatenus eo caussa indicaretur ipsius dimissionis, cur videlicet Ioseph sponsam dimittere vellet. Ut haec in pauca conferam, aio sententiam ita fore: *Ioseph iustus erat, voluit ergo et sponsam dimittere, et occulte dimittere*; huius sententiae consequens duabus constaret partibus, at posterioris tantum partis consequentiam Matthaeus declarasset, quumque absolutae demonstrationi hae duae argumentationes opus essent, altera: *Ioseph, quum esset iustus, ideoque nollet sponsam ab alio cognitam ducere, voluit eam dimittere*, altera: *Ioseph, quum esset iustus, ideoque nollet sponsam traducere, voluit occulte dimittere eam*, hanc alteram dumtaxat in hoc loco legeremus, non autem et illam primam. Non igitur accipiendum videtur appellatione *iusti* illius utriusque rei caussam enuntiari.

34 Itaque, quum tota disceptatio iam eo redacta sit, ut quaerendum dumtaxat superait, utrum appellatio *iusti* Mariae sponso facta sit, quo ratio redderetur, cur is *nollet eam traducere*, quod idem foret ac caussam minus tamen in propinquo positam indicare modi dimissionis (32), an potius haec appellatio eo pertineat, ut appareat ratio ipsius dimissionis, quorum si primum maneat, *iustus* in primam (25) aut in secundam (26) significationem erit accipiendum, sin alterum, in tertiam (27) accipiendum esse quis forte credet (31), tandem aio, Iosephum *iustum* a Matthaeo dici deque eius iustitia mentionem iniici, ut caussam cognoscamus dimissionis, neque tamen ideo necesse esse tertiam nominis *iusti* significationem, ceteris praeferre, imo in primam posse illud ac debere accipi.

---

[1]) De finib. L. V. c. 23. [2]) Matth. I, 19. [3]) Matth. l. c.

35 Prior propositionis pars his duobus argumentis comprobatur. Primo, quod, sicut verba *nollet eam traducere* continent rationem modi dimissionis, ita nomen *iustus* ipsius dimissionis caussam ostendit. Deinde, quod, eo posito, sensum verborum colligamus maxime obvium atque perspicuum, ita ut *iustus* quodammodo opponatur vocibus *nollet eam traducere*, veluti si dictum esset: *Quum simul Ioseph esset iustus ideoque sponsam dimittere vellet simulque nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Posterior autem pars eo sese tuetur, quod prima nominis *iusti* significatio (25) tertiam quoque significationem praeter secundam comprehendat, quodque plures ac longe maioris momenti rationes eam tertiae praeferre suadeant.

CAPUT IV

De Iosephi consilio.

36 Iosephus, ut sponsam praegnantem deprehendit, quum *nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam* [1]). Hic vero quaedam explanare oportet, sive quod ad verba attinet, sive quod ad rem ipsam initumque a Iosepho consilium.

37 Verbum *traducere*, quod in illa sententia idem valet ac *ignominiae exponere, diffamare*, redditum est pro graeco *παραδειγματισαι*, quod est, *in exemplum proponere*, poenae videlicet ob simile facinus luendae, quam significationem fuse ac solide defendit Raphelius [2]). Habes locos scripturarum, quos de hac ipsa significatione consulas [3]).

38 Verbum *ἀπολυσαι dimittere* argumento quibusdam est, ut credant nuptias Mariae et Iosephi, quum is id consilii capiebat, iam factas fuisse, quia huiusmodi dimissio fuisset verum ac proprie dictum divortium (21). Equidem divortium illud futurum fuisse libens dabo; quod tamen inde colligunt, nuptias iam fuisse confectas, sine ratione eos colligere contendam. Nam et sponsalium diremptio pro divortio habebatur apud Israelitas [4]), nec enim aliter poterant ea dirimi, quam ipsum coniugium, traditoque sponsae libello repudii, quem uxori, quum dimittebatur, dari lex praecipiebat [5]). Etsi vero ea lex sponsae mentionem minime faciat, imo de marita solum, quantum verba sonant, lata esse videatur, attamen, quod de hoc ipso etiam sponsae serioribus gentis institutis cautum sit, id ex eadem illa lege deductum esse putandum est, in quantum prioribus aetatibus vir et mulier post sponsalia continuo coniuges habebantur (21).

39 Habes, quid haec duo differant inter se, sponsam traducere, eamque dimittere. Quaeres iam, an Ioseph aliqua lege obligaretur, ut alterutrum horum praestaret, sique sponsa dimittenda ab eo erat, an id occulte fieri liceret.

40 Plures leges tulerat Moyses de feminis adulteris deque poenis, quibus hae plecterentur, hisque legibus in huiusmodi feminas agere Israelitas iussos a Moyse fuisse, res indubia est. Inter has autem leges et eae reperiuntur, quibus statuebatur utique, quid facto opus esset, *si* vir de adulterio deve stupro ante sponsalia admisso uxorem accusaret [6]), non tamen vir cogebatur, ut talem accusationem instrueret, quod vel sola lectio illarum legum manifeste nos docet. Quare neque Ioseph legem ullam violabat, quod sanctissimam sponsam traducere nollet.

41 Quod autem attinet ad sponsam dimittendam, ut pronuntiemus, utrum Ioseph lege aliqua obligaretur, nec ne, quantaque haec foret obligatio, scire prius oporteret, quantum temporis intercesserit inter sponsalia interque diem, quo Maria virgo praegnans visa fuit; quod tempus tribus mensibus brevius esse non potuit, certo enim constat non potuisse Iosephum eam rem deprehendere ante tertium mensem praegnationis exeuntem, tum quia non ante id tempus uterus adeo intumescere solet, ut res conspicua fiat, tum maxime quia virgo toto hoc temporis spatio apud Elisabetham commorata est procul a Iosepho (19). Si igitur trimestre spatium aut novem ad summum mensium a sponsalibus effluxerat, quoniam mysterium adhuc Iosephum latebat; suspicio huic suboriri utique potuisset, ne virgo vim ab aliquo ante sponsalia passa esset, ex quo iste eam ducere lege [7]) deberet, ideoque ipse Ioseph retinere vetaretur, necesseque haberet dimittere. Sin autem longius tempus

---

[1]) Matth. I, 19. [2]) Annot. in tot. sacr. scripturam ad h. l. [3]) Num. XXV, 4; Ierem. XIII, 22; Ezech. XXVIII, 17; Hebr. VI, 6. [4]) *Selden.* Uxor. ebr. L. II. c. 1. p. 130; c. 2. p. 137; L. III. c. 18. p. 428 ex *Maiemonide* Iad chazaka L. IV. halac. ischut. cc. 4. 7. [5]) Deut. XXIV, 1. 3. [6]) Num. V, 11—31; Deut. XXII, 13—21. [7]) Ex. XXII, 16; Deut. XXII, 28. 29.

intercesserat, locus esse non potuit suspicioni flagitii patrati ante sponsalia, sed postea; quod quum fiebat, Iudaei, non quidem lege mosaica, sed ratione quadam honestatis sese adigi existimabant ad sponsas uxoresque dimittendas, adeo ut, si secus facerent, peccare se arbitrarentur. Lege Seldenum [1]) doctoresque gemaricos et rabbinos, quorum auctoritates is profert. Neque desunt in scripturis istius opinionis veluti fundamenta [2]). Ergo Ioseph, *quum esset* IUSTUS, putavit minime sibi licere Mariam uxorem ducere, sed dimittendam a se esse.

42 Licebat tamen Iosepho sponsam occulte dimittere. Neque enim, ut occulta esset dimissio, necesse erat ea fieret, sine libello repudii sponsae tradito (38), quod legi aut certe patriis institutis adversabatur, aut sine testibus saltem duobus, qui nisi adessent, libellus auctoritate omni destituebatur, sed *sine strepitu forensi*, inquit Seldenus, *et absque criminis atque dotis sive dispendii sive diminutionis infamia* [3]). Hoc modo poterat dimissio occulta esse, attamen legitima, maxime vero quod in libello, etiam quum coram iudicibus sponsae tradebatur, caussae repudii non scriberentur.

43 Nollem tamen, quis crederet Iosepho, cui egregia ac paene divina virginis sibi desponsae virtus apprime perspecta erat procul dubio, suspicionem aliquam ipsi sponsae minus honorificam incidisse; etenim, inquit Hieronymus, *Ioseph sciens illius castitatem, et admirans, quod evenerat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat* [4]); sed solum, quum rei modum ille ignoraret, remque ipsam miraretur, ratione ductum publicae cuiusdam honestatis, ita agere statuisse, ut leges consuetudinesque ferebant, quum uxoris fides marito minime probabatur. Sic autem est Photii quoque sententia [5]).

CAPUT V

De angelo ad Iosephum legato.

44 Ioannes Georgius Rosenmuellerus, cuius sententiam de Augelo Zachariae viso alias expendimus [6]), novum commentum lectoribus suis obtrudit de Augelo, qui in somnis Iosepho apparuit, idque sic est: *Notandum, angelorum nomine in sacris litteris* HAUD RARO *venire* OMNE ID, *quo Deus utitur ad voluntatem suam exsequendam, sive sit naturale, sive praeternaturale, dummodo* EX IMPROVISO *ita evenerit. Sic pestem II Sam. XXIV, 15 seqq.; Ps. LXXVIII, 49 coll. Ex. XII, 12, 13 et morbos Act. XII, 23 angelus Iehovae immisisse dicitur. Sic etiam venti et fulgura nominantur angeli Domini Ps. CIV, 4. In primis vero omnes* EVENTUS IMPROVISI, *quibus pii atque Deo cari homines iuvantur, tribuuntur angelis, ut II Reg. XIX, 35; Ps. XXXIV, 8; CXI, 11. 12* [7]).

45 Vellem equidem in primis, profiteretur nobis Rosenmuellerus, utrum angelos esse credat, nec ne. Si enim non credit, poeticas narrationes esse dicet, sicut hanc illasque, in quibus legimus Gabrielem missum ad Zachariam [8]) et ad Mariam virginem [9]), ita ea, quae scriptores sacri memoriae prodiderunt de Agare [10]), de Abrahamo [11]), de Loto [12]), de Iacobo [13]), de Israelitis [14]), de Iosue [15]), de Gedeone [16]), de Samsonis parentibus [17]), de Davide [18]), de Tobia [19]), quaeque praeterea in aliis bibliorum paginis de angelis scripta sunt [20]). Sin autem angelos esse non infitiatur, quod per benignam quamdam interpretationem illius HAUD RARO sentire de illo licet, quidnam caussae ipsi esse potuit, cur, ubi de angelis loquuntur scriptores sacri, de angelis eos re vera loqui in dubium revocaret?

46 Ad haec, quaeso, num *eventus improvisi* loquendi et ratiocinandi facultate sint praediti, qua angelos praeditos esse plura scripturarum testimonia, atque adeo illae narrationes de Zacharia, de Maria virgine, atque haec de Iosepho, credere nos cogunt? Num plurima agant eaque diversissima, qualia angeli egisse narrantur? Num sese conspicuos hominum oculis exhibeant, sicut hic angelus Iosepho *ἐφάνη apparuit*, aliique aliis *apparuisse* dicuntur?

---

[1]) Op. c. L. III. c. 13. [2]) Prov. XVIII, 22 graec. et lat., in hebr. enim nihil e re est; Eccli. IX, 6. 10; XIX, 3; XLI, 21. 25. Conf. I Cor. V, 9; VI, 15. 16. [3]) Op. cit. L. III. c. 23. p. 500. [4]) In Matth. ad h. l. [5]) Ad Eulamp. ep. CLXXXI. [6]) Diss. IV. [7]) Schol. in Matth. I, 20. [8]) Luc. I, 8–20. Diss. IV. [9]) Luc. I, 26–38. [10]) Gen. XVI, 7–12. [11]) Ib. XVIII, 1–33; XXII, 11–18. [12]) Ib. XIX, 1–22. [13]) Ib. XXVIII, 12; XXXII, 1. 2. 24–30; XLVIII, 16. [14]) Ex. XIV, 19. 20; Iudic. II, 1–4. [15]) Ios. V, 13–16. [16]) Iudic. VI, 11–23. [17]) Ib. XIII, 3–21. [18]) I Par. XXI 15–30. [19]) Tob. III, 25 – XII, 1–22. [20]) Ps. VIII, 6; Hebr. I, 4 seqq.; II, 5. seqq.

47 Qaae ex scriptnris in seutentiam snam promit Rosenmuellerus, perperam interpretatur, aat uihil ea conficiant. Pestem angelus Israelitis attulit; ast, si angelus nibil erat aliad, nisi ipsa pestis ex improviso irruens, peto, quomodo factum fuerit, ut *eventus* hio *improvisus* ipsaqua pestis Davidi coaspicua comparuerit [1]), et quidem pestem is viderit *stantem inter caelum et terram, et evaginotum gladium in manu eius et versum contra Ierusalem* [2]) *staretque* illa *iuxta aream Ornan Iebusaei* [3])? In psalmo, quem primnm Roseumnellerns indicat, haec legimus: *Misit in eos iram indignationis suae*; *indignationem, et iram, et tribulationes, immissiones per angelos malos* [4]). At pervideut vel lippi haeo verba sonare *ministerium* ipsam angelorum, per quos Aegyptus plexa est, proiade adeo aon necesse esse seasum tam obvinm aliorsum detorquere, ut contra necesse omnino sit verba accipere atqae intelligere, sicut sonant; alioquia, si unmea *ongelos* pro adversis *eventibus* usurpari hic aatumes, sensum hunc iude elicere cogereris: *Deum immisisse in Aegyptios* MALOS EVENTUS PER MALOS EVENTUS, vel: MALOS EVENTUS *Deo* MINISTRASSE AFFERENAIS *Aegypto* MALIS EVENTIRUS. Qaae in Actis apostolorum dicuntur de Herodis morte, ea in seatentiam Rosenmaelleri iuterpretari oportere, nemo adhuo repertus est, qui eviaceret. Quae vero ex alio psalmo ad eamdem hanc seatentiam confirmaudam petita sunt, siquidem de angelis vere ac proprie dictis ea scripta noa esseat, quod uuno miaime disputo [5]), significant profecto Deum uti veutis pro uuntiis et igne pro ministro; nam autem hiuo colligas *angelorum* appellatioue *improvisos eventus* aut *ventos et fulgura* qaod etiam placet Rosenmuellero, nominari?

48 Quod vero *omnes* EVENTUS IMPROVISI, *quibus pii atque Deo cari homines iuvantur, tribuuntur angelis*, hoc ideo fieri solet, quia Deus angelorum ministerio utitur in huiasmodi eveatibus ordinandis regendisque, ueque in *improvisis* modo, sed etiam in ceteris; quod uos docent tum historiae superins (45) commemoratae, tum Paali apostoli testimonium [6]). Qnae res adeo Rosenmuelleri sententiam non comprobant, ut eam funditus coavellere dicenda sit. Eteuim si illi *eventus* angelis actoribns Deique administris tribuautnr, aliud ipsis angelis eos esse uecesse est, qunm namqaam non opus et is, qui operatur, inter se distinguautur. Sane commiserandus Roseumuellerus, quippe qui sua se gladio neo opiaans iagalarit. Ceterum missa facimus alia, plura illa quidem, sed minoris momeati, quae peccat eius euarratio; piget enim ita freqaeuter in homine castigaudo immorari.

CAPUT VI

De angeli verbis.

49 *Ioseph, fili David* [7]). Recte Rosenmuellerus, *non sine caussa*, inqnit, *Iosepho in somnis in memoriam revocatur nobilitas stirpis, ex qua ipse erat oriundus*, EX QUA MESSIAM ORITURUM ESSE *omnibus Iudaeis erat notum, et ex qua* MARIAM ONTAM ESSE SCIEBAT. *Hoc ipsa ollocutione animus Iosephi in spem magnarum rerum erigebatur* [8]). His antem omnibas, ut ait Franciscus Lucas, parabatur animns Insephi *ad expectandum ex uxore sua Christum promissum Davidi filium* [9]).

50 *Noli timere accipere coniugem tuam* (22). Illud *accipere* redditum est pro graeco παραλαβειν, quod, ubi de connubiis agitur, sigaificat puellam λαβειν παρα τινος *accipere ab aliquo*, iu cuius potestate aat tutela ea est. Rem plaoe illastrant haec, quae Raphelius [10]) attulit ex Xeaophoate, apud quem Socrates ita Isomachum percoutatur: ἡ ἐπισταμενην (γυναικα) ἐλαβες παρα του πατρος και της μητρος; *an peritam* (*uxorem*) *accepisti a patre et matre?* Isomachus vero respondet: και τι ἀν . . . ἐπισταμενην αὐτην παρελαβον κ. τ. λ. *Ecquid . . . peritam ipsam acciperem etc.* [11]). Nomini *coniugem* respondit ia graeco exemplari uomen γυναικα *mulierem* vel *uxorem*, quorum postremum legitur in quibusdam latinis codicibus et apud aliquos ex latiuis scriptoribus vetastis, inque eum sensum haec accipere oportet, qaem superius diximas (21).

51 *Quod enim in ea natum est.* Verba haec exponenda snnt secundum Pauli effatum: *Misit Deus filium suum factum ex muliere* [12]), coutra ao eadem haec exposuit Valeutinus [13]). Vetus bibliorum iuterpres latinus nonnullique patres scripserunt *ex ea* [14]). Cnr vero graece sit ἐν αὐτῃ

---

[1]) II Reg. XXIV, 17. [2]) I Par. XXI, 16. [3]) Ib. 15. [4]) Ps. LXXVIII hebr., 49. [5]) Lege *Pianciani* In hist. creat. commeot. § XXXIX not. 3. [6]) Hebr. I, 14. [7]) Matth. I, 20. [8]) Schol. in h. l. [9]) In h. l. [10]) Annotat. in tot. sacr. scriptur. ad h. l. [11]) Oeconomie, p. 836. A ed. *Amelburni*. [12]) Gal. IV, 4. [13]) Ap. *Irenaeum* Haer. L. I. c. 7, § 2; L. III. c. 16 al. 17. §§ 1. 3. [14]) *Sabatier* Biblior. sacror. latinae versian. antiquae in h. l.

in ea, ut habet etiam volgata translatio, non autem *ἐξ αὐτῆς ex ea*, ratio petenda est ex voce, quae sequitur. Haec est *γεννηθεν natum*, neutro genere, ut in aliis quoque locis [1]); sic etiam Terentius: Quumquam *peperisset*, *decreverunt tollere* [2]). Quamquam *γενναω* usurpetur etiam pro *concipere*, imo et pro *parere*, quae matris propria sunt, primigenia tamen germanaque eius notio est *generare*, quod patris proprium est, nam et cuiusque *genus* perinde attenditur ut huno patrem habuit aut illum, et vir ex uxore genuisse dicitur, non autem uxor ex viro, sed concepisse. Iam vero Iosepho dubitatio esse non poterat de matre eius, quo sponsa gravida erat, sed de patre, neo, *a qua conceptum* diceret, sed *a quo generatum*. Idcirco angelus, quo talem dubitationem depelleret, usus est verbo *γεννηθεν*, veluti qui diceret: *De genitore ne dubites; quod enim in ea genitum est, a nemine genitum est, sed de Spiritu sancto est.* Atque haec quoque caussa fuit, cur angelus dixerit *in ea*, non vero *ex ea*, non de matre videlicet noscenda, sed de origine Christi paterna quaestio erat. Tum quid implexum syntaxis prae se tulisset et quamdam *ἀντιλογιαν*, si angelus ita loquutus esset: *το γαρ ἐξ αὐτῆς γεννηθεν ἐκ πνευματος ἐστιν ἁγιου.* Latini, qui scripserunt, EX *ea*, non usurparunt verbum *gigni*, sed *nasci*; *natum* autem quum dixerunt, non *ortum* dicere volebant, sed *genitum*, quemadmodum Christum dicimus *ex patre* NATUM, quem tamen non recte diceremus *ex patre* ORTUM, ortus enim egressum quemdam et quamdam separationem ipsa sua notione exhibet, a quibus divina generatio prorsus abhorret. Non desunt tamen Latini, qui scripserint *in ea generatum est*, ut auctor libri de Spiritu sancto, qui liber Ambrosio alias attribuebatur [3]).

52 *De Spiritu sancto est.* De interpretatione nominis *Spiritus sancti*, quam hic quoque nobis obtrudit Rosenmuellerus, quod et paullo prius fecit [4]), et pluries eum fecisse iam vidimus, ubi explicavit primum caput Lucae [5]), non ea repetemus, quae iam ipsi respondimus, illud praeterea animadvertisse contenti, nomen *πνευμα ἁγιον*, velit ille, aut nolit, significare *Spiritum sanctum.* Ceterum non dixit angelus: *Genitum est a Spiritu sancto*, quod ferendum non foret, sed: *Quod genitum est*, tacito genitore, quem Christus, ut homo est, nullum agnoscit, *est de Spiritu sancto*, est opus Spiritus sancti, sicut psaltes dixit: מיהוה היתה זאת *a Domino fuit hoc* [6]), hoc est, ut vertit latinus interpres graecos sequutus: *a Domino factum est istud*, opus Domini fuit. Rem, ut par est, perquam apte expressam habes in symbolo fidei hisce verbis: CONCEPTUS *est* DE *Spiritu sancto*, NATUS EX *Maria virgine.*

53 *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum* [7]). Attende, quomodo angelus verbis *salvum faciet* etymon explicuerit sanctissimi nominis Iesu, de quo alias egimus [8]); atque inde intelliges, quum inscite alias huius nominis significationes alii venentur. Appellatio POPULUS DEI simpliciter usurpata in scripturis, etiam in novo testamento, ipsorum Israelitarum propria est, quoties mentio est de popolo, ut qui notus iam diu sit, nec aliquid adiungitur, quod ad aliam gentem pertineat [9]). Diversis autem appositis ac rerum adiunctis transfertur appellatio haec ad nominandos Christianos, aut eos in universum, quos caelestis patriae civitati Deus destinavit [10]); atque in hunc sensum ab angelo accepta fuit. Ceterum, ubi ipsos Israelitas in sensum maxime proprium accepta ea significat, significare interdum simul potest alios, quos diximus, ubi videlicet accipienda est in sensum etiam *spiritalem*, sive proprium, sive translatum, quum illorum typus fuerit populus Israelitarum [11]).

54 *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam* [12]). Interpretes plerique omnes verba evangelistae haec esse opinantur; longe tamen verius ipsius angeli ea esse dixeris, sicut non una ratio dicere suadet. Scilicet ita sensere Chrysostomus [13]), Proclus Constantinopolitanus [14]), Theophylactus [15]), atque ante hos Irenaeus [16]). Nam, si Matthaei haec essent, illa *Hoc autem totum*, quum de prioribus dicta sint, viderentur complecti ipsam quoque angeli legationem ad Iosephum, quae tamen dici nequit facta fuisse, *ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam*; at, si angeli sunt, complecti nequeunt, nisi mysterium conceptus virginei, quod unum is ipse enarraverat. Quare, si Matthaeus haec loqueretur, non alius locus iis esse posset, nisi post versiculum doodevicesimum aut vicesimum quintum. Neminem autem illod praeterit,

---

[1]) Luc. I, 35; Io. III, 6; I Io. V, 4. [2]) Andr. I, 3. 14. [3]) Inter opera *Ambrosii* col. 607. ed. *Maurin.* [4]) Schol. in Matth. I, 18. [5]) Diss. X. n. 9. [6]) Ps. CXVIII, 23. [7]) Matth. I, 21. [8]) Diss. IX. c. V. [9]) Rom. XI, 1; Hebr. X, 30; XI, 25. [10]) Act. XVIII, 10; II Cor. VI, 16; Tit. II. 14; Hebr. IV, 9; VIII, 10; I Pet. II, 10; Apoc. XVIII, 4; XXI, 3. [11]) *Patrit.* De interpret. script. sacr. Lib. I. nn. 326. 365. [12]) Matth. I, 22. [13]) In Matth. hom. V. § 2. [14]) Ad Armenos ep. II de fide § 12. [15]) In h. l. [16]) Haeres. L. III. c. 16 al. 17. § 2; c. 21 al. 26. § 4; L. IV, c. 23 al. 40. § 1.

quod, nisi angeli forent ea verba, is non satis aperte Iosephum docuisset, eum, quem Maria alvo continebat, esse Christum; contra ea vero plenissime id praestitisse dicendus est, si ipse fuit, qui Isaiae vaticinium ad dictum suum declarandum et comprobandum attulit. Denique haec partem esse somnii Iosepho a Deo immissi, cuius narratio nondum absoluta est, apparet ex iis, quae habet versiculus vicesimus quartus. Nihil autem obest contraria ratio a Gussetio excogitata [1]), quod angelus loquutus sit de rebus futuris, verbum autem *γέγονεν factum est* praeteritam rem sonet; vix ulla enim ratio magis inepta poterat excogitari. Angelus enim, etsi de rebus etiam futuris, praecipue tamen de re praeterita fuerat loquutus, de conceptu, inquam, virgineo, ad quem oraculum Isaiae pertinebat. Paulusius autem, dum haec Iosephi somniantis verba esse scripsit [2]), nae somniando scripsisse iure credatur. Quae quum ita sint, iterum angelum testem habemus, hoc Isaiae vaticinio Christum ex virgine oriturum fuisse praenuntiatum [3]).

55 *Ut adimpleretur.* Verbum sollemne scriptoribus novi testamenti, quum deprompta ex vetere testamento testimonia afferunt. Eius autem et similium vis ac significatio est *fieri* seu *evenire* illud ipsum, de quo est in testimoniis, quae afferuntur, illud, inquam, ipsum, quod vel praenuntiatum a prophetis fuit, vel per typos praesignificatum [4]). Sed de huius loquutionis vi peculiaris quaestio inferius erit [5]); nunc aliquid dicemus de particula *ut*, a qua ea dependet. Disceptatur, an in hac et in huius similibus loquutionibus particula *ἵνα ut* usurpetur *αἰτιατικῶς*, valeatque idem ac *ideo ut*, an potius *ἐκβατικῶς* pro *ita ut*. Hoc alterum defendit Chrysostomus haec scribens: *Neque enim, quia praedixit, illa facta sunt, sed potius, quia omnino futurum erat, ideo praedixit* [6]). Item Theophilactus: ***Particula*** UT ***non est*** CAUSAE, ***sed*** EVENTUS ***significativa. Non enim docuit Iesus,*** IDEO UT ***impleretur prophetia, sed,*** QUIA ***ipse docuit, impleta est prophetia*** [7]). Quorum sententiae confirmandae faciunt plurima novi testamenti capita, in quibus particulae *ut* ea vis est, quam hi dicunt [8]). Nihilominus videtur haec particula ita explicari interdum posse, ut cui *αἰτιατική* vis insit, idque in hac quoque Matthaei narratione; quod facile dabis, ubi consideres, ut prophetiae sint quaedam Dei veluti promissiones, quibus spondet se aliquid praestiturum, nec secus sentire oporteat de typis, quibus vetere adhuc foedere obtinente Deus ea, quae futura erant, designabat. Nam, sicut, qui aliquid promisit, illud praestat, ideo ut impleat promissum, ita, quae praedicta fuerant, eveniunt *ideo, ut* oracula impleantur. Recte prorsus Franciscus Lucas rem ita definit: ***Qui praedixerat,*** QUIA ***facere statuerat, facit*** QUIA ***praedixerat,*** (IDEO) UT ***verax sit*** [9]).

56 *Ecce virgo in utero habebit etc.* [10]). Oraculum hoc nobilissimum ab Isaia editum explanandum a nobis erit paullo infra [11]). De ipsa quoque oraculi usurpatione, et quorsum a Matthaeo allatum fuerit, inferius quaestio erit [12]). Nunc duo animadvertimus, quibus illud, ut apud Matthaeum descriptum legitur, differt ab exemplari hebraico. Quorum unum est, pro hebraico הרה positum esse *ἐν γαστρὶ ἕξει in utero habebit;* hoc tamen debetur fortasse graecis Isaiae interpretibus, in vaticano quorum exemplo quidem legimus *ἐν γαστρὶ λήψεται in utero concipiet*, ast in alexandrino ita, ut est in Matthaeo. Tum הרה, quamquam sit nomen, quod idem valet ac participium *concipiens*, quum tamen propheta de re futura loquatur, recte vertitur futuro tempore *concipiet*, perinde ac insequens participium ילדת in graeca quoque Isaiae interpretatione versum est *pariet;* solent enim Hebraei etiam futurum tempus per participium enuntiare, atque etiam Hieronymus haec duo transtulit *concipiet, et pariet.* Alterum discrimen est in verbo *καλέσουσι vocabunt* reddito pro hebraico קראת, quod graeci transtulerunt *καλέσεις vocabis*, et de quo sic disserit Hieronymus: ***Quodque sequitur: Et vocabis nomen eius Emmanuel, et septuaginta et tres reliqui***, Aquila, Symmachus, et Theodotio, ***similiter transtulerunt, pro quo in Matthaeo scriptum est*** VOCABUNT, ***quod in hebraeo non habetur. . . . Verbum*** CARATHI (קראת), ***quod omnes interpretati sunt*** VOCABIS, ***potest intelligi et*** VOCABIT, ***quod ipsa scilicet virgo, quae concipiet, et pariet, hoc Christum appellatura sit nomine. In multis testimoniis, quae evangelistae vel apostoli de libris veteribus assumserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem sequutos esse, sed sensum. Unde et in praesenti loco pro*** CONCIPIET IN UTERO ***Matthaeus posuit*** IN UTERO HABEBIT, ***et pro*** VOCABIS VOCABUNT [13]). Chrysostomus autem: ***Dicet quis: Cur igitur non vocatum est nomen eius Emmanuel, sed Iesus? Quia non dixit*** (***angelus***) ***καλέσεις***

---

[1]) Vesp. groniog. p. 420. [2]) Philologisch-crit. Commeot. über das N. T. ad h. l. [3]) Diss. VII. n. 4. [4]) *Patrit.* De interpret. scriptur. sacr. L. I. no. 306—310. [5]) Diss. XVII. nn. 25—28. [6]) In I Corinth. XI, 19 hom. XXVII. § 2. [7]) In Matth. XIII, 35. [8]) Marc. IV, 12; Luc. VIII, 10; IX, 45; XI, 50; Io. VII, 23; IX, 39; XVIII, 32; Rom. V, 20; XI, 32 etc. *Nold.* Concordant. particular. ebraeo-chaldaicar. ad v. למען n. 4. ed. *Tympii.* [9]) In h. l. [10]) Matth. I, 23. [11]) Diss. XVI. [12]) Diss. XVII. [13]) In Is. VII, 14.

VOCABIS, *sed καλέσουσι* VOCABUNT; *turbae videlicet et rerum eventus* [1]. Eadem fere scripsit Theophylactus [2]. Ceterum, si interpretes bibliorum, codicesque tum graecos tum latinos, ac patrum scripta pervolvas, quinque huius vocis diversas interpretationes reperies tum ubi Matthaei locus vertitur, tum ubi Isaiae, sunt autem *vocabis, vocabit, vocabitis, vocabunt, vocabitur.*

57 Sed de nomine *Emmanuele* iam dicere oportet. Quaeritur primo, cur Christus, non *Emmanuel*, ut propheta praedixerat eum vocandum, sed *Iesus* nomen acceperit? Chrysostomi responsum modo retulimus (56). Quod si illud minus arridet, quia totum innititur verbo *vocabunt*, quod non est apud Isaiam, nemo tamen illud alterum respuat, quod continuo idem ipse Chrysostomus subiunxit: *Hic rei, quae contigit nomen imposuit. Et scripturae mos iste est, res, quae contingunt, pro nomine ponere* [3]. Neque secus scripserat Origenes de hac quaestione: *Hoc, quod dicitur* EMMANUEL, *non unum nomen sonat, sed rem significat; adveniente quippe Iesu dicimus*: NOBISCUM DEUS [4]. Quippe hoc significat עמנו אל *Emmanuel*, quae altera est de hoc nomine quaestio, hancque eius interpretationem legere est in illa ipsa Matthaei pagina. Cur autem hoc nomine Christus vocatus fuerit a propheta, in alio loco [5] dicemus.

58 Clausula *Quod est interpretatum*: *Nobiscum Deus* unum est ex interpretamentis [6], quae inter cetera argumento esse putantur Matthaeum non syrochaldaice scripsisse, sed graece; alioquin huiusmodi interpretamentis locus minime fuisset. Quid de lingua, qua Matthaeus scripsit, sentire oporteat, alias disserui [7]. Quod autem attinet ad illa interpretamenta, num, quia horum similia etiam in exemplari tum graeco tum latino veteris foederis reperiuntur, recte concludam vetus foedus graece aut latine fuisse conscriptum? Etenim, inquit Grotius, *solemne est omnibus scriptoribus, etiam interpretibus, vocabula peregrina notabiliora servare integra, sed addito interpretamento, quod aliquoties etiam factum videmus a senibus septuaginta* [8]. At enim, inquit Illyricus, si Matthaei interpretes has clausulas addiderunt, cur non item post omnes hebraicas voces? Sed, si Matthaeus ipse graece scribens eas apposuisset, cur non, quoties vocem aliquam hebraicam usurpabat? Neque illud praeteream, quod, quum nomen *Emmanuel*, hebraicum sit, erat utique, cur Matthaeus syrochaldaice scribens illud interpretaretur, quod etiam syrus ipsius Matthaei interpres facere non omisit.

DISSERTATIO XVI

De Isaiae vaticinio, quo virginem parituram praenuntiavit.

1 Quum Rasin rex Syriae et Phacee rex Israelitarum bellum movissent contra Achazum regem Iudaeorum [9], inque huius perniciem conspirassent [10], Deus Isaiam ad hunc legavit, qui eum serurum esse iuberet [11], proximam utriusque regni, Syrorum atque Israelitarum, vastitatem praenuntians [12], simulque signum, qualecumque Achazo placuisset, offerens, quod vaticinio fidem afferret [13]. Hoc vero signum quum Achaz petere recusasset [14], Isaias ita loquutus est: *Audite ergo, domus David. Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet et pariet filium; et vocabitur nomen eius Emmanuel, butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum* [15].

2 Quae res in interpretatione huius vaticinii difficultatem afferre solent quibusdam enarratoribus sacrarum scripturarum, quominus illud credant de Christo dictum esse, ad haec tria capita revocari possunt. Unum est vocabulorum significatio, praesertim nominis העלמה. Alterum de ipso signo, seu quaenam convenientia ortus Christi cum eo, quod Isaias brevi implendum praedicebat, ut ex illo tamquam ex signo praedictionis huius veritas appareret. Tertium denique de re signata, seu quinam sensus eorum, quae idem ipse Isaias continuo subinnxit: *Quia, antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum* [16]. Singula haec disputabimus, postquam demonstraverimus, quo tempore vaticinium editum sit, id enim nosse oportet, quo difficultates nonnullas praeterea vitemus.

---

[1] In Matth. hom. V. § 2. [2] In h. l. [3] In Matth. l. c. [4] In Ezech. hom. I. § 4. [5] Diss. XVI. n. 24. [6] Conf. Matth. XXVII, 8. 33. 46. [7] Lib. I. c. I. q. V. [8] Annotat. in Matth. sub init. [9] Is. VII, 1. [10] Ib. 6. [11] Ib. 3—7. [12] Ib. 8. 9. 16. [13] Ib. 11. [14] Ib. 12. [15] Ib. 13—15. [16] Ib. 16.

CAPUT I

Quo tempore vaticinium editum.

3 Tempus, quo hoc oraculum editum est, accurate definivit Roseumuellerus minor; proinde praestat ipsa eius verba referre, in quibus *Ahasum*, *Pecachum*, *Rezinem*, *Odedum*, memineris alius non esse quum qui in vulgatis scripturarum exemplaribus *Achaz*, *Phacee*, *Rasin*, *Obed*, vocantur.

4 „Quaerunt interpretes, quo tempore ea, quae hisce oraculis occasionem dederunt v. 1—4, contigerint. Ubi illud quidem certum est, intra tres priores regni Ahasi annos,“ quos regnavit post obitum Ioathami patris, „ea contigisse, siquidem Pecachus rex israeliticus non ultra tertium Ahasi annum superstes fuit; II Reg. XV, 27 coll. XVI, 1. Atque historia quidem librorum Regum habet, antequam narrasset mortem Iothami, II Reg. XV, 37, circa illud tempus Deum *immittere coepisse in Iudaeam copias Rezinis et Pecachi*; mox, post mentionem factam obitus Iothami et suscepti ab Abaso regni, commemorat Abasi impietatem et defectionem a Iova et subiungit XVI, 1—6, *tum temporis Rezinem et Pecachum expeditionem suscepisse adversus Ahasum, eumque obsedisse Hierosolymis, sed absque successu.* Sed auctor libri Chronicorum, postquam ipse quoque memorasset Ahasi impietatem et flagitia, subiicit, II Chron. XXVIII, 1 seqq., Deum tradidisse Abasum bis nimirum de causis potestati regis Syriae, qui ipsum magna clade affecerit, et multos captivos abduxerit Damascum; simul etiam illum traditum esse in potestatem regis Israelis, qui pariter magnam in Iudaeis commiserit caedem hominum, ad centum et vigintimillia virorum fortium, et captivos etiam fecerit maiore adhuc numero, sed ad orationem seriam Odedi prophetae dimissos. Quae quum ita habeant, quaeritur, an expeditio haec, cuius mentio est in historia Chronicorum, eadem sit, quae memoratur hoc Iesaiae capite et in historia Regum. De qua enim hoc Iesaiae loco sermo est, eandem esse expeditionem, quae in libro Regum memoratur, non est dubium, quum eadem utrubique verba usurpentur. Sed Iesaiae promissio de irrito successu regum Syriae et Israelis non satis videtur convenire historiae libri Chronicorum, quae tradit Iudaeos hoc tempore magnam ab utroque rege cladem accepisse. Hic vero historici et interpretes huius loci in diversa abeunt. Multi existimant expeditiones esse diversas, sed, utra praecesserit, vel sequuta sit, inter illos non convenit. Grotius et Usserius Annall. ad an. mundi 3262 p. 51 putant expeditionem eam, cuius hic et in libro Regum mentio fit, esse priorem, eamque incidisse in annum Ahasi primum; sed expeditionem historiae Chronicorum esse posteriorem et factam anno Ahasi secundo. Alii contra opinantur eam expeditionem quae hic et in Regum libro narratur, esse posteriorem, illam vero, quae in libro Chronicorum memoratur, esse primam, in qua Syri et Israelitae divisis copiis in Iudaeam irruisse et duabus cladibus Ahasum attrivisse videntur. Quae sententia priori praeferenda videtur, et a Vitringa his maxime rationibus confirmatur. — Expeditionem regum Syriae et Israel in Iudaeam, quam liber Regum et vates noster describunt, esse posteriorem adparet 1) ex eo, quod ad illam Ahasus et Iudaei tantopere commovebantur. Vid. infra vs. 2. Quod si vero Ahasus tunc producere potuit exercitum supra centum millia virorum fortium, nulla fuit caussa ante eventum in omni proelio dubium tanti metus. Patet igitur illum exercitum iam antea in prima expeditione, quae II Chron. XXVIII describitur, fuisse caesum. Vid. vs. 6 cap. cit. 2) Non potuerunt hi reges consilium inire de obsidendis Hierosolymis, nisi iam antea fudissent Abasi copias, eiusque fregissent vires, quae decedente Iothamo plane adhuc integrae erant. 3) Patet ex vs. 16. cap. nostri“, atque ex IV Reg. XVI, 7, „Ahasum cogitasse de auxilio regis Assyriae, quod non fecisse putandus est, nisi desperatis rebus post magnam iam acceptam cladem. — Reges Syriae et Israelis contra Iudaeam expeditiones una plures suscepisse concludi potest inde, quod II Reg. XV, 37 dicitur circa illud tempus (sub finem regnantis Iothami) *coepisse* Iovam Rezinem et Pecachum in Iudaeam immittere“ [1]). Nec alia fuit Hieronymi sententia; ita enim loquitur. *Legimus in paralipomenon libro Rasin regem Damasci, victo Achaz, multos de Iudaea Damascum transtulisse, et Phacee filium Romeliae regem decem tribuum, quae appellabantur Israel, et regnabat in Samaria, una die centum viginti millia percussisse de Iuda hominum bellatorum, et ducenta millia mulierum puerorumque et puellarum cum infinita praeda in Samariam duxisse captiva. De quo certamine propheta nunc*

[1]) Schol. in Is. I Argum.

tacuit, sed SECUNDUM *refert proelium, quando experimentum habentes fortitudinis suae atque victoriae, et invitati praedae magnitudine, rursum veniunt ad Iudaeam* [1]).

5 Quibus positis facile intelligimus non ante annum tertium, ex quo Achaz Ioathamo patri demortuo successerat, oraculum edi potuisse. Postquam enim ipse per se regnum gerere coepit, a patriis religionibus et ipse recessit [2]), et populum avertit [3]). Mox Deus, ab ipso poenas repuscere quum decrevisset [4]), *tradidit . . . eum . . . in manu regis Syriae, qui percussit eum, magnamque praedam cepit de eius imperio* [5]). Exin Achaz novum exercitum comparavit viginti saltem et centum hominum millium [6]). Verum a Deo *manibus quoque regis Israel traditus est et percussus plaga grandi; occiditque Phacee filius Romeliae de Iuda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores, . . . ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, et puellarum, et infinitam praedam* [7]). Denique foedere alter cum altero inito, *ascendit Rasin rex Syriae et Phacee filius Romeliae rex Israel in Ierusalem ad praeliandum* [8]); ac tunc demum Isaias vaticinium hoc edidit. Quae omnia intra biennium gesta fuisse nemo facile credat.

6 Aiebam oraculum editum esse intra tertium annum, ex quo Ioathamo patri successerat Achaz, ipseque per se regnum gerere coeperat. Si enim historias utriusque regni, Iudaeorum et Israelitarum, inter se conferre studeas, attendasque, qua aetate tum Achaz tum Ezechias filius regnum accepisse narrantur, concludas oportet, Achazum una cum patre regnasse annos septem aut octo, hosque colligi summa annorum sexdecim, quot integrum eius regnum duravit, Ezechiam autem una cum Achazo patre annum unum, non tamen amplius. Tabella quae infra est, haec omnia te perspicue docebit, ex eaque intelliges, ut necesse non sit credere Achazum liberis operam dedisse ante, quam nonum mensem ageret supra decimum aetatis annum; qua de re in alio loco disseruimus [9]). Recole etiam, quae alibi [10]) dicta sunt de modo, quo Iudaei annos regum tum suorum tum extraneorum computabant.

Series annorum viginti novem.	Neomeniae nisanis et tisri.	Anni regum Iudaeorum sacri, id est, ducendi a neomenia nisanis.	Anni regum Israelitarum civiles, id est, ducendi a neomenia tisri.	*ΧΡΟΝΙΚΑ* ab anno LI regni Azariae regis Iudaeorum usque ad captam Samariam decemque tribus captivas abductas a Salmanasare rege Assyriorum.
I	n.	51		Annus LI Azariae regis Iudaeorum, qui et Ozias vocabatur [11]).
	t.		2. 1	Annus II Phaceiae, I Phaceae, regum Israelitarum.
II	n.	52. 1		Annus LII Azariae, I Ioathami. regum Iudaeorum.
	„			Moritur Phaceia, quum regnasset annos II [12]), interfectus a Phacee, qui ei succedit *anno quinquagesimo secundo Azariae regis Iuda* [13]).
	t.		2	Annus II Phaceae.
	„			Moritur Azarias, quum regnasset annos LII [14]), ei succedit Ioatham filius [15]) *anno secundo Phaceae filii Romeliae regis Israel* [16]).
X	n.	9. 1		Annus IX Ioathami, I Achazi, regum Iudaeorum simul regnantium.
	„			Intra hunc annum Achazum annos natum XX [17]), atque ducet aetas, qua Ezechias filius regnare coepit [18]), anno XXI fere expleto ipsoque anni initio, id est, ineunte mense nisane una cum Ioathamo patre regnare coepisse colligimus ex ipsa historia [19]).

[1]) In Is. VII, 1. [2]) IV Reg. XVI, 2—4; II Par. XXVIII, 1—4. [3]) II Par. ib. 6. [4]) Conf. ib. [5]) Ib. 5. [6]) Ib. 6. [7]) Ib. 5. 6. 8. [8]) IV Reg. XVI, 5; Is. VII, 1. [9]) Diss. IX. c. XL [10]) Diss. XIX. n. 6; XXXV. n. 25. [11]) Conf. IV Reg. XV, 1—7 cum 30. 32 et II Par. XXVI, 1—23. [12]) IV Reg. ib. 23. [13]) Ib. 27. [14]) Ib. 2. [15]) Ib. 7. [16]) Ib. 32. [17]) Ib. XVI, 2. [18]) Ib. XVIII, 2. [19]) Conf. ib. XV, 27. 30 et XVI, 1 et XVII, 1.

XVII	n.	16. 8. 1		Annus XVI Ioathami, VIII Achazi, simul regnantium, I Achazi regnantis post Ioathamum patrem.
	t.		17	Annus XVII Phaceae.
	„			Moritur Ioatham, quum regnasset annos XVI [1]), Achaz eius filius regnare solus incipit [2]) *anno decimo septimo Phaceae regis Israel* [3]).
XIX	n.	10. 3		Annus Achazi regnantis X a primo, III ab altero regni exordio.
	„			Intra annum hunc *ascendit Rasin, rex Syriae et Phacee filius Romeliae rex Israel in Ierusalem ad praeliandum contra eam, et non potuerunt debellare eam* [4]); *cumque obsiderent Achaz, non valuerunt debellare eum* [5]), secundum id, quod tunc (5) Isaias vaticinatus est, praenuntians simul huius rei signum, id est, Virginem Emmanuelem parituram. Non multo post Rasin rex Syriae interfectus est a Theglathphalasare rege Assyriorum, et urbs Damascus civibus vastata [6]), nec non regio Israelitarum [7]), atque ita vaticinium ex parte impletum est.
XX	„	11. 4		Annus Achazi regnantis XI a primo, IV ab altero regni exordio.
	t.		20	Annus XX Phaceae.
XXI	n.	12. 5		Annus Achazi regnantis XII a primo, V ab altero regni exordio, qui annus XX Ionthami dicitur [8]), estque re ipsa.
	„			Moritur Phacee, paullo ante mensem tisri, exeunte anno regni XX [9]), interfectus ab Osee *vicesimo anno Ioathami filii Oziae* [10]) id est, *anno duodecimo Achaz* [11]) a primo regni exordio, impleturque omnino Isaiae vaticinium [12]).
	t.	◦	1	Annus I Oseae regis Israelitarum.
	„			Osea hoc ipso anno ipsoque mense tisri ineunte regnare incipit *anno duodecimo Achaz regis Iuda* [13]).
XXIII	n.	14. 7		Annus Achazi regnantis XIV a primo, VII ab altero regni exordio.
	t.		3	Annus III Oseae.
XXIV	n.	15. 8. 1		Annus Achazi regnantis XV a primo, VIII ab altero regni exordio, I Ezechiae regnantis cum patre.
	„			Intra hunc annum Ezechias, annum agens aetatis XXV [14]), vix tamen inceptum, idque paullo ante mensem tisri, quantum colligimus ex aetate, qua Achaz eius pater regnare coeperat [15]), incipit regnare cum patre, sicut ipsa historia credere suadet [16]), *anno tertio Osee filii Ela regis Israel* [17]).
XXV	„	16. 9. 2. 1.		Annus Achazi regnantis XVI a primo, IX ab altero regni exordio, Ezechiae regnantis cum patre II, regnantis post patrem I.
	„			Moritur Achaz, quum regnasset annos XVI a primo [18]), IX ab altero regni exordio. Ezechias solus regnare incipit.
XXVII	n.	4. 3		Annus Ezechiae regnantis IV a primo, III ab altero regni exordio.
	t.		7	Annus VII Oseae.
	„			*Anno quarto regis Ezechiae, qui erat annus septimus Osee filii Ela, regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, et oppugnavit eam* [19]).
XXIX	n.	6. 5		Annus Ezechiae regnantis VI a primo, V ab altero regni exordio.
	t.		9	Annus IX Oseae.
	„			*Post annos tres* obsidionis, *anno sexto Ezechiae, id est, nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria, et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios* [20]).

[1]) Ib. XV, 33. [2]) Ib. 38. [3]) Ib. XVI, 1. [4]) Ib. VII, 1; IV Reg. XVI, 5. [5]) IV Reg. ib. [6]) Ib XVI, 9. [7]) Ib. XV, 29. [8]) Ib. 30. [9]) Ib. 27. [10]) Ib. 30. [11]) Ib. XVII, 1. [12]) Is. VII, 16. [13]) IV Reg. XVII, 1. [14]) Ib. XVIII, 2. [15]) Ib. XVI, 2. [16]) Conf. ib. et XVII, 1 et XVIII, 1. [17]) Ib. XVIII, 1. [18]) Ib. XVI, 2. [19]) Ib. XVIII, 9. [20]) Ib. 10. 11.

Quae temporum ratio sic putata id unum praefert incommodi, quod initium utriusque regni, Achazi inquam, et Ezechiae, componitur quidem, ut in libris Regum fieri solet, cum annis regum Israelitarum, sed Achazi regnantis post patrem [1]), Ezechiae vero regnantis cum patre [2]); quod incommodum sane, parexiguum, ubi id compenses cum ceteris, quae secundum hanc rationem commodissime habent, prorsus evanescet, saltem haud tale videbitur, ob quod ratio haec tota in dubium revocari iure possit.

CAPUT II

Vaticinii verba illustrantur.

7 In ipsis huius vaticinii verbis vix est, quod minus liqueat, atque perspicuum sit, nisi quod nominis העלמה, in quo veluti summa rei est, veram significationem pervertere conati sunt, atque etiam num conantur, non Iudaei modo, sed et Sociniani, Rationalistae, ceteraque huiusmodi negotia. Quamobrem primum de nomine hoc uberius et fusius dicemus, tum nonnulla de reliquis verbis, si quae sunt, quae indigeant explicatione.

PARS I

De nomine העלמה.

8 Quisquis Catholicus haberi vult, neutrum potest in dubium vocare, sive nomen עלמה in hoc vaticinio idem esse ac *virginem*, sive eo non aliam designari, quam Mariam Christi matrem; nam et patres omnes, quotquot hoc vaticinium sunt interpretati, et Matthaeus, imo et angelus ad Iosephum legatus [3]), eam significationem huic nomini subiectam esse nos docuerunt. Neque tamen, cur ita sentiamus, unis auctoritatibus ducimur, ac veluti compellimur, sed praecepta artis *ἑρμηνευτικῆς* nos aliter sentire vetant. Ne quis vero me, dum haec affirmo, teneri studio partium suspicetur, rem agam testimonio eius, in quem huiusmodi suspicio cadere minimum potest, Rosenmuelleri minoris, inquam, qui [4]) utrumque illud ita evicit, ut vix sperandum sit fore alterum, qui melius ac plenius id ipsum praestare queat. Quum vero, ut vix reperias, quod addas eius disputationi, ita nec, quid inde demas, facile appareat, operae pretium erit procul dubio illam integram, tametsi longiuscula ea sit, in has paginas referre. Sic autem ea est.

9 „Planum et simplicem nostri oraculi sensum, quem supra in annotatione enarravimus, obscuratum deprehendimus iam primis rei christianae temporibus a Iudaeis contra Christianos disputantibus. Christianis enim hoc vaticinio Iesum Maria virgine natum praenuntiari perhibentibus, Matth. I, 18—23; Luc. I, 26—36, ut Iudaei grave argumentum eriperent, quo divinitus missum esse Iesum probare illi solebant, Hiskiam (Ezechiam) potius aut alium Iesaiae aetate nasciturum puerum innui contenderunt.“

10 „Ita secundo christiano seculo Iudaeus, quem secum disserentem inducit Iustinus martyr *Dial. cum Tryphone* p. 262. edit. Lips., et doctores tunc temporis iudaici hoc oraculum exposuerunt. *Ἐπεὶ δὲ*, inquit Iustinus, *ὑμεῖς καὶ οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν τολμᾶτε λέγειν, μηδὲ εἰρέσθαι ἐν τῇ προφητείᾳ τοῦ Ἡσαΐου· ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, ἀλλ' ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ ἐξηγεῖσθε τὴν προφητείαν ὡς εἰς Ἐζεκίαν τὸν γενόμενον ὑμῶν βασιλέα, πειράσομαι καὶ ἐν τούτῳ καθ' ὑμῶν βραχέα ἐξηγήσασθαι κ. τ. λ.* (Quoniam vos et magistri vestri audetis dicere, non dici in prophetia Isaiae: Ecce virgo in utero habebit, sed: Ecce iuvencula in utero accipiet, et exponitis prophetiam, tamquam pertineat ad Ezechiam, qui rex vester fuit, tentabo et in hoc contra vos breviter exponere etc.) — Eandem interpretationem profert Hieronymus, simulque vero refutat: Hebraei, ait, hoc de Ezechia filio Achaz prophetari arbitrantur, quod ipso regnante sit capta Samaria, quod omnino probari non potest. Siquidem Achaz filius Ioatbam regnavit super Iudam et Hierusalem annis sedecim, cui successit in regnum filius eius Ezechias annos natus vigintiquinque, et regnavit super Iudam et Hierusalem annis vigintinovem. Quomodo ergo, ut demus primo anno Achaz hanc ad eum factam prophetiam, de Ezechiae conceptu dicitur et nativitate, quum eo tempore, quo regnare coepit Achaz, iam novem Ezechias esset annorum? Nisi forte sextum Ezechiae regni annum, quo est capta

[1]) IV Reg. XVI, 1. [2]) Ib. XVIII, 1. [3]) Matth. I, 20—23. Diss. XV. n. 54. [4]) Schol. in Is. l. c. pp. 301 seqq. edit. tert. Lipsiae 1829.

Samaria, infantiam eius appellari dicant, non aetatis, sed imperii; quod coactum esse atque violentum etiam stultis patet."

11 „Recentiores Iudaei interpretes alio se vertunt. Et Iarchi quidem, qui ipse refellit hanc suorum sententiam, qui ex Hiskia faciunt Immanuelem, virgine, quae Immanuelem sit pariturа, uxorem prophetae intelligit, quae VIII, 3 נביאה *prophetissa* dicitur. Hoc modo autem huius loci interpretationem instituit. — Uxor mea iuvencula (עלמה) concipiet hoc anno, qui fuit regni Ahasi quartus, filiumque pariet, quem ob mox futuram liberationem, quam divino concita motu praesagit, Immanuelem vocabit, i. e. Rupes nostra erit nobiscum. Id igitur est signum (אות) promissum, quod femina admodum iuvencula, quae numquam antea est vaticinata, afflatu divino ventura videbit. Neque enim uxor prophetae נביאה vocatur, nisi ipsa quoque sit fatidica. — Eadem fere Aben Esrae est sententia, qui tres recenset filios Iesaiae, symbolica omnes nomina gerentes, Schear-Iaschubem supra vs. 3, Immanuelem, et, qui deinceps occurret, Maher-Schalal-Chasbazum, de quibus ipse propheta VIII, 18: — En me et pueros, quos mihi Iova dedit, sumus signa et prodigia in Israele. — Eadem est I. E. Fabri Ad *Harmeri* Observatt. super Oriente a se teutonice factas et notis illustratas P. I. p. 280, Pliischkii Analecten P. I. partic. 2. p. 66, et Gesenii, sententia. Similem interpretationem affert Hieronymus: — Quidam de nostris Isaium prophetam duos filios habuisse contendit, Iasub et Emmanuel; et Emmanuel de prophetissa uxore eius esse generatum in typum Domini Salvatoris. Haud longe diversa Grotii opinio, nisi quod is Immanuelem eundem velit esse puerum, qui appellatus mox est Maher-Schalal-Chasbaz VIII, 3, duplici videlicet nomine prophetico insigniendum."

12 „Verum hanc sententiam, quae עלמה facit *coniugem Iesaiae*, solide refellit Kimchi duobus argumentis, quae speciem omnem illi adimunt. Primum est, si propheta hic loquutus esset de coniuge sua, illam vocasset נביאה *prophetissam*, ut infra VIII, 3. Quis enim credat prophetam, si de sua loquutus esset coniuge, non eam designaturum fuisse nomine aliquo, quo cognosci et ab aliis feminis dignosci possit? Imo, si vel maxime, quod Grotius vult, loquutus esset de virgine aliqua ab ipso adsciscenda hoc tempore in coniugium, debuisset utique eum certa aliqua nota sic describere et designare, ut alii intelligere possint, illum de sua potius coniuge, quam de qualicumque alia loqui. Alterum Kimchii est, non posse hanc sententiam consistere cum loco VIII, 8, ubi propheta, verba faciens de Assyriis, ait: — Extensiones alarum eius implebunt latitudinem terrae tuae, o Immanuel. — Patere inde, per *Immanuelem* intelligi personam aliquam illustrem, *cuius* dici possit *esse Iudaea*, qui non potest esse minor filio regis." Neque dicas cum Grotio, Gesenio, aliisque, eo ie loco *terram Emmanuelis* dici patriam huius regionem. Etenim, ut recte animadvertit Hengstenbergius, *fieri quidem subinde potest, ut vocabulo huic* (ארץ *terrae*) *ex orationis contextu haec notatio subsit; verum, cur hoc in loco propheta filium suum Emmanuelem, non alium, alloquatur, enarratores illi caussam nullam afferre possunt* [1]).

13 Neque tamen, quod ipse Kimchi contendit, עלמה esse Ahasi coniugem, magis est probabile. Eam enim simpliciter hoc nomine appellasse, vix est credibile. Cur enim non dixisset, quod quilibet alius in tali casu diceret, *coniux tua?* Vel, si de regina loquutus esset, cur eam non potius appellasset מלכה *reginam* aut גבירה *dominam*, *augustam*, quae appellationes usu fuerunt receptae? Ipsi quoque Kimchio obstat locus VIII, 8 ab eo productus, quo alios oppugnat. Si enim hic intelligatur alius quidam Ahasi filius, quam Hiskias, quomodo *eius* dici potest fuisse terra Iudaea? Hiskias enim solus fuit regni haeres. Veteres Iudaei, quum id animadverterent, hic Hiskiam designari dixerunt; verum id iam refutavit Hieronymus, cuius verba supra attulimus, refelluntque ipsi Iudaei recentiores, ut antea monuimus. Parum praeterea videri queat probabile, Ahasum vel coniugem eius, si vel maxime detur designari per עלמה, puerum aliquem in sua domo nasciturum vocaturum fuisse Immanuelem; illum, inquam, Ahasem, quem constat exigua fuisse in Deum fide.

14 „Gravissimum vero, quod utrique, vel de Iesaiae, vel de Ahasi coniuge, expositioni obstat, est illud, quod עלמה de nupta femina ex usu loquendi intelligi plane nequeat, sed *virginem* denotet. Nihil est, quod obvertunt Hebraei et Christianorum ii, qui Immanuelem prophetae filium faciunt, nomen עלמה solemmodo respicere *aetatem*, non *statum* feminae *virginalem* aut *coniugalem*, significare igitur feminam *iuvenem*, sive *nuptam*, sive *innuptam*, perinde ac עלם designat *adolescentem*. Hinc est, quod Aquila et Theodotio, proselyti Iudaei, voce ad interpretandum עלמה *νεᾶνις* sunt usi; vide, quem supra attulimus, Iustini martyris locum. Verum probat constans vocis usus in vetere testamento, עלמה, numquam de *nupta*, sed ubique de *innupta* femina dici. Occurrit praeter nostrum

[1]) Christologie I Th. II Abth. pp. 93. 94. Berlin 1829.

locum sexies. Primo Genes. XXIV, 43, ubi de Rebecca nondum nupta, quae vs. 16 בתולה ואיש לא ידעה *virgo, quam vir non cognovit*, dicitur. Tum Ex. II, 8 de innupta Mosis sorore adhibetur. Tertio loco Ps. LXVIII, 26 עלמות sunt *puellae*, quae instrumentis musicis Deum celebrant. Porro Cantic. I, 3, ubi עלמות sponsum amare dicuntur, nemo facile de uxoribus cogitabit. Et Cant. VI, 8, ubi עלמות distinguuntur a מלכות *reginis* et פלגשים *concubinis*, illae vix aliae nisi *virgines* esse possunt."

15 „Unus restat locus valde vexatus Proverb. XXX, 19, quem urgent, qui contrariam sententiam defendunt. Illo loco inter quatuor occulta et impervestigabilia recensentur דרך גבר בעלמה, ubi עלמה Iudaei eandem volunt esse, quae versu proximo dicitur אשה מנאפת *femina adultera*, ad eam enim applicari, quae paroemiastes de עלמה dixerat. Verum hanc scriptor a femina adultera manifeste distinguit; tantum illius exemplum ad hanc transfert. Locus agit de furtivis et clandestinis amoribus et congressu, quem vir cum *puella innupta* exercet, nemine praeter amantes conscio, dum interea illa pro virgine habetur, et, quid vitii sibi haereat, ita dissimulat, ut ab aliis id frustra pervestigetur. Est igitur, quae hic עלמה *virgo* dicitur, talis ex communi fama, iudicio, et opinione aliorum." Hanc explicationem comparatio, quae sequitur, mulieris adulterae cum tali עלמה non modo non refellit, sed porro confirmat; nam sicut illa honesta ac fida uxor haberi pergit, ita haec virgo intaminata. Animadverte etiam interpretes alexandrinum, syrum, vulgatum, pro nomine hebraico reddidisse *in adolescentia*, non *in virgine*, Symmachum vero *ἐν νεανιδι in iuvencula;* at Ionathanem *in virgine*. Tum ecquod arcanum exhibet *via viri in iuvencula?*

16 „Nolumus cum pluribus superioris aetatis interpretibus *virginis* notionem voci עלמה vindicare ex eius etymo, etsi speciosum sit. Observant עלמה esse ab עלם, cuius forma niphal נעלם *absconditum, occultum esse, ignorari* designat, ut עלומים *ignorata, occulta*, quae notio in omnibus vocibus derivatis regnat .... Ita iam Hieronymus in *Commentar.* ad h. l.: — *Alma*, non solum *puella* vel *virgo*, sed cum *ἐπιτάσει virgo abscondita* dicitur et *secreta*, quae numquam virorum patuerit adspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. — Et idem in libro de *Traditionibus ebraicis:* — *Alma*, quod interpretatur *abscondita*, id est, virgo nimia diligentia custodita, maioris mihi videtur laudis esse, quam virgo. Virgo quippe iuxta Apostolum potest esse corpore, et non spiritu. Abscondita vero quae virgo est, *ἐπίτασιν* virginitatis habet, ut et virgo sit, et abscondita, et, quae abscondita est iuxta idioma linguae ebraeae, consequenter et virgo est, quae autem virgo, non statim sequitur, ut abscondita sit. — Eiusmodi tamen ex etymologia petitis argumentis, utpote perquam incertis, parum tribuendum videtur; praesertim quum arabica dialectus aliud etymon offerat, non minus aut forsan magis commodum, غلم *coeundi cupidus, libidinosus fuit*... Sed nobis, uti diximus, sufficit usus loquendi, qui עלמה de *puella innupta* usurpat, seu virgo sit, seu talis censeatur, neque unquam adhibet in puella, quae sit uxor."

17 „Intellexisse autem Isaiam, cum haec loqueretur, *virginem parituram*, verba eius ipsa demonstrant. Nam eodem hic loquitur modo, quo postea VIII, 3, cum dicit: — Prophetissa concepit, et peperit filium, — iungens נביאה *prophetissa* verbis ותהר ותלד, et partum attribuit ei feminae, quae sit uxor, cum parit. Ergo similiter attribuit nunc partum ei feminae, quae sit virgo, non quae antea fuerit. Ita omnes loquuntur; nec dicat maritus: *Mea virgo peperit*, cum dicere vellet: *Mea uxor peperit*, etsi uxorem suam duxerit virginem. — Lingua quoque punica, ait Hieronymus, quae de Hebraeorum fontibus manare dicitur, proprie virgo *Alma* appellatur; — additque paulo post: — Et, quantum cum mea pugno memoria, numquam me arbitror *alma* in muliere nupta legisse, sed in ea, quae virgo est; ut non solum virgo sit, sed virgo iunioris aetatis et in annis adolescentiae.

18 „Quod vero praecipuum est, huic vocis עלמה usui hoc loco suffragatur ipsius rei indoles, atque extra dubium collocat, proponi virginem parturientem tamquam Immanuelis matrem. Nisi enim partum miraculosum intelligas, quem Deus ipse signum non interiturae domus davidicae constituat, nemo dixerit, quid illud sit in hac prophetia, quod sustineat locum et vicem *signi* sive *prodigii*. Par est credere, prophetam hac voce eodem sensu uti, quo eam usurpaverat vs. 11, ubi manifeste sumitur de signo aliquo *prodigiali*, non memoriali, sive verbali, vel qualicunque alio. Quis vero *signi prodigialis* aut miraculi locum habeat, si ex congressu viri evadit gravida, quae virgo esse desiit? Recte Hieronymus: — Quando dicitur: *Dabit Dominus ipse vobis signum*, novum debet esse atque mirabile. Sin autem iuvencula vel puella, ut Iudaei volunt, et non virgo, pariat, quale signum poterit appellari, quum hoc nomen aetatis sit, non integritatis? — Gemina his habet" Chrysostomus [1]), item „Theodoretus in Commentar. ad vs. 14. Item Irenaeus [2]): — Quid enim magnum

[1]) In h. l. [2]) Adversus haereses L. III. c. 21, § 6.

aut signum fieret in eo, quod adolescentula, concipiens ex viro, peperisset? quod evenit omnibus, quae pariunt, mulieribus. — Nec non Tertullianus [1]). — Signum autem a Deo nisi novitas aliqua monstrosa fuisset, signum non videretur. Et paullo post: Nihil signum videri possit res quotidiana, iuvenculae scilicet praegnatus et partus. — Haerent hic Hebraei et Christiani interpretes illi, qui עלמה de *nupta femina* capiunt, neque, quomodo se se expediant, facile inveniunt". Hactenus Rosenmuellerus. Lege etiam Hengstenbergii Christologiam [2]).

PARS II

De ceteris vaticinii verbis.

19 ***Audite ergo, domus David.*** Non ultra Achazum, qui oblatum signum respuerat, sed ***domum Davidis***, id est, Davidis posteros in universum alloquitur Isaias, ut apparet etiam ex verbo ***audite***, et ex ceteris verbis et pronominibus pluralibus, quae sequuntur, לכם, מכם, תלאו [3]), maxime autem ex oppositione, quae est inter verba ***Pete tibi*** [4]) et ***dabit vobis*** [5]). Hac appellatione etiam ***proceres, qui regem comitabantur*** designari ait Rosenmuellerus. Falso, nam dicendum fuisset potius ***domus Achazi*** aut ***domus regis***, quum huiusmodi appellationes ***domus David, domus Aaron, domus Levi***, ubi ea narrantur, quae post horum aetatem sunt gesta, numquam aliud significant, quam ipsorum posteritatem. Cur vero ita Isaias illos compellat? cur ipsorum a Davide originem hac appellatione in mentem ipsis revocat? Scilicet, qui ea de re loquuturus erat, quae ad totam Davidis posteritatem spectabat. Certe non ideo, ut illos, qui praesentes aderant, ad studium excitaret aemulandi Davidis in Deum pietatem ac fidem, non enim praesentibus, quos haud meliores Achazo arguit communis obiurgatio [6]), sed universae Davidis posteritati Deus signum daturus praedicitur, adque hanc vatis oratio dirigitur. Neque illud opponas, quod Isaias signum iis ipsis polliceri videatur, quos obiurgat; haec enim obiurgatio *παρενθετος* est, idque mox ostendemus. Manifestum itaque est ad totam Davidis posteritatem, non ad unum Achazum, ea pertinere, quae Isaias subiungit, totique illi posteritati inque eius gratiam vaticinium edi. Considera, quod superius legimus in Is. VII, 2.

20 ***Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.*** Videlicet non propterea, quia Deo molesti essetis, sed quia Achaz signum a Deo petere recusat, propterea Deus, Deus ipse, signum hoc dabit, neque iam uni Achazo, sed vobis, o posteri Davidis, quotquot fuistis atque eritis. Constat igitur, quod modo (19) diximus, et signum, quod Isaias praedixit, non ad unum Achazum, sed ad totam Davidis progeniem spectare, et *παρενθετον* esse illam obiurgationem, quae est in v. 13. Quid sonet vox ***signum*** hoc in loco, inferius [7]) dicetur.

21 ***Virgo*** hebraice העלמה cum articulo, ut vocant, demonstrativo, quo quum nomina instruuntur, alterutrum significant, vel totum genus, vel unum de genere certum ac definitum. Primum nequit hoc in loco esse designatum, hoc est, omne genus virginum; ergo alterum, virgo, inquam, ***illa***, *ἡ παρθενος* (*la vergine*), quemadmodum in libro geneseos haec ipsa virgo, eodem articulo adhibito, dicitur האשה *ἡ γυνη* (*la donna*) [8]). Quod argumentum ex articulo petitum urgebat etiam Chrysostomus [9]), eoque ii etiam refutantur, qui nomine עלמה virginem quamcumque signari putant, ut sensus sit: ***Circa illud tempus, quo quaevis, quae adhuc virgo est, filium ederetur (intra novem menses) omnia laetiore vice conversum iri*** [10]); quem sensum si accipias, signum ab Isaia promissum, curve virginum potius quam mulierum quarumcumque mentio fiat, frustra quaeres. Posito autem neque Achazi coniugem esse, neque Isaiae, neque virginem alterutri desponsam, neque feminam ullam, quae tunc viveret, eam, quam designat nomen עלמה, quumque patris potissimum ratio in natalibus habenda sit, illud subit quaerendum, cur in Emmanuelis ortu praedicendo, non patris, sed matris dumtaxat mentionem fecerit Isaias. Cuius rei potiorem caussam censeo cuipiam repertum iri, quam Emmanuelem absque patre fuisse procreandum? quo nomini עלמה significatio ***virgo innupta*** magis atque magis adseritur hoc in loco. Cui haec probantur, is et illud accipiat necesse est, Michaeam (24. 34) quoque de hac ipsa virgine loquutum esse, ubi sic vaticinabatur: ***Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet*** [11]).

22 ***Concipiet et pariet.*** Hebraice est הרה וילדת, ut tota sententia sit: ***En virginem illam concipientem et parientem filium.*** Etenim, quod alii iam animadverterunt, הרה ***non est, ut quidam volunt, tertia praeteriti, quam per generis enallagen pro feminino הרתה positam volunt, sed vel par-***

---

[1]) Adversus Iudaeos c. 9. [2]) Christolog. I Th. II Abth. pp. 69—71. Berlin 1829. [3]) Is. VII, 13. 14. [4]) Ib. 11. [5]) Ib. 14. [6]) Ib. 13. [7]) Cap. III. [8]) Gen. III, 15. [9]) In h. l. [10]) *Michael. ap. Hengst.* op. cit. p. 92. [11]) Mich. V, 2.

ticipium verbi inusitati הור, *idem quod* הרה CONCIPERE, *vel, uti vult Gesenius, forma feminina adiectivi* הרה . . . . *Convenit cum sequenti* וילדת ET PARIT [1]). Quum autem de re futura propheta loqueretur, tum alexandrini interpretes tum Hieronymus utramque vocem expressere adhibito verbo futuri temporis, *ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται concipiet et pariet.* Ipsum hanc eamdem loquendi formam reperies in Gen. XVI, 11 et in Iudic. XIII, 5. 7 [2]).

23 *Et vocabitur nomen eius.* De verbo קראת ita Hieronymus: *Verbum* CARATH, *quod omnes interpretati sunt* VOCABIS, *potest intelligi et* VOCABIT, *quod ipsa scilicet virgo, quae concipiet et pariet, hoc Christum appellatura sit nomine* [3]). *Ita* יקראת inquit Rosenmuellerus, *contracte erit positum pro* יקראה, *ut a* קרה *legitur* קראת OBVENIAT *Deut. XXXI, 29*, עשת FECIT *Levit. XXV, 21*, נפלאת ADMIRABILIS EST *Ps. CXVIII, 23* [4]). Alias [5]) iam vidimus, ut verbum *vocari* Hebraeis tantumdem subinde valeret ac *esse*; ex quo iure colligas verbo *vocare* notionem subesse posse *efficere, ut aliquid sit* [6]), eaque huic verbo subest re ipsa non uno in loco, verbi gratia, apud Paulum in epistola ad Romanos scripta [7]), et in illa Moysis enuntiatione: *Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem* [8]). Quod autem haec notio huic verbo subsit in hoc loco, facile vincas, quum Christus *Emmanuel* haudquaquam fuerit vocatus. Sic sensit etiam Chrysostomus: *Dicet quis*, inquit: *Cur igitur non vocatum est nomen eius Emmanuel, sed Iesus?* Quia scilicet ἐνταῦθα . . . τῷ συμβαίνοντι ὄνομα τίθησι *hic rei, quae contigit, nomen imponit. Et scripturae mos iste est, res, quae contingunt, pro nomine ponere* [9]). Neque secus scripserat Origenes hac de re: *Hoc, quod dicitur* EMMANUEL, *non unum nomen sonat, sed rem significat; adveniente quippe Iesu dicimus*: NOBISCUM DEUS [10]). Enimvero nemo natus dicitur in scripturis sacris, cui nomen *Emmanuel* inditum; non igitur *vocari* idem hoc in loco est ac *nomen habere*, sed tantumdem ac *esse*. Itaque Isaias de eo loquitur procul dubio, qui et *Deus* est, et *nobiscum* est, qualis esse nemo alius potest, nisi Christus. Proinde sensus est, ipsam virginem id effecturam, ut is, quem paritura erat, *Emmanuel* esset, *Nobiscum Deus*, θεάνθρωπος. Moris autem fuisse, ut matres nomen filiis imponerent, alias demonstravimus [11]).

24 *Emmanuel*, עמנו אל, NOBISCUM DEUS, quam interpretationem Matthaeus ipse nomini huic subiecit. Cur autem hoc nomine Christum designaverit Isaias, non una ratio est. Etenim *per fidelissimum sequestrem Dei et hominum Iesum Christum*, ut hunc appellat Tertullianus [12]), *nobiscum Deus* pacem reconciliavit [13]). Ad hoc, quum Christus sit Deus, eo in terris degente, *nobiscum Deus* conversatus esse vere ac proprie dicebatur [14]). Potissimum vero illud est, quod *nobiscum Deus*, natura humana videlicet cum divina in una Christi persona coniuncta est; quae nominis vis ac significatio maxime omnium propria habenda est, quippe quia, non tam *reconciliationem* aut *conversationem*, quam duorum, quorum notiones comprehendit, *coniunctionem*, nomen hoc ipsum per se exprimere apparet, humanae, inquam, divinaeque naturae. Dignus sane est, qui hanc nominis huius significationem exponens legatur Cyrillus Alexandrinus [15]). Lege etiam Tertullianum [16]), Lactantium [17]), et Theodoretum [18]), qui omnes eodem hoc modo hoc nomen interpretantur. Sed placet hac de re testimonia ex scholis Rationalistarum arcessere. *Puero nomine* עמנו אל *appellando*, inquit Rosenmuellerus, *portendi patet populi iudaici a malis et adversis liberationem eiusque defensionem adversus qualescumque hostes. Eam vero praestandam esse ab ipso illo e virgine nascituro masculo, qui vere sit Deus, humana natura adsumpta inter homines versaturo, adeoque re ipsa* עמנו אל θεάνθρωπος, *manifestum est inde, quod in eodem hoc vaticinio, infra IX, 5, puer ille nasciturus diserte dicitur appellandus inter alia esse* אל גבור DEUS FORTIS [19]). Si conferas cum hoc Isaiae oraculo oraculum Michaeae [20]), in quo utraque Christi nativitas commemoratur, ipsa oraculi utriusque similitudo, de qua infra (34) dicemus, hanc nominis *Emmanuelis* interpretationem, puto, magis tibi magisque probabit (21).

25 *Butyrum et mel comedet.* Butyrum et mel priscis aetatibus cibum infantium fuisse, pluribus argumentis vicit Bochartus [21]). Habes in his, quo defendas Christum hoc vaticinio ita fuisse praenuntiatum, ut qui verus homo simul ac verus Deus esset futurus. Etenim, ut adnotavit Hieronymus, horum significatio haec est: *Ne eum putes in phantasmate nasciturum, cibis utetur infantiae*; in summa haec eo pertinent, *ut veritas humani corporis approbetur.* Sanchez vero ex his colligit,

---

[1]) *Rosenmuell.* Schol. in h. l. [2]) Diss. XV. n. 56. [3]) In h. l. [4]) Schol. in h. l. [5]) Diss. VII. n. 7. [6]) *Thom.* 1. q. 63. a. 2. [7]) Rom. IV, 17. [8]) Genes. I, 5. Lege *Piancini* In histor. creation. mosaic. comment. §§ 35. 36. Neapol. 1851. [9]) In Matth. hom. V. § 2. Conf. *Id.* in Is. h. l. [10]) In Ezech. hom. I. § 4. [11]) Diss. VII. n. 5. [12]) De resurrect. carn. cc. 51. 63. [13]) Conf. II Cor. V, 18. 19; Eph. II, 15. 16; Coloss. I, 20. 22. [14]) Conf. Bar. III, 38. [15]) Schol. De incarnat. Unigen. cc. 1. seqq. [16]) Adv. Iud. c. 9. Contr. Marcion. L. III. c. 13. [17]) Divinar. institut. L. IV. c. 12. [18]) In Matth. ad h. l. [19]) Schol. in h. l. [20]) Mich. V, 2. 3. [21]) Hierozoic. P. I. L. II. c. 51.

sermonem hic non esse de eo, qui tantum homo sit. Quid enim inusitatum aut mirandum, si homo butyro pascatur et melle? Sed novum est, atque adeo pars quaedam signi, quod promittitur, *Deum eo se demisisse, ut instar infantis mellis indigeat et butyri* [1]. Rosenmuellerus, qui, ut signi promissi rationem naturamque declararet, contendit, Isaiam hoc errore ductum, ut existimaret signum, de quo vaticinabatur, fore *προγνωστικον*, virgineamque parituram Emmanuelem ante, quam regnis Syrorum atque Israelitarum vastitas ab Assyriis inferretur, haec verba ita interpretatur: *Quum infra vs. 22 eo, quod lac spissum et mel omnium terrae Iudaicae incolarum victus sit futurus, terrae illius desolatio significetur, recte I. B. Michaelis, I. E. Faber in Nott. ad* OBSERVATT. SUPER ORIENTE *P. I. p. 284, Eichhorn, Gesenius, alii, et hoc loco indicari existimant, fore, ut primis nascituri pueri vitae annis, terra ob incolarum defectum inculta iaceat* [2]. Ego vero, utrum oscitantibus illis, an aliud agentibus, haec exciderint, magnopere dubito. Mittam equidem errorem illum Isaiae, de quo post (44), mittam et illud, quod appareat haec verba partem esse vaticinii, partemque signi ab Isaia praedicti bis contineri, mittam quoque *θεοπνευστειαν* numenque, quo vates haec loquens agebatur; esto tantisper, haec Isaias ipse, per se nulloque divino afflatu compulsus, loquutus fuerit. Verum, his positis, qui poterat, sodes, nosse Isaias, *fore, ut primis nascituri pueri vitae annis terra inculta* iaceret? imo toto illo annorum spatio, eoque certo ac definito, quot anni ab ortu hominum esse solent, donec ratione uti incipiant, non pluribus nec paucioribus? Num coniectando id compertum habere potuit, aut vaticinari se simulans confinxit? Quasi vero non alia omnia is speraret, qui solari eos, quos alloquebatur, unice studebat, metumque omnem ab horum animis propellere [3], atque ipsos securos reddere certissima pollicitatione, fore, ut hostium consilia et conatus in cassum ad unum omnes caderent [4]. Miraberis autem Hengstenbergium, qui, tametsi expers erroris Rosenmuelleri, eadem tamen ac ille ductus ratione eamdem habuit horum verborum interpretationem. Qua in re longe gravius ipse peccavit, quam Rosenmuellerus, quum totum oraculum praeclare adeo interpretatus, ut neque Catholicus quid melius flagitare queat, minime tamen animadvertit, ut verba *butyrum et mel comedet* de Christo dicta esse nullo modo possent, si his ea significatio subesset [5]; quod quidem longe incommodius est incommodo illo, quod, etsi fictum, Hengstenbergius [6] reformidabat, nostra interpretatione interruptum esse nexum versiculorum decimiquarti et decimisexti. Ceterum, quod infra in hoc ipso capite Isaiae dictione hac *butyrum et mel comedere* [7], ut isti sentiunt, *terrae desolatio* significetur, quodque ideo hoc etiam in loco id ipsum debeat significari, horum quidem alterum minus fortasse *λογικως* dictum est, alterum plane *ἀλόγως*. Etenim infra, ubi ea verba denuo leguntur, utique *terrae desolatio* est, de qua loquitur Isaias, sed aliis atque aliis verbis, quae vero addit: *butyrum enim et mel manducabit omnis, qui relictus fuerit in medio terrae*, non his ipsa *terrae desolatio* significatur, sed longe aliud, nimirum, ut magis *λογικως* loquitur Hieronymus, *quod terra fertilior sit et magis apta pascuis*, idque utique *cultorum raritate*. Verum, licet in hoc altero loco ea foret horum verborum significatio, quam illi defendunt, non hoc vincerent eamdem in ipso oraculo, de quo agimus, esse oportere. Neque enim ullum praeterea habent sententiae suae argumentum; at istud levius sane est, quam ut satis sit, quo efficiant loquendi rationem ac morem significationi illi opitulari, quum opponere queamus quamdam Iobi sententiam [8], in qua *torrentes mellis et butyri*, aeque ac illud huius plane simile *fluens lacte et melle*, quod in bibliis frequentissimum est, felicissimam regionum conditionem significant.

26 *Ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Particulam *ut* alii aliter interpretantur, sicut videre est apud Sanctium [9]. Quarum interpretationum nulla verior esse posse videtur, quam cuius ipse Hieronymus, qui particulam illam hoc in loco usurpavit, auctor est. Ea vero sic est: *Ne eum putes in phantasmate nasciturum, cibis utetur infantiae, butyrum comedet et lac. Et licet hoc dicatur, ut veritas humani corporis approbetur, tamen, adhuc pannis involutus et butyro pastus et melle, habebit boni malique iudicium, ut reprobans mala eligat bona. Non quod hoc fecerit, aut reprobaverit, vel elegerit; sed quod scierit reprobare et eligere, ut per haec verba noscamus, infantiam humani corporis divinae non praeiudicasse sapientiae* [10]. Quae Hieronymi verba sic explicat Sanctius: *Hieronymus videtur particulam* UT *interpretari adversative pro* QUAMVIS, *quod est apud Latinos frequens, hoc sensu:* QUAMVIS *Emmanuel, quia perfectam habeat in corpore infantili sapientiam, excedatque infinitis spatiis aliorum infantium capacitatem, illorum* TAMEN *instar butyro pascetur et melle. Eodem modo Hoymo et s. Thomas* [11]. Attamen, quod idem ipse Sanctius aliique post hunc

[1] In h. l. [2] Schol. in h. l. [3] Is. VII, 4. [4] Ib. 7. [5] Op. cit. p. 84. [6] Op. cit. p. 82. [7] Is. VII, 22. [8] Iob. XX, 17. [9] In h. l. [10] In h. l. [11] In h. l.

animadverterunt, putandum omnino est, *notari in particula* UT, in quantum hebraicae particulae vim ea referre debet, *connexionem quamdam ad certum usque terminum, id est* USQUE DUM SCIAT. *Hebr. est* לדעתו, *id est,* AD SCIRE IPSIUS .... *Est ergo sensus: Quemadmodum alii pueri, antequam sciant internascere bonum a malo, butyro pascuntur et melle, illis nimirum alimentis, quae aetati tenerae atque infantili idonea sunt, sic Emmanuel in aetate illa tenera, usque dum ad id aetatis adoleverit, in quo pueri alii discernere solent inter bonum et malum, ad ignorantium infantium morem infantilibus etiam pascetur cibis* [1]). Hebraicum ל, quum verbum infinitum habet adiunctum, tantumdem subinde valere ac *donec, usque dum*, nemo ignorat, qui hebraice novit. Lege Lev. XXIV, 12; Iob. XXXVIII, 13; Dan. IX, 24, et cetera non pauca, quae congessit Noldius [2]). Illud *scire reprobare malum et eligere bonum* una est illarum dictionum, quibus, ubi de pueris sermo est, exprimi solet rationis usus, quem nondum ii sunt consequuti; similes autem huius sunt *nosse bonum et malum* [3]), *scire vocare patrem et matrem* [4]), *discernere inter dexteram et sinistram* [5]).

CAPUT III

De signo ab Isaia promisso

27 Nunc duplex quaestio eaque sane gravis habenda est, quidnam illud sit, quod a Deo exhibendum dicitur, signumque futurum veritatis eorum, quae Isaias fuerat vaticinatus; sique id aliud non est, quam ortus Christi ex virgine, qui potuerit ea res pro huiusmodi signo haberi. Diversae de utraque re feruntur sententiae, quas inter ceteros recensuere Sanctius et Rosenmuellerus, nosque superius (10—13) ex parte saltem indicavimus; quarum tamen pleraeque quum pendeant ex falsis interpretationibus oraculi, veluti si de alio quam de Christo dictum fuerit, non eas nunc refutare studebimus. *Quam frigide haec omnia dicantur*, inquit Rosenmuellerus de his interpretationibus loquens, *quam sint exilia et longe infra exspectationem, quam propheta magnificis verbis Achaso et populo fecerat, unusquisque, et nobis non monentibus, sentiet ipse.*

28 Praeterire tamen haud oportet sententiam, quae fuit Sanctio, utque videtur etiam Baltusio [6]), non ortum Christi ab Isaia praenuntiari tamquam signum, quo domus Davidis certior fieret sese periculo, quod imminebat, esse liberandam, sed e contrario liberationem hanc signo futuram, quo certo ea speraret, imo et confideret, Christum universi generis humani liberatorem tandem oriturum. Quae sententia si staret, iam signum ab Isaia praedictum nihil haberet quaestionis; sique ea cuipiam sese probat, eam is teneat, haud vetabo, pro ea tamen me praedem minime dedero.

29 Equidem, quod ad primum duorum, de quibus quaeritur, illud defendo, signum, de quo loquitur Isaias, non esse aliud quam ortum Christi ex virgine; utrumque enim constat, signum hoc non aliud esse nisi id ipsum, quod continuo praedicitur, continuo autem praedici Christum ex virgine oriturum.

30 Etenim, si patrum aliorumque scripta versabis, unum Sanctium aut etiam fortasse Baltusium (28) reperies, qui secus senserint; ceterorum vero omnium, atque illorum adeo, qui rem aliam, quam ortum Christi ab Isaia praedici contendunt, nemo unus dubitavit, signum, quod promittitur, esse eam ipsam rem, quam continuo vates praedicit. Enimvero nimis arcte cohaeret contextus seriesque huius orationis: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce* HAALMA *concipiet et cetera*, ut, quisquis haec legit, nequeat non statim sentire signum, quod Deus daturus dicitur, edici illis verbis: *Ecce* HAALMA *concipiet et cetera.* Quid plura? Isaias iusserat Achazum, signum, quodcumque liberet, petere; Achaz renuerat; tunc Isaias: Ergo, inquit, signum Deus ipse dabit. At quale demum? Vel id vates reticuit, vel omnino illud est, quod is statim vaticinatur.

31 Vaticinatur autem Christum ex virgine oriturum. Cui propositioni comprobandae satis superque foret unum testimonium Matthaei seu verius angeli [7]), qui apud Matthaeum sic alloquitur Iosephum: *Τουτο δε όλον γεγονεν, ίνα πληρωθη το ρητον υπο του κυριου δια του προφητου λεγοντος· Ἰδου ἡ παρθενος κ. τ. λ. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo et cetera* [8]). Quosdam vero ex superioribus aetatibus, qui sensum nescio quem *ἐκβατικον* a Matthaeo hic sectari somniarunt, paucis refellunt Rosenmuellerus

[1]) In h. l. [2]) Concordant. particularum ebraeo-chald. ad v. ל no. 11. Ienae 1734. [3]) Deut. I, 39. [4]) Is. VIII, 4. [5]) Ion. IV, 11. [6]) La religion chrétienne prouvée par l'accomplissement des prophéties L. II. p. 140. Paris 1728. [7]) Diss. XV. n. 54. [8]) Matth. I, 22. 23.

minor [1]) atque Hengstenbergius, qui haec scripsit: *Quod vero Matthaeus locum hunc haudquaquam rei, quam narrat, accommodaverit, sed in sensum maxime proprium acceperit, atque interpretatus sit, concorditer sentiunt,* non modo patres atque Catholici, sed et *recentissimi enarratores* de numero Protestantium. *Plueschkius recte animadvertit particulam ἵνα haudquaquam commode in hoc loco, sicut,* quantum ipse autumat, *in aliis quibusdam, accipi posse ut ἐκβατικον, sed, propter illa τουτο δε ὁλον γεγονεν, quae praecedunt, debere intelligi τελικως* [2]).

32 Virginem Christum parituram ab Isaia praenuntiari Christiani omnes usque ad medium saeculum XVIII pro certo habuere, nisi quod aliqui iique pauci cum Grotio putarunt τυπικον esse hoc vaticinium duplicemque huius sensum, alterum literalem, id est, typum ipsum, spiritalem alterum, hoc est, antitypum, Christum, inquam, e virgine oriturum. Quod autem de Iudaeis bibliorum enarratoribus neminem unum reperire sit, qui Christum hoc oraculo praenuntiari docuerit, nemini mirum videbitur, qui meminerit, ut Iudaei ab ipsa prima Christianorum aetate oraculi sensum studuerint pervertere (9. 10).

33 Secus tamen Iudaei, qui eadem ac Christus aetate, quique ante hunc, vixere. Iudaeos enim Christi aequales nobiscum sensisse, testimonio est ipse Matthaeus, qui Hebraeis scribens haud usus fuisset hoc oraculo, quo illos doceret Iesum esse Messiam, nisi minime ii dubitassent de Messis oraculum dictum esse; quod etiam Rosenmuellerus minor adnotavit [3]).

34 Sed, et Iudaeis Christo vetustioribus haud aliam fuisse sententiam de Isaiae vaticinio, argumento sunt alexandrini interpretes bibliorum, qui nomen עלמה nomine παρθενος expressere; quem enim e *virgine* oriturum nisi Christum eos exspectasse putemus? Imo verba Isaiae sic intellexere, qui huius ipsius aetati aequales fuerunt, ut comperimus ex simili Michaeae vaticinio. Is enim eodem tempore, quo Isaias, vivebat [4]). Praenuntiat Michaeas, quae Iudaeis forent perpetienda, simul caussas commonstrans, cur vel in ipsis malis sese laetioris vicis exspectatione consularentur [5]), haec autem concludit praedicens fore, ut huiusmodi malis praemantur, usque dum Christus nascatur; quae conclusio sic est: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio a diebus aeternitatis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, quo* PARTURIENS PARIET [6]). Negare velle hunc partum eum esse, quo in lucem edendus est, *qui sit dominator in Israel,* tantumdem est ac nihil pensi habere arctissimum orationis contextum seriemque συλλελογισμενην totius argumenti. Qui vero hic μεταφορας verborumque immutationes aucupantur, aiuntque Sionem significari, quae superius [7]) feminae parturienti assimilatur, hi talem sensum prophetae verbis affingunt: Iudaeorum mala tunc finem habitura esse, quum finem habebunt; ceterum hos satis refutavit Rosenmuellerus [8]). Ipsam igitur Christi matrem verbis *parturiens pariet* praesignificat Michaeas, atque Rosenmuellerus adnotavit, VIRGINEM *innuit, e qua modo prodigioso Messiam nasciturum sperabant istius aetatis homines* [9]). Cur enim non etiam patris meminit Michaeas? cur non simpliciter dixit: *donec dominator ille nascatur?* Nempe quia sine viri ullius opera *parturiens pariet.* Iam vero attende, ut haec ita dicantur, ut appareat, qui ea loquitur, haudquaquam novum aliquid eum praedicere, sed loqui de re iam nota iis, ad quos verba facit, ideoque, quod sagaciter adnotavit Hengstenbergius, spectare ad aliud vaticinium alias a quo demum cumque dictum de virgine paritura (55. 56).

35 Sed, ne unis auctoritatibus rem efficere velle videamur, aliud atque aliud argumentum afferre iuvat, cur Isaias Christum, non alium, praenuntiasse omnino credatur. Etenim sic sentire suadet magnificus ille verborum apparatus, quo exorditur, non iam ad unum Achazum, sed ad universam Davidis progeniem sese oratione convertens, eosque acerbius castigans, ut qui Deo minime fiderent, ac promittens signum, quod respuerant, ab ipso Deo exhibendum. Nonne enim Isaiam homines risissent tam grandi exordio usum, ut pueri alicuius ortum praediceret, sive is ipsius filius esset, sive Achazi, sive alterius cuiusvis?

36 Insuper vidimus iam (18) signum, quod Isaias pollicetur, non μνημονικον esse oportere aut solummodo δεικτικον, sed mirum quid ac prodigiale, idque esse illud ipsum, quod continuo vaticinatur Isaias (30), hoc est, ortum Emmanuelis ex virgine (18. 31. 34). At quinam ex virgine unquam ortus narratur, nisi Christus? Dices, signum hoc prodigiale esse potuisse ipsum πληρωμα vaticinii de masculo in lucem edendo; neque enim nisi divino numine discere potuisset Isaias masculum

[1]) Ueber die Geburt des Heilandes u. s. w. in *Gablers* Journal f. auserlesene theol. Litt. II. 2. pp. 253—257. 1806. [2]) Op. cit. pp. 73. 74. [3]) Schol. in Is. h. l. [4]) Conf. Is. I, 1 et Mich. I, 1. [5]) Mich. IV. 9—V, 1. Lege *Rosenmuell.* Schol. in h. l. [6]) Mich. V, 2. 3. [7]) Is. IV, 9. 10. [8]) L. c. [9]) Ib.

hunc futurum, non feminam. Id tamen iam refutatum habemus superiore (35) argumento, utque animadvertit Hengstenbergius, nequaquam huc confugere queunt adversarii nostri, quibus id propositum est, ut vera et proprie dicta vaticinia in scripturis sacris haberi negent. Tum agebatur vaticinii veritas, non *subiectiva*, ut vocant, sed *obiectiva*, signo, inquam, opus erat, non quo efficeretur prophetam esse veracem, sed ex quo appareret Davidis progeniem non esse interituram. Adde, quod exiguum sane vel *subiectivae* veritatis indicium fuisset masculi ortus, utpote pari probabilitate ac ortus feminae, masculoque orto dixissent casu factum esse, ut id Isaias divinasset.

37 Denique, quod defendimus, confirmant tum ipsum nomen Emmanuel, tum quae de hoc dicta superius sunt (24). Sed locum (12) parumper repetamus, ubi vates Emmanuelem alloquens haec aiebat: ***Et erit extensio alarum eius***, id est, regis Assyriorum, ***implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel*** [1]. Aiunt, nihil inde colligi, quod e re nostra sit. Nam Deus est, qui loquitur cum Isaia; sic enim is exorditur: ***Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc dicens*** [2], ideoque illud ***terrae tuae*** tantumdem valet ac terram patriamque regionem Isaiae; neque enim credere est, quod Deus, dum vatem alloquitur, orationem concludat eam ex improviso convertens ad Emmanuelem. Nomen עמנו אל, non proprium alicuius nomen est hoc in loco, sed vertendum ***nobiscum Deus***, sicut verterunt interpretes alexandrini atque arabs in polyglottis, estque exordium orationis ipsius Isaiae, quam is, post relatas Dei minas, habet ad populum, ut hunc excitet spe opis a Deo, ipso eius scelerum vindice, exspectandae; idque manifesto comprobat orationis conclusio: כי עמנו אל ***quia nobiscum Deus***, ut vertit etiam Hieronymus, conclusio, inquam, eadem atque exordium. Quae quidem omnia acute admodum atque argute. Unum tamen obstat, quominus victi manus demus, estque illud, quod ponunt, Deum esse, qui Isaiam alloquatur; id enim falso ponitur, non enim Deus Isaiam, sed Isaias Dei verba referens populum alloquitur. Audi ipsum Isaiam: ***Et adiecit Dominus loqui ad me dicens: Pro eo, quod abiecit populus iste***, decem tribus videlicet, ***aquas Siloe et cetera, . . . propter hoc ecce*** DOMINUS ADDUCET ***super eos aquas fluminis et cetera*** [3]. Hoc autem posito, nisi Emmanuel sit nomen proprium, atque adeo eius, quem vates compellat, de quonam dictum est illud ***terrae*** TUAE? Quinam autem iste Emmanuel? Num vatis filius? At quinam nunc locus huius pueri mentioni, tam improvisae praesertim tamque repentinae, huius autem potius quam alius? Cur facta mentio non potius est alterius filii Seariasubi, utpote maioris natu [4]? Num filius Achazi? At procul dubio alius, quam Ezechias (10). Quorsum igitur, non Ezechiam, qui quum in Iudaea regnaturus esset, poterat Iudaea ***terra eius*** dici commodissime, sed alium vates compellat? Enimvero, quocumque te vertas, nihil hic videas nisi Christum.

38 Comperto, ut signum, quod Isaias a Deo exhibendum pollicetur, sit ipse Christi ortus ex virgine continuo ab eo praenuntiatus, quod superest, videamus oportet, qui potuerit veritatis eorum, quae de Iudaea hostium metu mox liberanda vaticinabatur Isaias, res haec signum esse.

39 Etenim, inquies, quaenam convenientia Christi ex virgine orituri cum interitu utriusque regni, Syrorum et Israelitarum, ut prius posterioris signum haberi atque hoc ex illo colligi posset? Paucis; quaenam haec argumentandi ratio: Christus nascetur ex virgine; ergo illa regna interibunt? Tu vero velim mihi dicas, num maior convenientia haec in ortu eius, quem vel Achaz, vel Isaias, vel quivis alter, genuisset? Num magis λογικῶς quis ita ratiocinetur: Achazo, aut Isaiae, aut cui demum cumque, filius oriturus est; interitus igitur regnorum hostilium certo exspectandus? Ceterum novimus alias quoque signa exhibita, quorum nulla erat convenientia cum re, quam significabant. Talia sunt portenta illa, sive Abrahae visa, quae Dei pollicitationes ratas fecere [5], sive quibus Moysi felix legationis suae exitus fuit praesignificatus [6], item, quae idem ipse Moyses patravit coram Israelitis, ut de hac ipsa re eos certiores faceret [7], quae in Gedeonis gratiam edita sunt, ut minime dubitaret Israelitas captivitate se esse liberaturum [8], quae in Ezechiae, ut certo confideret sanitatem a se esse reciperandam [9], et cetera. Porro autem infra (47) demonstrabimus talem signorum cum re signata convenientiam minime requiri. Quod tamen attinet ad signum ab Isaia praedictum, convenientiam hanc in eo haud desiderari facile intelligimus.

40 Nam, quid consilii hostes ceperint, refert Isaias ipsorum verbis, quae sic sunt: ***Ascendamus ad Iudam, ut suscitemus eum, et avellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio eius filium Tabeel*** [10]. Propositum igitur illis erat exstinguere Davidis progeniem; neque enim alio pacto spe-

[1] Is. VIII, 8. [2] Ib. 5. [3] Ib. 5–7. [4] Conf. Ib. VII, 3. 14. [5] Gen. XV, 9–18. [6] Ex. IV, 2–7. [7] Ib. 30. 31. [8] Iudic. VI, 36–40. [9] IV Reg. XX, 8–11. [10] Is. VII, 6.

rare poterant sese consilium illud exsequuturos perfecturosque. At Isaias Davidis posteros bono animo esse iubet, praenuntians fore, ut hostium cogitata incassum cadant [1]). Sed quo argumentu id crederent? Nimirum quia virgo de ipsorum stirpe Christum olim paritura est. Neque aliter Theodoretus rem hanc explanavit: *Hanc itaque prophetiam non temere hoc loco protulit, sed quia hostium impressionem metuebant, qui regnum davidicum se destructuros minabantur, apte docet, illos, quae fieri nequeunt, tentare. Oportet enim, inquit, davidicam stirpem conservari, donec veniat, cui repositum est* [2]). Quare, si signum cum re signata conveniat oportet, constat id, quod opponebatur, quin ullam nobis afferat difficultatem, opitulari imo, nostraeque oraculi interpretationi eo magis suffragari, quo maior est convenientia illa signumque longe aptius atque opportunius, si Isaias Christi ortum, quam si ortum alterius cuiusvis, vaticinatus est.

41 At enim, quantumvis summam Christi e sua ipsius familia orituri exspectationem Achazo attulissent verba Isaiae, non hoc spes illi fiebat se ex periculo, in quo tunc versabatur, esse eripiendum. Etsi enim e sua familia, non tamen certo noverat ex progenie sua Christum oriri oportere; tum, licet id nosset, nulla hinc ipsi securitas, Ezechias quippe eius filius iam ad duodecimum aetatis annum adoleverat. Verum fac, memineris (19. 20), non Achazo verba facere Isaiam; neque illi signum a Deo exhiberi, sed posteris Davidis in universum; nullo iam negotio haec omnia refelles.

42 Pergunt nihilominus adversarii nos urgere, aiuntque, quum Isaias nec Christum nominet, nec quidquam dicat, quo quis suspicari possit eum loqui de Christo, profecto nec ipsos Davidis posteros, siquidem hos Isaias alloquebatur, de Christo eum loqui animadvertere potuisse. Attamen, quid his respondeamus, suggessit iam Hengstenbergius: *Aetate illa vulgo creditum Christum olim oriturum, populoque salutem ab eo esse afferendam. Nam et vates ceteri Isaiae aequales, Oseas* [3]) *et Michaeas* [4]), *ita de Christo vaticinantur, ut positum habeant se populo haud ignota loqui* [5]). Item igitur vaticinatur Isaias. Quum autem et puerum praenuntiaret, quem virgo paritura foret, et ita virginem hanc designaret, ut quae nemini nota non esset, et puerum ipsum Emmanuelem, hoc est, *Nobiscum Deus*, vocatum iri praediceret, et haec omnia progeniei Davidis, ut quae ad eam spectarent, loqueretur, agere se de Christo satis profecto prae se ferebat; quod infra (55. 56) plenius apparebit.

43 Nunc illud longe gravius superest declarandum, qui putuerit res tam longo post tempore futura praenuntia esse securitatis, quam Iudaeis interitus hostilium regnorum brevi attulisset, ut illa res veloti signum exhiberi posset, quo certa huius alterius rei spes fieret atque exspectatio.

44 Rosenmuellero id facile se extricare posse confidit, et, postquam Isaiae verba, saltem quae sunt in versu decimo quarto, interpretatus est sane luculenter, vicitque nil nisi Christum ab eo esse praesignificatum, haud dubitavit ita concludere: *Quod spei, quae vatem tenuit, fore, ut illustris ille populi sui servator propediem appariturus sit, non respondit eventus, haud debet nos movere, ut de eo vatem cogitasse negemus* [6]). Ideo igitur Isaias tale signum proposuisset, quia ductus errore veri putaret Christum oriturum esse ante, quam regna Syrorum atque Israelitarum interirent. Quae quidem utrum inepta potius an pugnantia haberi debeant, non facile dixerim. Neque enim quaeritur de signi opportunitate, quam vates perspiceret, qui signum praenuntiabat, sed quam Deus ipse, qui illud daturus praedicebatur; repugnat autem verum ac proprie dictum vaticinium, quale illud, quod Isaias protulit, ipse etiam Rosenmuellerus esse sensit, aut sentire debuit procul dubio, utpote qui nobiscum defenderet, Isaiam loquutum esse de virgine Christum pariturа, quod vatem, nisi a Deo, tam clare doceri non potuisse quisque intelligit, repugnat, inquam, eamdem enuntiationem et verum vaticinium esse, et aliquid falsi in se admixtum habere. Quod si putes signum a vaticinio hic esse separandum, ut hoc Deo ipsi, illud vati, attribuantur, dicas etiam necesse est, quum vates signum aliquod praebere vellet, quo priori praedictioni de hostium exitio fidem conciliaret, ipsius menti virginem Christum pariturаm a Deo obiectam fuisse, quo ille signo, tametsi errore veri, ad id, quod volebat, uteretur; quo semel posito eadem quaestio rursus foret instauranda, imo gravioribus affecta difficultatibus. Ceterum hoc signum, non ab Isaia, sed a Deo exhiberi, Isaias apertis verbis ipse adseverat.

45 Itaque de ea re, quae nunc in controversiam vocatur, equidem sic intelligo. Qui hanc controversiam movent, in eo decipi, quod autument, Isaiae, imo ipsi Deo, id consilii fuisse, ut signum rei, quam praedixerat, προγνωστικον vellet exhibere; id scilicet adeo falsum est, ut quod falsissimum, quum constet signum promissum non aliud esse, quam ortum Christi ex virgine. Hoc, inquam, certo constat; non ergo signum προγνωστικον Isaias pollicitus est, ideoque nec est controversiae illi locus.

[1]) Ib. 7–9. [2]) In Is. VII, 14. [3]) Os. III, 5. [4]) Mich. V. [5]) Op. cit. p. 78. [6]) Schol. in Is. VII, 14.

Neqoe id novom aut inaoditom, ut signom a Deo exhibentur, qood post rem siguatum sit futurum. Lege Ex. III, 12; I Reg. X, 7. 9 coll. 1; IV Reg. XIX, 29 coll. 20. 35; Is. XXXVII, 30 coll. 21. 36; Ierem. XLIV, 29. 30 coll. 24—28.

46 Instant tamen adversarii nostri, signa in his bibliorum capitibns dicta, etsi post rem siguatam, tamen exhibenda fuisse, atque exhibita re veru esse, quum adhuc ii viverent, quibus fuerant praenuntiata, proinde hos oculis suis ea conspexisse, aut certo coospicere pntuisse; nt secos dicendum de iis, quos Isaius alloquebatur. Ceterum nondum liquere, qui pnssit id, quod longo post tempore fieri debet, signum esse eius, qood multo ante factum est. Quare, ut id liqueat, simulqne tricns omnes, in quas signum illud coniicere stndent, extricare queas, primum de huiusmodi signorum natura et usn paoca sultem in uuiversum dicamns, tum quid de signo, quod Isaias pollicetur, sentieudum sit.

47 Etenim, qui nostrae illins signi interpretationi ea veluti obiectant, quae hacteous refutavimus, positum habeut, signum quodeumque quid simile esse oportere, uc sunt in argumentatione prnpositio aut nssumptio, nt, sieut ex his neeessario efficitur conelusio, sic etium ex aigno notitia rei signutae; quod n vero longissime abest. Est enim, quod Hebruei אות, Lutini *signum*, vncant, ut id definit Foreellinius, *nota, indicium, quidquid nos in alterius rei notitiam ducit* [1]), non tamen snapte nuturn aot per ae, aed quocomque modo. Proinde apparet signum prius re signata esse neutiquam oportere, neque natnralem ullam requiri unius cum altero eonvenieutiam. Apparet quoqne, nt multiplex sit signorom genos ac modus.

48 Alia euim suut, quorum usns, etsi illa Deus quoque subinde usurpet, tamen, neque quod nd modum significationis, in quuntum videlicet ea sunt signa, vim naturae atque ordinem haud excedit. Signn id genus in bibliis commemorata commode distribuas in *δειχτιχα*, ut Ex. XXXI, 13. 17; I Reg. XIV, 10; Ps. LXXVI, 4. 9; LXXXVI, 17; Ezech. XX, 12. 20, in *μνημονιχα*, ut Gen. XVII, 11; Ex. XIII, 9. 16; Num. XVII, 3. 25 hebr.; Deot. VI, 8; XI, 18; Ios. IV, 6; Iob. XXI, 29, in *διοριζομενα*, ut Gen. I, 14; Ex. XII, 13; Num. II, 2; Ios. II, 12; Is. LXVI, 19; atque ad hoc primum genos *τα γοητιχα* revocare oportet, id est, praestigias, ineautamenta, eeteraqoe fnlsa ac mendacia prodigia, qualia commemoraotur in Deut. XIII, 2. 3; Is. XLIV, 25; Ier. X, 2.

49 Alterum uignorum genus est, quae edere aut ad rem significnndam usurpare unns Deus potest; enque vel repraeseutantur, vel praenuntiantur. Quae reprnesentantur, sunt vel prodigialia, vel vaticina, vel utrumque simul. Prodigiule signum voco ipsum prodigium, quo siguificator vel res praeterita, estque signum *μνημονιχον*, ut Gen. IX, 12. 13. 17, vel discrimen rerum, estque signum *διοριζομενον*, nt Gen. IV, 15, vel rerum veritas, estque signum *πιστιχον*, qnnlia sunt pleraque, ut Ex. IV, 8. 9. 17. 28. 30 coll. 1. 5. 31; Num. XIV, 11; Deut. IV, 34 coll. 35; Ins. XXIV, 17 coll. 16; Iud. VI, 17; Ps. LXV, 9 atque ad sontes simul puniendns plerumque osurpata, nt Ex. VII, 3; VIII, 19; X, 1. 2; Num. XIV, 22; Deut. VI, 22; VII, 19; XI, 3; XXVI, 8; XXIX, 2; XXXIV, 11; II Esdr. IX, 10; Psalm. LXXVIII, 43; CV, 27; CXXXV, 9; Ier. XXXII, 21. 30; Ezech. XIV, 8. Signum vaticiuum prodigii quidem expers est, n Deo tamen vel Dei nomine exhibetur tamquum symbolum rei, quue futura praedicitur, utque apparet, nnn ad fidem praedietioni concilinndam, sed ud quamdsm exornntionem; talia habes in Is. VIII, 18; XX, 3; Ez. IV, 3. Signum deuique prodigiule simul et vaticioium est prodigium, qood vatieiuio additur nd huius veritatem significndam cnmprobaudamque, ideoque inter *πιστιχα* sigua numerandom, nt IV Reg. XX, 8. 9; Is. VII, 11; XXXVIII, 7. 22. Omnia autem id genus signu, qoae repraesentantur, nihil habeut quaestionis. Qnue nutem aigna olim futura praeuuntiautur, eorum nounulla *μνημονιχα* solummodo sunt, ut in Is. XIX, 20; LV, 13, aut simul *πιστιχην* aliquam *δυναμιν* prae se feruut, qnod geuus babentur mala illn, quae prnedicitnr fore, ut olim in eos ingruant, qui Dei leges neglexerint, sicut in Deut. XXVIII, 46 coll. 45; Ezech. XIV, 8; cetera vero *πιστιχα* omnino sunt, sive prodigia ea sint, sive nou, eoque spectant, ut confirment veritatem eornm, quae iam faeta nnrrantur, ut Ex. III, 12; I Reg. X, 7. 9 eoll. 1, aut pruedictionum, quibus nna cum ipso signo res significata prnenuntiatur vel post illud futura, ut I Reg. II, 34, vel aute illud, ut IV Reg. XIX, 29 coll. 20. 35; Is. XXXVII, 30 coll. 21. 36; Ier. XLIV, 29. 30 coll. 24—28, utque est ipsum signum nb Isaia praeuuntiatum, qno de nunc quaerimus. De omnibus his, quue praenuutiantur, signis nullam nobis difficultutem ea afferunt, quue *μνημονιχα* snnt; aed neque *πιστιχα*, quae ante rem siguatam exhibenda eraot, nam qood ad haec, si quis litem

[1]) Lexic. ad h. v.

moveat, concedas licet, necesse haud fuisse praedictioni rei signatae antea fidem adiungere, quam signum praenuntiatum exhiberetur.

50 Signa igitur, de quibus quaeri potest, an apta atque idonea essent ad faciendam fidem, illa dumtaxat sunt, quae post rem signatam futura erant. Etenim, inquiunt, quum talia signa, sive Deus sive propheta, ad fidem dictis suis conciliandam praenuntiabat, fidem hanc quis differre haud poterat in illud tempus, quo signum fuisset exhibitum, postquam rem, quae significabatur, factam iam is viderat, quo tempore non amplius signo opus habebat; proinde vel statim dictis fidem adiungebat, vel certe ante signum exhibitum. Nullo igitur modo argumentum, quo dictis fides conciliabatur, aut fiebat, ipsa signi datio esse poterat. Sed neque signi praedictio. Sive enim Deo aut prophetae affirmanti rem aliquam factam iam aut olim certo futuram esse quis crederet, sive non, neuter id magis credidisset propterea, quia praedictio alterius rei dictis addita foret; nam, qui verbis Dei aut prophetae fidem adiungebant, his supervacanea talis praedictio, qui vero secus, plane inutilis, quum neque huic adiungerent. Quorsum igitur huiusmodi signa sive exhibita, sive praenuntiata? Atque haec summa est argumentorum, cur id genus signa ad fidem faciendam aeque apta neque opportuna quibusdam videantur. Attamen, sive istam argumentationem universe consideres, sive singulatim ipsa signa, de quibus est disceptatio, aliter existimandum esse facile senties.

51 Itaque attendere oportet, ut, quotiescumque aliquod id genus signum praenuntiatur a Deo aut a prophetis, ratiocinatio talis sit: Ea, quae dicuntur, adeo vera esse, ut certo illud futurum est, quod signi vicem praestat. Vides, opinor, ut argumentum, quo fides dictis conciliatur, licet non ipsa signi datio sit neque eius praedictio, ducatur tamen ex ipso signo exque ipsius signi veritate. Id iam ex parte explicuit Rosenmuellerus: *Ut significemus certissime eventurum esse id, quod praedicimus,* aut certo constare, quod affirmamus, *nonnumquam pollicemur talem rem, quae id ipsum . . . consecutura est; quod nulla alia ex caussa facimus, nisi ut alter intelligat, nobis certissime esse persuasum, . . . quod dicimus. Et hoc sensu vocabulum* אות *non semel in scriptis Hebraeorum usurpatur, scilicet ut indicet id, quod rem aliquam* factam iam aut *promissam secuturum sit, et* quod *eo fine praedicitur, ut alter intelligat, rem ipsam . . . certissime esse* factam aut *eventurum* [1]). Proinde dubitare non est, illa et signa esse, et *πιστικα* esse, aptaque ad faciendam fidem, quum sint argumentum veritatis dictorum, ad quam confirmandam illorum mentio fit ab eo, qui loquitur; si qui vero huiusmodi argumento minime credebant, non hoc quidquam deperibat eius veritati aut firmitati.

52 Animadverte insuper, etsi constet omnibus id genus signis inditam *πιστικην* illam *δυναμιν*, non tamen eamdem singulis, sed aliam atque aliam. Quibusdam enim ea inerat, quae inest consequenti cuilibet, valetque ad efficiendum verum esse illud, cuius id consequens est, ipsaque enuntiatio signi ac rei signatae connexam quoddam praefert, quod sic est: Si signum certo futurum est, vera sunt, quae dicuntur. Iam vero, ut ait Tullius, *ipsa connexi ratio, cum concesseris superius, cogit inferius concedere* [2]); ideoque, quia signum certo erat futurum, ea, quae dicebantur, vera esse oportebat. Ceteris autem illius modi signis in libros sacros relatis, quamquam post rem signatam futura essent, illud scilicet inerat momentum, quod prodigiis quibusvis, quae fiunt utique ad rem aliquam confirmandam. Pro comperto enim habemus, signa haec ideo fuisse praenuntiata, ut homines certiores fierent, rei, de qua agebatur, sive haec iam facta esset, sive adhuc, attamen ante signi dationem, futura, Deum auctorem esse, proinde hoc erat, non autem ipsa res, quod signo notabatur; hoc autem, etiam qui rem factam iam certo noverant, non ante cogebantur credere remque ipsam Deo auctori attribuere, quam ipsum quoque signum factum viderent. De signis, quae in bibliis leguntur, duo pertinent ad primum argumentorum genus, eaque sunt illud, quod nobis in quaestione nunc est (40), illudque, quod ipse idem Isaias praedixit regi Ezechiae [3]); ad alterum item duo, quod Samuel Sauli [4]), quodque Iudaeis in Aegypto exsulantibus Ieremias [5]), praenuntiarunt; quod vero Deus ipse Moysi atque Israelitis [6]), ad utrumque.

53 Aiebam ad primum horum argumentorum genus pertinere argumentum ductum ex signo, de quo agimus. Signum enim istud consequens erat perennitatis, quae familiae Davidis futura esset, ita, ut, nisi huic familiae foret ea perennitas, neque hoc signum fuisset unquam exspectandum. Quare, si de signi huius datione dubitare haud licebat, nemo profecto poterat perennitatem illam in dubium revocare; ex quo admodum *λογικως* concludebat Isaias, illos hostium conatus minime fuisse metuendos.

---

[1]) Schol. in Is. XXXVII, 30. [2]) Acad. L. IV. c. 30. [3]) IV Reg. XIX, 29 coll. 20. 35; Is. XXXVII, 30 coll. 21. 36. [4]) I Reg. X, 7. 9 coll. 1. graec. et lat. [5]) Ier. XLIV, 29. 30 coll. 24—28. [6]) Ex. III, 12 hebr.

54 Quae modo exposuimus, satis omnino sunt, cur nemo, quantumvis morosus, diffiteri queat, sibi quoque patere opportunitatem signi ab Isaia praenuntiati. Mihi tamen alia demonstrationis ratio in promptu est, quam si cuipiam probavero huic profecto neutra de re dubitare integrum erit, aut Isaiam de Christo ex virgine orituro esse vaticinatum, aut signum illud ab eo ad fidem dictis conciliandam opportunissime adhibitum.

55 Praeter ceteras caussas superius enumeratas, cur ad rem aliquam confirmandam etiam ea signa apta atque idonea haberentur, quae post rem ipsam futura erant, caussa una commemoranda superest, eaque ceteris longe probabilior graviorque, et qua usus huiusmodi signorum plane ἀποδεικτικὸς evadebat, quum, inquam, de signo olim futuro, quod praenuntiabatur, iam certo constabat inter omnes. Atqui tale erat signum ab Isaia praedictum, sicut ex ipsius vaticinii ratione ac modo apparet manifesto. Fac enim, quis nil quidquam de Christo unquam audisset, nil saltem de eius origine a Davide ducenda, nil de virgine eum paritura, nil de eius divinitate simul et humanitate, censen huic pervium ullo pacto futurum fuisse argumenti, quod ex signo ducebatur, aut ipsius oraculi sensum? Enimvero, sicut iam diximus (42), sensus iste satis clarebat, non tamen aliis, nisi quibus illa iam nota aliquatenus essent. Nota igitur ea esse oportuit iis, quos Isaius alloquebatur, siquidem, quae verba faciebat, voluit ab his intelligi. Quod quidem comprobat, magisque confirmat, praedictio illa huius gemina, quam eadem illa aetate habuit Michaeas [1]), et ex qua apparet, ut is positum habuerit, nosse Iudaeos Christum ex virgine fuisse oriturum (21. 24. 34). Itaque duo vaticinia reperiuntur, edita eadem aetate, quibus virgo Christum paritura praenuntiabatur, ita tamen, ut quae nemini nota non esset, atque ita, ut vatis utriusque animum, dum eum praenuntiabat, subierit memoria vetustioris alicuius oraculi, quod de hac eadem ipsa virgine olim datum fuerit, praebueritque hominibus virginis huius notitiam aliquampiam. At quodnam oraculum istud?

56 Nempe illud, quod primum omnium legimus in bibliis: ***Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*** [2]); quibus verbis Christi matrem portendi, eamque absque viri opera Christum parituram, alio in loco demonstravimus [3]). Qui vero autumant, ideo ***semen mulieris*** Christum vocari in hoc oraculo, non quia ἀπάτωρ is esset futurus, sed quia de eius matre sermo est, ii animadvertant, hoc argumento ut plurimum vinci ***filium mulieris*** eum fuisse appellandum, at caussam neutiquam afferri, cur potius, ipso rerum notione neglecta, ***semen mulieris*** appellaretur; bis autem in scripturis matres reperiri, quae, quum ipsae filium quemdam suum designare vellent, usurparentque ad id nomen ***semen***, non ***semen suum*** illum dixere, sed ***semen sibi datum*** [4]). Legimus quidem, ut angelus Agarem alloquens filium, quem ipsa conceperat, dixerit זרעך ***semen tuum*** [5]), item qui Rebeccae Isaaco nupturae fausta adprecabantur [6]). Verum ipsa rei notio postulat, ut illud ***tuum*** non aliud significet, quam ***tibi datum***; ast, ubi Deus serpentem alloquitur, membrorum παραλληλισμὸς exigit, ut ***semen*** non alio modo mulieri tribuatur, quam serpenti, Satanae videlicet, cui quidem, non datum est, sed ἔμφυτον. At enim erat ex orationis decore, ut in altero inciso idem vocabulum adhiberetur ac in primo, in quo est ***semen*** serpentis, atque ita, ne dum in sententiis inque periodi totius membris atque incisis, etiam in ipsis verbis παραλληλισμὸς quum sanctissime servaretur. Verum equidem dubito, an magis ex orationis decore esset παραλληλισμὸν huiusmodi servare, quam rerum notionem, magisque decori huic officeret illum, quam hanc, negligere, praesertim quum hoc incommodum, si quod foret, devitari facile posset, si pro ***semine*** nomen ***filius*** fuisset usurpatum; tum, quid παραλληλισμὸς hoc in loco nos doceat, modo diximus. At enim loquendi ratio prisca illa aetate nondum certo ac definita erat. Sed num magis certa ac definita decora orationis? Tum velim, memineris Deum ipsum esse, qui ea loquebatur, meumque hoc argumentum, non e loquendi ratione, sed e notione rerum esse petitum.

57 Quae quum ita sint, non igitur Isaias rem novam atque ad id indictam vaticinatur, sed apertius rem, quae olim minus aperte praedicta fuerat. Signum, quod a Deo dandum ille pollicetur, est ipse ortus Christi του θεανθρωπου ex virgine de familia Davidis, Iudaeis iam praecognitus atque exspectatus. Argumentum denique luculentissimum, cur hostium consilia de exstinguenda Davidis progenie in cassum cadere oporteret, ducitur ex eo, quod virgo Davide creta Christum olim foret paritura.

---

[1]) Mich. V, 2. 3. [2]) Gen. III, 15. [3]) De interpret. scripturar. sacr. L. II. q. IV. nn. 14. 15. [4]) Gen. IV, 25; I Reg. I, 11. [5]) Gen. XVI, 10. [6]) Ib. XXIV, 60.

CAPUT IV

De re significata.

58 Unum adhuc restat, quod cuiquam obstare potest, quominus oraculi interpretatio a nobis habita omni ex parte ipsi probetur; quare hoc quoque incommodo ea liberanda est. Praedixerat Isaias fore, ut hostes spe sua frustrarentur, quasque in Davidis progeniem commoliebantur, machinae nihil ipsis essent profuturae. Continuo huius rei argumentum attulerat, ductum ex signo Iudaeis iam cognito, quod Deus olim daturus esset, id est, ex virgine de progenie Davidis Christum *τον θεανθρωπον* olim paritura. Nunc demum tempus docet ac modum, quo illa prior praedictio foret implenda: *Quia*, inquit, *antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum* [1]). Quorum verborum, sicut iam animadvertit Sanctius, hic sensus est: *Ante exactum triennale spatium, quo tempore puer discernere solet inter bonum et malum*, utrumque regnum, Syrorum atque Israelitarum, civibus vastandum esse; quod vere praedici rerum eventus demonstravit [2]). Quod autem illa *antequam sciat reprobare malum et eligere bonum* tantumdem sint ac *intra triennium*, manifestum fit ex eo, quod paullo inferius hoc idem ipsum denuo Isaias praedicit his verbis: *Quia, antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariae coram rege Assyriorum* [3]). Verum difficultas in eo est, quod puer in hoc loco commemoratus ipse Emmanuel esse videatur, ac dicere Isaias praedictionem implendam, antequam Emmanuel eam aetatem attingat, qua incipiunt pueri ratione aliquatenus uti.

59 Hieronymus id ita explicat: *Relatum autem ad Emmanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus, facilem habebit intelligentiam; quod ad mysterium et invocationem nominis eius terra Syriae et Samariae Assyrio superante vastetur, et domus David liberetur a duobus regibus, quos metuit, Rasin videlicet et Phacee* [4]). Sed, sicut quisque videt, haec difficultatem nos minime solvunt. Alii aiunt nil hac in re esse quaestionis; nam regiones Syrorum atque Israelitarum vastatae fuere a Theglathphalasare rege Assyriorum, utique intra triennium ab edito hoc vaticinio, sed etiam antequam Christus ad illam aetatem adolevisset. Scilicet septingentis eoque amplius annis. Ast hi nugantur procul dubio. Vidimus iam (44), quomodo rem hanc extricet Rosenmuellerus minor, eiusque commentum refutavimus.

60 Non autem de facili respuenda est Sanctii aliorumque sententia, qui autumant, non Emmanuelem esse, quem signat vocabulum הנער *puer*, imo nec puerum aliquem singularem, sed pueros in universum hoc vocabulo designari (21) in hoc loco, sicut alibi quoque [5]). Ex quo talis verborum sensus exsisteret: Quod Emmanuel *butyrum et mel comedet donec sciat reprobare malum et eligere bonum*, id partem esse signi promissi, ideoque commemorari, quia tempus eo indicatur, atque portenditur, intra quod praedictio futurae tranquillitatis implenda, videlicet *quia*, *antequam*, *quisquis modo adhuc puer est*, *sciat reprobare malum et eligere bonum*, *derelinquetur terra*, *quam tu detestaris et cetera.*

61 Sunt tamen, quibus haec personae immutatio nimis aspera atque abrupta videatur, ac talis, cui orationis contextus refragetur, itemque similitudo praedictionis huius atque eius, quae mox sequitur [6]), et in qua vocabulo הנער filium prophetissae proxime nominatum [7]) designari nemo non sentit; quare in superiore vaticinio filius virginis Emmanuel hoc eodem vocabulo הנער designari dicendus omnino est. Posito autem rem sic se habere, illi interque eos Hengstenbergius nodum hunc belle ac dextere expediunt. *Secundum eorum sententiam putandus est propheta usurpasse temporis spatium inter Messiae ortum mediamque fere infantiam futurum tamquam mensuram, ad quam exigeret praesens tempus, intra quod regio hostibus prorsus erat liberanda. Animadvertere enim cum primis oportet recitari a propheta versiculos 15 et 16, dum eum tenet adhuc ἔκστασις, qua Messias v. 14 ipsi praesens adest, vatemque ipsum, ut semper solet, extra praesens tempus contemplatione sua ferri. Dum vero infans ille puer ante oculos mentis ei obversatur, ipse a puero veluti temporis mensuram commodatam accipit. Significare quippe vult, intra tres circiter*

---

[1]) Is. VII, 16. [2]) IV Reg. XVI, 7—9 et XV, 29. 30. Conf. ib. XVI, 1 et XV, 27. [3]) Is. VIII, 4. [4]) In Is. VII, 16.
[5]) Prov. XXII, 6; Is. III, 5. [6]) Is. VIII, 3—4. [7]) Ib. 3.

annos utrumque hostium regnum vastatum iri; hoc autem exprimit dicens, tantum temporis ad id usque futurum, quantum ab huius pueri ortu, quem ortum, veluti tunc fieret, intuebatur, usque ad mediam eius infantiam [1]). Haud scio, an viderit Hengstenbergius, ut haec interpretatio illustrari et confirmari queat interpretatione, quam ipse habuit verborum *butyrum et mel comedet*, quibus significari ait frugum penuriam, qua ob agros metu hostium incultos per id tempus Iudaei premebantur (25). Animadvertimus quidem hanc illorum verborum interpretationem refelli ipso verbo *comedet*, minusque congruere vatis consilio, atque ex historia minime colligi; haec tamen, si verbum יאכל latine vertas *comedet*. Verum secus, si pro eo reddas *comeditur*, quod fieri sinunt eius literae ipsae per se, quodque fortasse fecerunt interpretes alexandrini reddentes *φαγεται*, graecum enim hoc verbum aeque potest alterutrum significare, *comedet* aut *comeditur*. Verbis enim *butyrum et mel comeditur*, praesentem frugum penuriam agrosque incultos notasset Isaias, verbaque *donec sciat reprobare malum et eligere bonum* eadem ratione explicanda forent, quo verba versiculi insequentis *antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum* explicanda esse modo vidimus, integer autem sensus esset, penuriam illam triennio circiter duraturam, quia intra hoc tempus omni hostium metu Iudaea esset liberanda.

62 Sed tempus est huic disputationi finem facere. Etenim, quum illas tres difficultates (2) removerimus, quibus sublatis nihil est in hoc Isaiae vaticinio, cur credi nequeat dictum esse de Christo, sunt imo, cur credi debeat, quumque alius sit nemo, de quo dictum esse credi possit, tandem aliquando concludere certo licet, virginem de familia Davidis Christum *τον θεανθρωπον* parituram hoc Isaiae vaticinio fuisse praenuntiatam.

DISSERTATIO XVII

Quorsum veterum scripturarum auctoritatem adhibuerint, earumque testimonia attulerint, scriptores Novi Testamenti.

1 Isaiae vaticinium de virgine paritura [2]) apud Matthaeum descriptum [3]) primum est testimoniorum, quae ex vetere foedere deprompta a foederis novi scriptoribus proferuntur. Quum igitur de hoc vaticinio modo disseruerimus, nunc locus est disquirendi, quorsum hi ea testimonia auctoritatesque adhibuerint. Hoc autem nemo probe tenebit, nisi qui veram germanamque vaticiniorum atque oraculorum veteris foederis notionem habeat. Qua de re tres praecipuae sententiae feruntur, Socinianorum, Grotii, et Catholicorum; quarum ubi duas primas expenderimus, tertiam pluribus argumentis confirmabimus, tum quorumdam opiniones refellemus pertinentes ad quaestionem, quam nunc instituimus, praesertim quod adtinet ad vaticinium illud Isaiae a Matthaeo relatum.

CAPUT I

De Socinianorum et Grotii sententia.

2 Negant Sociniani ulla esse in vetere testamento vaticinia proprie dicta; hinc colligunt argumenta ex illis peti nequaquam posse, neque ea ad fidem faciendam a scriptoribus novi testamenti proferri. Quae Socinianorum sententia Marcionitarum olim fuit [4]). Accipiant igitur necesse est, damnatum a Vigilio P. M. patribusque constantinopolitanis [5]) Theodori Mopsuesteni commentum, vetera vaticinia *κατ' ἐκβασιν* et propter unam aliquam rerum similitudinem, quae forte intercederet inter ea, quae his vaticiniis enuntiabantur, interque ea, quae narrabant scriptores Novi Testamenti, in huius paginas eos retulisse. Quod quidem e Socinianorum sententia de prophetiis *λογικως* consequitur; at, quum haec abhorreat a veritate, quo magis *λογικως* illud ex ea consequitur, eo minus veritati consonare, minusque a nobis accipi potest. Ceterum Socinianorum sententiam de prophetiis qui refellerent, fuere iam plures iique sapientissimi viri, quorum opera prostant; nostrae vero partes in praesenti non sunt, ut in illis refutandis diutius immoremur.

[1]) *Hengstenb.* op. cit. p. 84. [2]) Is. VII, 14. [3]) Matth. I, 23. [4]) *Iulius Africanus* apud *Georgium Syncellum* Chronograph. p. 322 edit. Paris. et p. 256 edit. Venet. [5]) Constitut. *Vigilii* capitul. 22—25.

3 Hugonis Grotii sententia est, prophetias fere omnes *τυπικας* esse, proinde earum duos colligi sensus, proximum unum et minus nobilem, quo typos, remotum alterum et sublimem magis, quo typorum *πληρωμα*, id est, Christum resque huius gestas illae significant. Opinionem autem suam de prophetarum oraculis in novum testamentum relatis ita explicat. *Non pugnare apostolos adversus Iudaeos his quasi testimoniis, ut probent Iesum esse promissum Messiam; pauca enim sunt oracula, quae in hunc finem usurpant, contenti ceterum Christi miraculis et resurrectione. Nam (ut ille olim dicebat) aut haec satis erant, aut nihil satis erat. At, quibus iam persuasum erat Iesum esse illum Messiam, his simul ostensum voluerunt, quomodo tota divina οἰκονομια* (DISPENSATIO) *priorum temporum hunc ipsum Christum eiusque res gestas, ut pulcherrimam ac perfectissimam speciem perpetuo veluti ante oculos habens, cetera omnia ad illud instar effinxerit* [1]). Fuse deinde exponit, quomodo *omnia* in vetere testamento fuerint typi ac figurae Christi aut rerum ad Christum pertinentium, Christus vero atque hae res ipsorum typorum *πληρωμα* atque *implementum.*

4 Iniuria quidem inventum istud Grotii inter sociniana placita amandaremus, manifestum enim est a Socinianorum sententia sententiam Grotii discrepare. Etenim hic sensit veras ac proprie dictas prophetias in vetere testamento reperiri. Docet his prophetiis etiam Christum, etsi non *ἀμεσως*, sed per typos, vere tamen praenuntiatum esse. Accipit prophetias aliquas, ut quae proxime atque solummodo Christum significent. Fatetur ultro quorumdam vaticiniorum sensum perspicuiorem sibi videri ex ea parte, quatenus de Christo deque Christi rebus edita illa sunt, quam ex illa, qua ad Christi typos pertinent; lege exempli gratia eius commentarios de Isaiae capitibus XL et LIII. Tenet testimonia prophetarum in novo foedere adhiberi, ut quae verae ac proprie dictae sint prophetiae. Concedit imo ex harum aliquibus argumenta ad aliquid probandum ab evangelistis atque apostolis petita esse.

5 Peccat nihilominus inventum Grotii, et male audit propter ea, quae is dicit de prophetiarum natura ac modo, deque usu, quem hae habent in novo testamento. Quod ad ipsas attinet prophetias peccat illud quidem in primis, quia nimis multas et tantum non omnes prophetias *τυπικας* esse autumat Grotius. Mihi enim huius commentarios, properantibus tamen oculis, perlustranti non aliae occurrerunt prophetiae, quas proxime atque dumtaxat de Christo editas esse ille senserit, praeter has. Prima est Gen. XII, 3 huiusque *παραλληλοι* Gen. XXII, 18, et XXVI, 4. Altera Gen. XLIX, 10. Tertia Ps. CIX, de quo tamen Grotius non satis aperte mentem suam prodit. Quarta Dan. IX, 24. Quinta Agg. II, 7. 8. Sexta Malach. III, 1. Peccat praeterea illud inventum in hoc, quod, ut ei adhaereat, idemque tueatur, necesse ipsi est mire prophetias bene multas torquere, quo alterum sensum, qui ad typum pertineat, ex illis exprimat. Exemplo sit vel unicum Isaiae caput LIII, quod exponere contendit, tamquam si per illud Ieremias huiusque res gestae praedicerentur. Expende etiam, quid scripserit de Mich. V, 2.

6 Huc revocanda est, tametsi longe gravius peccet, sententia Pascalis, qui haec ait: *Si prophetiae unicum sensum habere creduntur,* CERTUM EST *Messiam nondum advenisse; sin duplicem habent, certum est advenisse, eumque esse Iesum Christum* [2]). De quibus ne ea repetam, quae alias animadverti, lege librum a me editum *De interpretatione scripturarum sacrarum* [3]).

7 Quod vero attinet ad usum, quem secundum Grotii sententiam in novo testamento habere dicuntur prophetiae ex testamento vetere productae, peccat haec sententia etiam ex ea parte, quatenus putat ille earum plerasque a scriptoribus novi testamenti haudquaquam afferri, veluti si argumenta inde peterent, sed ideo solum, ut demonstrent quamdam utriusque foederis veluti consonantiam; quare et illas formulas *ἱνα πληρωθῃ ut impleretur, ut adimpleretur,* vult in eum sensum sumi, quo scriptores Iudaei, *ubi factum aliquod veteri* SIMILE *occurrit, dicunt* נתקיים, *ἐπληρωθη*, *sive* COMPROBATUS EST *hic vel ille scripturae locus* [4]). Qua illarum loquutionum interpretatione semel accepta nostra omnis de vaticiniis doctrina labefactetur necesse est, sicut plenius infra ostendemus, siquidem haec *impleri* nihil sit aliud, quam aliquid fieri aut *evenire*, quod *simile* sit rerum a prophetis praedictarum.

8 Animadvertere praeterea est hanc Grotii sententiam de usu, quem prophetiae habent in novo foedere, non modo non consequi ex eius doctrina de natura prophetiarum, sed huic potius adversari, simulque aliae ipsius opinioni, quae verissima tamen est, oracula prophetarum in novo foedere afferri, ut quae vere ac proprie dictae sint prophetiae (4). Si enim oracula haec *τυπικα* erant, quando id fiebat aut eveniebat, quod per typos designabatur, fiebat profecto, atque eveniebat id

---

[1]) In Matth. I, 22. [2]) Pensées, c. 13. n. 2. [3]) Lib. I. n. 393. [4]) In Matth. I, 22.

ipsum, quod ipsis oraculis praedictum fuerat, non autem solummodo aliquid simile; sique illud ipsum, quod fuerat praedictum, fiebat, atque eveniebat, cur illa ad probandum proferri a scriptoribus novi testamenti minime credamus, maxime quum proferantur, ut quae vere et proprie dictae sint prophetiae. Sed de hoc plenius paullo post. Quare dicendus est Grotius, vel minus λογικῶς, quam Sociniani faciant, hac in quaestione ratiocinatus esse, vel doctrinam ac sententiam suam secus, ac sunt, exposuisse, minusque a veritate aberrantem ostentasse.

CAPUT II

De communi Catholicorum sententia.

9 Catholici denique veras ac proprie dictas prophetias de Christo eiusque rebus gestis, nec solum τυπικάς, quarum utique aliquot agnoscunt [1], sed etiam *literales*, ut vocant, quam plurimas, quibus directe atque solummodo Christus huiusque res gestae praenuntientur, in vetere testamento haberi, firmissime credunt, atque asseverant. Quod vero ex hac sententia consequens est, communiter tenent, si paucos quosdam hosque inter Maldonatum nostrum excipias, prophetias hasce in novo testamento ad aliquid probandum adhibitas esse. Ratione autem nos id credere atque asseverare, pluribus confirmare est. Praedicimus tamen, quum id defendimus, haudquaquam negare nos etiam in libris novi testamenti scripturarum verba subinde in sensum, quem vocant *accomodatum*, fuisse usurpata [2].

Primum argumentum.

10 Fuit hoc in more positum Iudaeorum, nec sine optima caussa, ut ex scripturis ac praesertim ex prophetis rationum momenta peterentur, ad controversias de Messia deque iis, quae ad hunc pertinerent, dirimendas (12). Lege Matth. II, 5; XVII, 10; XXIV, 15; Luc. I, 55. 70; VII, 22; XXIV, 25—27; Io, VII, 41. 42. 49. 52; XII, 34; Act. I, 16. 17. 20; II, 16—21. Quam igitur inconsiderate ac negligenter scriptores novi testamenti morem illum neglexissent.

Secundum argumentum.

11 Qui novum foedus praedicabant, ex prophetiis ceterisque scripturis argumenta petebant quam saepissime, quod ex pluribus capitibus Actuum apostolorum compertum habemus. Talibus enim argumentis usus est Petrus, quo confirmaret alium apostolum in locum Iudae fuisse sufficiendum [3], probaretque Iudaeis ea, quae narrabat, sive de Christo in vitam reduce [4], sive de eodem in caelum scandente dextraque patrem assidente [5], sive de apostolis Spiritu sancto afflatis [6], atque evinceret Christum ea pati debuisse, quae passus est [7], eius verbis et doctrinis oportere nos credere [8], demum *remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*, ut ipse loquitur Petrus [9]. Talibus argumentis et Philippus usus est, ubi Christi mysteria edisseruit Aethiopi reginae Candacis ministro [10], talibus Iacobus Petri sententiam comprobans de evangelio ceteris quoque gentibus praeter Iudaeos praedicando [11], talibus Apollo, *ostendens per scripturas esse Christum Iesum* [12], talibus denique Paulus tum Antiochiae Pisidarum in Synagoga [13], tum Romae [14]. At, si, qui novum foedus *praedicarunt*, huiusmodi argumentis usi sunt, cur eos usos esse negemus, qui illud *conscripserunt?*

Tertium argumentum.

12 Christus ipse testimonia ex libris prophetarum aliisque veteribus scripturis deprompta afferebat, quibus se Deum esse ac Messiam patribus promissum demonstraret. Lege Matth. XI, 5; XXI, 42; XXII, 43; XXIV, 15; XXVI, 31. 54; Luc. XXII, 37; XXIV, 25—27. 44. 46; Io. V, 39. 46. 47. Attendere autem oportet potissimum, quomodo Christus quosdam e suis discipulis ipsi iam

---

[1]) *Bossuet.* Supplenda in psalm. pp. 611. 612; *Patrit.* De interpret. scriptur. sacr. L. I. c. 14. q. 5. [2]) *Patrit.* ib. c. 18. art. 2. nn 475—477. [3]) Act. I, 16. 20. [4]) Ib. II, 25 seqq. [5]) Ib. 33—36. [6]) Ib. 16—21. [7]) Ib. III, 18. [8]) Ib. 22 seqq. [9]) Ib. X, 43. [10]) Ib. VIII, 35. [11]) Ib. XV, 15 seqq. [12]) Ib. XVIII, 28. [13]) Ib. XIII, 23 seqq. 46. 47. [14]) Ib. XXVIII, 23.

diffidere incipientes redarguerit, haudquaquam miraculo ab ipso patrata, sed effata prophetarum illis in memoriam revocando [1]); quod quidem quid aliud est, quam positum habere posse ex prophetiis argumenta ad probandum depromi? Porro illud animadverto, tunc temporis nondum Christum aperuisse discipulis suis *sensum, ut intelligerent scripturas* [2]); quare ii, quos Christus obiurgavit, non aliunde argumentorum, quae ex prophetiis petuntur, vim perspectam habere tunc poterant, nisi ex disciplina, qua Iudaei a suis doctoribus instituerentur. Fuit igitur apud Iudaeos harum rerum disciplina, qua ipsis argumenta ex prophetiis ducta proponebantur ad ea comprobanda, quae ad Messiam pertinerent; idque illud ipsum est, quod primo loco affirmavimus. Iam vero, si Christus ex prophetiis argumenta promebat, cur non idem praestiterint scriptores novi testamenti?

Quartum argumentum.

13 Inter rationes, quae ex testimoniis sacrorum scriptorum peti possunt, hanc unam seligam. Ioannes, narrans, quomodo ipse una cum Petro Christi sepulcrum inviserit, haec de se scripsit: *Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et* VIDIT, *et credidit,* continuoque haec subiunxit: *Nondum* ENIM *sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere* [3]). Haec vero postrema quid aliud exhibent, nisi caussam, cur Christum e sepulcro vivum surrexisse non antea Ioannes crediderit, quam illud vacuum *vidisset?* Cur igitur non antea id crediderit, caussam fuisse ait, quod *nondum sciebant scripturas*, id est, nondum prophetias recte pleneque intelligebant. Ergo ex prophetiis argumentum sese ducere potuisse Ioannes existimabat, quo crederet Christum vita functum revicturum fuisse, deque hoc certior fieret etiam priusquam disceret eum iam revixisse. Quare, si huiusmodi momenta rationum a prophetiis suppeditari Ioannes putavit, quod ergo ceteri quoque novi testamenti scriptores putasse credendi sunt, verine cuiquam simile fiat, momentis huiusmodi ipsum ceterosque haudquaquam usos esse, eaque neglexisse?

Quintum argumentum.

14 Potissimum ad fidem rebus adiungendam momentum est auctoritas divina Deique ipsius testimonium. Prophetias vero Dei testimonia esse pro comperto est. *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos,* inquit Deus ipse apud Isaiam [4]). At, si res sic se habet, nonne a veritate omnino abhorrere illud videtur, neque accipi, nisi aversante ac repugnante natura, posse, neglecta momenta haec talia ac tanta fuisse ab apostolis et evangelistis, prophetiasque minime adhibitas ad fidem suis doctrinis et narrationibus afferendam?

Sextum argumentum.

15 Auctores librorum novi testamenti his conscribendis id ipsum sibi negotii in universim proposuisse, quod apostoli in iis, quae illi scripserunt, praedicandis, nemo, puto, infitias ibit; scilicet gentes omnes eo adducere, ut Iesum Deum ac promissum generis humani reparatorem agnoscerent, quae is sive praecepit, sive docuit, acciperent, seque eius discipulos esse profiterentur. Quae quidem omnia quonam alio illi argumento persuasissent Iudaeis, nisi ex prophetiis petito, utpote ex loco utrisque probato? Num non hac ipsa ratione, et ea, qua vivimus, et superioribus aetatibus, contra Iudaeos semper pugnatum est?

16 Fortasse Grotius responderet, quod scripsit, apostolos, ut illud efficerent, contentos fuisse *Christi miraculis et resurrectione; nam . . . aut haec satis erant, aut nihil satis erat* (3). Sed, si quid haec ratio valeret, liquet ex hoc longe plura, ac ille vellet, effici, ut, quoties unum aliquod argumentum disputationi absolvendae sufficit, cetera argumenta aeque sufficientia secure negligi oporteat. Tum nonne Iudaei patrata a Christo miracula suis oculis ipsi conspexerant, nec tamen huic credidere? Ex quo fiebat, ut neque apostolis narrantibus Christum revixisse plerique illorum crederent, miracula vero, quibus narrationem suam apostoli confirmabant, tantidem facerent ac miracula Christi. Denique haec Christi miracula ubinam ab evangelii praedicatoribus narrata reperiuntur? De usu argumenti ex Christi resurrectione ducti alias loquuti sumus [5]).

17 Quod si quis id mihi opponat, volumen novi testamenti Christianis fuisse destinatum, atque ideo, inutile futurum argumentum depromptum ex prophetiis, illud vicissim reponam et κατ' ἄνθρωπον, ut aiunt, pari de caussa inutile etiam illud fuisse futurum, quod petitur sive ex miraculis, sive ex

---

[1]) Luc. XXIV, 25—27. [2]) Ib. conf. 45. [3]) Io. XX, 8. 9. [4]) Is. XLI, 23. [5]) Lib. I. c. I. n. 109.

resurrectione Christi, proinde his apostolos usos esse, ut efficerent Iesum esse Messiam, eodem iure negare nos posse, quo Grotius eos prophetiis usos esse negavit. Neutrum tamen horum argumentorum vel ipsis Christianis edocendis ea, quae ad Christum pertinent, inutile fuisse, apparet manifesto.

18 Ratio haec petita ex consilio, quo ducti sunt scriptores novi testamenti, inde robur concipit, quod Matthaeus, quippe qui Indaeis scriberet, plura quam ceteri evangelistae scriptorum sacrorum ac prophetarum testimonia in suum evangelium retulerit [1]).

Septimum argumentum.

19 Nisi oracula, vaticinia, ceteraque testimonia, quae vetus foedus suppeditat, apostoli atque evangelistae, sive quum concionabantur, sive quum scribebant, ad fidem faciendam attulissent, maxima illorum auctoritatum pars, atque adeo illae ipsae, quae indicia ac veluti notas exhibent, quibus Christus ab hominibus agnosceretur, tantum non frustraneae forent dicendae, saltem quantum ad id, quod in prophetiis praecipuum habetur. In his enim edendis Spiritus sanctus intendit praecipue signum suggerere sive argumentum ad rei alicuius veritatem certo comperiendum; patet tamen hoc sive signum sive argumentum usui esse non posse prius, quam, quod praedictum fuerat, evenerit. Quod exempli gratia sit, quum vaticinandi facultas sancto cuipiam viro divinitus tribuitur ad eius sanctimoniam illustrandam, de hac viri sanctimonia coniecturam ex eius vaticiniis facere nemo poterit, quin prius viderit rem, sicut ille praenuntiaverat, evenisse. Non secus prophetiae, quae Messiae dignoscendi signa atque indicia praebebant, neminem prius iuvare potuerunt ad arguendum hunc aut illum hominem Messiam esse, nisi quum talis homo iam notus foret. Quare nemo unus ante Christum eiusque discipulos huiusmodi argumenta ex prophetiis petita potuit adhibere. Atqui, si Grotii sententiae fides esset, argumenta haec, paucis quibusdam exceptis, neque apostoli, neque evangelistae, neque ulli de novi testamenti praedicatoribus adhibuere. Superest igitur hoc unum, ut dicamus ea a nemine adhibita esse, et maximam potissimamque prophetiarum partem, quantum ad id, quod in his praecipuum est, neglectam ac veluti reiectam nulloque usui in sacrorum voluminum scapis remansisse. Quod quis sorbere, ne dum concoquere, unquam possit?

20 Verum, inquies, ex eo prophetiarum utilitas fuit non exigua, quod Israelitarum maiores, quibus dictae eae sunt, solarentur promissione ac notitia atque adeo quadam veluti imagine illius Messiae, quem longa post ipsos aetate oriturum a se minime cognitum iri conquerebantur. Velim tamen, consideres, ut non hac re tollatur aut infirmetur, quod affirmavimus, vaticiniis huiusmodi promissionibus maximum ad probandum fidemque faciendam inesse momentum, quod tamen momentum, si vera Grotii esset opinio, frustra fuisse, dicere oporteret, sicut iam demonstravimus. Tum liquet hunc alterum prophetiarum veluti σκοπον longe sequiorem esse illo, quem prius exposuimus, quemque eae numquam attigissent, si ex Grotii sententia ratiocinandum sit. Denique, quoquo modo sit vetustior illa prophetiarum utilitas, stat adhuc id, quod pronuntiabam, eas inutiles futuras fuisse iis, qui post Christum ortum victuri erant.

21 At enim, inquit Grotius, his quoque perutiles eae sunt ex ea parte, qua ostendunt mirum illum foederis utriusque consensum ac veluti concentum, modumque inde discimus, quo umbris atque imaginibus res ipsae rerumque veritas et substantia successerunt. Verum futile est istud effugium.

22 Nam, si de prophetiis sermo sit, quae κατα ῥητον Christum attingunt, ille consensus seu concentus nihil est aliud, quam ipse rerum praedictarum eventus. Quare illum consensum ostendere idem omnino est, ac demonstrare id, quod praedictum fuerat, ita, ut fuerat praedictum, factum esse; idque ipsum est *argumenta petere ex prophetiis.*

23 Sin autem quaestio sit, ut revera est, circa prophetias τυπικας, ita rem edisserimus. In huiusmodi prophetiis duo distinguamus oportet, typos, ipsaque oracula. Ipsa autem haec oracula consideramus vel ex ea parte, qua typos, vel ex ea, qua mediis typis praesignificant Christum. Si altera hac ex parte ea consideres, perinde de eorum cum rebus Christi convenientia sentiendum erit, ac diximus (22) de oraculis, quibus Christus κατα ῥητον praenuntiabatur. Sin priore ex parte, iam convenientia non attenditur, veluti si intercedat inter Christum et oracula, sed inter Christum ac typos oraculis praedictos. At convenientia haec inter Christum interque typos pendet dumtaxat vel ab ipsa natura vel ab adiunctis singulorum typorum, nullo autem pacto ab ipsa prophetia, nihil, inquam, ad hanc convenientiam

[1]) Lib. I. c. I. nn. 26. 30.

conducit, fueritne typus praedictus nec ne. Ut unum exempli caussa proferam, quod nulla edita fuerit prophetia de agno, quo Israelitae die paschatis faciebant, et qui certo tamen Christum praesignificabat [1]), non hoc minor est convenientia inter hunc, ut typos erat, interque Christum, ac fuerit inter Christum et Salomonem, de quo utique tamquam de Christi figura, et sub cuius imagine simul de Christo ipso, prophetiae habitae fuerant [2]). Quare, si ex hac parte prophetiae τυπικαι considerentur, locus non est, neque esse potest, utriusque foederis concentui prophetiis demonstrando, sed solum, ut dictum est, si considerentur ex altera parte, qua tamen prophetiae τυπικαι a *literalibus*, quas vocant, nihil differunt, quippe quia utrarumque, quam habent cum rebus Christi, convenientia non aliud sit, quam ipse rerum praedictarum eventus.

24 Liquet igitur consensum atque concentum foederis utriusque pendere a figuris typisque, non autem a prophetiis, quae ad typos pertinent, ideoque prophetias istas neque ad illum consensum ostendendum opportunas esse, aut ullum usum habere posse. Atque ita Grotio obstructum effugium est.

Octavum argumentum.

25 Denique ipsae loqutiones ἱνα πληρωθῃ *ut impleretur, ut adimpleretur* (7), sententiam nostram apprime confirmant. Quidquid enim Grotio, eiusque adstipulatoribus, ac Maldonato nostro, quique hunc exscripserunt [3]), visum fuerit, hae loqutiones significant solummodo facta tunc esse seu evenisse, quae fuerant praenuntiata, idque sive de vaticiniis, quae ἀκουστα vocantur, id est, de ipsis prophetarum oraculis scriptores novi testamenti loquantur, sive de figuris aut typis, quos vaticinia ὁρατα dicimus, ac vaticiniorum vi naturaque fuisse praeditos dubitare non est, in quantum videlicet per ea Deus id, quod futurum erat, praesignificabat, ac praenuntiabat, non secus ac per vaticinia voce prolata; si enim hanc vaticinam significationem typis propheticis inesse negemus, vel huiusmodi typos respuere prorsus oportebit, vel dicere etiam aliarum gentium personis ac rebus vim illam τυπικην fuisse, qua Christum huiusque res praesignificarent, ac per Romae fundamenta a Romulo posita fundamenta ecclesiae aeque portendi ac per fundamenta orbis Sionis, quam David exstruxit, aut templi, quod Salomon aedificavit. Nullo autem pacto dederim solam convenientiam aut similitudinem veteris et novi testamenti, illis loqutionibus significari, aut similium eventuum nobiliorem et sublimiorem iterationem, aut alicuius loci scripturarum comprobationem. *Huiusmodi citationes*, inquit Spanhemius, *profert Matthaeus, ut probet Iesum esse Messiam; at allusiones non probant* [4]). Id autem illos formulas sonare, quod contendimus, eamque esse vim verbo *impleri*, alias iam demonstravimus [5]); iuvat nihilominus haec eadem non uno novi testamenti loco nunc pleniua confirmare, praesertim quod attinet ad ἀκουστα vaticinia.

26 Legimus apud Lucam ita olim Christum esse loqutum: *Adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est* [6]). Ubi primo, velim, animadvertas Christum non dixisse *quod factum est*, sed *quod scriptum est*; deinde hoc, *quod scriptum est*, non esse *factum* aliquod aut *personam*, sed ipsa verba prophetae [7]). Licet ergo Grotio darem haec verba τυπικα esse, hisque ea κατα ῥητον praedici, quae Ieremiae essent eventura, det ipse vicissim nobis oportet, quod certum omnino est, in hoc Christi sermone typom illum illamque directam, quam esse contendit, verborum prophetae significationem a Christo fuisse praetermissam, ideoque πληρωμα, quod is commemorat, esse convenientiam, quam habent cum rebus Christi, non typus quidem, sed ipsa verba prophetae, in quantum de ipso Christo dicta fuerant, ipsumque ut ita dicam, a longe saltem significabant. Iam vero, sicut iam explicavimus (22. 23), prophetae verbis cum rebus praedictis convenientia atque cohaerentia nulla alia esse potest, nisi quod hae res ita, ut praedictae fuerunt, eveniant seu fiant. Ergo, si verbum *impleri* eam convenientiam atque cohaerentiam significat in illis loqutionibus, idem profecto valet ac fieri seu evenire illud ipsum, quod praedictum est. Ratio autem, quam illi effato continuo subiecit Christus, hoc totum confirmat. *Etenim ea quae sunt de me, finem habent* [8]), inquit, id est: *Vaticinia ipsa* prophetarum, quae de me *prolata* aut *scripta* ab iis sunt, ad finem perduci seu fieri ac perfici debent. Ratio haec ducitur *a genere* sive ab eo, quod omnibus vaticiniis commune est, ut fiant, seu eveniant, quae praedicta sunt. Quare Christi argumentatio sic est: *Quae sunt*, scripta praedictaque, *de me finem habent*. Ergo *adhuc hoc*, *quod scriptum est*,

---

1) Io. XIX, 36 coll. Ex. XII, 46. 2) Hebr. I, 5 coll. II Reg. VII, 14. 3) *Rosenmuell.* Schol. in Matth. I, 22. 4) Dubia evangel. dub. 64. p. 495 et ap. *Polum* Synops. criticor. sacr. in Matth. II, 15. 5) De interpet. scriptur. sacrar. L. I. nn. 306—310. 357. 6) Luc. XXII, 37. 7) Is. LIII, 12. 8) Luc. ib.

oportet impleri in me etc.; ubi manifesto vides istud *impleri* non aliud esse quam illud *finem habent.* Si itaque verba *finem habent* idem valent, ac *fiunt*, sive *eveniunt*, idem quoque valeat necesse est verbum *impleri*. Sed praestat Rosenmuellerum ipsa graeca verba Christi enarrantem auscultare. *Και γαρ τα περι ἐμου τελος ἐχει,* QUAE DE ME PRAEDICTA SUNT, IMPLENTUR. *Quum autem paullo ante dicatur: ἐτι τουτο το γεγραμμενον* (ADHUC HOC QUOD SCRIPTUM EST), *res ipsa docet, Christum per ea,* QUAE AD SE SPECTABANT, *vaticinia veteris testamenti ad se pertinentia intelligere. Phrasis τελος ἐχει* (FINEM HABET) *synonymica est cum praecedenti τελεσθηναι* (AD FINEM PERDUCI), *id est, πληρωθηναι* (IMPLERI). *Loquendi ratio λαβειν τελος* (HABERE FINEM) *hoc sensu frequentissima Iosepho est, exempli gratia* ANTIQ. *L. II. c. 5. § 3. . . . Et τελος aliis quoque locis* PRO REI PRAEDICTAE EVENTU *est* [1]).

27 Narrat Ioannes Christum, quum in horto olivarum militibus sibi manus iniecturis obviaret, eos obtestatum esse, ut discipulos suos abire sinerent [2]), idque factum, *ut impleretur sermo, quem dixerat: Quia, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam* [3]). Num iste Christi *sermo*, quem in ultima coena dixerat, aliam quam rem significabat? num typum aliquem complectebatur? Cedo igitur aliam hanc rem huncque typum, edicito aliam significationem verbi *impleri*, qua hoc verbum convenientiam et similitudinem typi ac *πληρωματος* nobis pandat, vel sublimiorem similium eventuum iterationem, vel alicuius loci scripturarum comprobationem, non autem id dumtaxat, ea tunc evenisse, quae Iesus eventura praedixerat. Habes paullo inferius aliam sententiam huius similem, ex qua eodem modo licet ratiocinari [4]).

28 Itaque, si *impleri* tantumdem in illis loqutionibus valet ac fieri seu evenire, quod praedictum est, quanam de caussa quibusve rationibus confisi affirmamus, prophetias a scriptoribus novi testamenti ex vetere depromptas, ut quae *impletae* fuerint per ea, quae narrantur, non ad probandum afferri fidemque iis faciendam, quae scripto nobis iidem hi reliquerunt? Ceterum de hoc similique huius usu verbi *impleri* alia praeterea reperies in insequentibus paginis. Legantur omnino Huetius [5]) et Baltus [6]).

CAPUT III

De Rosenmuelleri maioris sententia.

29 Rationalistas pro re nata opiniones mutare iuvat, quod et necessario subinde faciunt. Ne ergo mireris Rosenmuellerum illum, quem modo (26) verba *τελειωθαι, πληρουσθαι, impleri* tam praeclare ac sapienter interpretatum spectabamus, iam diversum omnino errare in his ipsis verbis explicandis, ubi ratio reddenda est, cur Isaiae vaticinium de virgine paritura a Matthaeo productum fuerit.

30 Obiter legentibus illius commentaria videri prima specie fortasse is posset non ultra Grotii opinionem processisse, atque sensisse oraculum Isaiae esse utique vaticinium praesignificans tum typum idque, quod aetate Achazi contigit, tum *πληρωμα* eaque, quae ad Christum conceptum eiusque matrem pertinebant, ita tamen ut oraculum illud probationis caussa afferri cum Grotio neget. Nam primo illum locum Matthaei sic exponit: OMNE HOC, *quod hactenus de nativitate Iesu eiusque mirabilibus circumstantiis narravi*, Matthaeum enim ipsum haec loquentem inducit Rosenmuellerus, *hoc igitur, non fortuito, sed providentia divina ita dirigente* CONTIGIT, UT NEMPE PERFICERETUR, (*iterumque simili modo eveniret*), QUOD DICTUM ERAT A IEHOVA PER PROPHETAM *etc.*; si autem tunc *iterum evenit, quod dictum erat a Deo*, inde consequi cuipiam videbitur dictum Dei seu vaticinium illud pertinere ad utrumque eventum, tum ad priorem tum ad posteriorem, atque haec esse sententia Rosenmuelleri. Praeterea, postquam demonstrare conatus est, quomodo aetate Achazi oraculum impletum fuerit, et quid similitudinis intercesserit inter rem, quae tunc contigit, interque eam, quam narrat Matthaeus, ita concludit: *Quod igitur Iesaiae tempore modo quodam imperfecto impletum est, id perfectum suum implementum habuit in Messia;* quibus verbis satis aperte designari alicui fortasse videatur typus et *πληρωμα* Grotii, ac sensisse Rosenmuellerus, ipsum vaticinium, ipsa, inquam, prophetae verba, ne dum typum his descriptum, ad Christum praecipue spectare, tametsi ad illud etiam, quod Achazi aetate contigit.

---

[1]) Schol. in Luc. l. c. [2]) Io. XVIII, 8. [3]) Ib. 9 ex XVII, 12. [4]) Io. XVIII, 32. [5]) Dem. evang. prop. VII. §§ 1—6. [6]) Défense des prophéties de la religion chrétienne.

31 Verum tum sub prioribus tum sub posterioribus Rosenmuelleri verbis vulpecula latet, quam non extrudes, nisi attente reliqua eius verba perlegeris. Tunc scilicet hominem deprehendes, ac senties, quid in prioribus verbis soneut illa *iterumque simili modo eveniret*, quid in posterioribus illud *perfectum implementum.*

32 Docet namque ille Gussetium [1]) sequutus, verius tamen dixisset Maldonatum [2]), ex quo, quae isti habent, paene ad verbum exscripta sunt, *scripturas dici* IMPLERI *quatuor modis. Primum, quum id fit ad litteram, quod propheta aliquis praedixit esse futurum. Deinde, quum id fit, non de quo scriptura loquitur in sensu literali, sed id, quod praeter illud fuit significatum. Tum, quum nec id fit, de quo scriptura loquitur, nec aliquid aliud, quod per id significatum fuerit, sed quod illi est simile. Denique, quum id, quod scriptum est, factum quidem fuerat antea, sed magis magisque fit in posterum.* Hisce positis pronuntiat, *duobus modis posterioribus hanc phrasin a Matthaeo plerumque usurpari*, quod confirmare se posse putat comparatis aliis quibus locis Matthaei. Denique hunc conclusionem subiungit: *Non igitur reperio idoneam caussam, cur Matthaeus in citando Iesaiae loco aliam notionem phraseos ἵνα πληρωθῇ in animo habuisse censendus sit.*

33 Ergo *implementum* ab eo commemoratum, ubi huius Isaiae loci enarrationem concludit (30), non est nisi similitudo eventuum, in quantum *id, quod* SCRIPTUM *est*, non enim ille ait, quod *praedictum* est, *factum quidem fuerat antea, sed magis magisque* factum est *in posterum. Similis* autem ille *eventus*, cuius meminit initio enarrationis (30) *nec id* est, *de quo scriptura loquitur, nec aliquid aliud, quod per id significatum fuerit.* Patet igitur iam Rosenmuelleri sententia: Oraculum Isaiae, non modo non afferri ad probandum, quod Grotii doctrinae consonat, sed neque esse vaticinium de Christo dictum, quod quid peius olet. Haec autem haudquaquam nimis subtiliter atque exquisite a nobis disputari compertum ex eo fit, quod illarum quatuor rationum (32), quibus scripturae *impleri* dicuntur secundum Rosenmuelleri seu Maldonati sententiam, ea, quae postrema est, dubiam habeat significationem. Primo quidem, quia aliud sonant illa verba, *quod* SCRIPTUM *est*, aliud vero haec, quod *praedictum* est; nam, verbi caussa, si quis modo Hierosolymum instauraret, impleretur utique, quod *scriptum* est apud Isaiam, quodque sonant ipsa Isaiae verba [3]), non tamen, quod est *praedictum*, quum Isaias non de tali instauratione loquutus sit. Tum potissimum, quia quarta ista ratio, si sermo sit de prophetiis aut de typis, eadem sit oportent, ac prima, vel secunda, vel tertia; at Rosenmuellerus primam et secundam, quibus unis proprie dictum habetur rerum praesignificatarum πλήρωμα, excludit ab hoc loco; ergo, quod ad huius loci explanationem attinet, haec quarta ratio alia non est quam ipsa tertia, frustraque ambas inter se ille distinguit; sin de aliis sive rebus sive verbis veterum scripturarum, numquam eas formulas usurpatas reperias in novo testamento, nisi semel a Iacobo, de quo mox (34).

34 Quod ad ipsa argumenta, quibus vincere adnititur *impleri scripturas* in Matthaei narratione id valere, quod ipse putat, ea, quae ex aliis novi testamenti capitibus, in quibus haec eadem loquutio adhibita est, depromit, nihil conficiunt. Nam, ubi Matthaeus Oseae [4]), Ieremiae [5]), ac plurium simul prophetarum [6]) vaticinia affert, ut quae impleta fuerint, quum ea, quae narrat, evenerunt, verbo *impleri* eum sensum subesse, ideoque subesse etiam, ubi impletum dicitur Isaiae vaticinium de virgine paritura, quo iure sibi sumit Rosenmuellerus, quio vel unico argumento ullum horum confirmet? Oseae oraculum τυπικόν est; duplex igitur sensus ex eo colligitur, *literalis* alter, quo typus, alter *spiritalis*, quo πλήρωμα praenuntiatur, atque altero e quatuor modis (32), non autem tertio aut quarto, impletum dicitur a Matthaeo [7]). Quominus vaticinium Ieremiae in sensum *literalem* acceptum de caede infantium Bethlehemitarum dictum esse putemus, nulla satis valida ratione impedimur, idque alias demonstravimus [8]); quo posito illud impletum primo modo fuisse liquet. Oraculum denique postremum, sive ex diversis prophetarum libris, sive, ut ait Hieronymus, ex Isaia [9]), descriptum, operae fuisset, quod Rosenmuellerus facere neglexit, docere nos, de quonam, nisi de Christo, dictum esse quiverit, ut, quantum ad Christum, non alia ratione impletum fuisse dicatur, nisi ob eventuum similitudinem. Mittit deinde nos ille ad alia capita Matthaei [10]), Lucae [11]), et Iacobi [12]). In quorum primo verbum *impleri* aut huius simile neque comparet; sed error iste Maldonato debetur, ex quo Gussetius, tum Wolfius, ac demum Rosenmuellerus, dum quisque priorem exscribit, secure haeserunt. Tum Isaiae verba in hanc evangelii paginam relata ad eum ipsissimam

[1]) Ex *Wolfio* Curae crit. ad Matth. II, 15. [2]) In Matth. II, 15. [3]) Is. XLIV, 28. [4]) Matth. II, 15 ex Os. XI, 1. [5]) Matth. ib. 17. 18 ex Ier. XXXI, 15. [6]) Matth. ib. 23. [7]) Diss. XXX. n. 4. [8]) De intepret. scriptur. sacr. L. I. nn. 408. 409. [9]) Is. XI, 1 hebr. [10]) Matth. XV, 7. [11]) Luc. IV, 21. [12]) Iac. II, 23.

rem eunntiandam adhibentur, de qna propheta loqnutus fuerat, ὑποκρισιν Iudaeorum scilicet [1]). Hoc ipsum fit a Iacobo usurpatis geneseos [2]) verbis; num enim alind haec sonant, quam *factum* fuisse Abrahamo illud ipsum, quod *dictum* seu *scriptum* a Moyse est? Atqui hoc expressit Iacobus verbo ἐπληρωϑη *impletum est*, eaque huic verbo subiecta notio est, quam eidem in similibus scripturarum loquutionibus esse defendimus. De Lucae denique loco idem sentire oportet, ac de loco Matthaei, in qno Oseae testimonium producitur, nisi putandum potius est Isaiae verbis [3]), quae leguntur apud Lucam [4]), unum Christum ἀμεσως exhiberi.

35 Hi Rosenmuellero sunt argumentorum loci; ex his autem ita concludit: ***Matthaeus igitur loco Iesaiae non utitur ut vaticinio proprie sic dicto; non tamen verba prophetae citat quasi ornatus poetici vel accommodationis caussa, sed propter veram et magnam similitudinem rerum.*** Sed primo, qnam vellem, ediceret nobis Rosenmuellerus, quid haec duo differant inter se, verba prophetae *citare propter rerum similitudinem* et *citare accomodationis caussa*, nt primum a Matthaeo factum affirmet, alterum neget. Tum, qui ea conclusio ex ratione, quam prius dixerat, consequi possit, non equidem dispicio. Ratio haec est: ***Iudaei antiqui . . . . in ea erant sententia, quidquid magnum eximium mirabile de certis quibusdam hominibus in vetere testamento dictum esset, id multo magis et sensu maxime proprio valere de Messia.*** Cur autem Iudaei sic sentirent, hoc in caussa fuisse docet, quod ***probe considerarent libros sacros, in primis propheticos veteris testamenti, non ab hominibus vulgaribus, sed spiritu divino actis, esse scriptos.*** Si igitur Iudaei illi crediderunt testimonia scripturarum et IN PRIMIS vaticinia ***sensu maxime proprio valere de Messia*** ideo, quia a Spiritu sancto agerentur, qui illa protulerant, credidisse quoque necessaria consequutione dicendi sunt illis testimoniis ac vaticiniis Messiam ab ipso Spiritu sancto praenuntiari. Quid itaque inde in hac nostra disputatione foret concludendum? Nempe ita: ***Matthaeus igitur loco Isaiae*** UTITUR ***ut vaticinio.*** At Rationalistarum acumen eo pertigit, ut oppositum prorsus ex illa ratione colligerent, ita namque concludit Rosenmuellerus: ***Matthaeus igitur loco Iesaiae*** NON UTITUR ***ut vaticinio.*** Sed satis iam de Rosenmuellero.

DISSERTATIO XVIII

De descriptione orbis terrarum ab Augusto imperata

Christus in lucem editus est tunc, quum ob descriptionem a Caesare Augusto, qua imperium patebat, imperatam Ioseph una ***cum Maria desponsata sibi uxore praegnante*** Bethlehemum venerat. Disputatio itaque, quam nunc instituimus, eo spectat, ut tempus definiri queat, qua Christus ortus est. Primo narrationis verba illustrabimus, deinde, quo anno descriptio facta fuerit, accuratius constituemus.

CAPUT I

Narrationis verba declarantur

1 ***Factum est autem*** ἐγενετο δε. Sollemne fuit hebraeis scriptoribus veteris testamenti, non narrationes modo, sed et ipsos libros, quos exordiebantur, inchoare a voce וַיְהִי *et fuit* subiuncto verbo, quod vocant, *finito*, ita ut ea vox omnino redundet; quem loquendi morem nec graeca lingua proprium habet nec latina. Lege libros Iosuae, Iudicum, Ruthae, primum et secundum Samuelis, Estheris, Ezechielis, Ionae, et primum Machabaeorum. Morem hunc in suis narrationibus sectati sunt etiam evangelistae, si Ioannem excipias, adhibitis vocibus και ἐγενετο, *et factum est*, quodque mireris, nemo frequentius quam Lucas; hoc enim narrationum exordium apud Matthaeum quinquies legitur, semperque ante adverbium ὁτε *quando*, bis apud Marcum, apud Lucam vero bis supra vicies και ἐγενετο *et factum est*, quatuordecies ἐγενετο δε *factum est autem*, sequente verbo *finito*; ut in Actis apostolorum neutro modo Lucas loquutus est, sed saepe ἐγενετο δε *factum est autem* sequente verbo *infinito* usurpavit.

---

[1]) Is. XXIX, 13. [2]) Gen. XV, 6. [3]) Is. LXI. 1. 2. [4]) Luc. IV, 18. 19.

2 ***In diebus illis*** *ἐν ταις ἡμεραις ἐκειναις.* Quidam autumant hanc dicendi formam tempori, quo res, quae narrantur, gestae sunt, definiendo nihil omnino conducere. Attamen, quum quindecies in libris historicis novi testamenti ea recurrat, semel tantum, idque ubi primo comparet [1]), constat tempus ea nequaquam definiri; alias vel certum est definiri, vel, non aliqua saltem ratione definiri, certum minime est. Hoc itaque loco, de quo agimus, tempus descriptionis ab Augusto imperatae indicari quidem illis verbis existimo, non tamen ita, ut ea imperata dicatur post ortum Ioannis Baptistae, ut somniavit Rosenmuellerus [2]), nam quando Lucas accuratius tempus, quo quid factum est, nos docere vult, adhibet verba *ἐν ταις ἡμεραις ταυταις* ***in hisce diebus*** [3]), verum, ut sensus sit, edictam descriptionem, quum, quae in priore capite narrata sunt, fiebant, puta, intra unius anni spatium ante descriptam Iudaeam. Sunt enim momenta rationum, quae suggeret altera quaestionis huius pars, cur credatur ante ortum Ioannis decreta fuisse illa orbis descriptio, tametsi, nisi aliquo post tempore, in provincia Syria finitimisque sociorum regionibus habita fuerit.

3 ***Ut describeretur.*** Quae de hac descriptione deque tota hac historia commentatus est Rosenmuellerus, tot tamque crassis erroribus scatent, tantamque produnt antiquitatis inscitiam, ut ea refellere imo vel eorum meminisse nec referat, nec vacet. Iuvabit tamen ea referre, quae Grotius adnotavit et quibus veluti aditus magis patefiet ad quaestionem de descriptione ipsa inferius habendam; sunt autem haec. ***Cum Augustus omnem vim imperii romani pernosse vellet, per omnia regna et provincias constituit censum agi. . . . De censu per Galliam acto Augusti iussu meminerunt Claudius in oratione, quae Ancyrae servatur, breviator Livii, et Dio. . . .*** *Ἀπογραφεσθαι πασαν την οἰκουμενην* UT DESCRIBERETUR UNIVERSUS ORBIS; ***id est, ut iam dixi,*** CENSUM AGI PER ORBEM ROMANUM, ***quomodo Syrus hic recte interpretatur; nam, quod apud Livii breviatorem est*** CENSUS ACTUS, ***Dio dixit:*** *ἀπογραφας ἐποιησατο* (DESCRIBI FECIT). . . . ***Census hic eo pertinebat, ut notum esset, quid regna quaeque et provinciae hominum copia, quid pecuniis valerent. . . . Et Claudius in dicta oratione, censu a se acto nihil ultra exquisitum, ait, quam ut publice notae essent facultates*** [4]).

4 ***Universus orbis*** *πασαν την οἰκουμενην.* Miraberis viros doctos exstitisse, qui putarent haec verba solam Iudaeam significare. Quamquam enim in vetere testamento, hic quoque sensus voci *οἰκουμενη* aliquoties subsit [5]), numquam tamen in novo, integrae vero loqutioni *πασα ἡ οἰκουμενη* neque in novo neque in vetere. In hoc autem Lucae capite hac appellatione designatur imperium romanum, sicut ab aliis etiam scriptoribus factum est, et sicut scriptores latini illud ***orbem terrarum*** vocaverunt [6]). Id autem confirmatur tum eo, quod Iudaea per illam aetatem regnum adhuc foret foederatum, ideoque verisimile non sit huius unius regionis descriptionem ab ipso Augusto fuisse indictam, tum quod ab eo censum totius imperii factum utique fuisse constet.

5 ***Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino*** *αὑτη ἡ ἀπογραφη πρωτη ἐγενετο ἡγεμονευοντος της Συριας Κυρηνιου.* De ratione ac modo, quo tunc Iudaea descripta fuit, ita loquitur Grotius: ***Errant autem, qui putant hoc censu a Romanis capitationem Iudaeis indictam. Id enim factum non est ante confiscationem rerum Archelai. Antea populus iudaeus Herodi tributa pendebat, Herodes autem imperio romano, ut alii reges socii, dabat, ut Apianus loquitur,*** *φορους τεταγμενους* (TRIBUTA CONDICTA) [7]). Lege Sanclementium [8]). Apparet autem ex dictis ab re prorsus agere non paucos nec parvi nominis interpretes, qui in explicanda voce *πρωτη* tricantur. Etenim, quae ***prima*** dicitur, non ipsa totius orbis, sed Iudaeae descriptio est, neque enim Quirinio praesidi Syriae orbis universi descriptio demandari potuit; docemur autem ab ipso Luca aliam quoque descriptionem Iudaeae habitam [9]), ut narrat Flavius Iosephus [10]), quum, Archelao Herodis filio, Iudaeae tetrarcha, ab Augusto in exsilium pulso, ipsam regionem in provinciae formam redigendi censendique cura demandata est illi ipsi P. Sulpicio Quirinio, cui prioris quoque descriptionis, de qua agimus, fuerat cura demandata. Ex verbis latini interpretis quis fortasse coniiciat ipsum Quirinium per se Iudaeam descripsisse, quod tamen verum non esse, ubi locus erit, demonstrabimus (23. 31. 32), dicitur autem descriptio facta A ***praeside Syriae Cyrino***, quod is eam fieri curaverit, eique faciendae praefectus fuerit; tum graece est *ἡγεμονευοντος της Συριας Κυρηνιου*, quod sine praepositione vertendum est ***praeside Syriae Quirinio***, vel, quum Syriae Quirinius, potestate utique extraordinaria, praeesset. Extraordinaria, inquam, potestate, quod ad censum civium et sociorum curandum, non vero ordinaria,

---

1) Matth. III, 1. 2) Schol. in h. l. 3) Luc. I, 39; VI, 12; XXIII, 7; XXIV, 18; Act. I, 15; VI, 1; XI, 27. 4) In h. l. 5) Ps. LXXI, 8; Is. XXVII, 6 fortasse. 6) *Cic.* Ad Attic. L. IV ep. 1; ad familiar. Lib. V. ep. 7; *Virgil.* Ecl. I. v. 67; IV. v. 17; *Ovid.* Trist. L. I. el. 5. v. 69. *Suicer.* Thesaur. ecclesiastic. ad v. *οἰκουμενη*. 7) In h. l. Lege *Appian.* de bello civ. L. V. p. 715 ed. *Stephan.* 8) De vulg. aer. emend. L. IV. c. 2. 9) Act. V, 37. 10) Antiq. L. XVIII. c. 1. § 1.

qua Syriae legatus Caesaris propraetore praeesse solebat, quaque tunc erat Cn. Sentius Saturninus, et qua demum ipse Quirinus Syriae praefuit, quum huic provinciae Iudaeam auctoritate Augusti contribuit; et re vera Lucas non eum dixit ἡγεμονα, quomodo ordinarias praesides fere appellare solet [1]), sed ἡγεμονευοντα, qua appellatione, non ordinarium magistratum modo [2]), sed exstraordinarium quoque, atque eum, qui quocumque titulo potestatem aliquam exercet, manifestum est posse designari. Animadverte demum interpretem latinum graeca vertentem latino nomini *Quirino*, pro quo scripsit *Cyrino*, graecam formam induisse seu potius reliquisse Κυρηνιου, sicut, non modo Lucas, sed et Iosephus [3]) et Iustinus [4]) scripserunt, fere ut cognomen Romuli *Quirini* Romanorumque *Quiritium* Κυρινον et Κυριτας graecis scribere mos est, et nomen *Quintilium* Κυντηλιον [5]). Latinum autem nomen, non *Quirinum* esse, sed *Quirinium*, testantur Acta Fratrum Arvalium [6]) et Kalendarium praenestinum prid. non. mart. et IV kal. mai. [7]).

6 ***Et ibant omnes, ut profiterentur, singuli in suam civitatem.*** Dicebantur profiteri, non tantum qui nomina et bona in publicas censuum tabulas referebant, sed etiam, qui in certam classem nomen solummodo dabant [8]). Quare ex hoc uno verbo hanc descriptionem censum fuisse proprie dictum, qualem Romani tributo simul imposito agebant in provinciis, et qualis fuit [9]) posterior illa Iudaeae descriptio, de qua diximus (5), nemo arguat (29. 31); tum graece est ἀπογραφεσθαι, quod quumquam sit etiam verbum censorium, proprie tamen significat *describere se* (*darsi in nota*). Quod autem dicantur *singuli professi in suam civitatem*, eo docemur descriptionem more Iudaeorum factam, quo ab aetate usque Moysis fieri solebat [10]); nam illud *in suam civitatem*, non de urbe, qua quis natus forte fuisset, sed praecise dictum est pro urbe, quam uniuscuiusque maiores incoluere, quum prisca partitio Chananitidis inter tribus obtinebat, quod colligi videtur ex ratione, quam affert Lucas, cur Ioseph Bethlehemum iverit ad nomen profitendum, eo *quod esset de domo et familia David*, non autem, quia Bethlehemi natus. Considera tamen, quae de his postremis verbis infra (9) dicemus.

7 ***Ascendit autem et Ioseph a Galilaea .... in Iudaeam.*** Verbum ἀναβαινειν *ascendere* in novo testamento, non secus ac eius geminum עלה in vetere, significat ire ad locum sive natura ac situ, sive dignitate eminentiorem, ex quo varias metaphoras recipit [11]), numquam vero *ire* simpliciter. Iosephus dicitur *ascendisse* ex Galilaea in Iudaeam, tum quia illa regio hac humilior est, tum quia haec illa nobilior.

8 ***In civitatem David.*** Hanc appellationem in Novo Testamento solus Lucas habet [12]), eaque Bethlehem designatur, idque per quamdam pronominationem, quod coniicere est ex verbis, quibus angelus pastores alloquutus est, paullo inferius descriptis [13]). In vetere testamento maxime usitata fuit haec appellatio ante regni iudaici eversionem [14]), neque ignota post instauratam Iudaeorum rempublicam [15]), non tamen Bethlehem, sed arx Sionis ita vocabatur.

9 ***Eo quod esset de Domo et familia David*** *δια το εἰναι αὐτον ἐξ οἰκου και πατριας Δαυιδ.* Si Iosephus *de domo*, id est, de progenie Davidis erat, fuisse eum simul *de familia* deque gente, ex qua erat ipse David, nemo non intelligit. Quorsum igitur Lucas hoc addidit? Qui quaestioni huic faceret satis, nondum quemquam inveni; quare aliquid coniectare hic liceat. Quid enim, si dixero graecum πατριαν, non *familiam* in hac enuntiatione, sed, ut sonat similis vox latina, *patriam urbem* significare? Suidae profecto πατρια idem quoque est ac χωρα *regio* [16]), patria videlicet, ex qua quis originem duxit. Quo posito, Ioseph, non ex Davidis progenie tantum, sed eadem cum Davide urbe patria censendus foret; quocum plenius sane cohaereret ratio, cur Bethlehemum iverit, ut profiteretur, quia, inquit Lucas, *ibant omnes, ut profiterentur, singuli in suam civitatem* [17]).

10 ***Cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.*** Ambigitur, an haec construenda sint cum verbo *ascendit*, an potius cum verbo *ut profiteretur*. Litem componere non audeo, sed solum partis utriusque rationes proponam. Prioris sententia ratio est, quia feminae apud Israelitas in capita censenda nomen non profitebantur [18]). Posterioris rationes hae sunt. Ipsa syntaxis illud exigere videtur, ut verba *cum Maria etc.* iungantur verbo *ut profitetur*; cui proxima sunt, non autem

---

1) Act. XXIII, 24. 26. 33. 34; XXIV, 1. 10; XXVI, 30. 2) Luc. III, 1. 3) l. c. 4) Dial. cum Tryph. § 78. 5) Ap. *Gruter.* Inscript. p. MXCI. n. 6. 6) *Marini* p. 782. 7) *Foggin.* Fastor. anni rom. 8) *Terent.* Eunuch. Prolog.; *Cicer.* Ad familiar. L. XVI. ep. 12; *Liv.* L. III. c. 35; L. XXVI. c. 18; *Vellei.* L. II. c. 92. 9) Matth. XVII, 26 coll. 23; XXII, 17–21. 10) Num. I, 1–46; XXVI, 1–63. Conf. Ios. VII, 16–18; I Reg. X, 20. 21. Diss. VI. n. 7. 11) *Winer* Lexic. manual. ad v. עלה et *Wahl* Clav. novi testam. philolog. ad v. ἀναβαινω. 12) Luc. II, 4. 11. 13) Luc. II, 11. 14) II Reg. V, 7 etc. 15) II Esd. III, 15; XII, 36. 16) In Lexic. ad h. v. 17) Conf. Diss. XXVII. c. V. n. 20. 18) Diss. VI. n. 3.

verbo *ascendit*, a quo longe procul absunt, sique verbo *ascendit* forent iungenda, non apparet, cur non ipse Lucas iunxerit. Etsi autem feminas censeri apud Israelitas mos non esset, mos tamen erat apud Romanos, saltem in numero capitum censendo; id enim comperimus ex Livio ita scribente: *Censa civium capita centum quatuor millia et ducenta quatuordecim, praeter orbos* ORBASque [1]), et ex Livii epitoma, ubi haec legimus: *Censa sunt civium capita trecenta septemdecim millia octingenta viginti tria, praeter pupillos et* VIDUAS [2]); quumque haec orbis terrarum descriptio Augusti iussu fieret, atque ideo, *ut notum esset, quid regna et provinciae*, non pecuniis modo, sed et *hominum copia . . . valerent*, ut loquitur Grotius, nosque inferius demonstrabimus, est, cur etiam in Iudaea feminae quoque credantur nomina in censum retulisse. Quod vero, qui ita sentiunt, his verbis Mariam ex Davidis genere ortam confirmare se posse existiment, eos minus recte existimare iam evicimus [3]). Quum Ioseph et Maria Bethlehemum iverint paucis ante diebus, quum haec Christum pareret, dubitare non est eorum nuptias iam fuisse factas; non itaque aliam rationem invenies, cur Lucas virginem μεμνηστευμένην *desponsatam* dixerit, nisi quia, ut ait Grotius, *Iosephus Mariam habebat ut sponsam; nam sponsae interdictae viris.*

CAPUT II

Quo anno haec descriptio habita

11 Praecipuas notas, quibus tempora historiae in evangeliis descriptae metiri possumus, a Luca docemur. Harum prima est regnum Herodis, de quo in alio loco [4]). Altera, qua de nunc disserere aggredimur, est Iudaeae, imo orbis terrarum, descriptio ab Augusto imperata. Qua in dissertatione vix quidquam amplius nos praestare posse putamus, quam ut summatim ea referamus, quae hac de re acri cum iudicio disseruerunt Henricus Norisius [5]), et post ipsum multo plenius Henricus Sanclementius [6]).

12 Iudaeae census ea aetate, qua Christus in terris versatus est, non semel habitus fuit, quod vel ipsa Lucae verba, quae enarramus [7]), manifeste ostendunt, sed iterum, uterque autem Augusti iussu et P. Sulpicio Quirino Syriae praeside [8]), primus sub ortum Christi, Herode rege Iudaeae, illeque est, de quo nunc quaestionem instituimus, alter decennio post Herodis obitum, deque eo alias dicemus [9]); tametsi quidam, hosque inter Eusebius [10]), alterum altero minime distinxerunt, atque utrumque unum esse putaverunt. Constat, quo anno posterior sit habitus; priorem aio habitum fuisse anno U. C. DCCXLVII a palilibus ducto, qui fuit ab XI kal. mai. anni periodi iulianae IVM DCCVII ad XII kal. mai. anni periodi iulianae IVM DCCVIII.

13 Augustum universum totius imperii censum descriptionemque faciendum curasse, etsi neque aequales neque suppares scriptores expresse memoriae prodiderint, ea tamen prodiderunt, ex quibus necessario illud consequitur. Tacitus enim [11]) et Suetonius [12]) referunt Augustum manu sua conscripsisse *rationarium* vel *breviarium totius imperii* in quo *opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones;* quae non aliter Augustus nosse potuit, quam censu omnium civium sociorumque censendo. Legimus etiam apud Suidam, Augustum XX *viros in omnem subditorum regionem* misisse, *per quos descriptiones fecit hominum et facultatum* [13]); id vero Suidam commentum esse, non autem ex aliquo monumento didicisse, non est, cur suspicemur. Dionis verba [14]), quae Grotius [15]) et Mazochius [16]) veluti huc pertinentia retulere, missa facimus, quum alia prorsus de re loquatur Dio, quae anno U. C. DCCLXVI gesta est.

14 Universi autem imperii descriptionem, quam ab uno Augusto factam legimus, iterum ab ipso fuisse factam, adeo non est credere, ut id tamquam haud simile veri, nedum improbabile, infitiari suadeant tum veterum silentium, tum inutilitas iterationis, tum quod periculosa admodum res foret census in provinciis habere, hoc enim constat tum in historiis, tum in ipsorum imperatorum testi-

---

[1]) *Liv.* L. III. c. 3. [2]) Epit. *Livii* L. LIX. *Paul. Manut.* De civitate rom. in *Graevii* Thesaur. antiquit. romanar. T. I. col. 31. [3]) Diss. VI. n. 3. [4]) Diss. XXXV. [5]) De cenotaphiis pisan. Diss. II. c. 16. §§ 10. 12. [6]) De vulgaris aerae emendatione L. IV. cc. 2—6. [7]) Luc. II, 2. [8]) *Sanclem.* l. c. cc. 3. 4. [9]) Diss. XXXV. [10]) H. E. L. I. c. 5. [11]) Annal. L. I. § 11. [12]) Octav. §§ 28. 101. [13]) Lexic. ad v. ἀπογραφή. [14]) Histor. L. LVI. p. 588 E. Hanoviae 1606. [15]) Annot. in Luc. II, 1. [16]) Spicileg. bibl. in Luc. II, 1.

moniis [1]), atque adeo tum apparuit, quum Iudaei provinciae Syriae contributi in modum ceterarum provinciarum deferre censum adigerentur, unde turbae, quas Lucas indicavit [2]) et Flavius Iosephus plenius retulit [3]). Quamobrem, quidquid ex vetustatis monumentis coniicere est de aliquo orbis terrarum censu, ad eum dumtaxat, de quo agimus, est referendum.

15 Hunc autem censum peragi non potuisse, nisi tunc, quum res imperii, pace ubique gentium parta, stare visae sunt, pro certo habemus. Augustus ter bellis confectis pacataque republica Ianum clusit [4]); primo post captam Aegyptum anno U. C. DCCXXV, iterum post Cantabros subactos anno U. C. DCCXXIX, tertio denique, ut clauderetur, decretum quidem fuerat anno U. C. DCCXLIV, quominus tamen fieret, Daci primo, continuoque Dalmatae [5]), deinceps Germani, obstitere [6]), quibus demum anno U. C. DCCXLVI circa mensem quintilem prorsus a Tiberio subactis, bella omnia conquieverunt, isque triumpho ornatus et in annum subsequentem, qui fuit annus U. C. DCCXLVII, consul II designatus est [7]), tuncque Ianum ab Augusto clausum tertio fuisse dicendum est, C. Marcio Censorino C. Asinio Gallo coss. a. U. C. DCCXLVI, circa mediam aestatem. Paulus Orosius, qui romanos historicos exscribebat, ita ait: *Augustus, ... cunctis gentibus una pace compositis, Iani portas* TERTIO IPSE *tunc clausit* [8]); eadem haec scripsit et Paulus Diaconus [9]), eadem Freculfus [10]); neque bis opposita loquutos esse Velleium [11]) et Plutarchum [12]) quisquam vincet. Hic vero cave, ne te impediat historia Dionis [13]) latine versa a Xylandro, in qua, ubi mentio Iani tertio clausi facienda a Dione fuisset, haec contra legimus: *Ita quoque pax infecta mansit*; haec enim apud ipsum Dionem non leguntur, sed de suo huc intrusit Xylander, indeque tandem expunxit Hermannus Samuel Reimarus [14]). Hanc sententiam de Iano tertio clauso ab Augusto certam omni ex parte ostendit Sanclementius [15]), eamque sequuti iam fuerant Henschenius [16]), Daude [17]), et Zacaria [18]). His positis eoque simul, quod Herodes Iudaeae rex supremum diem obierit verno anni U. C. DCCL [19]), Christo iam nato [20]), nec paucis ante diebus [21]), liquet censum orbis terrarum, qui sub ortum Christi indictus fuerat, quique, nisi pacata republica, peragi non poterat, competiisse cum Iano tertium clauso ab Augusto, indictumque fuisse intra triennium, quod intercessit inter aestatem anni U. C. DCCXLVI et exitum anni U. C. DCCXLIX.

16 Itaque, si in id tempus incidit hic census, qui dici potest factus praeside Syriae Quirinio? Quirinius namque semel dumtaxat ordinaria cum potestate legati propraetore Syriae praefectus ab Augusto fuit, idque post aestatem anni U. C. DCCLIX [22]). Intra illud triennium (15) alios Augusti legatos Syria non habuit, quam Cn. Sentium Saturninum, qui eam rexit ab anno U. C. DCCXLIV ad mediam aestatem anni U. C. DCCXLVIII, et P. Quintilium Varum, qui continuo Saturnino successit, Syriamque adhuc regebat, quum Herodes anno DCCL iam obierat [23]). Quare P. Sulpicius Quirinius intra illud triennium, non ordinaria legati propraetore, sed extraordinaria cum potestate in Syriam ad huius finitimarumque regionum censum habendum missus fuisse dicendus est.

17 Id vero, non modo non adversabatur, sed consentaneum omnino erat consuetudini reipublicae. Novimus enim extraordinariis muneribus, potissimum iis, quae alicuius essent momenti, extraordinarios magistratus praeponi consuevisse, imo et censui in provinciis censendo id factum esse, sicut in ipsa Urbe, non consules aut praetor, sed peculiares magistratus huio muneri praeficiebantur [24]). At non sane levis momenti, imo, ut iam animadvertimus (14), *periculosae plenum opus aleae*, erat censum in universo imperio peragere. Ex quo permagnum veritatis pondus accedere videtur Suidae narrationi (13) de XX viris censui huic censendo praefectis, quos non est dubium e civium primoribus fuisse delectos, ut mos ratioque ferebat. Horum XX virorum de numero fuisse P. Sulpicium Quirinium credere est, quo non alium fortasse huic muneri in Asiae regionibus gerendo aptum magis per illud tempus reperire dabatur.


18 Nobile enim in tota Asia Quirinii nomen, qui cum consulatum gessisset anno U. C. DCCXLII, mox Homodanenses, quos inter Tauri montis praerupta incolentes ac finitimis provinciis Ciliciae, Pisidiae, Lycaoniae, regnoque Cappadociae, infestissimos nemo subigere ad id valuerat, non subegit

---

[1]) *Sanclem.* l. c. c. 2. [2]) Act. V, 37. [3]) Antiq. L. XVIII. c. 1. § 1; c. 20. § 2; Bell. L. II. c. 8. § 1. [4]) *Sueton.* Octav. § 22; *Augustus* in Tabulis ancyranis emendatis ad ἀπογραφον *Io. Pittonii Tournefortii* ab *Edm. Chishullio* Antiquit. asiat. pp. 173. 187. Londini 1728. [5]) *Dio* Histor. L. LIV. p. 546 C. [6]) Ib. et L. LV. p. 548. [7]) Ib. L. LV. p. 552 B; *Velleius* L. II. § 97. [8]) Hist. L. VI. c. 22. [9]) Hist. L. VII. [10]) Chronic. T. I. L. VII. c. 16. [11]) Annal. L. II. § 38. [12]) Numa § 20. [13]) L. c. [14]) *Dionis Cassii* histor. T. II. Hamburgi 1752. [15]) L. c. c. 1. [16]) Apparat. ad chronolog. pontif. § 8. [17]) Hist. univ. L. I. c. 1. § 1. n. 12. p. 77. [18]) Adnotat. ad Chronic. sacr. *Tirini* c. 44. [19]) Diss. XXXV. [20]) Matth. II, 1. [21]) Matth. II, 19 coll. 1—18 et Luc. II, 22. 39. [22]) Diss. XXXV. nn. 38. 39. 40. [23]) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 5. § 2; c. 10. §§ 1. 9; c. 11. § 1. *Sanclem.* L. III. c. 3. [24]) *Sanclem.* L. IV. c. 2. p. 409; c. 6. p. 444.

modo, sed, tota eorum regione vacuefacta, securitatem illarum provinciarum ac sociorum adseruit [1]. Syria vero quanti prae ceteris provinciis fieret, hinc intelligere possumus, quod Augustus, provinciis inter se interque populum distributis, quum Syriam sibi attribuisset huic *legatum propraetore semper imposuit, addito trium legionum praesidio, ut, quidquid terrarum ab Aegypti confiniis ad Armeniam usque longo terrarum spatio protendebatur, in officio contineret* [2]; quumque ceteras provincias sibi attributas, atque adeo, quas olim reges habuerant, ipsamque Aegyptum viris equestris ordinis nullo magistratu antea gesto demandaret, Syriam excepit, cui viros consulares praeesse voluit, Tiberius vero male audierit, quod *Syriam per aliquot annos sine consularibus habuerit* [3]. Nemo igitur Quirinio opportunior, qui extraordinaria potestate legatus Augusti in Syriam mitteretur ad censum in ea aliisque fortasse provinciis inque regnis sociorum Syriae conterminis peragendum.

19 Duo praeclarissima monumenta supersunt, quibus Quirinio munus extraordinarium Syriam finitimosque censendi demandatum illustrat Sanclementius atque confirmat. Mutilum unum anno MDCCLXIV. Tibure repertum extra portam romanam, ubi inter villam Hadriani et viam tiburtinam pari fere intervallo procerissimae visuntur oleae, servatumque in cavaedio Boschiorum; quod quum non ita pridem quidam meo rogatu illic frustra quaesisset, rescripsit ad me illud aedium labe, quae desidente Anienis alveo anno MDCCCXXVI facta est, forsitan interiisse. Hinc, ne forte intereat simul notitia monumenti tam insignis, aut in uno Sanclementii libro lateat [4]) haec diligentius commemoranda esse duxi, quin et ipsam inscriptionem exhibendam, quae sic est:



Quamquam inde avulsum fuerit nomen eius, cui titulus positus erat, nihil tamen hic reperias, quod Quirinio non congruat, aliquid vero quod huic uni, ut illud *Divi Augusti* ITERVM *Syriam*. Sed plenissime haec tractata habet Sanclementius, qui legendus omnino est. Alterum monumentum integrum Venetiis in aedibus Veneriorum visitur, et a Sertorio Ursato [5]) editum atque illustratum primo fuit, tum a Muratorio in suo *Thesauro* descriptum [6]), in quo Q. Aemilius Secundus, *P. Sulpitio Quirino legato Caesaris Syriae, honoribus decoratus* dicitur, qui et *iussu Quirini censum fecit Apamenae civitatis*; quem censum actum sub prima Quirinii legatione ex eo coniicias, quod, sicut Apamenos censere debuit Quirinius, quum prima legatione eaque ad censum solummodo provinciarum sociorumque censendum functus est, ita illos censuisse, quum Syriam legatus Augusti propraetore ordinaria potestate obtinuit, credibile non est, alterutrum namque foret concludendum, vel hanc civitatem, quum totius imperii census actus est, praeteritam a Quirino fuisse, vel censum in ea post quindecim aut septemdecim annos iteratum, quorum neutrum cuiquam verisimile fiat. Quidni vero? Nonne *quinto quoque anno Sicilia tota* censebatur, ut testis est Tullius [7])? Sane, sed stante republica. Nam postea vel ipsius populi, nedum provinciarum census, negligi adeo coepere ac praetermitti, ut, quum an. U. C. DCCXXXII censuram gessissent L. Munatius Plancus, Paullus Aemilius Lepidus,

---

[1]) *Tacit.* Annal. L. III ad an. DCCLXXIV; *Strabon.* L. XII. p. 569 ed. III *Casaub.* [2]) *Noris.* De cenotaph. pis. diss. II. c. 11. [3]) *Noris.* l. c. ex *Sueton.* Tiber. § 41. [4]) Op. cit. L. IV. c. 3. [5]) Marini eruditi p. 276. [6]) Nov. Thes. veter. inscription. p. DCLXX. n. 1. [7]) *Verr.* II. c. 2. § 56.

exinde nulli censores creati fuerint [1]) usque ad imperium Decii [2]), intraque annos XXXV, quibus post censores illos postremus Augustus vixit, ter non amplius, ut ipse testatur [3]), censum populi ipse fecerit, interiectis inter census singulos annis non minus viginti. Quae vero apud Iosephum [4]) posteriori huic argumento, quod ex titulo Q. Aemilii secundi petitum est, refragari videntur, veluti si Quirinius in secunda legatione non Iudaeam solum, in provinciae formam tunc redactam et Syriae contributam, sed ipsam quoque Syriam censuerit, ea plane diluit Sanclementius [5]); cuius rationibus illud addi posset, quod Quirinius in alio loco a Iosepho [6]) expresse vocetur της Ἰουδαιας τιμητης *Iudaeae censor*, quae appellatio excludit aliarum regionum censuram Quirinio per illud tempus demandatam; quidam tamen codices pro τιμητου ὀντος habent τιμητευοντος, quod equidem vereor ut cuipiam probetur.

20 Haec autem, quae narravimus de priore Quirinii legatione in Syriam ad illarum regionum censum, quem toti imperio Augustus indixerat, habendum, eo confirmantur, quod inde optima ratio petatur, cur denuo Quirinius in illam provinciam, ordinaria tamen cum potestate, missus fuerit tunc, quum Iudaea in provinciae formam redacta, Syriaeque adiuncta, more ceterarum provinciarum censum deferre et tributa pendere debuit. Nimirum huic rei prospere gerendae nemo magis idoneus Quirinio, qui iam censum fecerat in proximis Iudaeae provinciis, atque in ipsa Iudaea fieri curaverat, quo huius regionis notitiam, quantam neminem alium, ipsum adeptum esse oportebat.

21 Non est igitur, cur in dubitationem revocetur duplex Quirinii legatio in Syriam, quarum altera functus est ordinaria cum potestate ab anno U. C. DCCLIX, altera vero prius cum extraordinaria ad censum, qui imperio universo indictus fuerat, in ea inque finitimis provinciis ac sociorum regionibus peragendum. Quum vero extraordinaria foret haec Quirinii potestas in Syria, necesse est, illo triennio, intra quod censum indictum fuisse oportet (15), alius illic legatus Augusti legationem ordinariam gereret. Uter vero is fuerit duorum, quos per id tempus Syriae praefuisse novimus (16), Cn. Sentius Saturninus, an P. Quintilius Varus, iam exquiramus.

22 Quisque facile intelligit, quanti referret imperio reique publicae, quae et quantae sibi suppeterent quodlibet genus opes, compertum plene habere, quippe a qua notitia tantum non tota regendi populos ratio ac modus dependeat. Hanc sibi notitiam, quo accuratius fieri poterat, comparare Augustum studuisse, testis est ille liber ipsius manu conscriptus, cuius supra meminimus (13), atque, quod avebat, consequeretur, id unum consilii eum capere oportebat, ut totius imperii censum agi iuberet, quod re ipsa iussit. At, si tanti ea nosse referebat, tantoque studio hanc sibi notitiam Augustus comparavit, putandus is minime est censum diutius distulisse post Ianum tertio clausum. Probe enim perspiciebat procul dubio, id negotii, nisi quum respublica plenissima pace frueretur, haudquaquam perfectum iri; pacem vero reipublicae diu perdurare non posse experimento didicerat, utpote qui, posteaquam Ianum, quem rerum potitus apertum invenerat, iterum clauserat, iterum aperire bellis brevi ingruentibus coactus fuerit. Id ne tertio fieret, timendum erat, tunc maxime, quum, Dacis ac Germanis subactis, imperii termini tam longe lateque protenderentur; quem timorem caussa non caruisse, eventus paucis post annis comprobasset, ut historiae illius aetatis testantur [7]). Et re vera eo ipso anno U. C. DCCXLVI, id est, continuo post Ianum tertio clausum, alterum urbis censum ab Augusto ipso peractum ac lustrum conditum nos docent tabulae ancyranae (15); insuper *eodem anno, ut et insequenti, idem pacis romanae conditor adsertorque reipublicae ordinandae atque ad optimum statum traducendae totus incubuit* [8]), imperium, altero exacto, in tertium decennium suscepit, annorum cursum pontificum incuria labefactatum ad formam, quam Iulius pater statuerat, revocavit, prolatis pomerii terminis mensem sextilem de suo nomine Augustum appellari voluit, Urbem in regiones quatuordecim divisit, plura denique aedificia publica dedicavit [9]). Qui haec eo tempore ab Augusto acta perpenderit, nec suspicabitur fieri potuisse, ut Augustus rem tanti momenti, quanti erat regiones omnes censere, qua patebat imperium, ad mediam usque aestatem an. U. C. DCCXLVIII differret, quo tamen usque distulisse dicendus foret, siquidem hic census peractus fuisset, quum P. Quintilius Varus provinciam Syriam iam obtinebat (16). Quare concludamus, necesse est, Cn. Sentium Saturninum provinciae huic praefuisse, quum census indictus est, proinde ante mediam aestatem anni U. C. DCCXLVIII, quo tempore a Syria discessit Saturninus (16), censum fuisse indictum, intraque biennium a Iano tertio clauso.

[1]) *Dio Cass.* Hist. L. LIV. p. 521; *Sigon.* Comment. in Fast. ad. an. DCCXXXI. [2]) *Trebell. Poll.* Valerian. cc. 1. 2. [3]) Tabul. ancyr. [4]) Antiq. L. XVII. c. 13. § 5; XVIII. c. 1. § 1. [5]) L. c. c. 4. pp. 430. 431. [6]) Antiq. L. XX. c. 5. § 2. [7]) *Dion.* Hist. L. LV. pp. 553 C seqq. [8]) *Sanclem.* Op. cit. L. IV. c. 2. p. 413. [9]) Ib. et c. 1. p. 402 et c. 5. p. 440.

23 Sed his quasi coniecturis vix opus est, ubi testem locupletissimum Tertullianum licet testari. Hic enim Marcionem refutans, *qui solum evangelium Lucae recipiebat* [1]), atque inter cetera *molestos semper Caesaris census* [2]) iude iubebat auferri, quum hac de caussa argumentis ex hoc loco petitis refellere illum non posset, putandus profecto est cavisse, *ne, dum Marcionem falsitatis convincere nitebatur, in eamdem et ipse reprehensionem incurreret, ac mendacii revinci posset* [3]), quod tamen fieri oportebat, si testimonia ac publica praesertim monumenta confinxisset, ac protulisset. Quid ergo protulit? Censum orbis terrarum ab Augusto imperatum, ut qui Romae adhuc in publicis tabulis servaretur. En eius verba: *Quem (censum) testem fidelissimum dominicae nativitatis romana archiva custodiunt* [4]). Iam vero hunc censum, cuius tabulas Tertulliani aetate cuique integrum erat inspicere et, a quonam actus esset, in ipso titulo legere, scribit idem ipse Tertullianus, constare actum esse *per Sentium Saturninum* [5]). Fuere, qui suspicarentur vel in Lucae vel in Tertulliani verba mendum librarii irrepsisse; sed, quae hactenus disputavimus, mendum omne ab utroque abesse evincunt. Syriae nimirum eo tempore uterque Augusti legatus praeerat, Saturninus cum ordinaria, Quirinius cum extraordinaria potestate. Uterque censum egisse dicitur, Quirinius, quia ab Augusto censui censendo praefectus fuerat, Saturninus, quia ordinarium provinciae praesidem in eo negotio Quirinius sibi socium atque adiutorem adsciverat. Quis enim non intelligit eos, qui grandibus reipublicae negotiis praeficiuntur, solos haec per se agere nec solere nec posse, quin alios secum habeant, quibus curarum partem committant (17)? Nonne ab eodem ipso Quirinio, utpote pluribus regionibus censendis praefecto, curam censendae Apamenae civitatis Q. Aemilio Secundo demandatam legimus in huius titulo (19)? Idque ipsum alias quoque factum historiae testantur, ut, qui ad provincias censendas legabantur, socios operis sibi adiungerent [6]). Quemnam vero socium ad censum in Syria finitimaque Iudaea perugendum prudentius sibi providentiusque Quirinius optasset, quam ipsum Syriae legatum propraetore Saturninum? Memineris praeterea, oportet, discrepantiam omnem Lucam inter et Tertullianum vel hoc uno removeri, quod, ubi ille Quirinium, hic Saturninum nominat, non de Syriae regionumque omnium finitimarum, sed de unius Iudaeae censu uterque loquatur, quem Tertullianus quidem actum dicit *per Sentium Saturninum*, Lucas vero a Quirinio actum esse nequaquam dicit, sed *ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου quum Syriam regeret Quirinius*, vel, ut scripserunt Ambrosius et Augustinus, utque legitur in codicibus quibusdam vetustissimis, *praeside* aut *ducatum agente Syriae Cyrino* (5), ex quo apparet Quirinium, Syriae, quam unam Lucas nominat, utpote a qua regnum Iudaeae etiam Herode regnante dependeret, aliisque provinciis sociorumque regionibus censendis praefectum, censendae Iudaeae curam Saturnino Syriae praesidi demandasse. Neque tamen ex his consequitur ipsum Saturninum per se censum in Iudaea fecisse, quod paullo inferius edisseremus (31). Interea id positum sit, quum census imperii universi indictus fuit, Syriae praefuisse ordinaria cum potestate legati Augusti propraetore Cn. Sentium Saturninum.

24 Hoc autem posito vela iam contrahere liceret, si concederes quoque Christum in lucem editum fuisse mense decembre, quod, ubi locus erit, demonstrabimus non esse, cur negetur [7]). Quum enim id contigit, census in Iudaea agebatur [8]), ideoque Cn. Sentius Saturninus Syriae praeerat, neque enim, ut mox dicemus, ex provincia discessisse putandus est post censum indictum nec dum absolutum. At mensis ille decembris alius esse nequit, quam qui fuit anno DCCXLVII U. C. Neque enim ante hunc annum Christum ortum aliquis, si Magnanium excipias [9]) paucosque veteres, qui a saeculo X fuerunt, unquam, dixit, nec dicere potuit, quin totam temporum, quibus Christi historia continetur, seriem rationemque perturbaret, qua de re in alio loco [10]). Mense vero decembre anni U. C. DCCXLVIII Saturninus ex provincia iam excesserat (16. 22. 25). Concludere igitur oportoret censum haberi coepisse in Iudaea sub hyemem exeuntis anni U. C. DCCXLVII. Id autem ipsum, ut facile intelligis, consequeretur etiam ex alia sententia, quae priscis aetatibus inter nonnullos invaluerat, Christum natum esse postridie non. ianuar. [11]). Equidem huic ratiocinationi nullum momentum deesse arbitror; quo tamen morosius quorumdam iudicium devitemus, alia via, quo volumus, tendere praestat.

25 Itaque aio, Syriae ideoque et Iudaeae censum intra illud biennium, quod diximus (22), ita iudici ac peragi debuisse, ut absolutus esset aliquot ante mensibus, quam Saturninus provinciam desereret, proinde agi saltem coepisse ante annum U. C. DCCXLVIII a palilibus ductum. Etenim,

---

[1]) De carne Chr. c. 2. [2]) Ib. [3]) *Sanclem.* l. c. 5. p. 436. [4]) Adv. Marcion. L. IV. c. 7. [5]) Ib. c. 19. [6]) *Sanclem.* l. c. c. 6. p. 466. [7]) Diss. XXI. nn. 18. seqq. [8]) Luc. II, 1—7. [9]) Problem. de anno nativ. Chr. ap. *Sanclem.* Op. cit. L. IV. c. 2. [10]) Diss. XX. n. 8. [11]) Diss. XXI. nn. 12—16.

quum provinciarum census periculosa adeo, ut diximus (14), res esset, periculosum etiam quam maxime erat provinciam ordinario praeside veluti orbare, quum in ea census agebatur, hoc nondum absoluto. Imo neque Augustus pro sua prudentia et sagacitate prius legare alium potuit, qui Saturnino e Syria decedenti succederet, quam certior fieret censum Syriae esse absolutum. Ut vero id Augustus resciret, ac tum demum P. Quintilium Varum legaret, isque Syriam adpelleret, aliquot mensium spatio opus fuit. Varum illuc iam appulisse circa initium autumni anni U. C. DCCXLVIII docent eius numi ita inscripti: *ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΕΚ Antiochenorum sub Varo. Anno XXV*, aerae actiacae videlicet, qua Antiocheni per illam aetatem utebantur, et cuius initium ducebant, non quidem ab autumno anni U. C. DCCXXII, a quo ducere debuissent, siquidem cum ipso proelio actiaco, secundum suam ipsorum rationem annis initium faciendi altero autumni interlunio, eam composuissent, apud Actium enim pugnatum est IV seu, quod verius est, III non. septembr. anni U. C. DCCXXIII, sed ab autumno huius ipsius anni U. C. DCCXXIII; quia, etsi aeram hanc nominarent ex actiaca victoria, componebant tamen cum Syria ac reliquo Oriente Augusti imperio primum subiecto, quod post M. Antonii mortem captamque ab Augusto Alexandriam, nec multo post kal. sextil. anni U. C. DCCXXIV factum est [1]). Quare annus ille XXV huius aerae, quo Varus Syriae iam praeerat, finem habebat circa medium autumnum anni U. C. DCCXLVIII; Varus igitur haud serius huius autumni initio Antiochiam legatus Augusti advenisse dicendus est, ideoque nec serius ineunte aestate literae ex Syria ad Augustum scribi potuerunt, quae de censu in illis omnibus regionibus absoluto certiorem eum facerent. Sed neque potuerunt hae literae mitti statim a censu absoluto, quum prius necesse fuerit tabulas censuum Antiochiam ad Quirinium afferri ex regionibus censis, ab ipso examinari, ut certior fieret recte omnia acta fuisse, in ordinem digeri, ac tum demum Romam mitti. Si unum mensem his omnibus perficiendis impensum ponamus, dicere oportebit unum mensem aut paullo amplius a palilibus, hoc est ab XI kal. mai., anni U. C. DCCXLVIII superfuisse illis omnibus regionibus censendis, siquidem hoc eodem anno census fieri coepisset. Quod temporis spatium quum rei huic peragendae sufficere nullo modo quiverit, consequens est censum ante hunc annum a Quirinio agi coeptum [2]).

26 Quod autem ad Iudaeam attinet, in hac quoque ante hunc annum census habitus esse aut haberi saltem coepisse procul dubio putandus est. Dilatum enim censum fuisse in extremum illud tempus, quod fuit post XI kal. mai., eo minus veri simile videtur, quod, non Quirinius aut Saturninus, sed Herodes eum egerit (31), cui Quirinius aut Saturninus id negotii primo quoque tempore commisisse merito creditur, maxime quum Syriae praesides, tum ob Augusti et Herodis amicitiam, tum quod hoc ipsum eos iussisset Augustus, nihil non obsequii Herodi deferrent [3]). Praeterea neque tempus illud sane perexiguum satis fuisset toti Herodis regno censendo, imo, quia huius subditi *ibant omnes, ut profiterentur, singuli in suam civitatem* [4]), censui illic perficiendo longiore tempore opus erat, quam in aliis regionibus, quae romano more ac modo censebantur. Quare illud dubitatione vacat, Iudaeam censeri coeptam ante palilia anni DCCXLVIII.

27 Non tamen ante palilia prioris anni DCCXLVII. Etenim Herodem quamprimum Augusti iussa exsequi studuisse ex eo arguere est, quod, ut semper omnique conatu in id incumbebat, quo Augustum sibi demereretur, ut historiae Flavii Iosephi affatim loquuntur, sic, per illud tempus maxime, quod paullo ante, quum ob Syllaei calumnias periclitatus esset Augusti amicitia [5]), fraude detecta in gratiam cum eo redierat [6]). Hanc ipsam Herodis festinationem prodit ingens illa hominum frequentia, qui Bethlehemum convenerunt, ut nomina profiterentur [7]), quosque quantocyus, Herode procul dubio ita iubente, interque illos Iosephum et Mariam, ambos profecto obtemperando minime segnes, illuc contendisse pro comperto est. Iam vero Christus ortus est paullo post, quam hi in eam urbem pervenerant, quod arguimus ex ipsa advenarum frequentia illic adhuc commorantium [8]). Sub ipsum igitur Christi ortum Iudaeae census indictus fuerit, necesse est. At Christus, quemcumque demum in mensem eius ortus inciderit, adeo credi nequit natus ante palilia anni DCCXLVII, ut vix sint, qui non serius id factum autument.

28 Ex quibus omnibus efficitur actum Iudaeae censum fuisse magna saltem ex parte intra annum U. C. DCCXLVII a palilibus ducto. Hoc autem confirmare iuvabit comparatione instituta inter Lucae narrationem interque historiam Flavii Iosephi, quae duo si simul componantur, dum se se

---

[1]) *Sanclem.* Op. cit. L. II. c. 5. p. 210; c. 7. p. 229. [2]) *Sanclem.* op. cit. L. IV. c. 5. [3]) *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 10. § 3. [4]) Luc. II, 3. [5]) *Ioseph.* Antiq. L. XVI. c. 9. §§ 1—3. [6]) Ib. c. 10. § 9; c. 11. § 1. [7]) Luc. II, 7. [8]) Luc. II, 6 coll. 7.

mutuo illustrant, atque confirmant, manifestius ostendunt, nisi in annum illum, Iudaeae descriptionem in evangelio commemoratam incidere non potuisse.

29 Ut autem ordine procedamus, reminisci primo eius oportet, quod iam indicavimus (6), duplicem fuisse censuum modum; alterum censum proprie dictum, quo tum capita numerabantur, tum privatorum bona aestimabantur, proque horum aestimatione tributa in singula capita imponebantur, alterum minus proprie dictum, quo horum primum solummodo aut ad summum alterum quoque fiebat [1]). Prior agebatur in provinciis, ugi vero nec solebat, nec poterat, in regionibus sociorum, ubi reipublicae nullum ius erat in bona privatorum. Quod quidam minime attendentes primam Iudaeae descriptionem pro primum genus censu babuere, quum tamen secus sit (5).

30 Alteram quidem indictam anno U. C. DCCLIX [2]) constat verum fuisse censum, quum, Iudaeae regionibus provinciae Syriae adiunctis, necesse esset, ut respublica, non modo numerum capitum perspectum haberet, sed et bona atque opes gentis totius, essentque viritim tributa imponenda. Quo posito duo plene clarent, ac simul id ipsum confirmant, ex quo lucem concipiunt. Unum est, cur Lucas, qui prioris etiam descriptionis meminerat, et *primam* dixerat, hanc, alteram simpliciter *ἀπογραφὴν professionem* nominaverit [3]), veluti unicam; unica enim utique fuit, in quantum sola haec, non autem et illa prior, fuit census proprie dictus. Alterum est, cur ex altera descriptione turbae exstiterint in Iudaea [4]), quae ex priore minime exstiterant; videlicet, quum altera descriptio verus esset census, tributa simul pendere Iudaei coacti fuerunt [5]), quae res in aliis quoque provinciis turbas, dum census peragerentur, excitabat (14).

31 Itaque descriptio illa prior Iudaeae, quae in evangelio commemoratur, et de qua nobis quaestio est, non fuit nisi personarum dinumeratio, certe non census romano more actus tributoque in singula capita imposito. Id vero, praeter rationes iam dictas, ex eo etiam colligimus, quod eo tempore Iudaea proprio rege, propriis legibus, propriisque moribus et consuetudinibus uteretur, quodque, si tunc eo modo, quo provinciae, censa fuisset, non erat, cur vix decennio interposito census in ipsa iteraretur (14), quod denique, quum bona censeri atque aestimari nequeant, nisi ubi sunt, eamque ob rem romanae leges ita inbeant: *Qui agrum in alia civitate habet, in ea civitate profiteri debet, in qua ager est* [6]), Iudaei e contrario ad priorem descriptionem e civitatibus, in quibus degebant, remque familiarem habebant, alio proficiscebantur, *ut profiterentur, singuli in* SUAM *civitatem* [7]), id est, in eam, quam primo cuiusque maiores incoluerant. Scilicet gens censa tunc fuit singillatim in propria tribu, cognatione, et familia, quomodo ab ipsa usque Moysis aetate censeri solita fuit (6). Hic vero facile perspicis nil Augusti interfuisse scire, ex qua tribu quisque Iudaeorum foret, ideoque ea censendi ratione censitores Iudaeos omnino prodi. Ex quo compertum fit curam censendae Iudaeae Herodi ipsi fuisse demandatam. Imo de hac re certiores illud nos facit, quod Augustus suis in Syria legatis *imperaverat, ne quid sine Herodis sententia facerent* [8]); an ergo fieri potuisset, ut sese illi in Herodis regnum censendum ingererent, non autem id regi ipsi ex integro permitterent?

32 Verum et apud Iosephum id legimus, ex quo necessario consequitur aliquam gentis totius recensionem eamque Augusti respectu ab Herode fuisse imperatam. Narrat enim illud de Pharisaeis, quod, quum *universa Iudaeorum natio iurasset se Caesari rebusque regis faututos, homines isti non iurarunt, quum essent supra sex millia; quumque eos rex mulctasset, Pherorae coniux mulctam pro eis solvit* [9]). Praemonere non est opus, hoc iusiurandum aliud esse illo, de quo Iosephus superius scripserat [10]); illud enim Herodes imperaverat anno regni XVII aut XVIII [11]), hoc autem aliquot annis post Caesareae Augustae dedicationem, quae anno XXVIII celebrata est [12]). Considerationem illud potius meretur, quid utrumque hoc iusiurandum differret. Etenim prius non genti universae fuisse imperatum, colligimus ex ipsa Iosephi narratione, qui non modo Essaeos omnes exemptos dicit, sed ad iurandum adactum *τὸ πλῆθος vulgus*, idemque facere suasos Pollionem et Sameam, viros ex Pharisaeorum primoribus, *καὶ τῶν ἐκείνοις συνδιατριβόντων τοὺς πλείστους et eorum plerosque, qui cum illis conversabantur*, et hos quidem impune id renuisse, ceteros, qui iussi iurare detrectarunt, morte mulctatos; neque hac in re ullus Augusto locus ullave huius mentio. Posterius autem iusiurandum, de quo agimus, ab universa gente exactum datumque, neque Herodi modo, sed Augusto in

---

[1]) *Noririus* op. cit. c. 16. §§ 10. 11; *Sanclement*. op. cit. L. IV. c. 2. [2]) Diss. XXXV. n. 38. [3]) Act. V, 37. [4]) Act. ib.; *Ioseph*. Antiquit. L. XVIII. c. 1. § 1; XX. c. 5. § 2; Bell. L. II. c. 8. § 1. [5]) Conf. Matth. XXII. 17—21 cum. XVII, 26 coll. 23. [6]) Digest. L. L. Tit. XV. § 4. n. 2. [7]) Luc. II, 3. [8]) *Ioseph*. Antiquit. L. XV. c. 10. § 3. [9]) Antiquit. L. XVII. c. 2. § 4. [10]) Ib. L. XV. c. 10. § 4. [11]) Conf. ib. § 3 et c. 10. § 1. [12]) Ib. L. XVI. c. 5. § 1.

primis; Pharisaeosque, qui renuerant, non morte mulctatos, sed pecunia. Ad quod negotium perficiendum patet omnes Iudaeae incolas viritim vocari oportuisse, nomenque singulorum describi, quo Herodes certior fieret, nu omnes ad unum iussis paruerint.

33 Iam vero ex rerum gestarum serie, quas refert Iosephus, manifestum fit iusiurandum ab Iudaea universa Augusto datum esse illo ipso anno, quo huius iussu eam censam esse contendimus (28). Datum enim fuit procul dubio pluribus mensibus post Alexandrum et Aristobulum Herodis filios a patre supplicio affectos [1]), quod fieri non potuit ante annum U. C. DCCXLVII [2]); sed neque paucioribus quam quatuor mensibus, antequam Antipater alius Herodis filius postremo Romam discederet, quod accidit, quum Saturninus adhuc Syriam regeret, ideoque non serius media aestate anni U. C. DCCXLVIII, hoc est intra quartum ut plurimum mensem a palilibus huius eiusdem anni [3]). Itaque, *quum universa Iudaeorum natio iuravit se Caesari rebusque regis fauturos*, annus erat U. C. DCCXLVII a palilibus ductus.

34 Hic vero quaerere subit, cur hoc alterum iusiurandum exegerit Herodes a Iudaeis? Prioris quidem caussam Iosephus nos docuit, huius vero nullum affert. Si id exactum ideo est, quia non omnes prius dederunt. nonne satis fuisset a reliquis exigere? Cur ergo universa natio ad illud iurandum compulsa? Cur Augusto etiam datum? Facile haec omnia resolvemus, si id factum dicatur, quum Iudaea universa Augusto iubente ab Herode recensa fuit, eaque occasione iusiurandum quoque ab omnibus exactum, sive quia id quoque imperaverit Augustus, sive quia Herodes sic voluerit, quo ipsum Augustum, in cuius gratiam paullo ante fuerat receptus (27), sibi magis ac magis devinciret. Quum denique tempora apprime cohaereant, ac nemo, qui sapiat, suspicetur bis per idem tempus idem ipsum hoc regnum censum fuisse, omni iam dubitatione depulsa credere cogimur, quod Lucas narrat, quodque Iosephus, ad unam eamdemque rem gestam pertinere.

35 Denique. quod Iudaea censa fuerit, aut saltem censeri coeperit aliquot mensibus ante palilia anni U. C. DCCXLVIII insigne argumentum petere est ex puerum Bethlehemitarum caede, quam, quum locus erit, demonstrabimus ante finem anni U. C. DCCXLVII a palilibus incepti factam fuisse.

36 Quae quum ita sint, plane effectum est (12) censum Iudaeae, quem Lucas commemorat in evangelio, actum esse anno U. C. DCCXLVII a palilibus ducto. Quum autem, ut ex propositis (33) efficitur, descriptio haec fieri coeperit quatuor saltem mensibus antequam Antipater ad Urbem proficisceretur, profectus autem serius haud fuerit, quam extremo mense aprili anni U. C. DCCXLVIII [4]), liquet descriptionem haud serius fuisse initam, quam mense decembri superioris anni U. C. DCCXLVII, qui fuit periodi iulianae 4707.

DISSERTATIO XIX

Veterum sententiae de tempore, quo Christus vixit, deque annis, quibus eius vita continetur.

1 In Christi vita exponenda locus deberi non potest quaestioni de tempore, quo illa definita fuit. Evangelistae nobis ipsorum libros attente perlegentibus atque comparantibus tam inter se, tum cum romana historia, satis suppeditant, ex quo, citra quam duorum aut trium mensium errorem, huius temporis terminos compertos habeamus. Attamen, quum ex huiusmodi evangeliorum locis alii alias sententias colligant, quam sententiarum discrepantiam in patrum quoque scriptis deprehendere est, sentio illud mihi praestandum omnino esse, ut appareat a patrum auctoritate maius sane nostrae, quam cuivis aliae illorum locorum interpretationi, proinde et temporis, quo Christi aetatem contineri affirmabimus, definitioni momentum accedere. Ad id autem diligentius expendamus necesse est, quae singuli patres literis hac super re consignarunt; quod ne frustra magnoque cum erroris discrimine tentemus, notas habeamus oportet epochas atque aeras, his enim nominibus in huiusmodi tractatione uti cogimur, quas ad temporum rationem ineundam subducendamque patres sequuti sunt. Quamobrem primo de ipsis aeris atque epochis, deinde de singulorum patrum opinionibus, secundum aetates, quibus hi vixere, illae initium habuere, disputabimus.

[1]) *Ioseph.* Antiquit. a. L. XVI. c. 11. § 7 ad L. XVII. c. 2. § 4. [2]) *Sanclement.* op. cit. L. III. c. 3. pp. 343—345. [3]) *Ioseph.* a. l. c. ad c. 3. § 2 et Bell. L. I. c. 29. § 3. V. et *Sanclement.* l. c. p. 346; L. IV. c. 7. p. 456. [4]) Diss. XXXIII. n. 16.

CAPUT I

De epochis atque aeris, quas patres sequuti sunt.

2 Ad institutum nostrum minime illud pertinet, ut plenam de aeris atque epochis tractationem habeamus; sunt autem, qui, quidquid de his in quaestionem venire solet, magnis voluminibus alii aliis accuratius egerunt, ut Scaliger, Petavius, Norisius, Sanclementius, nosque etiam fortasse, si Deus dabit, aliquid hic audebimus. Itaque solum de singulorum epocharum initio ac forma paucis dicemus, nisi ubi nodus aliquis solvendus plura flagitabit; quod satis erit ad eum finem, quo haec disputatio tendit. Quum autem non idem in omnibus epochis annorum modus sit idemque principium, quem modum quodque principium perspectum habere debent, qui, quae de ipsis epochis dicturi sumus, intelligere avent, hoc dissertationis caput in duas partes tribuemus, in quarum prima erit de annorum, in altera de epocharum initio ac forma.

PARS I

De annorum principio ac forma.

3 Annus alius solaris est, alius lunaris, utriusque non una ratio; hanc qui te doceant, multi sunt, quos adeas. Ante Iulii Caesaris aetatem vix ulli populi solarem annum sequebantur, plerique mixtum. Quae de anno scire in praesenti nostra interest, eo ordine exsequemur, quo de epochis dicturi sumus.

4 *Annus iulianus*, ita vocatus, quia Iulius Caesar eius usum in rempublicam induxit, solaris est, Romanis incipiens eo die, quem kalend. ianuar. vocant, aliis gentibus alio die, ut dicemus, diebus constans 365, sed primus quisque singularum τετραετηρίδων diebus 366; de quo plura dicere nihil attinet, quum illa ipsa sit anni forma, qua, etsi emendata et correcta a Gregorio XIII P. M., etiamnum utimur. Hac ipsa de caussa, quo res clarior fiat atque expeditior, in anni iuliani dies initia ceterorum alia forma annorum conferemus.

5 *Annus* Aegyptiorum, quem *vagum* dicere mos est, duodecim mensibus, menses singuli triginta diebus constabant, quibus exactis quinque dies ἐπαγόμεναι adiiciebantur ad explendum numerum dierum 365. Mensium nomina atque ordo ita erant: *Thoth*, *Paopi*, *Athyr*, *Choeac*, *Tybi*, *Mechir*, *Phamenoth*, *Pharmuthi*, *Pachon*, *Payni*, *Epiphi*, *Mesori*. Omnes anni *vagi* eodem dierum numero ibant, nec ullus in his dies erat intercalaris, qui nostri diei bissexti vicem esset, quare fiebat, ut neomenia mensis thoth ceterique ex ordine horum annorum dies per omnes dies anni iuliani sensim regrederentur, et quarti cuiusque anni principium uno die principia quatuor priorum annorum anteiret in anno iuliano, neque in eumdem huius anni diem uniuscuiusque τετραετηρίδος initia inciderent, nisi post exactos annos vagos 1461, qui sunt anni iuliani 1460.

6 *Annus iudaicus* erat mixtus, constans duodecim mensibus lunaribus, quibus ad solis lunaeque rationes circuitusque peraequandos tertio aut quarto quoque anno mensis decimus tertius intercalarius adiiciebatur. Menses hoc ordine ibant: *Nisan*, *Iiar*, *Sivan*, *Tammuz*, *Ab*, *Elul*, *Tisri*, *Marchesuan*, *Casleu*, *Tebeth*, *Scebat*, *Adar*, quos tamen menses mensium macedonicorum (9) nominibus Iudaei vocare solebant, quum graece loquebantur, ut Iosephus. Mensis intercalarius, qui mensem adar sequebatur, *Veadar* nomen habuit, latine diceres *Et Adar*, hoc est *Alterum Adar*. Nomina haec mensibus fieri coepta non sunt, nisi seriore aetate, olim simpliciter dicebantur *mensis primus*, *secundus*, *tertius*, ceteri, ita ut *primus* ille ipse diceretur, qui postea nisan vocatus est, *secundus* qui iiar, tertius qui sivan, atque item ceteri. Iudaei olim ad intercalationes ordinandas nullos cyclos adhibuerunt, neque cyclorum usus in eorum mores inductus, nisi longo post tempore a totius gentis interitu; non modo enim apud Philonem, Iosephum, aliosque, nedum in bibliis, sed etiam in talmude nullum verbum de cyclis, quod, qui Talmudistarum studia, doctrinas, disceptationes, perspectas habent, nequeunt ulli caussae attribuere, nisi huic uni, quam dicimus. Mensium initium civilisque neomenia is dies erat, in quem, non ipsum interlunium, sed prima lunae φάσις incidebat, primus autem anni mensis, cuius διχομηνία prima erat post eum diem, in quem vernus anni cardo incidebat, quo, inquam, ut ipsis veterum Iudaeorum utar verbis, sol in signum arietis ingrediebatur. In hoc autem signum Christi aetate Iudaei solem ingredi putabant eo die, qui nobis est a. d. XVI

kal. april., quod in alio loco [1]) demonstramus. Atque is est Iudaeorum annus, quem sacrum vocare mos est, utpote cuius initium Deus constituerit [2]), et quo aetates suorumque regum tempora dimetiri illi solebant. Alius erat annus sive, ut verius loquor, aliud principium anni, qui civilis et vocatur, incipiebatque die neomeniae tisri, hoc est, mensis septimi, quem diem Iudaei *caput anni* nuncupant, indeque annorum initia sumebant in contractibus negotiorum inque extraneorum regum temporibus computandis item initia anni sabbatici et iubilaeorum [3]).

7 *Olympias*, qua Graeci tempora dimetiebantur, spatium erat quatuor annorum. Hi anni erant mixti, eorumque duodecim menses lunares, intercalationibus ita adhibitis, ut intra octo annos ter unus mensis intercalaretur, item ter unus dies intra sedecim annos, unaque ὀκταετηρὶς nonagintanovem mensibus lunaribus constaret, foretque alternis dierum 2923 et 2924. En mensium nomina atque ordinem: ***Hecatombaeon***, ***Metagitnion***, ***Boedromion***, ***Memacterion***, ***Pyanepsion***, ***Posideon***, ***Gamelion***, ***Anthesterion***, ***Elaphebolion***, ***Munychion***, ***Thargelion***, ***Scyrrhophorion***. Mensi intercalario locus erat inter posideonem et gamelionem, nomen autem ***Posideon secundus***. A nova luna hisce mensibus initium factum fuisse certo constat, certissima enim huius rei argumenta sunt vetustissimae quaedam siderum τηρήσεις, quarum memoriam Ptolomaeus nobis servavit in sua ***Magna compositione***; non est ergo dubium annos quoque olympiadum a nova luna, hecatombaeonis videlicet, incepisse. Hecatombaeonis autem neomenia, quantum e priscis monumentis efficere est, ea erat, quae civile solstitium longiore quam quindecim dierum intervallo nec anteibat, nec subsequebatur.

8 *Annus romanus*, antequam Iulius Caesar novam anni formam in rempublicam induceret, non idem omni aetate fuerat. Nam Romuli annus decem mensibus constabat, diebus autem CCCIV, ut infra videre est.

Martius diebus	XXXI	***Sextilis*** diebus	XXX
Aprilis	XXX	***September***	XXX
Maius	XXXI	***October***	XXXI
Iunius	XXX	***November***	XXX
Quintilis	XXXI	***December***	XXX

Hoc anni modo reiecto Numas Pompilius alium in eius locum substituit, qui ab auctore *annus pompilianus* nomen apud quosdam invenit, isque ita erat, ut infra eum descripsimus.

Ianuarius diebus	XXIX	***Quintilis*** diebus	XXXI
Februarius	XXVIII	***Sextilis***	XXIX
Martius	XXXI	***September***	XXIX
Aprilis	XXIX	***October***	XXXI
Maius	XXXI	***November***	XXIX
Iunius	XXIX	***December***	XXIX

Alternis annis mensis *merkedonius* dierum alternis XXII et XXIII intercalabatur inter terminalia et regifugium, hoc est inter dies VII et VI kal. mart., ita ut in annis intercalaribus mensis februarius dies haberet XXIII, mensis vero merkedonius additis quinque diebus, qui postremi fuissent mensis februarii, summam dierum XXVII et XXVIII alternis colligeret. Quare una τετραετηρὶς pompiliana plus quatuor diebus habebat quam iuliana, quum illa diebus 1465 constaret, haec 1461, sicque fiebat, ut anni pompiliani 366 annos iulianos 367 peraequarent. Rudi huic atque inconcinnae intercalandi rationi accedebat pontificum, quorum erat intercalare, tum incuria, tum fraus, qui intercalationes debitas omitterent, indebitas multiplicarent. Hinc illa labes, quae in vetere Romanorum anno deprehenditur.

9 *Annum Syrorum*, Seleucidis rerum potientibus, mixtum fuisse, ut ceterorum Orientalium, quorum historiae supersunt, annum, eademque forma atque Asianorum et Babyloniorum, qui Seleucidis erant subditi, dubitare non est. Primus anni mensis, non hyperberetaeus, ut Scaligero, Petavio, Norisio, visum est, sed, ut Sanclementius ostendit [4]), dius erat. Menses hoc ordine ibant. ***Dius***, ***Apellaeus***, ***Audynaeus***, ***Peritius***, ***Dystrus***, ***Xanthicus***, ***Artemisius***, ***Daesius***, ***Panemus***, ***Lous***, ***Gorpiaeus***, ***Hyperberetaeus***. Mensis intercalarius forte ille fuit, qui in libro secundo Machabaeorum [5]) ***Dioscorus*** vel, ut est in graecis exemplaribus, διος κορινθιου vocabatur, quique proxime mensem xanthicum praecedebat. Illud pro certo habendum, si modo ad removendam difficultatem, quam nobis

---

[1]) Diss. LII. nn. 13 seqq. [2]) Ex. XII, 2. [3]) Lev. XXV. *Ioseph.* Antiq. L. I. c. 1. § 3. Rosch. haschana c. 1. § 1 et *Bartenor.* in h. l. Conf. Ex. XXIII, 16; XXXIV, 22 et Diss. XXXV. nn. 25. 29. [4]) De vulg. aer. emend. Lib. II. c. 2. [5]) II Mach. XI, 21.

faciunt in eo libro literae Antiochii Eupatoris, certiorem viam inire volumus, mensem intercalatum fuisse in primis sex anni mensibus ante xanthicum. Initium anno faciebat neomenia, quae altera erat post aequinoctium autumnum, ita ut annus, proinde mensis quoque dius, numquam inciperet ante postremos dies octobris, idque non uno argumento compertum babemus. Nam via, qua perveniatur ad solutionem nodi illius *πολυθρυλλητου*, quo Machabaeorum historiam intricare videtur dies datae ab Antiocho Eupatore epistolae [1]), alia non patet, quam ut positum babeamus primam anni Antiochenorum neomeniam eam fuisse, quam diximus. Eadem haec ratio est, qua explices, qui factum sit, ut numerandis Seleucidarum annis Syri initium fecisse videantur uno anno ante Asianos. Denique illud apud Syros fuisse anni initium certo constat vel ideo, quia, ex quo Antiocheni lunari anno annum solarem iuliana forma substituerunt, neomenia dii kalendis novembr. assignata fuit.

10 ***Annus Babyloniorum*** et ***Asianorum***, dum in bus Seleucidae sunt dominati et deinde usque ad inductam in eoram regiones iulianam solaris anni formam, idem fuit ac annus olympicus (7); id compertum cuique erit, si quasdam Chaldaeorum astronomorum *τηρησεις* nobis a Ptolomaeo servatas inter se accurate conferat. Menses non alii nec alio ordine ac nomine, quam apud Syromacedonas (9); ipsa tamen chaldaica nomina, ita sunt: ***Tesri prior, Tesri posterior, Canun primus, Canun secundus, Schebath, Adar, Nisan, Iiar, Chaziran, Temuz, Ab, Ilul***, quae Syri quoque atque Arabes christiani nunc adhibent, ita tamen ut primus mensis sit ***Ilul*** septembri respondens. Anni initium neomeniaque dii ea erat, quae vel in ipsum aequinoctii autumni diem incideret, vel prima esset post aequinoctium, cuius rei illae ipsae astricae *τηρησεις* argumentum suppeditant. Adde, quod illi populi quum hanc anni formam cum solari commutarunt, neumeniam dii primumque anni diem eum baberi constituerant, qui est a. d. VIII kal. octobr., cui diei civile aequinoctium a Iulio Caesare adscriptum fuerat.

11 ***Annus fixus*** a chronologis vocari solet annus iulianus, quem pleraeque gentes aliae post alias in locum anni sive solaris vagi, sive mixti, substituerant, ita tamen ut non unum omnes atque idem initium anno facerent. Romani omnium primi Sosigenis cura et Iulii Caesaris decreto id exsequuti sunt, kalendasque ianuarii assignarunt diei, qui dies octavus erat a bruma, hanc enim Caesar adscripserat diei VIII kal. ianuar., primusque hac forma annus ille ab Urbe condita fuit, qui secundum Varronis ratiocinia DCCIX, secundum Fastos capitolinos DCCVIII numeratur. Primi post Romanos Athenienses annum iulianum adscivisse videntur, quantum accepimus ab Africano, qui haec memoriae prodidit: *Ἡν ὀλυμπιας ρπθ', ἡτις προ ς' καλανδων μαρτιων, κατα Ἀντιοχεις κδ' (ἐτει), ἠχθη, δι' ἡς ἐπι των ἰδιων ὁρων ἐςη ὀ ἐνιαυτος* [2]); quorum sensus is est: ***Erat olympias CLXXXIX, quae anno Antiochenorum XXIV diem bis VI kal. mart. primo accepit, per quem intra proprios terminos annus stetit.*** Ex olympiadis nota compertum fit annum XXIV Antiochenorum pertinere ad horum aeram iulianam (26), proinde incepisse autumno anni Periodi iulianae 4688. Hoc ipso anno interlunium medium hecatombaeonis initiumque anni 3 olympiadis 188 incidit in ipsum diem V kal. iul., qui dies primus est post eum diem, cui diei Iulius Caesar postremum civilis solstitii terminum adsripserat. Quum solstitium esset veluti cardo annorum olympicorum, quumque annus 3 olympiadis 188 exiret in medium annum P. I. 4689, qui intercalaris fuit, apparet, ut optima esset caussa, cur Attici hunc annum olympicum eligerent, qui ad formam iulianam redigeretur. Annum hunc Africanus olympiadis 189 fuisse dicit pro ea ratione, qua olympiadas numerabat (48). Ex eius autem verbis minime sequitur in annis olympicis diem intercalatum esse ante diem, qui est VI kal. mart., sed solum dicere voluit factum in his annis, quod in Romanorum annis fiebat a. d. VI kal. mart., ut dies unus trecentis sexagintaquinque anni diebus adderetur. Deinde Aegyptii annum suum solarem (5) ex vago in fixum commutarunt, die sexta adiecta quinque diebus *ἐπαγομεναις* quarto quoque anno exeunte. Huius diei intercalatio fit a. d. IV kal. septembr. intra eum annum iulianum, qui proxime praecedit annum, quo dies bissextus intercalatur; sic fit, ut primus tetraeteridum annus incipiat III kal. sept., reliqui IV kal. Ex his manifesto efficitur primam huiusmodi tetraeteridum illam fuisse, cuius primus annus fuit annus Nabonassari DCCXXIII, qui incepit III kal. sept. an. U. C. DCCXXVIII, id quod Theonis Alexandrini testimonio confirmatur [3]), non autem, ut ex Petavii [4]) opinione consequitur, annus DCCXXIV, nam, si hic fuisset, intercalatio diei sextae *ἐπαγομενης* fieret intra illum ipsum annum iulianum, intra quem dies bissextus intercalatur, omnesque anni Aegyptiorum fixi inciperent IV kal. sept. Eodem hoc anno Urbis conditae DCCXXVIII Asiani novam anni formam,

---

[1]) II Mach. XI, 33. [2]) Ap. *Syncell.* Chronogr. p. 309 al. 246. [3]) Fragment. ap. *Dodwell.* Dissert. cyprianic. in fine. [4]) Doctr. temp. L. X. c. 73.

reiecta vetere, adscivisse videntur. Ut enim credere est Aegyptios atque Orientis populos Caesari Octaviano Augusto dudum subditos consilium commutandi annorum formam cum iuliana circa idem tempus cepisse, ita, cur hoc anno id Asiani fecisse putentur, duplex caussa est, eaque optima. Etenim hi anni initium definiebant tum aequinoctio, tum primo autumni interlunio; illo autem anno U. C. DCCXXVIII interlunium hoc primum incidit in ipsum diem civilis aequinoctii, hoc est, in a. d. VIII kal. octobr., qui dies anni iuliani primus exinde fuit apud Asianos. Hi enim dicendi sunt totum hoc negotium transegisse, non secus ac Aegyptii, ut, quum annos fixos adsciscere statuissent, eum diem his principium facerent, quo die ille vetere forma annus incepit, quem primum nova hac forma exegerunt. Haec ipsa ratio credere suadet annum iulianum ab Antiochenis adscitum esse anno U. C. DCCXXX; cur enim anno iuliano initium hi facerent kal. novembr., caussam eam esse iure dixeris, quia annus ille, cui primo vetere forma sublata novam induxerunt, incepit ex ipsa illa vetere forma kalendis novembr.; atqui id factum est anno U. C. DCCXXX, quo anno altera autumni neomenia civilis, qua vetus Antiochenorum annus incipiebat, in has kalendas incidit, medium enim interlunium pridie fuerat. Eodem hoc argumento inducimur, ut credamus anni iuliani usum apud Tyrios tunc obtinere coepisse, quod veri sane simile facit ipsa occasio, quum in Oriente aera Augusti ἡ ἀπὸ τῆς νίκης adscita fuit, cuius aerae initium, primus videlicet annus, Antiochenis ille fuit, qui incepit autumno anni U. C. DCCXXIII, periodi iuliani 4683. Nam Tyriorum annus iuliana forma initium habebat die XIV kal. decembr., cui diei neomeniam mensis dii illi adscripserant, altera autem civilis neomenia autumni anno per. iul. 4683 utique fuit a. d. XIV kal. decembr., nam pridie hoc est in diem XV kal., medium interlunium inciderat. Tyriorum menses post adscitum annum iulianum singuli colligebant dies triginta, quare more Aegyptiorum dies ἐπαγόμεναι duodecimo cuique mensi addebantur. Constat additus haud fuisse intra anni spatium, quod erat a neomenia mensis loi ad diem postremum mensis peritii, hoc est a die XIII kal. septembr. ad diem XVI kal. april., nam dies 28 loi erat a. d. XVI kal. oct., dies 10 peritii a. d. V kal. mart.; quos autem inter menses eae insererentur, incertum. Gazenses vero aliique populi e Syromacedonibus [1]), qui adscito anno iuliano, etsi huius initium neomeniamque dii adscribebant diei V kal. novembr., mensesque, sicut in illis ceterisque Orientis regionibus a tribus ante saeculis mos ferebat, nominibus macedonicis vocabant, hos tamen ex toto componebant cum Aegyptiorum mensibus, ita ut horum atque ipsorum menses simul inciperent, quando annum hunc iulianum adsciverint, dubium est. Hoc enim ipso, quod non alii, nisi nomine tenus, essent Gazensium atque Aegyptiorum menses, licet suspicari anni iuliani formam ab his illos accepisse, quod proximi quoque utriusque regionis fines credere sinunt; utrum autem simul cum Aegyptiis, an postea Gazenses id egerint, non est, ex quo comperiamus. Quod si primus Gazensium annus iulianus is fuit, quo neomenia civilis dii initiumque veteris ipsorum anni incidit in a. d. V kal. nov., nullus esse potuit alius ante illum, qui incepit intra annum p. i. 4693; hoc enim altera neomenia civilis autumni fuit a. d. V kal. novembr., nam pridie fuerat medium interlunium. Utrum autem Gazenses dies ἐπαγομένας adiicerent mensi hyperberetaeo, qui ipsis postremus erat anni mensis, respondebatque mensi paopi Aegyptiorum, an simul cum his mensi, quem hi mesori, ipsi loum, nominabant, prorsus incompertum est. Annus iulianus recentiorum Graecorum, postquam indictionum usus obtinuit, videlicet post Constantinopolim conditam, alius non fuit, quam Antiochenorum annus, quod ad ordinem situmque mensium, nisi quod illi annum incipiunt primo die mensis gorpiaei, hoc est, kalend. septembr. Praetermittendus non est annus, quem paschalem aut ecclesiasticum quidam vocant. Hic alius non erat anno iuliano, initium tamen capiebat a kal. mensis aprilis, isque *primus mensis* habebatur et vocabatur. Haec anni forma inter Christianos aliquos priscis aetatibus obtinuit. Confectores quidam cyclorum decemnovennalium annis iuliana forma initium faciebant a citima paschali vel neomenia vel luna decimaquarta. Postremo illud notare iuvat, quod iuliana anni forma recepta nihil in ordine mensium est immutatum, nisi quod tandem apud recentiores Graecos, ut dixi, primus mensis factus est, qui undecimus erat, quod Orientales quoque sunt imitati, ut primum anni mensem eum dicerent, qui septembri respondet, eodem ac Graecorum recentiorum adscito mensium atque anni modo, ut videre est apud scriptores tum Chaldaeos, tum Syros, tum Arabas christianos, qui sequioribus aetatibus vixerunt; quamquam inter hos minime desint, qui, ut olim Antiocheni, annum inchoarent una simul cum Latinorum mense novembri.

[1]) Anonym. ap. *Euthal.* Prolog. epistolar. Pauli. Lege *Noris.* De epoch. Syromaced. dissert. V. c. 2.

PARS II

De epocharum initio ac modo.

12 Quaenam singularum epocharum formae atque initia fuerint, nemo facile intelliget, nisi aliqua epocha sit, quacum ceteras comparare queat, proinde cuius initium ac formam perspecta habeat, et ad quam illas revocare non magnum sit negotium. Huiusmodi est *Periodus iuliana*, utpote quae constet annis iulianis, quibus ipsi tempora distinguimus ac dimetimur, utque Petavius scripsit, *omnia chronicorum omnium, quae quidem ex Latinorum calculis instituta sunt, antecedat initia, adeoque quamlibet discrepantes mundi epochae suum in illa periodo situm obtineant* [1]). Est autem *Periodus iuliana* orbis 7980 annorum iulianorum, qui conficitur ex multiplicatis inter se cyclis solis, lunae, atque indictionis, numeris, inquam, 28, 19, et 15, e quibus annis primo quoque singularum *τετραετηρίδων* dies bissextus intercalatur. Ut haec periodus certos fixosque terminos habeat, fixa certaque sint oportet illorum trium cyclorum initia; nam in his constituendis Graeci Latinique inter se discrepant. Iosephus Scaliger huius periodi inventor, vel, ut verius loquar, etsi minus latine, refictor, nam Graeci mundi aeram simili ratione veluti conflatam a quarto saltem saeculo habuerunt, Scaliger ergo eam exegit ad Latinorum ratiocinia, quibus efficitur primum periodi annum, quo videlicet tres cycli una simul inceperunt, hoc est, cui assignantur cyclus solis I, cyclus lunae I, cyclus indictionis I, illum esse, qui aeram vulgarem anteit annis 4713. Hac itaque annorum periodo illo anno incepta nos quoque utemur ad ceterarum aerarum initia indicanda. Qui plura de illa scire avet, legat Scaligerum [2]) et Petavium [3]).

13 De *aera mundi*, eadem ac *aera Adami*, nisi quod illa feria I, haec sexto post die feriaque VI initium habeat, imo illa etiam feria IV, a condito sole videlicet, infinita est quaestio. Leve quidem est, quod Adamum alii cum omni vetustate verno, alii autumno conditum narrent. Illud gravissimum atque inextricabile, quod, quum unum bibliorum volumen sit, ex quo aeram hanc discere queamus, nihil hac via proficere est, exemplaribus adeo discrepantibus, ut hoc unum ex illis colligere sit, ab Adamo condito ad haec tempora neque plus LXXIII saecolis numerari, neque minus LIX. Hanc discrepantiam tabella, quae infra est, tibi ponet ante oculos.

Anni	In exemplaribus			
	hebr.	samar.	graec. vatic.	graec. alex.
Ab Adamo condito ad diluvium	1656	1307	2242	2262
A diluvio ad ortum Abrahae	292	942	1172	1072
Ab Adamo condito ad ortum Abrahae	1948	2249	3414	3334

Frustra autem est opem hac in re a veteribus scriptoribus exspectare velle, quippe quia, quum ipsi alii aliter annos, quos in illis exemplaribus tanta disparilitate legebant, computarunt, tum ipsorum computationes partim insipiens ineptorum correctorum audacia, partim librariorum imperitia ac negligentia depravavit. Ceterum quatuor praecipuae mundi aerae esse feruntur, Iudaeorum una, ceterae Graecorum. Iudaica est, quam colligimus ex ipsis bibliis hebraicis, eaque, secundum Petavii aliorumque ratiocinia ceteris fortasse probabiliora, initium capit a verno anni periodi iulianae 731, eiusque anno 3983 incepit annus primus aerae vulgaris, periodi iulianae 4714. E tribus graecis mundi aeris una antiochena vel lunaria dicitur, cuius anno 5493, vel, quod verius est, anno 5494 Christi ortus adscribitur, altera aethiopica vel orientalis, quam qui sequuntur, aiunt Christum natum esse anno mundi 5501, tertia alexandrina aut paschalis, quam una cum Petavio constantinopolitanam vocamus, cuius annus 5509 Christi natalis esse fertur, neminem e graecis tamen reperi, qui hoc mundi anno

[1]) Rationar. tempor. P. II. Lib. I. c. 4. [2]) De emendat. tempor. L. V. [3]) Doctr. temp. L. VII. ca. 6. 7. 8.

Christi natalem adscripsisse certo credatur, nisi primum annum aerae vulgaris. Verum iam Petavius animadvertit [1]) harum epocharum primam et secundam non duas esse, sed unam atque eamdem, quam cum ipso alexandrinum vocabimus, eo enim discrepant, quod alio anno, non Adam conditus, sed Christus natus esse dicendus sit secundum prioris, alio secundum posterioris aerae rationes, utriusque autem annus 5493 ille sit, qui incepit anno 4714 per. iul., primo aerae vulgaris, ut, qui antiochenam sequebantur, Christum natum putarent eodem ipso illo anno periodi iulianae, quo qui constantinopolitanam, hoc est octo annis citius, quam qui aethiopicam. Itaque aethiopica aera discrepat a constantinopolitana tum quod ad mundi creationem, tum quod ad Christi ortum; antiochena autem consonat aethiopicae quod ad primum, discrepat quod ad alterum, constantinopolitanae vero consonat quod ad alterum, discrepat quod ad primum. Finge iulianum periodum, quae exacta sit, ante eam, quae nunc est, et tabellam hanc inspice.

Per. iul.	Aerae			Historia
	Antioch.	Aethiop	Cpolit.	
7185 A G			1	Mundus conditus secundum aeram constant.
7202 G	1	1		Mundus conditus secundum aeras antioch. et alex.
7980 A	778	778	795	Postremus annus periodi iulianae prioris.
G 1 F	779	779	796	Primus annus periodi iulianae, quae nunc agitur.
4713 D C	5492	5492	5509	Annus I incarnationis in aera constantinopolitana.
4714 B	5493	5493	5510	Annus I incarnationis in aera antiochena.
4722 F	5501	5501	5518	Annus I incarnationis in aera aethiopica.

Ceterum graecos scriptores reperias, tum qui alio anno sive prioris sive posterioris aerae Christi ortum consignarunt, tum qui aliam utramque aeram sequuti sunt, illam praesertim peculiari mentione dignam, cuius anno 5506 incepit aera vulgaris. Quod si scire vis, quamnam mundi aut Adami aeram hic vel ille scriptor sequatur, quaere, cuinam huius aerae anno ille adscribat insigne aliquod eventum aut factum, quod quando contigerit, hoc est, quo anno sive periodi iulianae, sive alius aerae, quam probe perspectam habes, constet inter omnes; ex quo intelliges, quoto anno ante hunc, qui tibi notus est, mundum aut Adamum conditum ille putaverit, initiumque habuerit aera, quam sequitur. Quum aerae huius anni iuliana forma sint, comperto utrum ea ducatur a mundi, an ab Adami creatione, an a solis et lunae, compertum quoque cuique fiet, quaenam feria unicuique τετραετηρίδι initium fecerit. Dies autem bissextus in ea intercalatur simul ac in periodo iuliana. Huius investigationis specimen non unum infra invenies. Lege, si vacat, Petavium [2]), Dufresnium [3]), Pagium [4]), Sanclementium [5]). Annorum mundi principium veteres dixerunt esse plerique XVI aut XV, alii VIII kal. april., alii aliquo dierum, qui inter hos duos sunt, maxime XII kal.; alio autem mensis martii die Computistae pro dispari ratione cyclorum, quibus quiqui utebantur. Recentiores Graeci, ut Glycas, annos mundi cum annis suis civilibus componunt, idemque initium utrisque faciunt kal. septembr. una cum indictionibus. Tabella, quae infra est exhibet dispares mundi aeras, quas veteres alii alias sequuti sunt. Annus periodi iulianae ille est, intra quem ceterarum aerarum anni inceperunt.

[1]) Doct. temp. L. IX. c. 3; Auctar. L. VIII. c. 1. [2]) De doct. tempor. et Auctar. ll. cc. [3]) Praefat. Chronic. paschal. [4]) Diss. de periodo graecoromana. [5]) De vulg. aer. emendat. L. IV. c. 9. p. 479.

Literae dominicales	Periodus iuliana ex calend. ianuar.	Aerae mundi: Constantinopolitana: Chron. Pasch. ex 21 Mart.	Constantinopolitana: Cedren. ex 25 Mart.	Constantinopolitana: Glyc. ex 1 Sept.	Nicephor. Callist. a verno	Hippol. Episcop. ex 25 Mart.	Iul. Africano. ex 17 Mart.	Alexandrina: Maxim. ex 23 Mart.	Alexandrina: Panodor. ex 25 Mart.	Alexandrina: Syncell. ex 25 Mart.	Euseb. Pamphil. a verno.	Biblior. hebraic. a 1 nisan.	Iudaeor. recentior. a 1 tisri.	Historia
AG	7185	1	1	1										Initium aerae constantinopolit.
D	7188	4	4	4	1									Initium aerae secund. Niceph. Call.
G	7191	7	7	7	4	1								Initium aerae secund. Hippol. episc.
F	7192	8	8	8	5	2	1							Initium aerae secund. Iul. Afric.
G	7202	18	18	18	15	12	11	1	1	1				Initium aerae alexandrinae
AG	7493	309	309	309	306	303	302	292	292	292	1			Initium aerae Euseb. Pamphili
A	7980	796	796	796	793	790	789	779	779	779	488			Finis prioris Periodi iulianae
GF	1	797	797	797	794	791	790	780	780	780	489			Initium Periodi iul., quae nunc est
D	731	1527	1527	1527	1524	1521	1520	1510	1510	1510	1219	1		Initium aerae secund. Biblia
GF	953	1749	1749	1749	1746	1743	1742	1732	1732	1732	1441	223	1	Initium aerae secund. Iudaeos rec.
A	4704	5500	5500	5500	5497	5494	5493	5483	5483	5483	5192	3974	3752	Christi natal. secund. Glycam
D	4707	5503	5503	5503	5500	5497	5496	5486	5486	5486	5195	3977	3755	ANNVS CHRISTI NATALIS
G	4710	5506	5506	5506	5503	5500	5499	5489	5489	5489	5198	3980	3758	Christi natal. secund. Cedren.
F	4711	5507	5507	5507	5504	5501	5500	5490	5490	5490	5199	3981	3759	Item sec. Afric. Hippol. Eus. Chron. pasch.
E	4712	5508	5508	5508	5505	5502	5501	5491	5491	5491	5200	3982	3760	Item secund. Niceph. Callist.
DC	4713	5509	5509	5509	5506	5503	5502	5492	5492	5492	5201	3983	3761	Item secund. Theodor. Gaza (?)
B	4714	5510	5510	5510	5507	5504	5503	5493	5493	5493	5202	3984	3762	Initium aerae vulgaris
A	4715	5511	5511	5511	5508	5505	5504	5494	5494	5494	5203	3985	3763	Christi natal. secund. Panodor.
F	4722	5518	5518	5518	5515	5512	5511	5501	5501	5501	5210	3992	3770	Item sec. Anian. Max. Syncell.
DC	4741	5537	5537	5537	5534	5531	5530	5520	5520	5520	5229	4011	3789	Postremus Christi annus
B	4742	„	„	„	„	„	5531	„	„	„	„	4012	„	CHRISTI MORS. a. d. XV kal. apr.

14 *Aera Abrahami* est annorum numerus ductus ab eius ortu, ita ut horum annorum primus ille sit, quo Abrahum natus esse putatur. Hac aera Eusebius omnium primus est usus, eaque annos sui Canonis designavit, ceteris aeris ad hanc revocatis cumque ea compositis. Anni huius aerae iuliana forma sunt, incipiunt tamen, non kalendis ianuariis, sed cum annis Aegyptiorum fixis (11) die neomeniae thoth, primus autem Abrahae annus est, qui incepit IV kal. sept. anni per. iul. 2697. De ceteris, quae dixi, convenit inter omnes, ast illud fortasse novum, annos in Eusebii Canone initium capere a neomenia mensis thoth fixi. Quare huius rei argumenta debere non possum.

15 Annos Canonis initium capere sive cum Romanorum annis a kalendis ianuar., sive cum Iudaeorum a verno, sive cum olympiadum a solstitio, ut nulla ratio est, quae auspicari suadeat, ita nulla non est, quae negare cogat. Ipsa Canonis inspectio vel obiter habita certiores nos facit illud initium esse inter mediam aestatem et affectum autumnum, Eusebii vero patria credere iubet non aliud esse, quam vel aliquod illorum, quae Syri, Phoenices, Palaestini, communi nomine Syromacedones nuncupati, civilibus annis faciebant, vel, si aliud, certe id, quod notum maxime gentibus omnibus esset, quum omnibus ipse scriberet. Initium annorum civilium iuliana forma in Syria, Phoenicia, et Palaestina, si Iudaeos excipias, quorum annus lunaris erat, hisque oriundos Gadarenses, item Damascenos, postea quam sub Arabum dominatione esse coeperunt, incidebat in eos dies, qui erant intra serissimum terminum alterius interlunii ab aequinoctio autumno, quod ad illam aetatem putabatur citimum et fieri a. d. VIII kal. octobr.; non ergo anni civiles in illis regionibus ante IX kal. novembr. neque post VIII kal. decembr. incipiebant. Huius rei ratio petenda ex illis, quae superius diximus de vetere Syromacedonum anno (9) deque huius commutatione cum anno iuliano (11). Iam vero, si quosdam Canonis locos accuratius inspiciamus, pervidebimus in eo annorum Abrahami principia citius poni, quam post diem X kal. novembr., item citius, quam prid. id. octobr. quamque XIV kal. octobr., imo quam kal. septembr. Constat primum annum Abrahami incepisse inter mediam aestatem affectumque autumnum anni per. iul. 2697, prima olympia acta aestate anni per. iul. 3938, qui erat annus Abrahami 1241, ipsos autem olympiadum annos intra proprios terminos ab Eusebio numerari, ita ut prima horum annorum initium posuerit circa solstitium anni Abrahami 1241, quod in alio loco (68) confirmabimus. Quibus positis illos locos singulos consideremus.

16 Nero imperium accepit a. d. III id. octobr. an. per. iul. 4767, secundum Eusebium autem anno Abr. 2071. Hic igitur Abr. annus inceperat ante diem prid. id. octobr.; attamen intra ann. p. i. 4767, proinde Abrahae annis non idem initium fecit Eusebius, atque annis civilibus suarum regionum, sed citius, intraque neomeniam thoth fixi et diem III id. octobr. Annus Abrahami 1988 incepit anno p. i. 4684 intra illud anni tempus, quod dixi. Initio anni Abr. 1988 Cleopatra adhuc vivebat, huic enim anno Eusebius Cleopatrae mortem adscripsit notamque anni XXII, ex quo ea regnabat. Ex Dionis [1]) et Plutarchi [2]) verbis inter se comparatis efficitur, inter captam a Caesare Octaviano Alexandriam interque Cleopatrae obitum plusquam mensem intercessisse, non tamen plus bimestri spatio. Alexandriam ille cepit calendis sextilib. ann. p. i. 4684 [3]); non ergo serius octobre ineunte Cleopatra sibi mortem conscivit. Consequens est annum Abr. 1988 incepisse anno p. i. 4684 non serius octobre ineunte. Ergo intra id tempus, quod est a neomenia thoth fixi ad kal. octobr. annis Abrahae initium est. Anno p. i. 4809 IV kal. octobr. Domitiano interempto Nervae imperium collatum est, quum iam inceperat annus Abr. 2113, cui primus imperii Nervae annus respondet, quique intra insequentem annum p. i. 4810 exactus est. Fuit igitur annorum Abrahae principium inter neomeniam thoth fixi et diem III kal. octobr. Diocletianus imperator salutatus fuit a. d. XV kal. oct. an. p. i. 4997. Etsi autem Canonis exemplaria discrepent, aliaque cum alio Abr. anno primum annum imperii Diocletiani compositum exhibeant, ita tamen exhibent, ut constet annum Abr. esse, quo hic primus annus incepit, non autem quo finem habuit. Illud ergo etiam constat, Abr. annos incipere inter neomeniam thoth fixi et diem XIV kal. octobr. In his autem positum habuimus, quod nemo negaverit, annorum Abr. principium non ante neomeniam thoth fuisse ab Eusebio constitutum.

17 Nunc duo nobis occurrunt, quod utrumvis cum superioribus comparatum huic quaestioni finiendae satis foret, opposita tamen ratione, ambo enim pugnant inter se, initium aerae Augusti aegyptiacae et exordium imperii Domitiani. Etenim Domitianus Tito fratre, sive demortuo, sive ab ipso sublato, in imperium successit idib. septembrib. an. p. i. 4794, primusque eius annus in

---

[1]) Hist. Lib. LI. pp. 451. 452. [2]) Anton. pp. 952—954. [3]) Katendar. antiatin. et amitern. ap. *Foggin.* Fast. anni rom., *Paul. Oros.* Histor. L. VI; *Paullus Diacon.* Hist. miscell. L. VII; *Freculfus* Chronic. L. VII. c. 15.

23*

Canone ita ponitur, ut eius nota respondeat anno Abr. 2097, qui, ut ex propositis efficitur, inceperat anno superiore p. i. 4793 ante eum diem, qui dies est a. d. XIV kal. oct., proinde in diem aliquem exiit illorum, qui anno 4794 fuerunt intra dies id. sept. et XVI kal. oct. Quo posito inferendum esset, annorum Abr. principium incidere in eas dies, qui comprehenduntur intra diem postridie id. sept. et XV kal. octobr. Secus tamen credere iubet designatio temporis, quo annis Augusti numerandis initium in Aegypto factum est. Primus horum annorum fuit annus Nabanassari 719, huiusque initium neomeniaque thoth adhuc vaga prid. kal. sept. an. p. i. 4684, in Eusebii autem Canone fuisse dicitur anno XXII regni Cleopatrae, qui incepit anno Abr. 1988; quamquam autem in armeniaco Canonis exemplari ipsa verba adscripta sint anno Abr. 1989, cui in omnibus exemplaribus respondet annus imperii Augusti XVI, apparet tamen ea in illo exemplari vel non sua loca posita, vel non dicta esse de annis aerae Augusti aegyptiacae, nam continua dicitur horum initium Alexandriae factum fuisse anno Augusti imperantis XIV, qui utique exiit intra ann. Abr. 1988. Consequitur annum Abr. 1988 incepisse ante mensem septembrem, nam, si secus, primus aerae Augusti annus Aegyptiis incepisset anno Abr. 1987. Si fides est graecis Canonis reliquiis a Scaligero editis, nemini suspicari licebit annum hunc primum illius aerae incepisse ante mensem sextilem; in his enim Alexandriam a Caesare Octavio captam legimus anno Abr. 1987, capta autem fuit kal. sextilib. ipsius anni p. i 4684. Annus ergo Abr. 1988 incepit inter kal. sextil. et kal. sept. huius anni p. i. 4684.

18 Utri ergo notae potior fides? qua aerae Augusti aegyptiacae, an qua Domitiani imperantis exordia consignantur? Duo sunt, quae, si quid video, illam huic praeferre suadent. Primum suggerit summa annorum, quot Domitianus imperasse dicitur in Canone. Summa haec re ipsa fuit annorum XV dierum XVI, ast in Canone anni XV menses V, imo in aliquibus huius exemplaribus anni XVI fuisse dicuntur. Quare Eusebius dicendus est quinque mensibus vel exordium imperii Domitiani citius, vel finem serius posuisse, quam oportuit. Si hoc alterum fecisset, quum Nervae et Traiano verum imperii spatium adtribuerit, primum annum principatus Hadriani ita posuisset, ut huius nota responderet anno Abr. 2134; ut respondet anno 2133. Fecit ergo illud primum, ita ut nota primi anni principatus Domitiani verum huius exordium quinque mensibus anteiret, proinde responderet anno Abr. 2097, non autem, ut oportebat, anno 2098. Fortasse autem tacita haec πρόληψις hinc originem habuit, quod tres imperatores, Galba, Otho, Vitellius, fuerint intra unius anni spatium, quod intercessit inter Neronis mortem exordiumque imperii Vespasiani, quorum tamen tempus imperii nulla nota consignatum in Canone est, sed neque consignari potuit, siquidem Eusebius anno Abr. 2084 notam anni XIV imperii Neronis adscribere voluit, ut fecit; quae res fortasse ipsum in eum errorem induxit, ut putaret Vespasianum citius imperare coepisse; quam re vera inceperit. Alterum, quo adducor, ut credam potius in notis annorum imperii Domitiani προχρονισμὸν esse, quam μεταχρονισμὸν in exordio aerae Augusti aegyptiacae, hinc petitur, quod nulla gens fuerit, quae annus forma iuliana duceret ab aliquo ex illis diebus, qui sunt intra dies XVIII et XV kal. octobr., unde tamen annos Abrahae initium capere dicendum foret, si recte positae essent notae annorum Domitiani imperantis. Quae quum ita sint, non dubito concludere, annis Abrahae initium die neomeniae thoth fieri ab Eusebio.

19 Neque caussae deerant, cur Eusebius huiusmodi annorum initio uteretur. Etenim non unis Palaestinis suis, Phoenicibusque, ac Syris, scribebat. Iam vero, etiamsi his unis scripsisset, quum iis primus anni dies non idem omnibus esset, sed aliis alius, hac ipsa tamen de caussa expedisset illud annorum initium in Canone ponere, si quod erat, quod non uni alicui horum populorum proprium foret, sed omnibus aeque, nisi usitatum, at certe compertum, quale procul dubio erat initium anni Aegyptiorum, quum propter viciniatem, tum maxime quod Aegyptii illis temporibus ab astrorum scientia prae cunctis commendarentur, ex quo etiam fiebat, ut, non illae dumtaxat, sed et ceterae gentes ab alexandrino patriarcha diem docerentur, qua pascha esset agendum. Multo autem magis hae ipsae caussae, si viciniatem excipias, Eusebium impulisse putandae sunt, ut die neomeniae thoth annorum initium poneret, siquidem, non unis illis, quas dixi, sed omnibus gentibus scribebat. Annorum namque initia per illam aetatem notiora ac celebriora fuerunt kalendae ianuarii, quibus Romanorum annus, neomenia hecatombaeonis, qua Atheniensium atque olympiadum, neomenia thoth, qua annus Alexandrinorum incipiebat, quorum annorum formas primam quidem praeferre suadebat Romanorum nomen atque auctoritas, alteram usus olympiadum, tertiam illae caussae, quas diximus. Constat Eusebium neque primam neque alteram esse sequutum. Sequutus ergo est postremam.

20 Sentio equidem, ut his, quae disputo, illud opponere quis possit, quod Eusebius in libro *de Martyribus Palaestinae*, quem ante Chronica composuit, annis initium faciat mense xanthico. Id

tamen nihil est. Etenim, praeter quam quod constat inter omnes non inde initium sumere annos Canoni adscriptos, animadvertere oportet, ut in libro *de Martyribus Palaestinae* Eusebius numeret annos *persequutionis*, huic autem in Palaestina principium fuit anno imperii Diocletiani XIX, mense xanthico. Patet igitur ratio, cur ab hoc mense horum annorum exordium ducatur. Illud utique gravius, quod in illo libro menses Syromacedonum cum Romanorum ita componantur, ut utrisque idem sit initium, dicitur enim, quoto utrorumque mensium die quaeque gesta fuerint, isque dies idem numero est in utrisque. Verum, ut aperte dicam, quod sentio, notae illae dierum mensiumque latinorum aliena manu additae mihi videntur. Eusebius librum *de Martyribus Palaestinae* scripsit ante Chronica longeque ante concilium Nicaenum celebratum, et multo longius ante conditam Constantinopolim, qua de re, lege, quae Haukius (De rerum byzantinarum scriptoribus) disputavit; nondum ergo mos obtinebat apud historicos Orientales, ut suorum mensium dies una cum diebus nostrorum mensium iis, quae narrabant, adscriberent, quod, nisi post institutus indictiones, fieri coepisse videtur, nec quidquam certi habes, quo secus esse evincas. Quod si Eusebius id egit in illo libro conscribendo, cur ne semel quidem in Canone, quem postea composuit, et in quo, ut id faceret, magis referebat? Quid vero, quod, non modo mensium, sed et hebdomadae dies adscripti quater leguntur, ita tamen ut ne unus quidem horum dierum respondeat diebus mensium sive Syromacedonum, sive nostrorum, qui in eo libro memorantur? Nonne haec ineptam graeculi adnotantis manum satis prodere censenda sunt? Denique, si menses in eo libro nominatos Antiochenorum esse contendas, aio similem ob caussam id factum ab Eusebio esse, ob quam in Canone annos duxit a neomenia thoth, ut lectorum intellectui nimirum prospiceret. Ut enim hoc fecit, quia Canonem nulli certae genti, sed omnibus, scribebat, proinde necesse habuit id annis initium facere, quod omnes compertum haberent, ita, quum librum *de Martyribus Palaestinae*, ut ipsa huius materies indicat, suis Palaestinis potissimum scripserit, quumque non una atque eadem apud hos esset mensium dispositio, eam, ut credere est, selegit, quam illa aetate Antiocheni habebant, utpote quia haec urbs esset totius provinciae caput. Sed satis iam de aera Abrahami.

21 ***Olympiades*** nomen invenere ab Olympia, alio nomine Pisa, urbe Elidis, quae regio erat Peloponnesi. In hac urbe ludi olympici quinto quoque anno prima aestate committebantur, quae autem inter hos ludos intercedebant τετραετηρίδες, hoc est, quatuor annorum spatia, olympiades vocabantur. Ludi olympici, a quibus prima repetitur olympiadum origo, illi fuere, quibus Coroebus vicit anno p. i. 3938, ut prima olympias ea sit, quae intercessit inter ludos actos annis p. i. 3938 et 3942. Caute attendere oportet, ut sint vetusti quidam scriptores, qui annis olympiadum idem ac suis annis civilibus initium προληπτικῶς faciant, alii vero, apud quos olympiadum exordium toto anno atque etiam biennio primam olympiadem anteeat; quod quinum peccent, facile est deprehendere, collatis videlicet aliorum aerarum annis, quos una cum olympiadibus commemorare suisque operibus adscribere solent. Qua forma olympiadum anni essent, superius (7) dictum est.

22 ***Urbs condita*** creditur a. d. XI kal. mai., quo die palilia agebantur. Varro, cuius sententiam ipsi sequimur, tradit eam conditam fuisse anno III olympiadis XXIV, videlicet an. p. i. 3961, Verrius Flaccus in ***Fastis capitolinis*** anno insequente. Etsi anni principium esset kal. ianuar., annis tamen Urbis conditae numerandis non omnes ab eo die initium sumunt, sed etiam ab ipso die Urbis natali, hoc est, a palilibus, qui dies est a. d. XI kal. mai., imo et ab eo die, quo consules magistratum inibant, quod olim fiebat idib. mai., postea vero idib. mart., denique anno U. C. 601, qui erat p. i. 4561, consulatus iniri coepit kal. ianuar. In annis U. C. comparandis cum annis p. i. meminerimus necesse est, ut kalendae ianuar. annorum U. C. propter pravas intercalationes ita regressae essent, ut in medium autumnum, imo et in extremam aestatem inciderent, annusque periodi iulianae inciperet tribus quatuorve mensibus post illum annum U. C., quocum componendus est. Mos autem fuit annos U. C. consulum nominibus potius quam notis numerorum signare; in Fastis tamen capitolinis hae quoque notae adhibitae cernuntur. De horum annorum triplici forma iam diximus (8. 11).

23 ***Aera Nabonassari***, cuius maximus usus fuit veteribus astronomis, qui eam a Chaldaeis didicerunt, nomen habet a Nabonassaro rege Babyloniae. Huius aerae anni ea forma sunt, qua priscus Aegyptiorum annus (5), neomeniaque thoth, quae initium fuit primo Nabonassari regnantis anno, incidit in diem 26 februarii an. p. i. 3967. Si tempora, quae huius aerae annis definiuntur, dimetiri velis, illud attendas necesse est, quod iam diximus, ut 1461 anni Aegyptiorum peraequent annos iulianos 1460.

24 ***Aera Philippi***, eadem, quae a morte Alexandri Magni, ita dicta est ab Aridaeo Philippo Alexandri fratre, qui huic in regnum successit. Non alia forma sunt huius anni, quum aerae Nabonassari, eiusque primus annus fuit annus Nabonassari 425, cuius neomenia thoth incidit in diem

12 novembris anni p. i. 4390. Quare in huius aerae annis numerandis revocandisque ad annos p. i. eadem cautione opus est, qua in numerandis annis Nabonassari (23).

25 *Aera Seleucidarum* ea est, cuius primus annus ille fuit, quo Seleucus Nicator Babylonia, Susiana, Media, potitus harum dominatum, tametsi principio citra regis appellationem, sibi vindicavit, quod negotium aestate adgressus intra autumnum confecit an. p. i. 4403, non autem, ut Scaliger, Petavius, Usserius, Norisius, Froelichius, putarunt, anno 4402, eosque errore veri abreptos ostendit Sanclementius [1]), qui tamen argumenta quibus id vinceret, pleuius sane ac firmius proponere pluraque afferre procul dubio potuisset, quod nunc demonstrare non est tempus. Illud inter omnes convenit, certisque argumentis compertum est, a Syris, Phoenicibus, Palaestinis, quibus Syromacedonibus commune nomen est, non idem huius aerae initium poni, quod ab Asianis Babyloniisque. His enim primus aerae annus ille erat, qui incepit prima neomenia autumni an. p. i. 4403; qua de re dubitare non sinunt illae astrorum τηρήσεις a Chaldaeis habitae, quas superius (10) commemoravimus, Antiochenis vero finitimisque populis, qui initium cepit ab altera autumni neomenia (9) superioris anni 4402, id quod prisca monumenta pro certo habere nos iubent. Aeram hanc Seleucidarum antiochenam, non autem, ut Sanclementius contendit, babylonicam, scriptor libri secundi Machabaeorum adhibuit, secundum quam annos numeraret; item scriptor libri primi, προληπτικῶς tamen compositisque Seleucidarum annis cum Iudaeorum annis, ut vocant, sacris uno atque eodem initio, ita ut huius aerae annis in primo libro initium sit sex septemve ante mensibus, quam in libro secundo, ipsiusque aerae exordium esse ponatur die neomeniae nisan, quae fuit an. p. i. 4402. Anni Seleucidarum erant ea forma, qua civiles anni populorum, qui hanc aeram sequebantur.

26 *Aera iuliana* ab Antiochenis instituta est in honorem Iulii Caesaris, quo anno hic Pompeio ad Pharsalum acie victo debellavit, suffectaque in locum aerae pompeianae, quam paucis ante annis excogitaverant. Ad Pharsalum pugnatum est a. d. v id. sextil., anno U. C. pompiliano 706, qui incepit circa diem 11 octobris an. p. i. 4665; quare ille dies v id. sext. incidit in diem 7 iunii, aut non multo secus, an. p. i. 4666, quo die Antiochenis ibat annus Seleucidarum 264. Primus igitur annus aerae iulianae iis fuit ipse hic annus Seleucidarum, qui inceperat altera neomenia autumni an. p. i. 4665. Aerae huius anni ea forma fuerunt, qua ipsi Antiochenorum anni, mixta, inquam, primo, deinde iuliana.

27 *Annorum iulianorum* aera, etsi nemo veterum eam sequutus sit, recentioribus tamen chronologis ad tempora definienda, non secus ac ceterae, usui esse solet. Prima enim est aerarum omnium, quarum anni eadem plane forma sunt, quae annis nostris est, si illud excipias, quod in hac a Gregorio XIII P. M. est emendatum, annosque exhibet U. C. simul cum annis p. i. incipientes, ex quo Iulius Caesar, reiecto anno pompiliano, ad solis motum exinde anni spatium exigi iussit. Id confectum ab eo fuit anno U. C. 708, qui postremus fuit annorum pompilianorum, et cui praeter mensem merkedonium duo adiecti fuerunt menses intercalares, ut dies collegerit 445, proptereaque *annus confusionis* dici solet. Annus autem insequens U. C. 709, qui respondet anno p. i. 4669, primus fuit annorum iulianorum. Quum autem novam hanc annorum formam conservandi diemque bissextum intercalandi cura pontificibus, quorum antea fuerat mensem annis pompilianis intercalare, a Caesare esset demandata, ipsorum incuria aut imperitia factum est, ut principio, non quarto, sed tertio quoque anno dies bissextus intercalaretur, quintusque annus iulianus uno post die inceperit, quam oportuit, atque ita deinceps proportione peccatum sit, donec quadraginta fere post annis animadversum est kalendas ianuarias triduo serius venire, ac a Caesare fuerat constitutum. Cui malo remedium Augustus adhibere volens iussit anno U. C. 748 atque insequentibus usque ad annum 760 intercalationes omitti, instaurari autem anno 761; quo factum est, ut annus U. c. 758, qui erat annus iulianus 50, p. i. 4718, aerae vulgaris 5, kalendae ianuar. suo loco essent restitutae.

28 *Anni imperatorum* qua ratione numerarentur, tenendum est. Octavius Caesar imperator ab exercitu salutatus est a. d. kal. mai. an. U. C. 711, p. i. 4671, eodemque anno primum consulatum inivit ex a. d. XIV kal. septembr., triumviratum autem a. d. v kal. decembr.; proinde eius annos imperii Romani numerabant initio sumpto a kal. ianuar. huius ipsius anni, Aegyptii vero, item Orientis populi, a prima neomenia anni sui civilis, in quem incidit ille dies XIV kal. sept., quo die Octavius Caesar consulatum primum iuivit, ita ut annorum, quibus hic imperavit, exordium apud illos populos esse videatur superiore anno U. C. 710. Quod autem ad illos, qui post Augustum imperarunt, quum hi una cum imperio ac deinceps annis singulis tribunitiam potestatem acciperent,

[1]) De vulg. aer. emendat. L. II. c. 5.

ipsorum annos imperii annis gesti tribunatus signare mos fuit, hisque initium facere illo ipso die, quo illam potestatem accipiebant; qui dies usque ad Hadriani obitum erat ille ipse, quo quis ad imperium fuerat evectus, exinde vero Antoninus Pius ceterique post ipsum, nonnullis fortasse exceptis, tribunatum kalendis ianuar. iterarunt, ab eoque die initium annis imperii numerandis fieri coepit, ita ut horum primus ille esset annus iulianus, intra quem quis imperator fuerat renuntiatus, iisque kalendis ianuar., quae primae post eum diem futurae erant, annus secundus inciperet. Hunc tamen morem exterae gentes non omnes adsciverunt, ut annos imperii eodem initio cum suis annis civilibus componerent, sed nonnullae, verbi gratia Antiocheni, illos initio facto ab ipso die initi imperii numerabant. Ceterum plura hac de re te docebunt, qui scientiam sive nummorum, sive titulorum, sive temporum, profitentur.

29 *Aera hispanica*, quam aliqui vetusti scriptores Hispani suis historiis chronicisque adscripserunt, et cuius origo obscura est, constat ex annis iulianis, quorum initium est ipsis kal. ianuar. Primus eius annus est p. i. 4676.

30 *Anni actiaci* illi dicti sunt, quorum primo Caesar Octavianus Antonium ad Actium navali proelio profligavit. Is annus fuit U. C. 723, pugnatum autem est a. d. IV non. septembr., qui dies, non secundo, sed ob superfluam unius diei bissexti intercalationem (27) tertio diei septembris anni p. i. 4683 respondet. Ab illo ipso die IV non. sept. vel a proxime superioribus kal. ianuar. eiusdem illius anni horum annorum principium sumi solet (31).

31 *Aeram* in Caesaris Octaviani honorem ab *Antiochenis*, iuliana tamen haud intermissa, tunc adscita creditur, quum ei Oriens, postquam Antonius ad Actium fuerat ab ipso profligatus, sese subiecit; id factum non est, nisi anno insequente U. c. 724, qui est p. i. 4684, ante aestatem, ut quidam opinantur, longe tamen verius dixeris tunc, quum Alexandria capta senatus hac de re decrevit, sicut mox (32) dicemus. Primus ergo novae huius aerae annus Antiochenis fuit ille, qui erat Seleucidarum 282, inceperatque altera neomenia autumni superioris anni p. i. 4683. Aera haec ἀπὸ τῆς νίκης, ab actiaca victoria videlicet, nomen quidem, non tamen primordia, habuit, quum Antiocheni non ante annum p. i. 4684 se subdiderint, neque senatus ea de re decretum ad illos perferri potuerit ante affectum mensem septembrem eiusdem huius anni, eaque paulo post Augusti obitum obsolevisse videtur, priore, hoc est, iuliana, conservata ac retenta. Ii anni mixta forma fuerunt, donec ad formam iulianam eos Antiocheni revocarunt (9. 11).

32 Nova *aera* item in Octaviani honorem ab *Aegyptiis* constituta fuit, quae a Cleopatrae quoque obitu nominatur. Capta ab Octavio Alexandria (16) kal. sextil. an. p. i. 4684 senatus decrevit, ut Dio memoriae prodidit, *ab eo die annis deinceps numerandis initium sumendum* [1]), id tamen pro singularum gentium more, quarum quaedam principatuum annos cum suis annis civilibus componebant, ut idem utrisque annis esset initium. Senatus decretum in Aegyptum perferri non potuit, nisi postquam novus Aegyptiorum annus prid. kal. sept. inceperat. Hunc itaque annum, qui erat Nabonassari 719, novae huius aerae primum dixerunt. Quod cur facerent altera insuper ratio fuisse videtur. Credere enim est, Octavianum, utpote qui Cleopatram perhumaniter haberet, noluisse, dum ea vixit, novam hanc annos numerandi rationem, quae victoriae de Cleopatra ab ipso relatae deletique Lagidarum regni monumentum foret, in eam gentem induci. Primi horum annorum vetere forma illa vaga (5) fuerunt, ceteri deinde ad iulianam exacti.

33 *Augustorum*, qui vocantur, *anni* item in Octaviani honorem numerari coeperunt, quum is Augustus agnomen adeptus est. Sunt autem iuliana forma, ipsi, inquam Romanorum anni a kalendis ianuar. incepti. Octavianus primo Augustus appellatus est a. d. XVII kal. febr. an. U. C. 727, p. i. 4687. Quare hic primus Augustorum annus fuit.

34 *Aera dionysiana*, quae *vulgaris* dici solet, ea est, quam nunc omnes politiore cultu gentes sequuntur. Hanc Dionysius Exiguus, a quo ea nomen habet, excogitavit, edidítque anno huius ipsius aerae 526, p. i. 5239, eius autem exordium duxit ab incarnatione, quam factam putavit a. d. VIII kal. april. anni U. C. 754. p. i. 4714, ut Norisius [2]) et Sanclementius [3]) ostenderunt, non autem, ut Petavius, Pagius, aliique, scripserunt de Dionysio, superiore anno U. C. 753 p. i. 4713. Utrovis modo huius aerae annos numerare mos est, ut initium fiat vel ab VIII kal. april., vel a prioribus kal. ianuar. anni p. i. 4714. Norisius, aliique bene multi, aliam dionysianam esse autumant vulgarem aeram, eoque differre, quod, ut Petavius quoque putabat, initium caperet ab ipso die Christi natali,

---

[1]) Hist. L. LI. p. 457. [2]) De cyclo paschali ravennat. [3]) De vulgar. aerae emendat. L. IV. cc. 8. 9.

qui esse credebatur a. d. VIII kal. ianuar. anni p. i. 4713, ita tamen, ut annorum numerus inchoetur a proximis kal. ianuar. insequentis anni p. i. 4714; id tamen refutare Sanclementius [1] adgressus est atque ostendere utramque aeram unam esse atque eamdem, secundum quam incarnatio diei VIII kal. april., qui fuit primo ipsius aerae anno, hoc est, anno p. i. 4714, adscribenda est. Itaque omnibus de eo convenit, quod primus annus aerae vulgaris sit annus p. i. 4714; de ceteris non convenit. Petavius et Pagius autumant diem Christi natalem in utraque aera uni eidemque diei VIII kal. ianuar. an. p. i. 4713 adscriptum esse, ab eoque ueram quidem vulgarem initium capere, etsi huius anni a proximis kalendis ianuar. an. p. i. 4714 duci soleant, aeram veram dionysianam a die incarnationis, quam a Dionysio adscriptam putant diei VIII kal. apr. an. p. i. 4713. Norisius Petavio assentit quod ad aeram vulgarem, dissentit quod ad dionysianam, censetque Dionysium aerae a se excogitatae principium statuisse utique die incarnationis, hanc tamen adscripsisse diei VIII kal. apr. anni p. i. 4714, non autem 4713. Sanclementius denique quod ad aeram Dionysii Norisio prorsus adstipulatur, nullum tamen omnino inter utramque aeram discrimen esse contendit, sed idem utrique initium, eumdem utrinsque primum annum, illum videlicet, qui fuit p. i. 4714, eosdem denique in utraque dies tum incarnationis, tum Christi natalem ipsi huic anno p. i. 4714 adscribendos. Anni huius aerae iuliana forma sunt; quomodo autem cura atque auctoritate Gregorii XIII P. M. fuerint emendati, non est, cur exponamus. Lege Maurinorum opus, cui titulus est *L'art de vérifier les dates* [2]).

35 *Aera Diocletiani* in huius principis honorem ab Aegyptiis instituta fuit, quare in ea primus anni dies est neomenia thoth, videlicet dies IV kal. septembr.; sunt enim anni forma iuliana, sed quales erant in Aegypto. Diocletianus imperium accepit a. d. XV kal. octobr. anni U. C. 1037, qui erat annus p. i. 4997, aerae vulg. 284. Hoc igitur anno dieque IV kal. sept. primus aerae annus incepit.

36 De cyclis deque periodis annorum, quos ad eum finem potissimum, ut recte dies constitueretur, quo die pascha esset agendum, veteres excogitarunt, ea solum attingemus, quae scitu necessaria sunt, ut putrum de temporibus, quibus Christi aetas continetur, sententias assequamur. Itaque Victorius Aquitanus anno aer. vulg. 457 suam periodum edidit, quae ab auctore *Periodus victoriana* nomen invenit, est autem orbis annorum 532, qui conficitur ex multiplicatis inter se cyclis solis ac lunae. Ea constat ex annis iulianis, quibus initium est kal. ianuar., et quorum primus, si ad consules spectes L. Rubellium Geminum C. Fufium Geminum, quos huic primo anno Victorius adscripsit, esset annus p. i. 4742, aer. vulg. 29, at, si ad ceteras eius notas, alius esse nequit, quam superior annus p. i. 4741, aer. vulg. 28. Huiusmodi tamen periodis Graecos usos deprehendimus iam a saeculo quarto, qui in eas summam annorum mundi dispertiri solebant. Hippolytus cyclum septem ἑκκαιδεκαετηρίδων iulianarum, qui sunt anni iuliani 112, ita concinnavit, ut primum horum annorum illum poneret, qui fuit primus imperii Alexandri Severi, sub quo vixit, incepitque kal. ianuar. una cum anno p. i. 4935, aer. vulg. 222; προληπτικῶς autem cyclo initium fecit cum eo anno, qui est p. i. 4712, alter ante aeram vulgarem. Cyclum huius geminum Cyprianus composuit, in quo annis initium est a. d. XVI kal. april., primus autem horum annorum ille, qui est XXI cycli Hippolyti, p. i. 4955, aer. vulg. 242. Theophilus Alexandrinus cyclum confecit annorum 418 vel, ut alii existimant 438, ex quibus tamen centum primos dumtaxat descripsit, initio ducto ab anno aer. vulg. 380, atque adnotatis diebus, quibus pascha unoquoque anno esset agendum. Cyrillus Alexandrinum cyclum edidit annorum 95, hoc est, conflutum e quinque cyclis decemnovennalibus, quorum annorum primus ille est, cuius decima quarta luna paschalis fuit anno 153 aerae Diocletiani; aerae vulg. 437. Huic Cyrilli cyclo similem subiunxit Dionysius Exiguus, huiusque cycli annus primus exiit in lunam decimam quartam paschalem anni 248 aerae Diocletiani, aerae autem vulgaris 532. *Supputatio* sive *Periodus romana*, ut vocant, orbis est annorum iulianorum 84, quem a Iudaeis maiores nostros didicisse quidam autumant. In ea anni à kal. ianuar. initium capiunt. Prosper in *Chronico maiore* huius supputationis initium adscribit anno Abrahae 2062 (14), qui incepit affecta aestate anni p. i. 4758, aer. vulg. 45, quare primus periodi annus fuisset annus insequens p. i. 4759, aer. vulg. 46; sed προληπτικῶς id fieri a Prospero potuit. Anatolius Alexandrinus, qui post medium saeculum III vivebat, cycli annorum 84 mentionem fecit, utrum eiusdem ac romani, an alterius, incertum. In *Libro de Computo*, quam ex ambrosiana bibliotheca erutum Muratorius edidit [3]), Supputationi romanae haec praescripta leguntur: *Incipit cyclus annorum octuaginta et quatuor, qui computatur die kalendarum ianuariarum Festo et Gallo consulibus, et impletur Siagrio et Antonino consulibus.* Anicius

[1]) L. cit. c. 8. [2]) Dissertation sur les dates. [3]) Anecdot. T. III.

Faustus II Severus Gallus coss. annum signant p. i. 5011; aer. vulg. 298; ast eadem de hoc initio dubitatio, ac de illo, quod Prosper adscripsit anno Abrahae 2062. Illud certo constat, huic annorum 84 periodo, sive primu ea foret, sive altera, sive tertia, sive quarta, initium re ipsa factum esse anno p. i. 5011, aer. vulg. 298, kal. ianuar. [1]). Nihil, dicam de solis ac lunae cyclis, quum horum rationem alii aliam sequuti sint, atque ex horum cyclorum notis, quibus quidam e veteribus tempora designant, ipsorum sententiam colligamus, prius disquirere ac discere oporteat, unde cyclorum exordia duxerint, sique de lunae cyclis quaestio sit, quibusnam aureis numeris primos horum cyclorum annos notaverint. De cyclo *Indictionum* longe minor, imo vix ulla discrepantia. Cyclus hic est 15 annorum inlianorum, ipsa autem indictio alia mundana est, alia augustana, illa est cuius primo anno mundus est conditus, haec, quam ab Caesare Augusto institutam quidam Graeci commenti sunt, uno quo anno mundanam anteit. Mundi tamen aeras reperias, quorum anno primo προληπτικὸν initium fuit indictionis augustanae. Etsi autem augustana haec indictio ipsum Augustum auctorem minime agnoscat, eo tamen ordine procedit ac circumvolvitur ac si re vera initium accepisset anno p. i. 4680, qui imperii Augusti decimus fuit. Augustana indictio porro distinguitur in constantinopolitanam, constantinianam, et romanam. Constantinopolitanae indictionis cyclus incipit kalendis septembris, constantinianae, quae et caesarea vocatur, VIII kal. octobr., romanae, quae et pontificia, kal. ianuar. proximo insequentibus. Indictionum origo non satis comperta est, usus vero non ante Arcadii aut Theodosii imperium in rempublicam, procul dubio non ante Constantinopolim conditam, inductus videtur; quae enim monumenta ea aetate vetustiora indictionum notam praeferunt, his hanc notam aliena ac recentiore manu adscriptam esse chronologi iure suspicantur. Ceterum ita indictionum anni sunt numerandi, ut kal. septembr. anni p. i. 5025, aer. vulg. 312 inceperit cyclus indictionis constantinopolitanae, constantinianae autem ex a. d. VIII kal. octobr. eiusdem huius anni, romanae denique kal. ianuar. insequentis anni p. i. 5026, aer. vulg. 313.

CAPUT II

Veterum sententiae de temporibus, quibus Christus vixit, exponuntur.

37 Itaque iam dispares multiplicesque veterum de temporibus, quibus Christi vita continetur, opiniones licet exponamus. Quae disquisitio non eo pertinet, ut ipsius Christi annus sive natalis, sive emortualis, definiatur, hoc enim appositis dissertationibus praestare studebimus, sed ut compertum habeamus, quid veteres de hoc tum diu tum anno existimaverint. Singulorum autem sententias secundum aetates, quibus quiqui vixerunt, referemus. Ut has sententias assequi atque inter se comparare queamus, revocare oportet ad iulianam periodum notas tum dierum tum annorum, quas suis illi narrationibus adposuerunt. Ne vero, dum id exsequi studemus, magno errore, quod alioqui facile fieret, abripiamur, haec, quae dicam, mente sunt nobis retinenda. Quum civilis anni forma alia sit apud alios populos, liquet civilium annorum initia alia ab aliis scriptoribus poni. Primus quarumdam aerarum annus non idem apud omnes est. Aerarum ac principatuum annos alii cum suis annis civilibus ex toto componunt, ut utrique simul incipiant, simulque exeant, alii numerant ex illo anni die initium sumentes, quo die aera incepit, quoque principatum quis adeptus est. Hinc illud, ut duorum pluriumve sententiae de integro anno diserepare in speciem quidem videantur, quae tamen re ipsa concordant, aut concordare, quae discrepant. Quidam duorum pluriumve aerarum annos rebus, quas narrant, adscribunt, ita tamen ut singularum annis non idem initium faciant, sed aliis alio anni sui civilis die. Sed haec omnia non multum habent negotii. Illa longe graviora atque adeo inextricabilia, vel quod duarum aut plurium aerarum eos annos scriptor coniungit, qui coniungi nullo modo possunt, vel quod tempora iis notis signat, quae chronologiae principiis ab ipso positis haud consonant, vel quod ita temporum rationes subducit, ut ex hac computatione aliud efficiatur, ac ipse scripserat; quae quidem vitio verti non semper librariis queunt, sed scriptori ipsi interdum debent. Et siquidem de librarii peccato constet, haud difficilis erit emendatio, quam suggerent tum ceterae temporum notae a scriptore adhibitae atque inter se comparatae, tum chronologiae principia, quae ille posita habet. Quod si scriptoris ipsius peccatum sit, videndum erit, an collatione ceterarum notarum, si quae sunt vitio immunes, illorumque principiorum ipsius sententiam extundere detur.

[1]) *Noris.* Diss. I ad Fastos consul. Opp. T. II.

Quibus positis rem exordiamur. Scriptorum nominibus addimus annum aerae vulgaris, circa quem illi vivebant, illum ipsum plerumque, quem Caveus adscripsit suae *Scriptorum ecclesiasticorum historiae literariae.*

SAECULUM I

38 *Evodius Antiochenus.* An. XLIV. De eo Nicephorus Callistus haec narrat: *Divinus Evodius, qui et ipse sanctarum apostolorum successor fuit, in commentariis suis, praecipue autem in epistola, quam φως* LUMEN *inscripsit, haec quoque posuit: Christus, inquiens, manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizavit et cetera. . . . Adiiciens et haec: A baptisma usque ad passionem Christi intercessisse annos tres.* Mox apud Nicephorum haec leges, quae veluti illius epistolae pars edita atque a multis habita sunt: Maria Virgo *peperit . . . mundi lumen, annum agens decimumquintum vicesima quinta die mensis decembris. Deinde alios annos peregit triginta tres, quos etiam . . . filius eius in terris exegit et cetera* [1]. Sed illam epistolam illaque commentaria Evodio tribuere quis audeat, quippe quae, medio quidem saeculo I scripta, attamen tamdiu omnes latuisse dicenda essent, donec primo in Nicephori historiis medio saeculo XIV comparuerint. Tum Evodio ea dumtaxat tribui a Nicephoro constat, quae sunt ante verba *Τριετης γαρ γενομενη*; proinde illa: *peperit . . . mundi lumen et cetera*, quum postea referantur, non est cur pro epistolae parte habeamus. Quid vero, quod, quae in hac de Paulo narrantur, ea Glycas ab Hippolyto Thebano scripta esse nos docet, quae vero paullo post de Ioanne evangelista, ab Epiphanio presbytero [2])?

SAECULUM II

39 *Iustinus.* An CXL. In prima Apologia, quam obtulit Antonino Pio, dicit *Christum . . . ante annos centum et quinquaginta natum* [3]). Antoninus in imperium Hadriano successit a. d. VI id. iul. an. p. i. 4851, qui fuit aerae vulg. 138, obiit non. mart. an. p. i. 4874, aer. vulg. 161; sed quo anno Iustinus Apologiam ei obtulerit, certo sciri nequit. Adde, quod illa *ante annos centum et quinquaginta παχυλως* dicta fortasse sunt, ut solet, neglectis duobus tribusve annis, qui huic summae deerant, vel abundabant. Quare, quonam anno Christum natum Iustinus putaverit, ex his verbis intelligere haud possumus, nisi quod nec ante annum p. i. 4701, nec post annum 4724.

40 *Irenaeus.* An. CLXVII. *Natus est . . . Dominus noster circa primum et quadragesimum annum Augusti imperii* [4]), qui annus erat p. i. 4711: *Salvator triginta annorum exsistens venit ad baptismum* [5]). *Ad baptismum enim venerat, nondum qui triginta annos suppleverat, sed qui inciperet esse tamquam triginta annorum. Ita enim, qui eius annos significavit, Lucas posuit: Iesus autem erat quasi incipiens triginta annorum, cum veniret ad baptismum* [6]). *Quia autem triginta annorum aetas prima indolis est iuvenis, et extenditur usque ad quadragesimum annum, omnis quilibet confitebitur; a quadragesimo autem et quinquagesimo anno declinat iam in aetatem seniorem, quam habens Dominus noster docebat, sicut evangelium et omnes seniores testantur, qui in Asia apud Ioannem discipulum Domini convenerunt, id ipsum tradidisse Ioannem. . . . Sed et ipsi, qui tunc disputabant cum Domino Iesu Christo, Iudaei apertissime hoc ipsum significaverunt. Quando enim eis dixit Dominus: Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est, responderunt ei: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Hoc autem consequenter dicitur ei, qui iam XL annos excessit, quinquagesimum autem annum nondum attigit, non tamen multum a quinquagesima anno absistat. Ei autem, qui sit XXX annorum, diceretur utique: Quadraginta annorum nondum es. . . . Qui autem videbatur, non erat putativus, sed veritas. Non ergo multum aberat a quinquaginta annis* [7]). Neque pugnantia loquutus esse Irenaeus censendus est, eo quod paullo ante [8]) dixerit legi in evangelio, ut ter *secundum tempus paschae Dominus post baptisma ascenderit in Hierusalem*; nam quod ter legatur, id fecisse, non hoc efficitur ter dumtaxat fecisse, non enim singula, quae Christus egit, evangelistae retulerunt. Ex his autem propositis consequeretur Christum ortum anno p. i. 4711, baptismoque ablutum anno p. i. 4741, aerae vulgaris 28, obiisse Claudio regnante circiter annum p. i. 4760, aer. vulg. 47.

---

[1]) Ap. *Nicephor. Callist.* Ecclesiast. hist. L. II. c. 3. [2]) Annat. P. III. pp. 213. 227. [3]) Apol. I. § 46. [4]) Haeres. L. III. c. 21 al. 25. § 3. [5]) Ib. L. II. c. 22 al. 38. §§ 1. 4. [6]) Ib. § 5. [7]) Ib. §§ 5. 6. [8]) Ib. § 3.

41 *Constitutiones apostolicae.* An. CXC. Anni forma in hoc opere est iuliana, qualis haec erat apud Antiochenos (11), ut mensis dius mensi novembri ex toto respondeat; annus tamen incipit die neomeniae xanthici, hoc est, kal. aprilis. *Dies festos observate, fratres. Ac primum quidem diem Domini natalem, qui a vobis celebretur εἰκαδι πεμπτῃ του ἐνατου μηνος vicesima quinta noni mensis. Post hunc diem dies epiphaniae sit vobis maxime honorabilis, in quo Dominus nobis divinitatem suam patefecit; id autem agatur ἑκτῃ του δεκατου μηνος sexta decimi mensis* [1]. *Coeperunt consilium adversus Dominum capere secunda sabbatorum, μηνι πρωτῳ ὃς ἐστι ξανθικος mense primo, qui est xanthicus, et tertia sabbati producta est deliberatio, quarta vero feria decreverunt cruce eum interimere* [2]. *Et quinta feria, quum apud eum comedissemus pascha et cetera* [3]. *In ipso enim eorum sollemni tenuerunt Dominum* [4]. Mensi ergo aprili in constitutionibus Christi mors adscribitur, nisi tamen xanthicus vocetur, non mensis solaris, sed primus mensis anni lunaris, nisan a Iudaeis nominatus.

42 *Clemens Alexandrinus.* An. CXCII. Annorum initium ducit a neomenia thoth (11), id quod certo constat, quippe quia Aegyptius erat, mensesque dumtaxat Aegyptiorum in eius narrationibus commemorantur. Ut autem eius sententiam de tempore, quo Christus vixit, assequamur, totius disquisitionis veluti cardo sit oportet annus primus aerae Augusti aegyptiacae, utpote, qui recte sit ab eo definitus, atque ita, ut liqueat nullum a librariorum manibus in anni notam mendum irrepsisse. Ait enim a morte Alexandri ad Antonii obitum esse annos διακοσια ἐννενηκοντα τεσσαρα *ducentos nonaginta quatuor* [5]. Annus 294 aerae Philippi, quae eadem a morte Alexandri nomen habet (24), exiit in diem 30 sextilis anni p. i. 4684, quum Antonius uno ante mense sibi mortem consciverat, primusque annus aerae Augusti Aegyptiis incepit pridie kal. septembris. Item ait Antonius violentas sibi manus intulisse, quum ὑπατευεν Αὐγουστος το τεταρτον *Augusto IV consule* [6]; quartum autem consulatum is gessit an. U. C. 724, qui erat p. i. 4684. Denique numeratis annis, qui fuerunt ab Adamo ad Antonii mortem, ita concludit: *Post quod tempus regnum Romanorum usque ad mortem Commodi ἐτη διακοσια εἰκοσι δυο anni ducenti viginti duo* [7], rursus paullo post: *Fiunt ergo ab Augusto usque ad Commodum ἐτη σκβ´ CCXXII* [8]; videlicet Commodus vita excessit postremo die anni p. i. 4905, quo anno a. d. IV kal. sept. inceperat annus 222 aerae Augusti aegyptiacae, haec autem, ut diximus (32), initium habuit cum anno 295 a morte Alexandri, die 31 mensis sextilis anni p. i. 4684, inque diem pridie huius diei exierat annus a morte Alexandri 294, qui Antonii annus emortualis fuit. His positis, iam ea, quae Clemens scripsit, videamus. *Natus est autem Dominus noster τῳ ὀγδοῳ και εἰκοστῳ vicesimo octavo anno* aerae Augusti aegyptiacae, *quum primum iusserunt descriptiones fieri sub Augusto. Quod autem hoc verum sit, sic scriptum est in evangelio secundum Lucam: Anno autem quintodecimo Tiberii Caesaris factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium. Et rursus in eodem: Erat Iesus ἐρχομενος ἐπι το βαπτισμα ὡς ἐτων λ´ veniens ad baptisma ut annorum triginta: Et, quod anno solo oporteret eum praedicare, hoc quoque sic scriptum est: Annum acceptabilem Domini praedicare misit me; hoc et propheta dixit et evangelium. Quinto decimo igitur Tiberii et quinto decimo Augusti sic implentur τα τριακοντα ἐτη triginta anni, usque ad tempus, quo passus est. Ex quo autem passus est, usque ad eversionem Hierusalem fiunt ἐτη μβ´, μηνες γ´, anni XLII, menses III. Et ab eversione Hierusalem usque ad mortem Commodi ἐτη ρκη´, μηνες ι´, ἡμεραι γ´, anni CXXVIII, menses X, dies III. Fiunt autem, ex quo natus est Dominus, usque ad mortem Commodi τα παντα ἐτη ἑκατον ἐννενηκοντα τεσσαρα, μην εἱς, ἡμεραι ιγ´, anni centum nonaginta quatuor, mensis unus, dies XIII* [9]. Mensium ac dierum notas, induci nequeo, quin aliena manu intrusas censeam. Clemens ipse sic sentire me cogit his verbis, quae continuo subiunxit: *Sunt autem, qui curiosius natali Domini, non solum annum, sed etiam diem addunt, quem dicunt anno κη´ XXVIII Augusti, ἐν πεμπτῃ παχων και εἰκαδι in vicesima quinta pachon*, id est, XX maii. Basilidis autem sectatores eius quoque baptismi diem celebrant, totam praecedentem noctem in lectionibus transigentes. Dicunt autem eum esse quintumdecimum annum Tiberii Caesaris, την πεντεκαιδεκατην του τυβι μηνος quintam decimam tybi mensis, aliqui autem eam esse ἑνδεκατην του αὐτου μηνος undecimam eiusdem mensis. Et de eius passione subtilius disserentes, aliqui quidem τῳ ἑκκαιδεκατῳ ἐτει sextodecimo anno Tiberii Caesaris, φαμενωθ κε´, οἱ δε φαρμουθι κε´, ἀλλοι δε φαρμουθι ιθ´ phamenoth *XXV*, id est, martii XXI, *alii pharmuthi XXV*, id est, aprilis *XX*, *alii autem pharmuthi XIX*, id est, aprilis XIV, *dicunt passum esse Dominum. Quin etiam*

[1] Constit. apost. L. V. c. 13. [2] Ib. c. 14. [3] Ib. [4] Ib. c. 15. [5] Strom. L. I. § 21. p. 336. [6] Ib. [7] Ib. p. 337. [8] Ib. 339. [9] Ib. pp. 339. 340.

dicunt ex iis aliqui eum natum esse φαρμουθὶ κδ' ἢ κε' pharmuthi XXIV aut XXV, hoc est, aprilis XIX aut XX [1]). Nonne haec liquido evincunt de die Christi sive natali sive emortuali definiendo Clementem minime cogitasse? Ex illis autem huius verbis, quae retuli, non alia autem retuli, quam quae a librariis vitiata non esse constat, apparet Clementis opinionem esse, Christi ortum incidisse in illud spatium, quod fuit inter diem 28 augusti anni p. i. 4711 et inter pascha anni insequentis, baptismum in annum p. i. 4741. aer. vulg. 28, ante pascha, obitum denique in pascha anni p. i. 4742, aer. vulg. 29. Etenim annus 28 aerae Augusti aegyptiacae, quo Christum natum dicit, incepit ex a. d. IV kal. sept. an. p. i. 4711. Ad hoc Commodus, ut Clemens quoque ipse testatur, decessit anno eiusdem huius aerae 222, qui incepit ex a. d. IV kal. sept. an. p. i. 4905. Deme ex utraque summa, hoc est, ex 222 et 4905, annos 194, quod fuisse ait a Christi ortu ad Commodi obitum, supererunt anni 28 et 4711. Praeterea ait Christum, baptismo ablutum anno XV imperii Tiberii, exinde *annum solum* vixisse; incidit igitur Christi mors in pascha anni XVI, qui Aegyptiis erat annus Augusti 58, exiitque in a. d. V kal. septembr. an. p. i. 4742, aer. vulg. 29. Atqui Christum annos 30 implevisse dicit. Natum igitur hunc credidit ante pascha anni p. i. 4712. Nec minus hae rationes constabunt, si annos 194, quos numerat a Christi ortu ad mortem Commodi, non civiles annos esse contendas, sed ipsum temporis spatium, quod inter ea intercessit; deme enim ex annis p. i. 4905, quorum postrema die Commodus obiit, annos 194, residui erunt anni p. i. 4711, ante quorum exitum Christus ortus dicendus erit. Quod autem Clemens Christum baptismo tinctum putaverit anno p. i. 4741 ante pascha, id apparet ex eo, quod *annum solum* tribuat *τῷ κηρύγματι;* a temporum enim summa, quae colligitur usque ad diem paschatis anni p. i. 4742, quo die Christus obiit, deme annum et quadraginta dies, quibus diebus Christus mansit in deserto post baptismum et ante *τὸ κήρυγμα*, reliqua summa desinet in diem quadragesimum ante pascha anni p. i. 4741. Haec confirmantur mentione, quam Clemens facit, anni, quo Hierosolyma eversa est. Ait enim a Christi passione ad eversionem huius urbis esse annos 42. Id ita intelligendum est, ut Hierosolyma eversa dicatur eo anno, qui quadragesimus secundus fuit post illum annum, quo Christus obiit. Sic enim, quum ait *a morte Antonii ad mortem Commodi* esse annos 222, significat Commodum mortuum esse eo anno, qui 222 erat post illum, in quem Antonii mors inciderat; ille enim annus Antonii emortualis 294 fuerat aerae Philippi primusque ante aeram Augusti aegyptiacam, hic autem annus, quo Commodus peremptus fuit, 516 erat prioris aerae et 222 posterioris. Sic quoque, ubi a Christo nato ad Commodum interemptum annos 194 numerari dicit, sensus est Commodum occisum fuisse eo anno, qui erat 194 post illum, quo Christum natum dixerat; nam annus Christi natalis, quantum ille autumat, fuit 28 aerae Augusti aegyptiacae, annus autem Commodi emortualis utique fuit 222. Quare, quod Clemens ait de anno, quo Hierosolyma est eversa, eo modo, quo diximus, est intelligendum. Iam vero Hierosolyma kal. septembris eversa fuit anno p. i. 4783, aerae Augusti aegyptiacae 100, qui quarto ante die inceperat, exiitque in a. d. IV kal. sept. an. p. i. 4784. Deme inde annos 42, restabit annus eiusdem illius aerae 58, cuius dies postremus fuit dies V kal. sept. anni p. i. 4742, et in cuius anni pascha Christi mors incidisse dicenda est, secundum Clementis ratiocinia.

43 *Tertullianus.* An. CXCII. *Cleopatra conregnavit sub Augusto annis XIII. Post Cleopatram Augustus aliis annis XLIII. Nam omnes anni imperii Augusti fuerunt anni LVI. Videmus autem, quoniam quadragesimo et primo anno imperii Augusti, quo post mortem Cleopatrae imperavit, nascitur Christus. Et supervixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus, annis XV . . . Post enim Augustum, qui supervixit post nativitatem Christi, anni XV efficiuntur. Cui successit Tiberius Caesar, et imperium habuit annis XXII, mensibus septem, diebus viginti. Huius quintodecimo anno imperii passus est Christus, annos habens quasi triginta, quum pateretur. . . . Quae passio . . . perfecta est sub Tiberio Caesare, consulibus Rubellio Gemino et Rufio Gemino, mense martio, temporibus paschae, die octavo kalendarum aprilium, die prima azymorum* [2]). *Dominus a XII Tiberii Caesaris revelatus* est [3]). Annorum summae atque orationis contextus certiores nos faciunt illa verba *quadragesimo et primo anno imperii Augusti, quo post mortem Cleopatrae imperavit*, non ita esse intelligenda, ac si annus esset quadragesimus primus post Cleopatrae obitum, sed annum hunc quadragesimum primum unum fuisse ex illis, quibus Augustus post Cleopatrae obitum imperium adhuc tenuit. Hoc posito iam Tertulliani sententiam exquiramus. Notae, quibus diem Christi emortualem signavit, annus, inquam, XV imperii Tiberii, duorum Geminorum consulatus, diesque VIII kal. april. incidens in diem VI hebdomadae, evincunt a Tertulliano Christi mortem adscribi

---

[1]) Ib. p. 340. [2]) Adv. Iudaeos c. 8. [3]) Adv. Marc. L. I. c. 15.

diei 25 martii anni p. i. 4742, aer. vulg. 29. Apparet Tiberii post Augustum imperantis annos ab eo duci ex ipso die accepti imperii, ut aetate Tiberii fiebat (28), non autem a prioribus kalendis ianuarii; si secus, die Christi emortuali, qui esset a. d. VIII kal. april., VI hebdomadae, Gemino et Gemino coll., non annus XV imperii Tiberii, sed XVI ivisset. Quare annus Tiberii imperantis XII, quo Christum *revelatum* fuisse Tertullianus narrat (182. 188), ille est, qui incepit ex a. d. XIV kal. septembr. an. p. i. 4738, aer. vulg. 25, quique, ut apparet ex iis, quae in alio loco [1]) demonstravimus, concurrit ex parte cum anno XV imperii, quod Tiberius in provincias pari cum Augusto potestate accepit anno p. i. 4725, non multo post diem XVII kal. februar. [2]), cum illo inquam anno XV, quem Lucas commemorat [3]), et qui Iudaeis incepit die neomeniae tisri, hoc est, a. d. XV kal. octobr. an. p. i. 4724 [4]), ita ut dies, qui fuerunt inter diem XVI kal. oct. anni p. i. 4738 interque diem XIV kal. sept. anni insequentis 4739, aeque pertinuerint tam ad hunc annum XV, tam ad illum XII; sique Tertulliani verba cum Lucae verbis componantur, consequetur intra hoc temporis spatium Christum baptismo tinctum putari oportere secundum ipsius Tertulliani opinionem. Ad haec liquet Tertullianum nequnquam deceptum fuisse opinione illa, qua priscorum plerosque, Christum post baptismum unum dumtaxat annum vixisse, proinde ea, quae is narrat, respondere videntur prima specie evangelistarum narrationibus, ex quibus efficitur Christum post baptisma quater paschatis sollemnia egisse, baptismo autem tinctum fuisse non minus duobus mensibus ante primum horum paschatum, quod actum est anno p. i. 4739, aer. vulg. 26. Verum illud cum plerisque suorum aequalium Tertullianus peccavit, quod ita dixerit: ***Passus est Christus, annos habens quasi triginta, quum pateretur.*** Ex quo, quantumvis extendas vim significationemque illius *quasi*, etiam usque ad annum 31 proxime explendum, alterutrum necessario consequeretur, vel Christus, quum baptismo ablutus fuit, duobus ut minimum mensibus ante pascha anni p. i. 4739, nondum annos 28 implevisse, secus ac Lucas narrat, vel, siquidem hos impleverat, ita ut, incepto iam anno 29, dici posset esse *quasi annorum triginta*, ablutum non fuisse nisi sub finem anni XII imperii Tiberii, paullo ante diem, qui fuit XIV kal. sept. eiusdem illius anni; utrumvis autem dixeris, positum habeas oportet, Christum ortum esse inter pascha interque diem XIV kal. septembr., quam tamen sententiam Tertulliano fuisse ne suspicari quidem ausim. Quare, quo die Christum baptismo tinctum is putaverit, frustra quaeritur. Illud simpliciter e Tertulliani verbis consequitur, Christum triennio ante mortem *revelatum* fuisse. Sed et illud ipsum, quod, tametsi errore veri, ait, Christum obiisse, quum haberet annos *quasi triginta*, certiores nos facit annum 41 imperii Augusti, cui Christi ortum adscripsit, numerandum esse annorum initio ducto, ut Romae fiebat, a kalendis ianuar. anni p. i. 4671, quo ille anno imperator salutatus est, annumque esse p. i. 4711. At Christus hoc anno natus annos triginta iam impleverat, quum *prima die azymorum* anni p. i. 4742 cruci fixus fuit. Apparet igitur illud *quasi* pro *circiter* a Tertulliano usurpari. Neque ante pascha anni 4711 is Christum natum putavit, nam, si ante, Christus eo die, quo mortuus est, tricesimum primum aetatis annum iam explevisset; quare duarum opinionum illa aetate obtinentium, quarum una est Christum in lucem fuisse editum a. d. VIII kal., altera a. d. VIII id. ianuar., non hanc, sed illam Tertullianus sequutus esse credendus est.

44 *Synodus Caesariensis.* An. CXCVI. Huius synodi verba leguntur in ignoti cuiusdam Philippi epistola, quam edidit Beda [5]), item scriptor quidem *ἀνώνυμος Libri de computo* [6]), denique emendatius exscriptam Bucherius [7]). Ea vero ita sunt: ***Passus est Dominus ab undecimo kalendas aprilis, qua nocte a Iuda est traditus, et ad octavum kalendas aprilis resurrexit.*** Sensus est, Christum proditum fuisse a Iuda initiumque τῳ παθει fecisse a. d. XI kal. april., proinde a. d. X kal. obiisse, revixisse autem a. d. VIII kal. Inter annos, quibus Christi mors adscripta secundum communiores sententias reperitur, non alius est, quo dies X kal. april in diem VI hebdomadae inciderit, quam anni p. i. 4744 et 4749, qui sunt anni aer. vulg. 31 et 36.

SAECULUM III

45 ***Iulius Africanus.*** An. CCXX. Huius de Christi aetate definienda sententiam assequi non adeo levis negotii est, ut visum est Pagio [8]), nisi aeque, ac is, pro veris atque indubiis habeamus, quae vel dubia sunt, vel etiam falsa. Falso enim Pagius scripsit a Syncello laudari Africanum,

---

[1]) Diss. XXXIX. c. I. [2]) Ib. n. 4. [3]) Luc. III, 1. [4]) Diss. cit. n. 6. [5]) De aequinoct. vern. in fin. [6]) In *Murator.* Anecdot. T. III. § 139. [7]) Doctr. tempor. p. 469. [8]) De periodo graecoromana §§ 35 36.

quum *ait*, CONSENTANEE TRADITIONI APOSTOLICAE *cum incarnationem in annum mundi 5501 coniecisse*; Syncellus enim non scripsit annum mundi 5501, sed ,εφ' 5500 in hoc [1]) aeque ac in alio loco [2]). Nequu illud cuiquam, puto, Pagius probabit, quod sibi sumit, ab Africano uumerari anaos imperii Tiberii initio ducto ab accepta pari cum Augusto potestatu in provincias; id enim scriptor u tota vetustate, quidquid secus Pagius contendat, fecit uemo, si unum Lucam uxcipias; qua de re in alio loco [3]). Etenim illa ratio numerandi annos imperii Tiberii vulgaris fuit et popularis in provinciis, at tantisper dum Tiberius vixit; Lucas autem ideo illam sequutus est, quia ab hominibus Iudaeis didicerat id, quod narrabat, uvenisse *anno quintodecimo imperii Tiberii* ea ratione ab illis numerato. At rationem hanc prorsus ab re ii sequuti esseut, qui omnium aetatum historias contexebant, quiquu, si id fecissent, tres postremos imperii annos Augusto dumere debuissent ut summa universa constaret. Sed ad rem nostram veuiamus.

46 Et quidem primo removenda est difficultas, quae esse posset ab Eusebio, Hieronymo, et Syncello, quod nonnulla ex Africani operu deprompta referant, eadem illa quidem, at non iisdum anuorum notis consignata. Quatuor haec sunt. Nam secundum Africani computationem a Moysu ad primum annum Cyri regnantis annos essu ,ασλε' 1235 legimus apud Syncellum [4]), ,ασλζ' 1237 apud Eusebium [5]); ast ipse Syncellus Eusebio credere nos iubut narrans, ut Africanus a Moyse ad primam olympiadem annos numeret ,α κ' 1020, annum autem primum regni Cyri *ὀλυμπιάδος . . . πεντεκοστῆς πεμπτῆς ἔτος πρῶτον olympiadis . . . quinquagesimae quintae annum primum* esse dicat [6]); a primis enim olympiis ad primum olympiadis LV annum anui 217 numerantur. Annum XX regni Artaxerxis Africanus ait fuisse, ut apud Syncellum legimus [7]), *εἰκοστὸν καὶ ἑκατοστὸν centesimum vicesimum* regni Pursarum, ut vero apud Eusubium [8]), annum *πεντεκαιδέκατον καὶ ἑκατοστὸν centesimum quintumdecimum*; quum tameu Eusubius [9]) auque ac Syncellus [10]) nos doceant anno primo regni Cyri annum primum olympiadis LV ab Africano adscriptum fuissu, anno autum XX rugni Artaxerxis annum 4 olympiadis LXXXIII, liquet annum hunc Artaxerxis regnantis vicesimum, non centesimum vicesimum, sed centesimum quiutumdecimum esse regni Persarum, secundum Africani seutentiam. Is *regnum . . . Macedonum εἰς ἔτη τριακόσια ἑβδομήκοντα ad annos trecentos septuaginta continuatum* dicit apud Eusebium [11]), ad annos CCC apud Hieronymum [12]), *ad annos τ' . . . δυοῖν δέοντα CCC duobus demptis* apud Syncellum [13]); legendum autum esse *ad annos CCC* hinc comperimus, quod Africanus apud ipsum Syncellum dicat Lagidarum regnum sublatum *olympiadis ρπζ' CLXXXVII anno δ' IV* [14]), in alio autem loco [15]) Persarum regnum annis *διακοσίοις τριάκοντα* duceutis triginta stetisse narret, quibus annos 300 addere oportet ut summa conflat annorum 530, quot intercesserunt inter olympiadis LV annum primum, quo Cyri regnantis exordia ab Africano consignantur, interque olympiadis CLXXXVII annum 4. Denique Christi mortem Africanus adscripsit, ut Eusebius [16]) quidem et Syncellus [17]) dicunt, anno ις' XVI imperii Tiberii, ut autem Hieronymus [18]), anno XV, ut denique Iulianus Toletanus [19]), anno XVIII; ast hoc postremum mendi arguunt anni tum mundi tum olympiadis, quibus cum hunc Tiberii imperantis annum ille coniunxit, si comparentur cum annis, quibus Lagidarum interitum ut Christi ortum adscripsit, sique ad olympiadum exordium, quod Africanus posuit, spectemus, annus vero Christi emortualis aeque dici potuit XVI et XV imperii Tiberii pro alio atque alio initio, quod principatuum annis numerandis Romaai aliaeque gentes facere solebant, qua de ru postea dicemus (49).

47 Tempora autem ab Africano designata haec sunt.

Ab Adamo ad diluvium anni sunt	2262
A diluvio ad Abrahae ingressum in Chanaanitidem anni	1015
Abraham in Chanaanitidem venit anno mundi	3277
Ab Adamo ad Iosephi obitum anni sunt	3563
A Moyse ad prima olympia anni	1020
A primis olympiis ad primum annum regni Cyri	217
A Moyse ad primum annum regni Cyri	1237
A capta Hierosolyma ad annum XX regni Artaxerxis	185
Annus XX Artaxerxis regnantis est annus regni Persarum	115

---

[1]) Chronograph. p. 326. [2]) Ib. p. 18. [3]) Diss. XXXIX. c. I. [4]) Op. cit. pp. 64. 148. [5]) Praep. evang. L. X. c. 10. [6]) Op. cit. p. 64. [7]) Ib. p. 323. [8]) Demonstr. evang. L. VIII. c. 2. [9]) Ib. et Praepar. evang. L. X. c. 10. [10]) Op. cit. pp. 64. 323. [11]) Dem. ev. L. VIII. c. 2. [12]) In Dan. IX, 24. [13]) Op. cit. p. 308. [14]) Ib. [15]) Ap. Euseb. l. c. [16]) L. c. [17]) Op. cit. p. 323. [18]) L. c. [19]) Adv. Iudaeos L. I in Biblioth. lugd. PP. T. XII. p. 621.

Persarum regnum stetit annis	230
Lagidae Macedonesque post Persas regnum obtinuerunt annis . . .	300
Postremus Lagidarum est annus mundi	5472
Incarnatio facta est anno mundi	5500
Christus obiit anno XVI imperii Tiberii, mundi autem	5531
Ab anno XX regni Artaxerxis ad annum XVI imperii Tiberii sunt anni .	475
Ab anno XVI imperii Tiberii ad olympiadem CL Grato et Seleuco coss. .	192
Ab Adamo ad Gratum et Seleucum coss.	5723

Olympiadum autem anni, quos ad tempora designanda notatos reperimus in Africani librorum reliquiis, hi sunt.

Anno, qui a Moyse erat 1020, adscriptus est	ol. I	an. 1
Anno I regni Cyri	ol. LV	an. 1
Anno XX regni Artaxerxis	ol. LXXXIII	an. 4
Anno postremo Lagidarum	ol. CLXXXVII	an. 4
Post Alexandriam captam incepit . . .	ol. CLXXXVIII	an. 1
Anno XXIV aerae Antiochenorum. . . .	ol. CLXXXIX	an. 1
Anno imperii Tiberii XVI mundi 5531 . .	ol. CCII	an. 2
Anno mundi 5723	ol. CL	

Ex his apparet olympiadum annos cum annis mundi ab Africano ita componi, ut non unum atque idem utrisque initium faciat; si secus, vel anno mundi 5472 adscribendus fuisset olympiadis CLXXXVII annus 3, vel anno mundi 5531 olympiadis CCII annus 3. Quum autem ex his ipsis duobus locis inter se comparatis efficiatur olympiadum annos incipere post pascha, non est dubium, quin illorum annorum initium sit ipse dies neomeniae hecatombaeonis (7), illud ipsum, inquam, quod huiusmodi annis Attici faciebant. Iam vero Africanus ait Christi obitum incidisse in annum II olympiadis CCII; sic enim legimus apud omnes, quotquot eius verba retulerunt, Eusebium, Hieronymum, Iulianum Toletanum, Syncellum, etsi in huius latina pagina pro *ἔτος δεύτερον* redditum sit *anno quarto* [1]). Annus igitur mundi, qui ex Africani opinione fuit annus Christi emortualis, non serius incepit quam verno illius anni, quem ipse ait fuisse secundum olympiadis CCII. Quibus positis liquet, qua ratione annos olympicos cum mundi annis composuerit, idque in hoc laterculo videre est.

Olympiadis I	annus 1 incepit anno mundi	4725
Olympiadis LV	annus 1	4941
Olympiadis LXXXIII	annus 4	5056
Olympiadis CLXXXVII	annus 4	5472
Olympiadis CLXXXVIII	annus 1	5473
Olympiadis CLXXXIX	annus 1	5477
Olympiadis CCII	annus 2	5530
Olympiadis CCL	annus 1	5721

48 Quo autem mense initium sit annis mundi quaerendum modo est. Africanus, inquit Photius, *incipit a mundi creatione, pervenitque . . . usque ad Macrini imperatoris tempora, quo tempore, ut ipse affirmat, hoc Chronicon absolutum est, annorum scilicet ͵εψκγ' V̄DCCXXIII* [2]). Macrinus interemptus fuit mense iunio anni p. i. 4931, aer. vulg. 218. Si hic annus secundum Africani computationem foret annus mundi 5723, consequens esset annum mundi 5531, cui Christi obitum is adscripsit, esse annum p. i. 4739, aer. vulg. 26, item annum mundi 5472, quo Lagidarum regnum sublatum dicit, esse annum p. i. 4680, U. C. 720; quae quidem veluti monstra chronologis viderentur. Recte Petavius [3]) pro *Μακρίνου* legere suadet *M. Ἀντωνίνου*. Sic autem legi oportere certiores nos faciunt Isidorus Hispalensis [4]), Ado Viennensis [5]), et Syncellus, qui haec scripsit: Phileni archontis *tempore consulatum Romae gerebant Gratus Severianus et Seleucus . . . ἐπὶ τῷ ͵εψκγ' ἔτει τοῦ κόσμου anno mundi V̄DCCXXIII, ut auctor est Africanus, qui Antonini Augusti fuit annus γ' III* [6]); in alio autem loco: *Africanus . . . ad imperium usque Antonini deduxit historiam* [7]). Gratus et Seleucus consules fuerunt anno U. C. 974, qui fuit p. i. 4934, aer. vulg. 221, quum M. Antoninus Elogabalus imperio potiretur. Constat ergo eum annum, quem Africanus 5723 post Adamum conditum nume-

---

[1]) Op. cit. p. 323. [2]) Biblioth. cod. XXXIV. [3]) Variar. dissert. ad Auctor. de Doctr. temp. L. VIII. c. 2. [4]) Etymol. L. V. c. 38. [5]) Chronic. init. [6]) Op. cit. p. 212. [7]) Ib. p. 107.

rabat, concurrisse cum anno p. i. 4934; utrum autem ex toto, an ex parte, sique ex parte, utrum intra hunc annum inceperit, an exierit, quaerere restat. Si constaret Africani Chronicon concludi Grato et Seleuco coss., constaret simul non ultra annum p. i. 4934 pertingere. Verum illud ex Africani verbis a Syncello relatis non satis compertum est. Non ergo aliud constat, quam initium anni mundi 5723 ultra illos consules annumque p. i. 4934 constitui minime posse. Ex hoc efficitur mundi annum 5472, cui Africanus Lagidarum interitum adscripsit, non incepisse serius, quam anno p. i. 4683, annumque mundi 5500, quo incarnationem factam dicit, non serius quam anno mundi 4711, annum denique mundi, quem annum Christi emortualem esse autumat, non serius, quam anno p. i. 4742. Syncellus haec Africani verba nobis servavit: *Ἦν ὀλυμπιὰς ρπθʹ, ἥτις πρὸ ςʹ καλανδῶν μαρτίων, κατὰ Ἀντιοχεῖς κδʹ, ἤχθη, δι' ἧς ἐπὶ τῶν ἰδίων ὅρων ἔστη ὁ ἐνιαυτός* [1]) quae in alio loco (11) sumus interpretati. Quum annus 24 aerae iulianae Antiochenorum inceperit autumno anni p. i. 4688, ille dies VI kal. mart. fuerit oportet anno intercalari p. i. 4689, olympiadis CLXXXVIII anno 3. Olympiades igitur Africani duobus annis ante veras olympiadas inchoantur, non tamen amplius, ut ex tota hac nostra ratiocinatione apparebit; proinde a. d. VI kal. mart. anni p. i. 4689 ibat olympiadis CLXXXIX annus 1, secundum Africani computationem. Ex his praepositis efficitur, quibus annis p. i. inceperint exierintque anni olympiadum ab Africano commemorati. Videlicet

Olympiadis	I	annus 1	incepit anno p. i. 3936
Olympiadis	LV	annus 1	 4152
Olympiadis	LXXXIII	annus 4	 4267
Olympiadis	CLXXXVII	annus 4	 4683
Olympiadis	CLXXXVIII	annus 1	 4684
Olympiadis	CLXXXIX	annus 1	 4688
Olympiadis	CCII	annus 2	 4741
Olympiadis	CCL	annus 1	 5932

Liquet ergo diem paschatis, quo Christus mortuus est, quum fuerit anno 2 olympiadis CCII, incidisse in an. p. i. 4742. Quare annus mundi 5531, cui Christi obitus adscribitur ab Africano, initium non habuit serius hoc paschate; proinde nec annus mundi 5723, quo Chronicon concluditur, seriore die incipere potuit, quam circa diem paschatis anni p. i. 4934 Grato et Seleuco coss. Sed neque ante mensem septembrem superioris anni. Etenim Lagidarum regno annus mundi 5472, olympiadis CLXXXVII annus 4, finem attulisse dicuntur, quorum ille non seriore die quam veris initio, hic aestate, anni p. i. 4683 inceperunt. Finem ergo Lagidarum posuit Africanus intra primam aestatem anni p. i. 4683 verumque anni insequentis 4684; intra quod spatium quum proelium actiacum commissum sit, pro comperto est, non Antonii et Cleopatrae funus, quod fuit post medium anni p. i. 4684, sed proelium hoc veluti terminum ab Africano haberi Lagidis positum, quumque ad Actium proeliatum sit III non. sept. an. p. i. 4684, consequitur annum mundi 5472, qui non serius, quam paschate huius ipsius anni initium habuerat, finem non habuisse nisi post diem III non. sept. Annorum ergo mundi initium Africanus ducit vel ab autumno cum Orientis populis, vel cum Romanis a kal. ianuar., vel denique, ut annis mundi initium fieri mos erat, a veris initio; non enim est dubium, quin anni sint forma iuliana.

49 Plura ipse non suggerit, quibus horum annorum exordium magis definiri queat; tum haec satis sunt, ex quibus, quod quaerimus, hoc est, quid ille senserit de Christi aetate, certo comperiamus. Sunt tamen, quae credere suadent in anni tempus aliud non modo aestate, ut dictum est, sed et autumno illud exordium incidere. Etenim ipsum *Sexti Iulii* nomen ostendit neque Aegyptum, neque Orientem, neque Graeciam, patriam eius regionem fuisse, fuisse autem Africam, nomen quidem credere haud vetat, appellatioque *Africani* etiam iubet, confirmat autem Suidas, qui eum e Lybia oriundum dicit [2]); ast in Africa, iam inde ab anno p. i. 4568 in provinciae formam redacta, quum lingua, tum Romanorum consuetudines, atque adeo civilis anni modus ac termini, aetate Africani obtinebant. Deinde, ut nulla apud hunc, sive aegyptiacorum, sive graecorum, sive macedonicorum, nomina mensium, ita, quum semel mensis diem commemorare habuit, non alio nomine mensem, neque alio loquendi modo diem enuntiavit, quam romano, dixitque *πρὸ ςʹ καλανδῶν μαρτίων a. d. VI kal. mart.*, idque quum loqueretur de anno olympico deque huius anni die, qui procul dubio alius erat die VI kal. mart., sed sicut hic dies in anno romano, ita ille in olympico intercalabatur; quod certe evincit quidem Africanum, ut mensibus ac diebus, ita et anno romano fuisse adsuetum, proinde non

[1]) Op. cit. p. 309. [2]) Lexic. ad v. Ἀφρικανός.

autumno initium annis, una simul cum Orientalibus plerisque, facere solitum. Hoc ipsum ea argumenta confirmant, quibus demonstrare est, idem aerae actiacae imperiique Tiberii annis atque annis mundi principium esse in Africani Chronico. Hieronymus enim memoriae prodidit [1]) Christi obitum ab Africano consignari *anno LX a fine Macedonum*; quum autem Africanus, ut diximus, Macedonum Lagidarum finem composuerit cum proelio actiaco dieque III non. sept. an. p. i. 4683, Christi autem obitum cum paschate an. p. i. 4742, quos inter terminos anni 58 dimidiaque anni pars, non amplius, intercesserunt, consequitur necessario, ubi ait Christum obiisse *anno sexagesimo a fine Macedonum*, loqui eum de annis actiacis (30), anno autem huic sexagesimo initium ab eo fieri non serius quam anno mundi 5531, alio ergo die ac III non. sept., si alio die, illo certe, quo incipiunt anni, quibus omnia suarum historiarum tempora distinguit, anni, inquam, mundi. Hoc ipsum dicendum est de annis imperii Tiberii; quum enim constet annum Christi emortualem secundum Africani computationem esse p. i. 4742, ipse autem affirmet Christum obiise anno XVI imperii Tiberii, necesse est huius imperii annis principium sit, non a. d. XIV kal. sept., qui Augusto supremus fuit, sed idem ac annis mundi. Ceterum minime dubitem, quod vetustiores chronologi plerique omnes fecere, Africanum quoque fecisse, ut idem ipsum, quod verno tempore est, annorum mundi principium poneret. Qua de re certior fies, ubi ex comparatis mundi annis cum annis p. i., quibus respondent, pervidebis illos ea feria incepisse, quacum concurrit dies 17 martii, ille, inquam, dies, in quem vernum cardinem incidere Cyprianus quoque, Afer et ipse, putavit (62). Lege Dissertationem LII. n. 15.

50 Video equidem, quae quis mihi opponere posset. Apud Syncellum haec legimus: *Gratus Severianus et Seleucus . . . consulatum gesserunt . . . anno mundi* ,εψκγ′ $\bar{V}$*DCCXXIII, ut author est Africanus, qui Antonini Augusti Romanorum imperatoris fuit annus* γ′ *III* [2]); ast imperii Antonini Elogabali, qui illud accepit mense iunio an. p. i. 4931, annus III fuit p. i. 4933, quare, si Africanus annis mundi initium fecisset verno, annus mundi 5723 priore eaque maxima sui parte concurrisset cum anno p. i. 4933, itemque annus mundi 5531 cum p. i. 4741, annus mundi 5472 cum p. i. 4682, adscriptusque ab Africano fuisset Lagidarum interitus anno p. i. 4682, Christi autem obitus anno p. i. 4741. Verum animadverte, ut illa *ὅπερ ἦν Ἀντωνεινου του και Αὐγουστου Ῥωμαιων βασιλεως ἔτος γ′ qui erat Antonini Augusti Romanorum imperatoris annus III* posita post verba *ut author est Africanus* nequaquam ab his necessario dependeant, satisque appareat addita esse a Syncello. Tum minime constat, utrum annos imperii Elagabali numerare mos fuerit initio ducto a die accepti imperii, an a prioribus kalendis iannar.; sique primum fiebat, annus ille III exiisset in mensem iunium anni p. i. 4934. Denique illa ipsa consectaria, quod Lagidarum finis anno p. i. 4682, Christi obitus anno p. i. 4741 foret adscribendus, satis sunt, ut appareat cum anno mundi 5723 annum III imperii Elogabali, si initium huic sit kalendis iannar., componi non posse. Missum facio illum *Romanorum principatus annum* ια′ *XI* [3]), quo etiam signatur supremus Lagidarum dies; nemo enim dubitat in huius numeri notam librarii mendum irrepsisse, scriptumque esse $\overline{\text{ΙΑ}}$ ια′ XI pro $\overline{\text{ΙΔ}}$ ιδ′ XIV.

51 Illud gravius procul dubio, quod Africanus post commemoratum Lagidarum interitum haec addiderit: *Μετα Ἀλεξανδρειας ἁλωσιν ὀλυμπιας ἤρχθη ρπη′ Post captam Alexandriam incepit olympias CLXXXVIII* [4]); ex quo consequi videtur Lagidarum regno terminum ab Africano constitui non proelium actiacum, sed Alexandriam captam, quumque haec capta fuerit kal. sextil. anni p. i. 4684, annum mundi 5472 cum hoc, non autem cum superiore anno p. i. 3683 componi oportere, Africanique olympiadem CLXXXVIII, non anno p. i. 4684, sed 4685 incepisse. Attamen nimis gravia sunt, quae secus sentire nos cogunt, ac credere Africanum, seque ac alios haud ita paucos, eo deceptum, quod vel eodem anno captam putaverit Alexandriam, quo proeliatum ad Actium est, vel certe Alexandriae *ἁλωσιν* in actiacae pugnae locum substituerit. Nam ea, quae tradit de anno, quo anni olympici intercalari coeperunt, a nobis iam relata (48), certo evincunt Africani olympiadas toto biennio ante veras incipere, quumque vera olympias CLXXXVIII inceperit anno p. i. 4686, Africani olympias CLXXXVIII non serius, quam anno 4684, inceperit necesse est. Ad hoc notae, quibus Africanus diem Christi emortualem consignavit, ipsaque discrepantia, quae est inter has notas, ut in graeco exemplari eae leguntur, utque in latina translatione a Hieronymo scripta [5]), credere vetant diem hunc in alium annum incidisse, quam in p. i. 4742. Etenim Africanus ait Christum mortem obiisse anno mundi 5531, olympiadis CCII anno 2, imperii Tiberii anno XVI vel, ut legimus apud

[1]) L. c. [2]) Op. cit. p. 212. [3]) Ib. p. 308. [4]) Ib. [5]) L. c.

Hieronymum, XV, a fine Macedonum anno LX. Fac Africanum putasse Alexandriam captam eo die eodque anno, quo re ipsa capta est, videlicet kal. sextil. an. p. i. 4684, ita ut cum hoc unno concurrerit prior pars anni mundi 5472, eum necesse erit annus mundi 5531 inceperit anno p. i. 4743, annusque mundi 5723 anno p. i. 4935, proinde, contra ac Africanus ipse testatur, annus hic mundi 5723 nulla sui parte concurrisset cum Grati et Seleuci consulatu, quem hi gesserunt anno p. i. 4934. Neque rem extricabis, si ponas annos mundi inchoari ab Africano vel a neomenia thoth, vel ab autumno, ita ut annus mundi 7472 inceperit intra affectam aestatem atque autumnum anni p. i. 4683. Nam, si Lagidarum interitum Africanus composuisset cum ipso die, quo Alexandriam captam fuisse constat, unnus sexagesimus a fine Macedonum, non ad aeram actiacam pertineret, quam Romani duxerunt a kal. ianuar. anni p. i. 4683, sed ad aeram Augusti aegyptiacam, quae initium cepit a neomenia thot, exeunte mense sextili anni p. i. 4684 (32), propter eaque die paschatis anni p. i. 4743, non LX, sed LIX annus ibat huius aerae. Denique nulla superesset ratio removendi discrepantiam, quae est inter ipsa Africani verba, ut haec sunt in graecis exemplaribus, atque ea Hieronymus retulit, quum apud hunc annus imperii Tiberii XV, in illis annus XVI legatur; neque enim annus ille XV ulla ex parte in annum p. i. 4743 incidere potuit. E contrario hae notae in pascha anni p. i. 4742 omnes apte conveniunt. Ac de ceteris quidem notis dictum iam est. Annus autem imperii Tiberii XV simul et XVI ibat, quum anno p. i. 4742 pascha actum est. Quum enim Tiberius Augusto demortuo successerit ex a. d. XIV kal. sept. an. p. i. 4727, si imperii annos ab hoc die ducas, annus XV exiit in a. d. XV kal. sept. anni p. i. 4742, sin una cum annis mundi eodem initio componas, annus XVI incepit una cum anno mundi 5531 uno serius quam initio veris eiusdem illius anni p. i. 4742. Constat ergo uno ante anno, quam oportuit, Alexandriae *ἅλωσιν* poni ab Africano.

52 Cur longius de Africano egerim, ratio ea fuit, quod neminem repererim, qui satis accurate haec exposuerit aut consideraverit. Hancque ipsam ob rem operae esse existimo, quaecumque tempora sive Africanus ipse designavit, sive designata ab eo fuisse efficitur ex iis, quae disputavimus, in unum cogere atque unico conspectui exhibere in his ipsis paginis. Quas notas asterisco consignatas videbis, scito eas expresse positas esse ab Africano. Annos mundi, quos verno inceptos fuisse putamus, annosque olympiadum ex parte solum componimus cum illis annis periodi iuliani, quibus inceperunt, ne quid inde incommodi capiat sive ordo temporum ac rerum gestarum, sive horum intelligentia. Temporum spatia inter singulas res interiecta ducimus a fine anni mundi, cui prior res adscribitur, ad finem anni, cui adscribitur posterior. Ne quid vero quemquam remoretur animadvertere iuvat, ut Africanus disertis verbis affirmet *regni Cyri principium cum iudaicae captivitatis fine historicorum omnium consensione* concurrere, *etiam in olympiadum annis* [1]). Atqui *regni Cyri principium* ille adscripsit anno I olympiadis LV, ergo et *iudaicae captivitatis finem*. Si compares inter se I Esd. III, 1 et III, 1—8, concludes Cyri decretum, de quo est in I Esd. I, 1—4, editum fuisse postremis mensibus anni olympici, proinde verno anni mundi 4942. Quare, quum Africanus septuaginta annos illius captivitatis numeret initio ducto a Hierosolyma capta, huius urbis expugnatio anno mundi 4872 est adscribenda. Nehemiam missum dicit Hierosolymam anno regni Artaxerxis XX, olympiadis LXXXIII anno 4, regni Persarum anno 115. Ex II Esd. I, 1 discimus id evenisse extremo autumno, proinde sub menses postremos anni mundi 5056. Quibus positis, quum ab anno mundi 4872, quo Hierosolyma capta est, ad annum 5056, quo illuc missus est Nehemias, non plures anni numerentur, quam 184, apparet illa Africani verba, *Usque ad Nehemiam . . . et imperii Persarum πεντεκαιδέκατον καὶ ἑκατοστὸν ἔτους annum centesimum decimum quintum a capta . . . Ierusalem anni ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα πέντε centum octuaginta quinque fiunt* [2]), dicta esse, non de integris annis mundi, sed de toto temporis spatio, intra quod et Hierosolyma capta et Nehemias illuc missus est; quum enim hic Susis profectus est, annus ibat 185 ab eo die, quo Chaldaei Hierosolymam ceperant.

---

[1]) Ap. *Euseb.* Praep. ev. L. X. c. 10. [2]) Ap. *Euseb.* Dem. ev. L. VIII. c. 2.

Anni: Mundi	Anni: Olympiadum Africani	Anni: Periodi iul.	*Res, quae in Africani librorum reliquiis aliqua tempori nota consignatae sunt.*	Temporum spatia: interiecta inter annorum exitus	Temporum spatia: *quaedam singularia ab Africano expressis verbis enuntiata.*
1			Adam conditus.		
789		1 G F	(Initium Periodi iulianae).	788	
* 2262		1473 A G	Diluvium.	1473	
* 3277		1488 C	Ingressus Abrahae in Chanaanit.	* 1015	
* 3563		2774 E	Iosephi obitus.	286	
3705		2916 D	Moysis exitus ex Aegypto.	142	
4725	* 1,1	3936 B	Prima Africani olympia.	* 1020	
4727	1,3	3938 F	Prima olympia vera.	2	
4872	37,2	4083 G	Hierosolyma a Chaldaeis capta	145	
4942	* 55,1	4153 D C	Primus annus Cyri regnantis. Finis captivitatis. Initium regni Persarum.	70	A Moyse an. 1237, a primis olympiis an. 217.
5056	* 83,4	4267 A	Nehemias in Iudaeam missus anno XX regni Artaxerxis.	114	A capta Hierosolyma an. 185, Ab initio regni Persar. 115.

5057	84,1	4268 O	Moenia Hierosolymae absoluta.	1	A Hierosolyma capta an. 186.
5172	112,4	4383 C	Persarum finis.	115	Ab initio regni Cyri an. 230.
5454	183,2	4665 A G	Initium aerae iulianae Antiochen.	282	
* 5472	* 187,4	4683 F	Initium annorum a fine Macedon. Finis Macedonum Lagidarum.	18	A fine regni Persarum an. 300.
5473	* 188,1	4684 E	Initium olympiadis CLXXXVIII.	1	
5477	* 189,1	4688 G	Primus annus olympicus intercalatus. Incipit annus XXIV aer. iulian. Antioch.	4	
* 5500	194,4	4711 F	*Ἡ ἐπιφανεια.*	23	
5502	195,2	4714 B	(Initium aerae vulgaris).	2	
* 5531	* 202,2	4742 C	Annus XVI imperii Tiberii, LX a fine Macedonum. *Το παθος*	29	Ab anno XX Artaxerx. an. 475.
5721	* 250,1	4932 C	Initium olymp. CCL Africani.	190	
5723	250,3	4934 G	Gratus et Seleucus coss. Postremus Chronici annus. Initium olympiadis CCL verae.	2	A XVI an. Tiberii an. 192.

Martini Iosephi Routhi *Reliquias sacras*, in quarum altero volumine Africani Chronica fusius illustrantur, non antea videre mihi datum fuit, quam quum iam, non modo haec scripseram, sed hic tertius liber in lucem prodire coeperat; neque, quae ille adnotaverat, per tempus licuit inspicere.

53 *Hippolytus.* An. CCXX. Quid is senserit de tempore, quo Christus vixit, ipse nobis colligendum permisit ex suo *Canone de paschate*, qui orbis est septem ἑκκαιδεκαετηριδων, hoc est, annorum 112 iulianorum, quorum singulis diem adscripsit tum mensis tum hebdomadae, in quem incidit luna XIV paschalis, item mensis diem, quo pascha agendum est. Quae de hoc Hippolyti opere viri eruditissimi disputarunt, ea Fabricius collegit [1]); nos illa dumtaxat attingemus, quae ad nostram quaestionem pertinent. Titulus ipse Canoni praescriptus, diesque id. april. anno primo incidens in sabbatum, et nota diei bissexti adscripta anno III periodi, evincunt primum huius annum esse annum p. i. 4935, aer. vulg. 222, quidquid sit de die, quo intra hunc annum Alexander Severus imperator fuit salutatus, qua de re alias (60). Ipse προληπτικον Canonis usum, quo eius sententiam de temporibus, quibus Christi vita definitur, nullo negotio assequeremur, facilem praebuit, adnotans in Canone quibus annis ac diebus acta fuerint celebriora paschata, quorum in bibliis mentio est. Quare ad superiora tempora regrediendo primos anteactarum periodorum annos componere oportet cum annis p. i. 4823, 4711, 4599, atque ita porro. Notae diei bissexti comparatae cum diebus mensis et hebdomadae, in quos luna XIV paschalis incidit, ostendunt annos periodi non incipere verno. Nomina mensium latina modusque numerandi mensis dies satis sunt, cur concludamus annos hosce incipere kal. ianuar. Quam tamen haec forte debeantur ei, qui Hippolyti Canonem Romanorum usibus accomodavit, quumque ex eo, quod in Canone annis initium Hippolytus fecerit kalendis ianuarii, nullo pacto effici queat idem mundi annis initium ab eo fieri, non est dubitandum hos mundi annos illud apud Hippolytum, quod apud plerosque, initium habere veris, inquam, principio. Quaeramus ergo primum aeram mundi ab eo adscitam, qua cum Canone comparata certo discemus, quo anno Christi ortum ipse consignaverit.

54 Cyrillus Scythopolitanus, cuius verba alias (133) referemus, non uno in loco nos docet primum annum της ἐνανθρωπησεως secundum Hippolyti ratiocinia esse annum mundi 5501; Syncellus [2]) hoc amplius, Christi tum conceptum, tum ortum ab Hippolyto adscriptum esse anno mundi 5501, illum quidem diei 25 martii, hunc diei 25 decembris. Uterque Hippolyti ratiocinia sequi se profitetur. Quare, quum hi mundi aeram alexandrinam adhibeant, eamdem hanc Hippolytus adhibuisse dicendus ex ipsorum testimonio esset, mundique annum 5501 illum dixisse, qui incepit anno p. i. 4722. Verum pro comperto est Cyrillum et Syncellum eo falsus esse, quod, quum Hippolytus Christum conceptum natumque narraverit anno mundi 5501, annoque mundi 5501 ipsi quoque id factum esse opinarentur, se Hippolyto adsentire existimarent, ne suspicati quidem, aliam mundi aeram ab ipsis, aliam ab Hippolyto esse adhibitam. Nempe Hippolyti aetate artificiosa illa aerarum confectio atque distinctio nondum fuerat excogitata, sed quisque summam annorum mundi ex bibliis colligebat, aut ab aliis collectam adsciscebat. Ex Cyrilli tamen et Syncelli testimonio efficitur annum mundi, qui ex Hippolyti sententia primus της ἐνανθρωπησεως dicitur, incepisse feria II; quumque illis aetatibus annorum mundi principium a die 18 martii plerique ducerent, hoc ipsum Hippolytus fecisse putandus est, maxime quum huic diei citimam lunam XIV paschalem in Canone adscripserit. Si ergo annus mundi 5501 incepit die 18 martii feria II, annus periodi iulianae, quo incepit, notatus litera F sit oportet, quod ex Cyrilli quoque computatione colligitur. Ea litera notatus fuit annus p. i. 4722, quo annus mundi 5501 aerae alexandrinae initium habuit. Sed, praeterquam quod nemo ante saeculum V Christum tam sero natum credidit, id nullo modo Hippolyti Canoni consonaret. Quare concludere iam licet, annum mundi 5501, primum της ἐνανθρωπησεως incepisse anno p. i. 4711. Qua de re dubitare nos haud sinit scriptor quidam, ἀνωνυμος ille quidem, sed Hippolyto aequalis, de quo paullo infra (58).

55 Verum, quod affirmamus, id certo efficitur ex iis, quae in Canone ipse Hippolytus adnotavit. Nam secundo Canonis anno, quocum concucurrit annus p. i. 4712, adscripta est vox γενεσις, quae sicut ceterae omnes voces Canoni adscriptae, indicat pascha certi alicuius anni (58. 59. 62); cuius autem anni, nisi illius, quo post Christum natum hoc sollemne primo actum est? Annum ergo mundi 5501 anno p. i. 4711 incepisse constat. Iam anno tricesimo secundo periodi luna XIV paschalis notata est die VIII kal. april., hebdomadae sexto, cui notae adiuncta est vox παθος; hic autem annus fuit p. i. 4742, aer. vulg. 29. Ad liquidum itaque exploratum habemus hanc esse Hippolyti de

---

[1]) In *Hippolyti* opp. T. I. [2]) Chronogr. p. 315.

Christi aetate, quam hic vixit, sententiam: Christus conceptus fuit die 25 martii, ortus 25 decembris, anno p. i. 4711, mortuus autem die 25 martii anni p. i. 4742, quum vixisset annos XXX mens. III.

56 *Origenes.* An. CCXXX. Is haec scripsit: *At illi statuerunt ei triginta stateres, tantam ei donationem constituentes, quantos annos Salvator peregrinatus fuerat in hoc mundo. Triginta enim annorum baptizatus coepit evangelium praedicare* [1]). Et in alio loco: *Ἐνιαυτον γαρ που και μηνας ὀλιγους ἐδιδαξεν annum enim et menses paucos docuit* [2]). Item haec: *Τεσσαρακοντα γαρ ἐτη και δυο, οἰμαι, ἀφ' οὑ ἐσταυρωσαν τον Ἰησουν, γεγονεναι ἐπι την Ἱεροσολυμων καθαιρεσιν Quadraginta enim et duos annos, puto, ex quo cruci fixerunt Iesum, esse ad Hierosolymae expugnationem* [3]). Ast in alio loco ita de praedictarum a Daniele septuaginta hebdomadum postrema: *Si autem oportet et nos pauca, secundum quod nobis videtur, exponere de hoc loco, dicendum est, quoniam septuaginta annos, qui fuerunt post adventum Salvatoris nostri, demonstrare videtur sermo. Haec enim septimana, quae propter septem decades annorum dicitur septimana, confirmat testamentum multis, quando et apostoli Christi, post ascensionem ipsius, orationi et verbo instantes a Deo illuminabantur. . . . In dimidio autem septimanae, id est, in tribus et semis decadis annorum, . . . id est, in triginta quinque annis, impletum est, quod fuerat scriptum: In dimidio septimanae tolletur sacrificium et libatio. Tunc autem super templum, quod fuit in Ierosolymis, facta est abominatio desolationis templi et civitatis, in eo videlicet tempore, quando viderunt circumdatam Ierusalem ab exercitu. . . . Si autem oportet et de temporibus aliquid dicere, dicimus, quoniam in Chronicis Phlegontis cuiusdam dicitur, (si tamen debemus et hunc quasi vera dicentem de templo suscipere), quoniam circa quadragesimum annum a quintodecimo anno Tiberii Caesaris facta est destructio Ierusalem et templi, quod fuit in ea. Deduc ergo praedicationis Domini fere annos tres et tempus resurrectionis ipsius, quando per dies quadraginta apparens eis docebat eos de regno Dei, et invenies forsitan plus minus, quoniam circa dimidium septimanae, computans per decadas annorum, est completum, quod dictum est: Tolletur sacrificium meum et libatio.* Moxque de ipsis septuaginta hebdomadibus ita disserit: *Arbitror autem septuaginta septimanas . . . quatuor millia nongentos esse annos, ab Adam usque ad septuaginta annos, qui fuerunt post dispensationem Christi. . . . Sed et aedificari Ierusalem usque ad Christum ducem transierunt septimanae sexaginta duae, hoc est, primum quidem anni quadringenti nonaginta, quae fiunt per decadas computatae septimanae septem. Post hoc autem anni quatuor millia trecenti quadraginta, qui fiunt similiter per decadas computatae septimanae sexaginta duae. Post quos reversus est Christus, et aedificavit plateam, in qua sapientia fiducialiter agit, et murum, in cuius fastigio praedicatur. Evacuata sunt autem populi tempora, propterea quod super additas septem septimanas sexaginta duas septimanas sublatum est a populo chrisma, quod fuit in templo, ut iam non sit indicium apud eos, sed et civitas et sanctum corruptum est cum superveniente postea duce. . . . Sed his accidentibus illis confirmavit Deus testamentum multis in septimana una, in cuius septimanae dimidium cessare fecit incensum, et sacrificia, et cetera* [4]).

57 Verum haec omnia, quum minus sibi in vicem respondent, tum manifesto indicio sunt, quam temporum incuriosus fuerit Origenes, ut eius de his sententiam certo assequi eo minus sperandum sit, quo magis apparet nullam certam ipsi fuisse. De primis quidem tribus locis aliquid extricare possumus. Etenim Hierosolyma capta est initio mensis septembris an. p. i. 4783, quum Alexandriae a tribus iam diebus iret annus centesimus aerae Augusti aegyptiacae. Deme de centum annos 42, reliquus erit annus 58, quo Christum crucifixum Origenes putasse dicendus est. Hic autem annus desinebat in diem V kal. sept. anni p. i. 4742. Christi igitur baptismum anno p. i. 4741 ineunti, aut exeunti 4740, ortum vero, quum Christum annos triginta implevisse dicat, adscripsit extremo anno 4711, aut initio 4712, quae plerorumque illa aetate sententia fuit, totamque Christi vitam aliquot mensibus supra annos triginta definivit. Postremi vero loci, quem descripsimus, hic sensus est. Hebdomadas illas Danielis singulas septuaginta annis constare, ut omnium summa sint anni 4900, quot fuere ab Adamo condito ad septuagesimum annum *post dispensationem Christi*; quo nomine reddito, ut credere est, pro graeco *οἰκονομιαν*, aeque ac nomine *adventum* pro *παρουσιαν*, liquet significari totum temporis spatium, quo Christus in terris moratus est, quum Origenes de quadraginta annis, quos plus minus numerari ait *a quinto decimo anno Tiberii* ad eversam Hierosolymam, demere iubeat *praedicationis Domini fere annos tres . . . et dies quadraginta*, ut huius urbis eversio

---

[1]) In Matth. Tract. XXXV. § 78. [2]) De princip. L. IV. § 5. [3]) Cont. Cels. L. IV. c. 22. [4]) In Matth. Tract. XXIX. § 40.

in medium hebdomadae illius postremae incidisse dici queat. Hebdomadas itaque septuaginta sive annos 4900 ita distribui oportere:

Ab Adamo ad Hierosolymam refectam . .	hebdom.	62	an.	4340
Inde ad finem *της οἰκονομιας*	„	7	„	490
Inde ad Hierosolymam postremo eversam	„	1/2	„	35
Inde ad finem postremae hebdomadae sive annorum 70 *ἀπο της οἰκονομιας* . . .	„	1/2	„	35
Summa confit	hebdom.	70	an.	4900

Utrum Phlegon imperii Tiberii annos numeraverit exorsus ab eo die, quo Augustus obiit, an ab initio anni illius civilis, in quem huius obitus incidit, sciri non potest; si primum, annus ille XV exisset in a. d. XV kal. sept. an. p. i. 4742, si alterum, in prioris anni 4741 autumnum, quum Phlegon, utpote Asianus, autumno annis civilibus initium fecisse putandus sit (11). Hierosolyma eversa est eo anno, qui quadragesimus primus fuit *post* annum XV imperii Tiberii, si huius imperii annos primo modo numeres, quadragesimus secundus, si altero. Quare non est dubium, quin Origenes *παχυλως* supputaverit annos, qui inter utrumque terminum intercessere. Eademque ratione usum eum esse in ceteris temporum spatiis designandis ostendunt adverbia ab ipso saepe usurpata, *quasi, circa, fere, forsitan, plus minus.* Ceterum ex hoc loco illud unum certo colligere est, quod Origenes, contra ac alias scripserat, putaverit Christum in crucem actum esse tribus *fere* annis post baptismum, videlicet XVII aut XVIII anno principatus Tiberii, proque dispari ratione numerandi huiusmodi annos, non ante annum p. i. 4743, neque post annum 4745. Discrepantia autem postremi huius et superiorum locorum haud sinit pro certo affirmare, quaenam de anno Christi emortuali Origeni sententia fuerit; tametsi veri similius sit eam fuisse, quam e superioribus locis collegimus, utpote illa aetate communem.

58 *Chronographus ἀνωνυμος.* An. CCXXXIV. Canisius [1]) et Labbeus [2]) brevia quaedam chronica e vetustis codicibus deprompta ediderunt, quae unius atque eiusdem auctoris opus esse videntur, aut ex eodem certe auctore utraque excerpta. qui scripsit anno XIII principatus Alexandri Severi. Quum in hoc opusculo temporum intervalla definita sint secundum paschata [3]), quorum mentio est in bibliis, eaque ipsa, quae notata sunt in Hippolyti Canone (55), merito creditur excerptum illud esse ex ipsius Hippolyti Chronographia. Neque contra sentire nos cogunt Blanchini rationes [4]), quippe petitae ex annorum numero, quibus opusculi scriptor illa singula intervalla definivit, minus tamen respondente numeris, qui ex Hippolyti Canone colliguntur; menda enim in intervallorum numeros irrepsisse ipsa annorum summa, qui ab Adamo ad annum XIII principatus Alexandri exacti dicuntur, quique in omnibus exemplaribus iidem numero sunt, perspicue demonstrat. Aliud utique est, idque gravius, quod prima specie indicio esse videtur chronographum nostrum de toto anno quod ad tempus, quo Christus vixit, dissensisse ab Hippolyto; quae res, si accuratius examinetur, viam fortasse aperiet, qua eruditorum lis de vero exordio principatus Alexandri Severi dirimatur.

59 In eo libello haec leguntur: *Post Esdram Servatoris usque generationem Christi post annum DLXIII pascha fit. A generatione autem Christi post XXX annum, cum passus est Dominus, pascha celebratur. A passione autem Domini usque in XIII annum imperatoris Alexandri Caesaris anni CCVI servatum est pascha.... Fiunt igitur omnes anni ab Adam usque in hunc diem anni VMDCCXXXVIII* [5]). Non est dubium, quin annus XIII huius principatus, quo anno summam annorum mundi 5738 confieri scriptor affirmat, sit veluti cardo, in quo tota vertatur oportet disquisitio de scriptoris huius sententia; illo enim anno is scribebat. Itaque, si annis Alexandri Severi imperantis initium fiat kal. ianuar., quum Alexander imperium acceperit anno p. i. 4935, constabit ivisse simul annos decimum tertium principatus Alexandri et periodi iulianae quater millesimum nongentesimum quadragesimum septimum, huiusque anni pascha illud esse, sub quod impleta summa annorum mundi 5738 dici videtur, et in quod exiit annus CCVI ab illo paschate, quo Christum obiisse scriptor putavit, ex huius autem ratiociniis consequi, *cum Christus passus est*, fuisse pascha anni p. i. 4741, anni autem 4711, quod primo actum est post Christum natum, natum autem Christum inter paschata huius et superioris anni 4710. At secundum Hippolyti computationem, si ad eius solummodo Canonem spectes, ortus est Christus inter paschata annorum p. i. 4711 et 4712, obiitque paschate anni p. i. 4742, quo anno, ut discimus ex Cyrilli Monachi et Georgii Syncelli scriptis (54)

---

[1]) Antiq. lect. T. I. [2]) Biblioth. nov. mss. T. I. [3]) Ap. *Canisium* op. cit. cc. 17. 18; ap. *Labbe*, op. cit. sect. XII. [4]) De Canone paschali s. Hippolyti. c. 3. [5]) Ap. *Canis.* et *Labb.* ll. cc.

cum Canone comparatis, Hippolyto incepit annus mundi 5532, proinde alius esse non potuit annus p. i. 4947, Alexandri Severi imperantis XIII, quam quo incepit annus mundi 5737. His positis dicendus esset Chronographus noster toto biennio ante, quam Hippolytus, mundum conditum putasse, Christum autem natum mortuumque toto anno.

60 Verum illud attendamus necesse est, quod, etsi Hippolytus periodi suae annos ducat a kalendis ianuarii, annos tamen imperii Alexandri Severi indidem ab eo duci minime constet. Altera enim Canonis pars hunc titulum praefert: *Ἐτους α΄ βασιλειας Ἀλεξανδρου αὐτοκρατορος ἐγενετο ἡ ιδ΄ του πασχα εἰδοις ἀπριλιαις σαββατῳ Anno I regni Alexandri imperatoris fuit XIV paschalis idibus april. sabbato*, altera: *Ἐτει Ἀλεξανδρου Καισαρος τῳ α΄ ἀρχη· αἱ κυριακαι του πασχα κατα ἐτος Anno Alexandri Caesaris I initium. Dominicae paschatis secundum singulos annos*; e quibus haec duo dumtaxat efficere est, quae tamen in unam atque idem recidunt, primum Canonis pascha illud esse, quod fuit anno I imperii Alexandri, primum autem hanc annum ante illud pascha incepisse. Iam vero anno I periodi Hippolyti, qui fuit p. i. 4935, luna XIV paschalis incidit in id. april., anno autem XIV, qui fuit p. i. 4948, in a. d. XV kal. apr. Fac annos imperii Alexandri numerari initio ducto ab eo die, quo die imperator renuntiatus fuit, huncque diem esse inter diem XI kal. april. quo die fuit pascha anni p. i. 4948, interque diem postridie id. april., in quas incidit luna XIV paschalis ipso anno p. i. 4935, indeque annos principatus Alexandri numerare incipe; annus XIII exierit oportet in diem, qui fuit inter XII kalend. et inter id. april. anni p. i. 4948, ante quem diem huius anni pascha iam fuerat celebratum, quod utique pascha fuit anni XIII imperii Alexandri Severi.

61 Nullus itaque dubito adfirmare, Alexandrum Severum Elogabalo interempto successisse in imperium anno p. i. 4935, de quo constat inter omnes, intraque X kal. atque id. april., de quo hactenus dubitatum est, etsi id manifesto colligatur ex Zonarae Annalibus, si in summam ducantur temporis spatia, quibus imperatores singulos post Commodum rerum potitos esse is narrat; indidem annorum huius principatus exordium ab Hippolyto duci; Chronographo denique nostro non aliam, quam Hippolyto, fuisse sententiam de anno, quo sive mundus conditus, sive Christus natus, sive idem hic in crucem actus est. Etenim illis verbis: *Fiunt igitur omnes anni ab Adam usque in hunc diem anni VMDCCCXXX*, nequaquam significatur paschate anni XIII imperii Alexandri hanc annorum summam fuisse impletam, sed hoc illud pascha esse, quod actum est anno Adami 5738, qui incepit die 18 martii anni p. i. 4948, sicut apparet ex feria, qua annus ipse mundi 5738 initium habuit. Iam vero annus p. i. 4948 Hippolyto quoque ille fuit, quo incepit annus mundi 5738. Si ab huius anni paschate regrediaris per annos 206, sistendum erit in paschate anni p. i. 4742, mundi 5532, qui dies a Chronographo aeque ac ab Hippolyto creditur fuisse Christi dies emortualis. Si regredi pergas per annos 30, terminus erit pascha anni p. i. 4712, mundi 5502, quod primum post Christum natum uterque esse autumavit; nomen enim *generationem* hic scriptor reddidit pro nomine *γενεσις*, quod Hippolytus adhibuit, quodque, non actum, quo quis generat aut generatur, sed *ortum, nationem*, significat [1]).

62 *Cyprianus*. An. CCXLVIII. Huius nomine inscriptum est *Computum de pascha*, quod Ioannes Wallis edidit, atque adcurate admodum luculenterque illustravit [2]). Tempora in hoc libello supputantur ab Adamo condito ad Arrianum et Papum coss., qui consulatum gesserunt anno p. i. 4956, aer. vulg. 243, anni sunt forma iuliana, eisque initium est a. d. XVI kal. april., cui diei tribuitur citima luna XIV paschalis, annorum tamen numerus, qui exacti sunt a profectione Israelitarum ex Aegypto, definitur ipsis sollemnibus paschatis, ut fit in Hippolyti Canone (55. 58). Has temporum rationes auctor collegit in *Pinacem*, ut vocat, qui, quemadmodum Hippolyti Canon, periodus est annorum 112 in septem ἑκκαιδεκαετηρίδας distributa, cuius primus annus incepit anno p. i. 4955, aerae vulg. 242, periodi Hippolyti 21. Quod in Pinace luna XIV toto triduo serior sit, quam in Hippolyti Canone, hoc fit ex iulianae ἑκκαιδεκαετηρίδος forma ac modo, quam lunaris ἑκκαιδεκαετηρίς tribus diebus superat; uterque enim lunam XIV paschalem, quae fuit primo anno periodi utriusque, recte posuerunt, at, quia primus annus Pinacis est vicesimus primus Canonis, hoc est, quintus secundae ἑκκαιδεκαετηρίδος Hippolyti, in qua tres dies desunt ad lunae motus peraequandos, propterea illa discrepantia exstitit inter utramque. Sed, quod nostra refert, hic auctor unus est eorum, qui pugnantes sententias de tempore, quo Christus vixit, simul sequuti sunt. Ita enim supputat: NATIVITATIS *tempus cognoscere desiderantes, ipsos annos . . . ab exodo, id est, a primo Pinacis versu*

---

[1]) Diss. IX. c. IV. n. 1. [2]) Opp. *Cyprian.* Oxon. et Amstelod.

diligenter dinumeremus, et ad diem nativitatis eius perveniemus. Qui dies sexta sedecennitate in tertiodecimo versu invenitur V kal. apr. feria IV; annus est p. i. 4710, ipseque dies lunae XIV paschalis, *nativitatis* autem nomine non est dubium significari, non ortum, sed conceptum. Annis *XXX* . . . SUPPLETIS, inquit, *Dominus Iesus a* NATIVITATE *sua baptizatus est;* proinde anno p. i. 4740 non ante eum diem, qui fuit v kal. apr. *Cum esset annorum XXXI . . . passus est luna XV. . . . Adiicimus ergo iterum ad summam annos XXXI, et fiunt in se omnes ab exodo ad passionem anni;* videlicet a die illo lunae XIV paschalis, in quem diem *nativitas* incidit, ad diem paschatis, quo Christus mortuus est, exacti fuerunt anni 31, proinde Christi mors anno p. i. 4741 est adscribenda. Id ea confirmant, quae sequuntur. *A quo tempore, id est, a passione, usque ad annum V Gordiani, Arriano et Papo coss., suppleti sunt anni CCXV; . . . illos usque numerando . . . ad tertium versum primae sedecennitatis pervenientes inveniemus secundum Iudaeos pascha,* videlicet lunam XIV paschalem, *XII kal. apr. feria III;* quae notae omnes, quum non congruant, nisi in pascha anni p. i. 4956, si ab hoc paschate regrediamur per annos 215, eos perducent ad pascha anni p. i. 4741. E contrario hic auctor disertis verbis affirmat, idque non semel, Christum fuisse *baptizatum XV anno imperii Tiberii, passum XVI anno.* Licet annos huius principatus more Aegyptiorum numeres, quod ab illo factum suspicari non est, annus tamen ille XV non citius incipere potuit, quam III kal. sept. anni p. i. 4740, nec annus XVI citius quam IV kal. sept. anni p. i. 4741, illudque pascha, quo Christus obiit, fuisset anno p. i. 4742; sin autem Romanorum more, non aliud hoc pascha esse potuit, quam anno p. i. 4742 aut 4743, quum initium anni XVI esse nequiverit nisi vel kal. ianuar., vel, si a die suscepti imperii exordiamur, a. d. XIV kal. sept. an. p. i. 4742. Auctor nimirum ad illud ipsum offendit, ad quod seriore aetate Victorius Aquitanus, et exordium principatus Tiberii non anno p. i. 4727, sed anno superiore 4726 fuisse putaret. Haec tamen res argumento est, ut primis aetatibus inter omnes constaret, annum Christi emortualem esse annum p. i. 4742, qua de re in alio loco [1]).

63 *Nicodemus ὁ ψευδωνυμος.* Saec. III. Initio evangelii ἀποκρυφου, quod huius nomine inscriptum est, haec legimus: *Ἐν ἐτει πεντεκαιδεκατῳ της ἡγεμονιας Τιβεριου Καισαρος και βασιλεως Ῥωμαιων, και Ἡρωδου βασιλεως της Γαλιλαιας ἐν ἐννεακαιδεκατῳ ἐτει της ἀρχης αὐτου, τῃ προ ὀκτω καλανδων ἀπριλλιων, ἡτις ἐστιν εἰκας πεμπτη του μαρτιου μηνος, ἐν ὑπατειᾳ Ῥουφου και Ῥουβελλιωνος, ἐν τῳ τεταρτῳ ἐτει της διακοσιοστης δευτερας ὀλυμπιαδος Anno quintodecimo principatus Tiberii Caesaris et imperatoris Romanorum, et Herodis regis Galilaeae decimonono anno principatus eius, a. d. VIII kalend. april., quae est vicesima quinta mensis martii, consulatu Rufi et Rubellionis, quarto anno ducentesimae secundae olympiadis,* Christus a Pilato capitis fuit condemnatus [2]). In fine tamen latinae evangelii huius translationis a Fabricio editae legimus id factum *anno decimonono imperatoris Tiberii Caesaris Romanorum, et Herodis regis Galilaeae anno decimosexto principatus eius, VIII cal. aprilis, quod est XXIII martii, consultatoriae revelationis, in anno CCII olympiadis;* in quibus pro *XXIII martii* apparet rescribendum esse *XXV*, illudque *consultatoriae revelationis* monstrum esse ex *consulatu Rufi et Rubellionis* ortum. Lege, quae infra sunt de actis Pilati.

64 *Pilatus ὁ ψευδωνυμος.* Saec. III. Huius nomine inscripta est epistola quaedam latina Claudio, id est Tiberio, missa, item ἀναφορα Ποντιου Πιλατου missa eidem ipsi Tiberio, cuius latinum exemplar Thilo primus edidit [3]), utraque autem una cum evangelio Nicodemi communi nomine *Acta Pilati* a veteribus vocantur. In quodam codice bibliothecae regiae [4]) initio της ἀναφορας eaedem temporum notae leguntur ac in graeco Nicodemi evangelio (63), sed pro anno XV imperii Tiberii annus XVIII, consulum autem nomina omissa sunt, item numerus olympiadis. Epiphanius vidit Acta Pilati, *in quibus scriptum est XV kal. aprilis Salvatorem fuisse passum* [5]).

SAECULUM IV

65 *Lactantius.* An. CCCIII. *Tiberii Caesaris . . . anno quintodecimo, id est, duobus Geminis consulibus, ante diem decimam calendarum aprilium Iudaei Christum cruci affixerunt* [6]). *Extremis temporibus Tiberii Caesaris, ut scriptum legimus, Dominus noster Iesus Christus a Iudaeis cruciatus est, post diem decimum calendarum aprilium, duobus Geminis consulibus. . . . Inde discipuli . . .*

[1]) Diss. LI. [2]) In *Thilo.* Cod. apocr. N. T. [3]) Op. cit. [4]) Cod. 929 ap. *Thilo.* ib. [5]) Haeres. LI. § 1. [6]) Divin. instit. L. IV. c. 10.

dispersi sunt per omnem terram ad evangelium praedicandum, . . . et per annos XXV usque ad principium neroniani imperii per omnes provincias et civitates ecclesiae fundamenta miserunt [1]). Alii iam demonstrarunt unum et eumdem esse sensum verborum *ante diem decimam* et *post diem decimum calendarum.* Ceterum Lactantius verbis, quae retulimus, triplicem suggerit characterem anni p. i. 4742, aer. vulg. 29, videlicet annum XV imperii Tiberii, duos Geminos coss., et spatium annorum XXV interiectum usque ad exordium principatus Neronis, qui Claudio successit a. d. III id. octobr. ao. p. i. 4767, aer. vulg. 54. Quod autem dies X kal. apr. non illo anno, sed anno p. i. 4744, aer. vulg. 31 in feriam VI inciderit, sive id ipsius Lactantii παροράματι, sive incuriae librariorum tribuere velis, nam pro *X kal.* in aliquo exemplari *VII kal.* reperiri tradunt, quae nota foret anni p. i. 4741, aer. vulg. 28, idemque error, in quo Cyprianus (62), Prosper (115), Victorius Aquitanus (120), aliique fuerunt, ergo, quod dies, sive X, sive VII cal. apr. in his locis legatur, non hoc dubios esse licet de anno, cui Lactantius Christi mortem adscripsit, quippe qui tribus certissimis characteribus ab ipso signatus est.

66 *Eusebius Pamphili.* An. CCCXV. Notae, quibus is in suo Canone tempora consignavit, sunt anni Abrahae, olympiades, et anni principatuum. Ut eius mentem assequamur, ita de his annis, sive quos notis consignavit, sive quos verbis enuntiavit, sentiendum est. In Canone annis Abrahae initium fieri, ut nobis quidem videtur (14), die neomeniae thoth fixi, procul dubio post mediam aestatem et ante medium autumnum, horumque primum esse illum, qui incepit intra annum p. i. 2697. Annos olympicos recte positos, nullumque in his esse πρόληψιν, ne illam quidem, qua ipsorum principia ad principia annorum Abrahae, intra quos inceperunt, retroagerentur, sed principia haec esse circa solstitium, annumque Abrahae 1241 esse, cuius aestate et prima olympia acta fuerunt, et olympiadum exordia, ut oportebat, Eusebius constituit. Principatuum annos ita computari, ut eorum notae respondeant annis Abrahae, intra quos inceperunt, itaque ut, si ad ipsas notas spectes, eum his Abrahae annis ex toto componi videantur, re tamen vera ex prima dumtaxat sui parte, ex altera autem cum anno Abrahae proxime insequente. Hanc esse totius Canonis rationem, cui quae minus consonare videntur, ea non esse nisi ipsius Eusebii aut Hieronymi, qui Canonem latinum fecit, noxit, atque ex aliqua parte refixit, παροράματα, vel librariorum errori deberi, quamque qui probe tenebunt, intelligent iurene an iniuria quaedam, quae in Canone leguntur, sive μεταχρονισμοῖς, sive προχρονισμοῖς, adnumerari solent. Rem sic se habere, ut dixi, luculenter demonstrator hoc argumento, quod, ut nihil certi contra dici potest, ita, si ea sic se habeat, valde pauciora in Canone deprehendentur, quae aut non suo loco posita, aut non suo tempori adscripta videantur, quam si secus; quod, puto, de facili iis probavero, qui tabellam infra (73) positam attente consideraverint. Praestat tamen θετικὰ insuper argumenta proferre ad ea, quae adseveravi, confirmanda. Ac de annis quidem Abrahae dictum iam est; restat dicere de annis principatuum atque olympiadum.

67 Ab Eusebio computari principatuum annos ea, quo dixi, modo manifesta ratione conficitur. Etenim decessorum interitus initium principatuum plerumque est, inque unum eumdemque diem utraque incidunt. Verum, si ad gesti principatus annos spectes, licebit decessoris mortem postremo horum annorum, primo autem successoris exordia consignare; sin ad civiles annos, utrumque uni atque eidem anno adscribendum in chronicis necessario est. Neque enim quod ad hunc locus est aut esse potest illi rationi numerandi principatuum annos, qua horum principium ad principium anni civilis retroagitur, quaeque in communi usu utique obtinuit, atque adeo apud historicos, obtinere tamen nequit in chronicis, in quibus singula illi diei, quo gesta sunt, aut evenere, adscribantur oportet, idque ita, ut annorum summa colligi queat. Iam vero Eusebius postremae notae annorum, quibus quis imperium obtinuit, huius mortem adscripsit, primae autem successoris exordia, siquidem is illi continuo successit, ita tamen ut nota illa postrema priori, prima haec posteriori uno Abrahae respondeat. Nisi ergo postremum decessoris et primum successoris annum imperii ita, ut dixi (66), computasset, dicendus foret duorum, quae simul contigerunt, alterum uni, alterum alteri anno adscripsisse. Ex his apparet, ut, quum Eusebius aliquid in Canone narrat, simulque expresse ait id factum esse hoc illove anno principatus alicuius, verbi gratia, *anno secundo Aeschyli, anno decimoquinto Tiberii, anno decimonono Diocletiani*, minime ex hoc consequatur loqui ipsum de eo anno, qualis, si ad annum Abrahae, quocum eius nota componitur, attendamus, esse videtur; non, inquam, consequitur loqui Eusebium de illo Abrahae anno, cui eam notam adscripsit, et quo principatus annus hac nota signatus incepit, quum forte anno Abrahae insequente, intra quem exiit, contigerit illud,

[1]) De mortib. persecutor. c. 2.

quod ipse Eusebius narrat. Neque secus sentiendum de illis, quae sive e regione notarum, quibus huiusmodi principatuum annos consignat, sive infra eas scripsit; non enim ex hoc efficitur haec contigisse intra illum Abrahae annum, cui nota anni principatus respondet, quum eadem sit horum ratio, atque eorum, de quibus proxime loquuti sumus. Unum praeterea quod ad imperiorum annos advertere habemus. Si, ut plerumque evenit, annus decessoris postremus primusque successoris intra eumdem Abrahae annum inceperunt, huic Abrahae anno duplex nota fuisset adponenda. Hoc Eusebius numquam fecit. Hinc illud, ut quibusdam regibus aut imperatoribus pauciores gesti principatus anni ab Eusebio tribui videantur, quam vulgo tribui soleant, illorumque obitus, non ultimo, sed paenultimo horum annorum adscribi. Id factum videre est, verbi gratia, in annis imperii Augusti. Cui tamen incommodo ab Eusebio ipso prospectum est, quum initio singulorum principatuum, quot quisque annos mensesque imperium obtinuerit, adnotavit. Quare huiusmodi loci ita sunt interpretandi, ut princeps mortuus dicatur post impletum illum principatus annum, cuius notae adscriptus ipsius obitus est. Excipere oportet imperium Iulii Caesaris, qui etsi a proelio pharsalico non totum quadriennium illud obtinuerit, quintus tamen eius annus in Canone adnotatur; id autem vix dubitare est ideo factum esse, quia in Iulii Caesaris annis numerandis Eusebius Syrorum morem sequutus est aeramque iolianam Antiochenorum, quae quum inceperit autumno anni p. i. 4665, annus eius quintus tunc ibat, quum idib. mart. an. p. i. 4670 Caesar fuit interemptus. Annorum quoque imperii Augusti initium ducitur in Canone otique ab anno Abr. 1974, intra quem a. d. XIV kal. mai. Octavianus imperator est renuntiatus, ab eo tamen die, a quo anni aerae Augusti initium capiebant in Oriente, hoc est a neomenia mensis dii, ita ut primus Augusti imperantis annus in Canone ille sit, qui incepit autumno anni p. i. 4670. Id necessario consequitur ex notis, quibus ortus Christi consignatur (86), nisi tamen contendere velis, quod nemini, puto, probaveris, Eusebium imperii Augusti annis initium cum Romanis fecisse kal. ianuar., vel in ea fuisse sententia, ut crederet diem Christi natalem incidisse inter XIV kal. mai. et diem neomeniae thoth, neque enim alio ille pacto adfirmare potuisset Christum natum esse anno Abr. 2015, imperii Augusti XLII, a Cleopatrae morte 28. Ast annos imperii Tiberii ea ratione numerari, qua diximus, Eusebius ipse luculentissimo argumento confirmat, narrans in *Historia ecclesiastica* [1]), ut quartum Tiberii consulatum cum septimo Tiberii anno concucurrerit. Quartum consulatum Tiberius gessit anno p. i. 4734, quare, ut huius anni initio annum imperii septimum is adhuo ageret, imperii eius annos ab ipso die, quo Augusto successerat, initium cepisse oportet; nam si idem his atque annis Abrahae foret principium, non septimus sed octavus imperii annus ivisset, quum ille consulatum quarto inivit.

68 Nunc venio ad Eusebii olympiadas. Harum exordia recte in Canone posita esse affirmavi. Etenim prima olympia acta sunt aestate anni p. i. 3938, primus annus olympicus in Canone respondet anno Abr. 1241. A die neomeniae thoth fixi ao. p. i. 2697, quo die primus Abrahae annus incepit, ini numerum annorum 1241, desinet hic numerus in diem pridie neomeniae thoth an. p. i. 3938. Sunt, quibus Eusebius videtur uno anno citius, quam rei veritas ferat, olympiadum exordia posuisse, saltem principium annorum olympicorum retroegisse ad principium annorum Abrahae, quorum aestate illi incipiebant. Facile tamen quisque mihi illud dederit, de Eusebio nil tale suspicari oportere, nisi certis argumentis, quae si desint, recto ab eo annos olympicos computari putandum esse; eo autem vitio eius computationem, si fieri potest, procul dubio esse liberandam. Quid vero, quod neque ϑετικον argumentum desideratur evinceus olympicis annis suum sibi proprium ipsorum locum ab Eusebio esse adsignatum? Nam in octavo libro *Demonstrationis evangelicae* ait Hierosolymam a Pompeio captam fuisse anno 1 olympiadis CLXXIX. Atqui capta fuit, ut Iosephus memoriae prodidit, *obsidionis mense tertio, die ieiunii, olympiade CLXXIX, C. Antonio M. Tullio Cicerone coss.* [2]), qui consulatum gesserunt anno U. C. 691, p. i. 4651, quo anno incepit annus 2 olympiadis CLXXIX, et quidem ante quam Hierosolyma caperetur; ast Eusebius minime animadvertit diem illum *ieiunii*, qui in autumnum ineuntem incidebat. Sed argumenta expendamus, quibus Eusebii olympiadibus illa προληψις affingitur, iis tamen demptis, quae falsa esse manifestum est, verbi gratia, quod in Canone Antiochus Sidetes dicatur Hierosolymam obsedisse olympiade CLXII, quum pontificatum gereret Simon, qui tamen constat anno 1 olympiadis CLXI fuisse interemptum.

69 Temporis spatium, quod, sive in prima totius operis parte, sive in ipso Canone chronico, sive in huius praefatione, intercessisse dicitur inter Troiam captam primamque olympiadem, non satis momentum est, ex quo annos Abrahae certo definiatur, intra quem prima olympia acta fuerunt,

[1]) H. E. L. I. c. 9. [2]) Bell. L. I. c. 7. § 4; Antiq. L. XIV. c. 4. § 3.

discrepantibus enim exemplaribus non omnino liquet, utrum anni 405, an 406, intercesserint. Adde, quod, ut Pontacus testatur, in omnibus latinis exemplaribus primus annus olympicus componitur cum anno Abr. 1241; quare, si unius anni προληψις esset in olympiadibus Canonis, aestas anni Abr. 1241 ea esset, quae fuit anno p. i. 3937, non autem 3938, ex quo consequeretur ipsam annorum Abrahae seriem, atque adeo totam historiam in Canone descriptam, unius anni προχρονισμῳ laborare.

70 Primae olympiados nota in Canone edito a Scaligero, sive is ita factum repererit in aliquo codice, sive ipse fecerit, adscripta est anno Abr. 1241, in armeniaco Canonis exemplari anno Abr. 1240, in aliis inter utriusque anni notas; quam discrepantiam levi negotio sublatum iri cuiquam fortasse videatur, siquidem Eusebius dicatur olympiadum notas ita adscripsisse, ut appareret non idem harum annis atque annis Abrahae initium ab ipso fieri, sed illud, quo anni olympici suis sibi terminis continerentur, qui sunt aestate ineunte, primum autem annorum olympicorum poni illum, qui incepit aestate anni Abr. 1240, exiitque in aestatem anni 1241, hoc est, qui fuit inter aestates ineuntes annorum p. i. 3937 et 3938, ex quo προληψις illa unius anni exsistat necesse est. Illud autem re ipsa exsistere testimonio interpretis Armeni porro confirmari putabis, eo quod non alio pacto dici posse videatur, ut legimus in huius exemplari, Christus mortuus anno 4 olympiadis CCII, imperii Tiberii XIX, qui incepit anno Abr. 2048. Verum animadverte, ut Eusebius neque anno Abr. 1240, neo 1241, olympicos ludos primo commissos dicat, sed ita loquatur: *Aeschyli Atheniensium iudicis* SECUNDO *anno prima olympias acta.* Verba autem ipsa Eusebii attendere oportet, ut eius mentem assequamur, non locum, in quo olympiadis nota posita est, alium in aliis exemplaribus. Annus secundus magistratus ab Aeschylo gesti incepit anno Abr. 1240, exiit anno 1241. Eusebius minime dicit prima olympia acta anno illo secundo *ineunte*, sed solum *secundo anno*, proinde primae olympiados notam eo loco ponere oportuit, ut secundi huius anni notae ea responderet, quemadmodum cetera omnia in Canone iis principatuum annis adscripta sunt, intra quos contigerunt, neque tamen, ut superius animadvertimus (67), ex hoc consequitur illam notam respondere anno Abr. 1240, intra quem secundus annus muneris ab Aeschylo gesti initium habuit. De annorum autem notis, quibus in codice armeniaco Christi mora consignatur, quaestio erit inferius (75). Ceterum, quod in hoc exemplari nota primae olympiados in eodem versu cum nota anni Abr. 1240 collocata sit, non hoc necesse est Armenum interpretem erroris insimulare; non enim ibi eam posuit, veluti prima olympia hoc Abrahae anno acta crederet, sed quia acta fuerunt *secundo anno Aeschyli*, qui annus quum inceperit anno Abr. 1240, utriusque anni nota, ut fit in omnibus Canonis exemplaribus, coniunctim scribenda fuit.

71 Pascha, quod Christo supremum, quoque ipse in crucem actus fuit, in omnibus latinis Canonis exemplaribus anno XVIII imperii Tiberii fuisse dicitur, proinde anno Abr. 2047, quum is Augusto successerit aestate anni Abr. 2030. Quum ergo Eusebius Christum mortuum dicat anno 4 olympiadis CCII, liquet, inquiunt, pascha anni primi olympiadis primae non aliud esse posse, quam quod fuit anno Abr. 1240, ut non modo unius anni προληψις in Eusebii olympiadibus deprehendatur, sed aliam praeter hanc, qua primo annorum olympicorum idem sit principium, ac ipsi anno Abr. 1240. Verum non est, cur ex huiusmodi ratione hanc potius προληψιν colligamus, quam quod annus ille XVIII imperii Tiberii contra Eusebii mentem in latina exemplaria receptus fuerit; qua de re infra (75) disputabimus.

72 Constantini vicennalia Paulino et Iuliano coss., anno p. i. 5038, aer. vulg. 325, olympiadis CCLXXVI anno 1, intra autumnum celebrata esse constat. Annus imperii Constantini XX respondet anno Abr. 2343, intra quem incepisse dicendus est. Ab aestate anni Abr. 1241 ad aestatem anni Abr. 2343 sunt anni olympici 1102, ita ut autumno anni Abr. 2343 iret olympiadis CCLXXVI annus 3, nec modo illa duplex προληψις (71) deprehendatur, sed integri biennii προχρονισμος, quem tamen, quod sciam, nemo adhuc Eusebio affinxit. Verum mirari subit haec viris vel eruditissimis non satis visa esse, cur faterentur annum illum 2343 ex annorum Abrahae summa, ad id, ut talis haec esset, qualem Eusebius collegit, esse expungendum. Nec minus mirari est, quod illud cuiquam veri simile videri potuerit, vel Eusebio, quum scriberet, incompertum fuisse, quinam olympicorum annorum tunc iret, vel, siquidem compertum habebat, non huic anno res, quae intra hunc gestae fuerant, sed insequenti aut alteri adscribere ipsum voluisse. Adde, quod post annum XIII imperii Commodi exemplaria mire discrepent, quod ad annos, quibus sive imperiorum exordia, sive supremi imperatorum dies consignantur. Ad haec ipse annus XX imperii Constantini in quibusdam exemplaribus respondet anno Abr. 2343, in aliis 2342, in aliis 2341, in aliis denique 2340. Quid vero, quod a fine anni p. i. 4905, quum Commodus vita decessit, ad finem anni p. i. 5038, cuius autumno Constantini vicennalia fuerunt, anni numerentur 133, ab anno autem Abr. 2209, intra quem Commodo decedente huius

successor imperium accepit, ad annum Abr. 2343 pauciores anni esse nequeant, quam 134? Sed, quod rem prorsus conficit, testimonium est Aniani et Panodori, quod Syncellus retulit [1]), Eusebium adlatrantium, eo quod *ab Abraham ad vicennalia usque Constantini in extenso opere tempus collegit annorum ͵βτμβ' ĪĪCCCXLII*. Quibus positis, non est, cur Pontaci argumentis respondeamus, quibus, non Eusebii, sed Hieronymi ratiocinia quaenam fuerint, efficitur; Hieronymus autem annorum summae ab Eusebio collectae unum annum adiecit, id quod Vallarsius satis demonstravit. Is ipse nihilominus, quod sane mireris, ductus Hieronymi auctoritate, id est argumento petito ex annorum olympicorum summa, quam Hieronymus collegit usque ad annum XIV imperii Valentis, ipso Valente VI Valentiniano II coss., an. p. i. 5091, aer. vulg. 378, contendit ipsis annis olympicis in Canone idem esse principium ac annis Abrahae, quorum postremis mensibus re ipsa inceperunt. Ast in Eusebii Canone pro anno Abr. 2343 restitue annum 2342. Ab huius anni fine, id est, ab affecta aestate anni p. i. 5039, aer. vulg. 326, numerum ini annorum 52, quot fuere ad affectam aestatem anni p. i. 5091, aer. vulg. 378, Valente VI Valentiniano II coss.; fiet summa annorum Abrahae 2394, non autem, ut Hieronymus scripsit, 2395, proinde annorum olympicorum summa ab eo posita uno anno minuenda erit, scribendumque *MCLIV* pro *MCLV*. Iam vero, si primus annus olympicus incepit circa solstitium anni Abr. 1241, item circa solstitium anni Abr. 2394 annus olympicus 1154, videlicet olympiadis CCLXXXVIII annus 2, inceperit necesse est.

73 Ut autem tota haec ratio annorum Canoni adscriptorum in oculis cuique posita sit, deque eius veritate constet, tabellam subiiciam, in quam ex ordine congesta sunt aliqua eorum, quae in Canone leguntur, et in quem annum diemque inciderint, certo constat, praesertim principatuum exordia principumque obitus ab initio imperii Alexandri Macedonis ad diem Commodi supremum. Diem, in quem haec inciderunt, annumque tum periodi iulianae, tum olympiadum, adscripsi, item Abrahae annum, qui tunc ire debebat, posito Abrahae annis initium esse die neomeniae thoth fixi, horumque primum incepisse anno p. i. 2697. Quam tabellam ubi quis cum ipso Eusebii Canone comparaverit, utique pervidebit ut Eusebius ea ratione, qua dixi, annos Abrahae, olympiadum, atque imperiorum, numeraverit, atque inter se veluti conseruerit. Ut autem id certius atque expeditius concludere queamus, ea selegi, in quorum temporibus designandis omnia Canonis exemplaria quae typis edita sunt, concordant, si graecum Scaligeri quod ad nonnulla excipias, annos autem periodi iulianae, Abrahae, et olympiadum, eo ordine disposui, quo alteri ante alteros inceperunt. Difficultatem, quae est ab iis notis, quibus consignatur Iulii Caesaris, Augusti, et Domitiani tempus imperii, iam removimus (17. 18. 67). Quod ad olympia Neronis iussu in annum insequentem dilata, codices discrepant; alii id habent, alii non, alii aliud habent, nec deest, in quo, non anno X imperii Neronis illud adscriptum sit, sed eius mentio fiat, ubi e regione notae anni XII legimus Neronem in olympiis coronam tulisse. Nos igitur utrumque suo quodque anno adsignavimus.

Anni			*Dies mensis vel anni tempus*	**Historia**
Per. iul.	Abr.	Olymp.		
2697 D C	1		Neomen. thoth fixi	Abrahae anni incipiunt.
	1240			
3937 A G			Post solstitium	Aeschyli annus II incipit.
	1241			
3938 F				
		1,1	Circa solstitium	Prima olympia, Aeschyli anno II.
	1681			
4378 B		111,1	Olympiorum diebus	Philippus moritur, Alexandri annus I incipit.

[1]) Chronogr. pp. 35. 36.

4665 A G				
	1969	182,4	Autumno	Aerae iulianae Antiochenorum annus I incipit.
4666 F			Extremo vere	Pompeius victus ad Pharsalum. Initium imperii Iulii Caesaris.
4669 C B				
	1973	183,4	Autumno	Aerae iulianae Antiochenorum annus V incipit.
4670 A			Idibus martiis	Caesar occiditur.
	1974	184,1	Autumno	Octaviani annus I Syris incipit.
4671 G			XIV kal. mai.	Octavianus imperator salutatus. Annus huius imperii I incipit.
4683 F				
	1987	187,2	Autumno	Octaviani an. XIV Syris incipit.
4684 E			XIV kal. mai.	Imperii Octaviani an. XIV incipit.
	1988	187,3	Neomen. thoth fixi	Cleopatrae annus XXII et aerae Augusti aegyptiacae annus I incipiunt.
			Autumno inito	Cleopatra moritur.
4725 C B				
	2029	197,4	Autumno	Augusti an. LVI Syris incipit.
4726 A			XIV kal. mai.	Imperii Augusti an. LVI incipit.
	2030	198,1	Autumno	Augusti an. LVII Syris incipit.
4727 G			XIV kal. mai.	Imperii Augusti an. LVII incipit.
		198,2	XIV kal. septembr.	Augustus moritur, Tiberii annus I incipit.
	2052			
4749 A G		203,4	XIV kal. septembr.	Tiberii an. XXIII incipit.
	2053			
4750 F			XVII kal. april.	Tiberius moritur, Caligulae annus I incipit.
		204,3		
	2056			
4753 C B			XVII kal. april.	Caligulae an. IV incipit.
		204,4		
	2057			
4754 A			IX kal. februar.	Caligula interimitur, Claudii annus I incipit.

4767 F	2070	208,1	IX kal. februar.	Claudii an. XIV incipit.
	2071	208,2	III id. octobr.	Claudius moritur, Neronis annus I incipit.
4777 A G				
4778 F	2081	210,4	III id. octobr.	Neronis an. XI incipit.
4779 E	2082	211,1	Aestate ineunte. III id. octobr.	Olympia non sunt acta. Neronis an. XII incipit.
4780 D	2083	211,2	Aestate ineunte III id. octobr.	Olympia acta; Nero in his coronatur. Neronis an. XIII incipit.
4781 C B	2084	211,3	III id. octobr. III id. iun.	Neronis an. XIV incipit. Nero sibi mortem consciscit.
4782 A	2085	211,4		
4783 G	2086	212,1	kalend. iul.	Vespasiani an. I incipit.
	2087	212,2	kalend. iul. kalend. septembr.	Vespasiani an. II incipit. Hierosolyma capta anno II imperii Vespasiani.
4791 D	2094			
4792 C	2095	214,2	kalend. iul.	Vespasiani an. X incipit.
			VIII kal. iul.	Vespasianus moritur, Titi annus I incipit.
4794 G	2097	214,4	VIII kal. iul.	Titi annus III incipit.
	2098	215,1	idibus septembr.	Titus moritur, Domitiani annus I incipit.
4809 C B	2113	218,4	idibus septembr. IV kal. octobr.	Domitiani an. XVI incipit. Domitianus occiditur, Nervae annus I incipit.

4810 A		219,1		
4811 G	2114		IV kal. octobr. VI kal. febr.	Nervae an. II incipit. Nerva moritur, Traiani annus I incipit.
		223,4		
4830 D	2133		VI kal. februar.	Traiani an. XX incipit.
		224,1	IV id. aug.	Traianus moritur, Hadriani annus I incipit.
	2153			
4850 G		229,1	IV id. aug.	Hadriani an. XXI incipit.
4851 F	2154	229,2	VI id. iul.	Hadrianus moritur, Antonini annus I incipit.
	2176			
4873 G F		234,4	VI id. iul.	Antonini an. XXIII incipit.
4874 E	2177		nouis mart.	Antoninus moritur, M. Aurelii annus I incipit.
		239,3		
4893 C B	2196		nonis mart. kalend. april.	M. Aurelii an. XX incipit. M. Aurelius moritur, Commodi annus I incipit.
		242,3		
4905 B A	2208		kalend. april.	Commodi an. XIII incipit.
	2209	242,4	prid. kal. iannar.	Commodus occiditur.

74 Eo tandem perventum est, ut certius assequi liceat, quaenam Eusebio sententia fuerit de terminis vitae Christi. Natum hunc dicit anno Abr. 2015 [1]), quum *iam agebatur* δευτερον και τεσσαρακοστον ἐτος *annus secundus et quadragesimus imperii Augusti, a subacta autem Aegypto et ab interitu Antonii et Cleopatrae . . .* ὀγδοον ἐτος και εἰκοστον *octavus et vicesimus annus* [2]). Annus Abr. 2015, a morte Cleopatrae 28, incepit die neomeniae thoth an. p. i. 4711, annus autem imperii Augusti XLII autumno proxime insequuto (67). Si fides esset, satis enim caussae sunt, cur putetur non esse, Chronico palatino [3]), Anastasio Nicaeno [4]), Isaaco Armeno [5]), et quibusdam graecorum codicum ἀποσπασματιοις [6]) Eusebii nomine inscriptis, pro explorato illud haberemus, Christi natalem diei VIII kal. ianuar. ab Eusebio fuisse adscriptum. Profecto non est, cur suspicemur Eusebio secus hac de re fuisse sententiam, ac illi aetati fuit, ut Christum ortum crederent alii VIII kal., alii VIII

[1]) Chronic. PP. I et II. [2]) H. E. L. I. c. 5. [3]) In *Mai* Spicileg. roman. T. IX. p. 120. [4]) Quaest. XCIII. [5]) In Armen. Invectiv. I. c. 2 ap. *Combefis.* Hist. Monothelit. [6]) Ap. *Combefis.* ib. in *Isaaci* Invectiv. I. not. 4, et *Ducangium* Chronic. pasch. p. 421.

id. ianuar. Constat Christi baptismum ab eo relatum esse in annum XV, ex quo Tiberius Augusto demortuo in imperium successerat. Ilio annus XV incepit a. d. XIV kal. sept. an. p. i. 4741, quum iam in exitu esset annus Abr. 2044. At non ideo Eusebius dicendus est Christum hoc Abrahae anno baptismo tinctum putasse; numquam enim id dixit, neque ad Christi baptismum, sed *in praesentem annum, hoc est, XV Tiberii Caesaris* annos Abrahae colligi 2044, videlicet annum hunc Abr. 2044, inceptum anno XIV principatus Tiberii, post hunc, anno, inquam, XV, exiisse summamque annorum 2044 impletam esse, intra hunc ipsum autem annum XV, hoc est, inter diem XV kal. sept. an. p. i. 4741, interque diem 14 kal. sept. an. p. i. 4742, Christum a Ioanne in Iordane ablutum esse. Quo autem anni tempore, Eusebius non dixit, nisi quod ex notis, quibus diem Christi emortualem consignavit, consequitur aliquammulto tempore post diem paschatis accidisse, attamen secundum ipsius Eusebii ratiocinia.

75 Nunc quaerendum, quo anno Christi mortem Eusebius consignaverit. In Canone haec leguntur: *Τεκμηριον δ' ἀν γενοιτο του κατα τοδε το ἐτος πεπονθεναι τον σωτηρα ἡ του κυριου κατα Ἰωαννην εὐαγγελιου μαρτυρια, ἡτις μετα το ιε' ἐτος Τιβεριου τριετη χρονον της διδασκαλιας αὐτου διαγενεσθαι μαρτυρει* [1]); quae Hieronymus ita vertit: *Argumentum autem huius rei, quod Salvator isto anno passus sit, evangelium praebet Ioannis, in quo scribitur,* POST *decimum quintum annum Tiberii Caesaris tribus annis Dominum praedicasse.* Annus hic XV exiit in a. d. XV kalend. septembr. an. p. i. 4742; triennium igitur inde ductum exierit necesse est in a. d. XV kal. sept. an. p. i. 4745. At Christus die festo paschatis mortem obiit. Liquet ergo illum *τριετη χρονον*, illud *triennale tempus*, vel quinque mensibus minuendum, vel septem augendum. Verbum *διαγενεσθαι* credere suadet integrum fuisse illud triennium; sed id minime urgebo. Quare ex his Eusebii verbis hoc unum colligimus, Christi obitum secundum illius sententiam adscribendum esse anno p. i. 4745 vel 4746, frustraque esse eos, qui ex his certo effici contendunt, non alio anno quam p. i. 4745 Christum mortuum dici ab Eusebio. Sed frustra ii quoque forent, qui non alio anno, quam 4746, efficere vellent ex aliis, quae leguntur sive in *Demonstratione evangelica*, sive in *Historia ecclesiastica.* Illa ita sunt: *Ἱστορειται δε ὁ πας της διδασκαλιας και παραδοξοποιιας ὁμου του σωτηρος ἡμων χρονος τριων ἡμισυ γεγονως ἐτων. Narratur autem omne tempus doctrinae atque editionis miraculorum Salvatoris nostri simul trium annorum et semis fuisse* [2]). Haec autem ita: *Ἀρξαμενου μεν κατα την του Ἀννα ἀρχιερωσυνην, μεχρι δε της ἀρχης του Καιαφα παραμειναντος, οὐδ' ὁλος ὁ μεταξυ τετραετης παριστασαι χρονος. Cum ergo ab Annae pontificatu exorsus ad Caiphae pontificatum docere perstiterit, non integrum hoc intervallo quadriennium continetur* [3]). Neutro ex loco aliud consequitur, quam quod ex loco illo Canonis, Christum mortuum alterutro anno p. i., vel 4745, vel 4746. Non enim ille *πας χρονος τριων ἡμισυ γεγονως ἐτων*, neque ille *οὐδ' ὁλος τετραετης χρονος* a fine anni XV imperii Tiberii initium capere dicitur, sed solum hoc spatio tempus *της του σωτηρος ἡμων διδασκαλιας* contineri. Fac ergo Christum docere coepisse anno imperii Tiberii XV ineunte, id est, extrema aestate anni p. i. 4741, Christi mors in diem festum paschatis an. p. i. 4745 incidisse dicenda erit, anni autem 4746, si anno illo XV exeunte postque dies paschatis anni p. i. 4742 Christus docere coepit. Sed utro tandem anno Eusebius Christi mortem consignasse dicatur? Huius solutio quaestionis ex alterius solutione dependet, utrum Eusebius in Canone scripserit anno XVIII, an anno XIX, imperii Tiberii Christum obiisse. Annus XVIII nullo alio argumento sese probat, quam quod latina Canonis translatio ab Hieronymo conscripta suggerit, cuius translationis *γνησιοτητα* quod ad hunc locum demonstrandam non equidem in me reciperem; quod autem petitur ex illis verbis proxime insequentibus, *Argumentum autem huius rei et ceteris*, quid valeat, iam paullo ante demonstravimus. Ast Eusebium *ιθ'* XIX scripsisse, non *ιη'* XVIII, testis est Syncellus, qui ipsa graeca Eusebii verba nobis servavit [4]), testis est armenus Canonis interpres, testis Samuel Armenius [5]), testis Anastasius Bibliothekarius [6]); quibus Cedrenum, Maximum, scriptorem *Chronici paschalis*, scriptorem *Chronici urbinovaticani de Incarnatione* [7]), Nicephorum Callistum, Abulfaragium, fortasse Basilium Seleuciensem, adnumerare non dubitem, ut qui annum illum imperii Tiberii XIX, cui Christi mortem adscripsere, ab Eusebio accepisse iure creduntur; quod ad Cedrenum tamen lege, quae de ipso dicemus (200). Neque enim apud Syncellum legitur nota *ιη'*, sed *ιθ'*, quarum primam pro secunda Vallarsius et eum sequutus Aucherius Eusebii verbis a Syncello relatis intruserunt, eo fortasse decepti, quod Goarus illi paginae Chronographiae Syncelli notam *ιη'* in margine ex coniectura adposuerit. Apud ipsum quidem Syncellum haec legimus: *Eusebius Pamphili ab Adami conditu ad*

---

[1]) Ap. *Syncell.* Chronograph. p. 325. [2]) Dem. ev. L. VIII. p. 400. [3]) H. E. L. I. c. 10. [4]) Chronograph. p. 324. [5]) In Canone. [6]) Chronolog. ms. in Biblioth. vatic. [7]) Ap. *Schelestrate* Antiquit. eccles. T. I. Append. n. 3.

ortum Abrahae . . . annos ,γφπδ' *$\overline{III}$CLXXXIV numeravit. . . . Et ab Abrahae rursum exortu usque ad salutarem crucem et vivificam resurrectionem annos* βμη' *$\overline{II}$XLVIII collegit. . . . Annorum igitur ab Adami conditu omnium collectio . . . ex Eusebii calculis annos* ,εσλβ' *$\overline{V}$CCXXXII reddit* [1]). In armeniaco quoque Canonis exemplari Christi mors adscripta est anno Abr. 2048. Ex his consequi videtur Eusebii sententiam esse Christum anno Abr. 2048 obiisse. Atqui huius anni pascha illud fuit, quod actum est, non XIX, sed XVIII anno imperii Tiberii. Attamen haec nihili sunt. Ut enim in alio loco monuimus, ipsa Eusebii verba attendere magis oportet, quam notarum situm. In exemplari autem armeniaco expressis verbis dicitur Christus mortuus *anno XIX Tiberii*; quumque constet de modo, quo principatuum anni, atque adeo ipsius imperii Tiberii (67) in Canone numerantur, liquet haec e regione notae anni Abr. 2048 scripta esse, non quod ad hunc Abrahae annum pertineant, sed ad annum principatus Tiberii XIX, cuius nota cum nota illius anni Abrahae ideo componitur, quia hic principatus Tiberii annus intra illum incepit. Quod ad Syncellum attinet, vel is ea notarum compositione deceptus est, quum minus intellexerat, vel exprimere voluit annorum summam inter Abrahae annos 1 et 2049 interiectam. Sed, quod defendimus, plene evincit anni olympici, quo Christum obiisse Eusebius putavit, designatio. Hic annus in omnibus omnino Canonis exemplaribus inque eorum libris, qui haec Canonis verba retulerunt, est 4 olympiadis CCII. Annus iste finem habuit medio anno p. i. 4746, aerae vulgaris 33, quum adhuc iret annus principatus Tiberii XIX. Ut vincas Christum secundum Eusebii opinionem anno huius principatus XVIII mortuum esse, vincere prius debes πρόληψιν ab Eusebio fuisse admissam in annos olympicos Canoni adscriptos. Alia argumenta, quibus quidam hanc πρόληψιν defenderunt, omnia iam dissolvimus (68). Hoc unum supererat petitum ex nota anni XVIII principatus Tiberii, quam exhibet Canon a Hieronymo latinus factus. Atqui nota haec anni XVIII ipsa argumentis opus habet, quibus nobis sese probet; nullum autem aliud est nisi ipsa πρόληψις, quae esse ponitur, annorum olympicorum. Quid huiusmodi argumentatio peccet, neminem, qui artem λογικὴν vel a limine salutaverit, latere potest. Ne itaque dubites illa προλήψει reiecta accipere notam ιθ' XIX atque concludere Eusebii sententiam hanc esse: Christum obiisse die festo paschatis, anno imperii Tiberii XIX, Abrahae 2049, olympiadis CCII anno 4, periodi iulianae 4746, aerae vulgaris 33, proinde, si ad lunae rationes attendas, a. d. III non. april., qui dies illo anno incidit in feriam VI, sin ad eos dies, quibus Christi mortem adscribere mos fuit, a. d. XIII aut VI kal. april.

76 ***Athanasius.*** An. CCCXXVI. Narrationem *de novem insanabilibus morbis Herodis* ita concludit: *Agebat tunc Augustus annum quintum supra quadragesimum, consule Sylvano, octavo kalendas ianuarias* [2]); quae aliud designare nequeunt, quam annum et diem Christi natalem. Annus imperii Augusti XLV erat annus p. i. 4715, aer. vulg. 2; at Augustus et Sylvanus simul consulatum gesserunt an. p. i. 4712, imperii ipsius Augusti XLII, notaque haec altera Athanasii sententiam exhibere iure creditur. Quod ad diem Christi natalem consonant his testimonia Euthymii [3]) et Isaaci Armenii [4]) aientium traditum esse ab Athanasio *Deiparam vicesima quinta martii fausta nuntia Gabrielis ore accepisse.*

77 ***Fasti consulares.*** An. CCCLIV. Hos e bibliothecae caesareae codicibus a Conrado Ianningio exscriptos Norisius publicavit, suisque illustravit commentariis [5]). Anno U. C. 754. qui est p. i. 4714, aer. vulg. 1, haec adscripta in illis leguntur: *Hoc cons. Christus natus est VIII kalend. ian. lun. XV*; anno autem U. C. 782 duobus Geminis cuss., qui est an. p. i. 4742, aer. vulg. 29: *Hoc consule Christus passus est, die solis, luna XIV.* Utraque tamen alia manu, quam eius, qui Fastos descripsit, his inserta esse merito creduntur. Horum enim Fastorum, *qui*, inquit Norisius, *non modo ceteris Idacii, Prosperi, et Cassiodori aliorumque veterum consularibus tabulis antiquiores sunt, verum etiam longe iisdem accuratiores et correctiores habentur*, horum, inquam, auctor non illa peccasset, ut Christo annos vitae XXVII mens. III dumtaxat assignaret, quod tamen et Prosper in speciem peccavit (114), ex cuius exemplaribus, ut nunc sunt, fortasse id in hos Fastos est derivatum, utque diei VIII kal. ianuar. anni U. C. 754 adscriberet lunam XV, quum proximis kalendis ianuar. an. U. C 755 lunam XXIV adscripserit, ut denique Christum *passum* diceret *die solis* idque luna XIV, tametsi, quum huius anni kalendis ianuar. adscripta ab eo fuerit luna XXIII, non potuerit secundum ipsius ratiocinia luna XIV mensis martii alio hebdomadae die esse, quam tertio, mensis autem aprilis luna item XIV non alio, quam quarto.

---

[1]) Chronogr. p. 326. [2]) Ex. Comment. in Matthaeum. [3]) Panopl. L. II. c. 7. [4]) In Armen. Invectiv. I. c. 2.
[5]) Opp. T. II. pp. 595 seqq.

78 *Catalogus pontificum romanorum.* An. CCCLX. Hunc Catalogum, *quem Cuspinianus totum in Fastos suos transtulit*, ut Bucherius ait, item totum, sed continenter, ipse Bucherius postea publicavit [1]). In huno consules, quibus singuli pontifices ecclesiam rexerunt, dies, quo creati suut, aliqua etiam, quae hurum aliqui egerunt, relata leguutur. Ut autem perveutum est ad Liberium, narratio veluti abrumpitur; ita enim scriptor de eu loquitur: *Liberius fuit temporibus Constantii ex die XI kalendas iunias in diem . . . a consulibus Constantio V et Constantio Caesare . . .*; quae indicio sunt huno Catalogum vivo Liberio esse cunscriptum, proinde iuter auuos aer. vulg. 352 et 367. Ipso Catalogi initio haec sunt: *Imperante Tiberio Caesare passus est Dominus noster Iesus Christus, duobus Geminis consulibus, VIII kaleudas aprilis.* Hi cousulatum gesseruut auuo p. i. 4742, aer. vulg. 29. Iu eodem ipso codice, in quo hic Catalogus est, breve quoddam martyrologium reperies, eadem, qua Catalogus, aetate conscriptum, cuius haec prima verba suut: *Octavo calendas ianuarias natus Christus in Bethleem Iudae.*

79 *Hilarus Diaconus.* An. CCCLX. Is, sive quisquis auctur est *Quaestionum veteris et novi testamenti* olim Augustini nomine inscriptarum, qua de re cuusule Mauriuus [2]), hano quaestionem paucis pertractavit: *Quid caussae fuit, ut illo tempore crucifigi se permitteret Dominus, quo octavo kalendas aprilis pascha acturi erant Iudaei* [3]). Eius itaque opinio fuit id cuutigisse anno p. i. 4742 aer. vulg. 29, vel p. i. 4748, aer. vulg. 35; ex annis enim, quibus Christi mors solet cousiguari, hi duo dumtaxat sunt, quibus dies VIII kal. april. incidit iu diem VI hebdomadae.

80 *Epiphanius.* An. CCCLXVIII. Senteutiam suam apertissime is eloquutus est, ut vix alter, sed, quo apertior ea est, eu certius constat Epipbanium pugnantia esse loquutum. Missos faoio consules, quos enumerat, illud inter cetera peccans, ut e duobus C. Fufio Geiuino L. Rubellio Gemino cuss. quatuur faceret duosque consulatus, quorum primum gesseriut *duo Gemini*, alterum *Rufus et Rubellio.* Ipsius itaque verba referam, quidque ex his efficiatur adnotabo. *Primum quidem baptizatus est secundum Aegyptios, ut diximus,* ἀθυρ δωδεκατῃ προ ἑξ εἰδων νοεμβριων *athyr die duodecima VI id. novembr., hoc est,* ἑξηκοντα *sexaginta diebus ante diem epiphaniorum, qui est eius dies natalis secundum carnem, sicut testatur Lucae evangelium, quod* ἠν Ἰησους ἀρχομενος εἰναι ὡς ἐτων τριακοντα *erat Iesus incipiens esse ut annorum triginta, . . . erat enim re vera* εἰκοσιεννεα ἐτων και μηνων δεκα *viginlinovem annorum et mensium decem, quando venit ad baptisma, triginta utique annorum, non tamen plenorum, ideo scriptum est:* ἀρχομενος ὡς ἐτων τριακοντα *incipiens ut annorum triginta. . . . Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, . . . quod primum signum fuit, et implementum triginta annorum ab eius in carne advenientis die natali. In eadem enim ipsius die secundum carnem natali rursus invenitur fecisse primum signum aquae in vinum conversae simul ac impleverat triginta annos* [4]). *Non duo dumtaxat paschata commemorant evaugelia, sed duo quidem prima, tum illud, quo Salvator passus est, tria inquam paschata toti illi praedicationis tempori tribuenda. Etenim statim, ut a Iordane digressus est, ut Lucas ait,* ἠν ὁ Ἰησους ἀρχομενος εἰναι ὡς ἐτων τριακοντα *erat Iesus incipiens esse ut annorum triginta. . . . Anno enim* τεσσαρακοστῳ δευτερῳ *quatragesimo secundo Augusti Romanorum imperatoris natus est Salvator. . . . Octavio Augusto XIII et Silano consulibus* [5]). Ἐν τῳ τριακοστῳ τριτῳ ἐτει της αὐτου ἐνσαρκου παρουσιας πασχων *tricesimo tertio eius in carne praesentiae passus. . . . Quocirca post eos consules, qui in annum illius tricesimum incidunt, par aliud consulum sequitur duorum Geminorum, deinde Rufi et Rubellionis, quibus successere consules Vinicius et Louginus Cassius, sub quibus Salvator passus est* τῃ προ ιγ´ *die XIII kalend. april. Ex quo illorum omnium convincitur error, et certissima veritatis doctrina monstratur, non duo solum in scripturis paschata, sed tria reperiri* [6]). *Quum enim ianuario mense natus esset,* τουτεστι προ ὀκτω εἰδων ἰαννουαριων, ἡτις ἐστι κατα Ῥωμαιους πεμπτῃ, voluit dicere ἑκτῃ, του ἰαννουαριου μηνος, κατα Αἰγυπτιους τυβι ἑνδεκατῃ, κατα Συρους εἰτουν Ἑλληνας αὐδυνεου ἑκτῃ, κατα Κυπριους εἰτουν Σαλαμινιους πεμπτου πεμπτῃ, κατα Παφιους ἰουλου τεσσαρεσκαιδεκατῃ, κατα Ἀραβας ἀλεωμ κα´, κατα Καππαδοκας ἀταρτα ιγ´, κατα Ἑβραιους τιβηθ ιγ´, κατα Ἀθηναιους μαιμακτηριωνος ς´, *hoc est, a. d. VIII id. ianuar., quae est secundum Romanos dies sextus mensis ianuarii, secundum Aegyptios tybi undecimus, secundum Syros seu Graecos audynaei sextus, secundum Cyprios seu Salaminios quinti mensis dies quintus, secundum Paphios iuli decimus quartus, secundum Arabas aleom XXI, secundum Cappadocas atarta XIII, secundum Hebraeos tebeth XIII, secundum Athenienses maemacterionis VI, omnes illos, quos supra recensuimus, vigin-*

[1]) Doctrin. tempor. pp. 269 seqq. [2]) Admonit. in libr. Quaestion. V. et N. T. in *Augustini* opp. T. III. P. I. Append. p. 35. [3]) Quaest. LV. [4]) Haer. LI. § 16. [5]) Ib. § 22. [6]) Ib. § 23.

tinovem integros consulatus percurrit. Sub tricesimo deinde consulatu, φημι δε περι τον δεκατον μηνα *mense inquam decimo, ad Iaannem accessit, ab eoque baptizatus est in flumine Iordane* του τριακοστου ἐτους της ἐνσαρκου γεννησεως τουτεστι κατα Αιγυπτιους ἀθυρ δωδεκατῃ, προ ἑξ εἰδων νοεμβριων, κατα Ἑλληνας διου η', κατα Σαλαμινιους τους και Κωνσταντιαιους τριτου χοιακ ς', κατα Παφιους ἀπογονιστου ις', κατα Ἀραβας ἀγγαλθαβαειθ κβ', κατα Μακεδονας ἀπελλαιου ις', κατα Καππαδοκας ἀρατατα ιε', κατα Ἀθηναιους μεταγειτνιωνος ἑβδομῃ, κατα Ἑβραιους μαρεσουαν ἑβδομῃ, *tricesimo anno nativitatis secundum carnem, hoc est, secundum Aegyptios athyr die duodecima, a. d. VI id. novembr., secundum Graecos dii VIII, secundum Salaminios sive Constantienses tertii choeac VI, secundum Paphios apogonisti XVI, secundum Arabas angalthabaith XXII, secundum Macedonas apellaei XVI, secundum Cappadocas aratata XV, secundum Athenienses metagitnionis septimo, secundum Hebraeos marchesuan septimo* [1]). *Plane quidem annum praedicavit acceptabilem, in quo nemo ei contradixit. Primum enim hunc annum* μετα τριακοστον ἐτος της αὐτου ἐνσαρκου παρουσιας *post tricesimum annum eius in carne praesentiae praedicavit, approbantibus universis, quum nec Iudaei resisterent, nec Gentiles, nec Samaritae, sed dicentem omnes perlibenter audirent. Quo eodem anno Hierosolymam ascendit et cetera.... Post haec exacto primo anno Hierosolymam revertitur et cetera.... Et post haec exacto biennio post baptismi ac nativitatis diem, hoc est, a mense novembri et a mense ianuario, et interiectis aliquot praeterea diebus,* ἐν τῳ τριακοστῳ τριτῳ ἐτει της αὐτου ἐνσαρκου οἰκονομιας *tricesimo tertio anno eius in carne dispensationis, praeteritis iam, quos diximus, consulatibus duobus, et duorum Geminorum, et Rufi ac Rubellionis, tertio demum consulatu, itidemque tertio post ianuarium et februarium mense, hoc est, mense martio, perfecit passionis mysterium impassibile Verbum* [2]). *Passus est* ἐν τῃ προ δεκατριων *a. d. XIII kal. april.... Prosabbaton, luna decimaquarta nocturna* προ δεκατεσσαρων, dicere voluit δεκατριων, *a. d. XIII kal. april.... Resurrectio et aequinoctium* προ ἑνδεκα *a. d. XI kal. april.* [3]). *Hic itaque* μετα το ὑπερβηναι τριακοστον ἐτος, ὁτε ἐβαπτισθη, και μετα το τριακοστον ἐτος κηρυξας πληρεστατον ἐνιαυτον δεκτον *postquam exegerat tricesimum annum, quo baptizatus est, et quum post tricesimum annum praedicasset integrum omnino annum acceptabilem, contradicente nemine, et alterum plurimis contradicentibus interque persequutiones irasque adversariorum, et post alterum hunc annum exactis a die natali, hoc est, epiphaniorum, qui est sextus mensis ianuarii, secundum Aegyptios tybi* ἑνδεκατῃ *undecima,* ἐπι ὁλας ἑβδομηκοντατεσσαρας *in totum septuaginta quatuor diebus, ut diximus, usque ad diem XIII kal. april., et secundum Aegyptios phamenoth* τεταρτῃ και εἰκαδι *vicesimaquarta* ἐτελεσε τριακονταδυο ἐτη πληρεστατα και ἑβδομηκοντατεσσαρας ἡμερας ἀπο ἐπιφανιων, και ἀναστας κατ' Αἰγυπτιους φαμενωθ ἑκτῃ και εἰκαδι ἡτις ἡν ἰσημερια και προ ια' καλανδων ἀπριλλιων *implevit triginta duos annos integros, et septuaginta quatuor dies ab epiphaniis, et resurgens secundum Aegyptios phamenoth sexto et vicesimo, qui est dies aequinoctii et a. d. XI kal, april.* [4]). Refert deinde Epiphanius Alogorum sententiam putantium *Verbum anno Augusti XL natum esse. Quae est,* inquit, *scriptoris hallucinatio, nisi forte binarius extrita litera β' sit expunctus, et ita quadraginta solum anni remanserint.... Addunt XII kal. iulias sive iunias, neque enim certo scio, istud accidisse Sulpitio Camerino et Buteone Pompeiano coss.*, qui fuerunt an. p. i. 4722, aer. vulg. 9. *Quin illud etiam comperi, quod, qui conceptionis diem definire conati sunt, quo Gabriel virgini nuntium attulit, retulerunt opinionem quorumdam dicentium, ut sibi traditum fuerat, natum esse Christum septem post mensibus; invenimus enim* ἀπο τουτου του προποσωνος *a die hoc proposonis*, quae verba mendosa sunt procul dubio, *usque ad XI tybi et VIII id. ianuar., quo vere theophania facta fuerunt, et natus est, septem mensium spatium secundum lunae cursum, demptis quatuor diebus.* Quidquid demum sit monstrum illud mensis προποσωνου, quum septem mensium lunarium spatium colligat dies 207, quatuor inde demptis supererunt 203, quae summa si desinit in diem 6 ianuarii, inceperit die 18 iunii necesse est. *Nonnullis placet decem menses in utero fuisse gestatum, demptis diebus XIV et horas VIII* [5]); qui menses si civiles sint, incarnatio facta fuisset die 21 Martii, sin lunares, die 1 aprilis. Sed ipsius Epiphanii sententiam colligamus.

81 Nihil negotii in eo est, quod Epiphanius in uno loco [6]) Christum natum dicat die 5 ianuarii, in aliis constanter die 6. Nam, praeter quam quod dies VIII id. ianuar., et tybi 11, et andynaei 6, quibus quoque in loco illo primo ortum Christi consignavit, certissimae notae sunt diei 6 ianuarii, fuerunt, ut Stephanus Gobarea [7]) testatur, qui putarent Christum natum esse *media* nocte προ ὀκτω

---

[1]) Ib. § 24. [2]) Ib. § 25. [3]) Ib. § 26. [4]) Ib. § 27. Conf. §§ 28. 30. [5]) Ib. § 29. [6]) Ib. § 24. [7]) Ap. *Photium* Cod. CCXXXII.

εἰδων ἰανουαριων VIII id. ianusr., ita ut ortum Christi diei 5 et 6 huius mensis aeque adscribere liceret, eorumque unus Epiphanius fortasse fuit, idque hinc quoque colligitur, quod is Christum vixisse dicat dies 74 super annos 32, qui dierum numerus est a fine diei 5 ianuarii ad finem diei 20 martii, quo ille die Christum obiisse adfirmavit. En itaque, quae de tempore vitae Chriati Epiphanio senteutia fuit.

Anuo p. i. 4712, Augusto XIII Plautio Sylvano coss. a. d. VIII id. iauuar. Christus nascitur.

Anno p. i. 4741, Ap. Iuuio Sylvauo P. Silio Nerva coss. a. d. VI id. uovembr. Christus baptismo tiuguitur.

Anuo p. i. 4742 C. Fufio Gemino L. Rubellio Gemino coss. a. d. VIII id. ianuar. Christus Canae aquam in vinum transmutat.

Anno p. i. 4744 M. Viuucio et C. Cassio Longiuo coss., ut ipse Epiphanius scripsit, qui tamen scribere debuisset: Ti. Claudio Neroue V Aelio Seiano coss., a. d. XIII kal. apr. Christus mortem obit. Vixit ann. XXXII d. LXXIV.

Missum equidem illud faciam, anuo p. i. 4744, aer. vulg. 31, in diem 20 martii, non lunam XV, sed VIII iucidisse. Nullo tameu pacto accipi potest, siquidem Christus eo anno mortuus est, huius diem emortualem fuisse XIII kal. april., qui dies nou cum sexto hebdomadae die, sed cum tertio concucurrit.

82 *Ephraemus Syrus.* An. CCCLXX. Ait Christum conceptum fuisse mense *xanthico*, ustum meuse *apellaeo* [1], pro quibus graecis nominibus Corderius reddidit *martium* et *decembrem*. Quum ab initio mensis xanthici ad finem apellaei spatium sit uovem mensium, fieri utique potuit, ut Christus conceptus ineunte xanthico apellaeo exeoute in lucem ederetur. Nullus fuit populus, quantum novimus, apud quem mensis apellaeus ultra finem decembris excurreret. Quum ergo illa aetate, qua Ephraemus vixit, duae essent de die Christi natali seutentiae, aliis opiuautibus diem hunc esse VIII kal., aliis VIII id. ianuar., concludere oporteret illis prioribus Ephraemum adseusisse. Verum iu syriscis huius orationibus Christus conceptus dicitur mense *nisan*, natus meuse *conun* [2]. Duo sunt menses, quibus Syri *conun* nomen faciuut, primus decembri, alter ianuario, ex magna saltem parte, respoudens. Huic alteri ab Ephraemo Christi ortum adscribi dieique VIII id. ianuar. iu alio loco [3]) demonstravimus, idque Dionysius Bar Salibi (226) testimouio suo confirmat [4]. Quare, vel graeca illa, quae Corderius in suam Catenam congessit, nou Syri, sed alius Ephraemi opus sunt, vel pro *apellaeo audynaeus* reponeudus. Quod ad diem Christi emortualem nihil Ephraemus Syrus prouuntiavit, ait tamen Christum trigiuta annis vixisse [5]; quare uou dubito huius obitum auuo imperii Tiberii XV ab Ephraemo adscriptum fuisse.

83 *Amphilochius.* An. CCCLXX. In vita Basilii, quam Combefisius Amphilochio auctori attributam edidit, quamque Cave *nugivenduli cuiuspiam opus* esse ait, uatum legimus Christum anno mundi $\overline{V}$D, imperii Augusti XLII, indictioue X, a. d. VIII kal. iauuar., die VI hebdomadae; a Christi autem ortu ad Coustautinum Magnum, hoc est, ut Combefisius adnotavit, ad Coustantini ortum, anuos esse CCLIX [6]. Nota haec postrema, quum a vero longe absit, nulli usui esse potest. Indictio est mundana; quare neque haec nos quidquam docere potest, uisi comperto, quaenam sit mundi aera, quam auctor sequutus est. Quaenam ea sit, inter ceteras notas a scriptore allatas nulla est, ex qua comperiamus, uisi annus XLII imperiri Augusti cum auno ipso mundi 5500 comparatus. Qua ratione Augusti imperantis annos ille supputaverit, hiuc fortasse intelligere est, quod auno huius imperii XLII diem VIII kal. ianuar. cum die VI hebdomadae concurrisse ille dicat. Triplex haec nota in nullum annum congruit, nisi in p. i. 4711, U. C. 751, quo anno dies VIII kal. iannar. incidere debuisset in hebdomadae diem IV, sed propter prave habitas superioribus annis diei bissexti iutercalatioues incidit iu diem VI. Annos ergo imperii Augusti vel a Caesaris uece ductos auctor numeravit, vel certe eodem initio cum annis civilibus Asianorum. Eius igitur sententia fuit Christum natum esse die VIII kal. iauuar. an. p. i. 4711, cuius autumno annus Augusti imperautis XLII Asianis iuceperat.

84 *Apollinaris Laodicenus.* An. CCCLXXIII. *Tricesimo . . . iuxta evangelistam Lucam anno aetatis suae coepit Dominus praedicare, et iuxta Ioannem evangelistam per tria paschata duos*

---

[1]) Ap. *Corder.* Cateo. in Luc. II, 6. [2]) Lege Diss. XXI. n. 31. [3]) Ib. [4]) Ap. *Asseman.* Biblioth. orient. T. II. p. 163. [5]) Serm. XIII in Natal. Opp. syriacor. T. II. p. 432. [6]) In vita Basilii p. 164.

postea implevit annos [1]). Ex quibus hoc unum consequeretur, Christum mortem obiisse intra vitae annum 32 aut 33.

85 *Ambrosius.* An. CCCLXXIV. Huic auctori opus de *Excidio hierosolymitano* attribuunt Mazochius [2]) et Gallandus [3]), quibus subscribere minime dubitem. In illo autem opere Hierosolyma eversa dicitur *anno quadragesimo secundo post passionem Domini* [4]). Id accidit kal. septembr. an. p. i. 4783. Quare circa diem paschatis, quod hoc anno actum fuit, annus ille XLII incepit, proinde annus I die paschatis an. p. i. 4742, aer. vulg. 29. Hoc igitur anno Christum mortuum esse Ambrosius putavit.

86 *Hieronymus.* An. CCCLXXVIII. *Veteres revolvamus historias*, inquit, *et inveniemus usque ad vicesimum octavum annum Caesaris Augusti, cuius quadragesimoprimo anno Christus natus est in Iudaea, in toto orbe terrarum fuisse discordiam.... Orto autem Domino Salvatore*, QUANDO *sub praeside Syriae Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, et evangelicae doctrinae pax romani imperii praeparata*, TUNC *omnia bella cessaverunt* [5]). Si *in toto orbe terrarum* fuit discordia *usque ad vicesimum octavum Caesaris Augusti annum, tunc* autem *omnia bella cessaverunt*, quum Christus natus est, nemo non intelligit Christum illo anno XXVIII natum dici a Hieronymo eumdemque illum esse atque annum XLI, etsi alio initio, hic enim annus erat XLI ab accepto imperio, ille XXVIII aerae Augusti aegyptiacae, hic kal. ianuar., ille IV kal. septembr. an. p. i. 4711 inceperat. Haec iam Sanclementius animadverterat [6]). Hieronymus improbat opinionem eorum, qui putant Christum natum esse die epiphaniorum, hoc est, VIII id. ianuar. [7]), quumque ipsius aetate duae obtinerent de die Christi natali opiniones, non est dubium, quin, quum illam reiiceret, alteram sequutus sit, ac diem hunc VIII kalend. ianuar. esse senserit. Dies igitur Christi natalis ex Hieronymi sententia adscribendus est diei VIII kal. ianuar. an. p. i. 4711. Neque his illud adversator, quod Hieronymus in Canone graeca Eusebii verba vertens scripserit Christum natum anno imperii Augusti XLII; Eusebius enim huius imperii annos numerabat initio ducto, non a kalendis ianuar., ut Romani, sed, ut Orientales, a superiore autumno (67). Isaiae verba, quae alexandrini interpretes ita transtulerunt: *Vocare annum acceptabilem Domino et diem retributionis* [8]), exponens, *Annum autem acceptabilem*, inquit, *et diem retributionis omne praedicationis eius, quo in carne versatus est, tempus intellige* [9]). Quibus ex verbis nullo pacto inferre licet id, quod Sanclementius concludit [10]), totum tempus interpositum inter Christi baptismum atque obitum unius anni spatio a Hieronymo definiri; *praedicationis* enim vocabulo quid is significare voluerit, ipse nos docet, videlicet *omne, quo* Christus *in carne versatus est, tempus, quod*, inquit, *et apostolus Paulus in* PRIMO *Salvatoris interpretatur* ADVENTU. Ait Christum baptismo ablutum die epiphaniorum [11]), qui dies est a. d. VIII id. ianuar. [12]); ergo anno p. i. 4742, aer. vulg. 29, in huius enim anni aestatem annus exiit principatus Tiberii ab Augusti morte XV, intra quem illud factum esse Hieronymus cum plerisque omnibus procul dubio putavit. At cui anno Christi obitum adscripserit, pro certo affirmare negotium gravius est, quam prima specie videatur. Duo sunt loci, e quibus eius hac de re sententia colligi posset, alter in Canone, in quo legimus Christum mortuum anno XVIII imperii Tiberii, alter in libro *De viris illustribus*, in quo ita scripsit: *Paulus... post passionem Domini vicesimo quinto anno, id est, secundo Neronis, ... Romam vinctus mittitur* [13]). Pascha anni XVIII ab Augusti morte illud est, quod actum fuit anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, annus ergo *post passionem Domini* 25 incepisset paschate anni p. i. 4769, aer. vulg. 56, quum iret adhuc annus II principatus Neronis, qui Claudio successerat III id. octobr. an. p. i. 4767, aer. vulg. 54. Haec in speciem quidem cohaerent. Verum ostendimus in alio loco [14]) Paulum e Iudaea ad Urbem missum a Porcio Festo fuisse affecta iam aestate anni p. i. 4768, aer. vulg. 55, quum Nero annum I principatus nondum impleverat. Pervenit utique Paulus in Urbem sub mediam hiemem, qua annus p. i. 4769, aer. vulg. 56, incepit, idque ex Actis apostolorum Hieronymus compertum habuit procul dubio, propthereaque credi potest vel imperii Neronis annos numerasse initio ducto, non a die, quo is Claudio successerat, sed a prioribus kalendis ianuar., quod tamen minus fortasse veri simile cuiquam fiet, vel de Pauli, non profectione e Iudaea, sed adventu in Urbem loquutum esse. Attamen, utrumvis eligas, si Christus obiisset anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, non anno ab eius obitu 25, sed 24 Paulus e Iudaea profectus esset,

---

[1]) Ap. *Hieronym.* in Daniel. IX, 24. [2]) Commentar. in marmor. neapolit. kalendar. die XXIX iunii. [3]) Biblioth. veter. PP. T. VII. [4]) Anacephalaeos. cc. 1. 23. [5]) In Is. II, 4. [6]) De vulgar. aerae emendat. L. IV. c. 9. p. 477. [7]) In Ezech. I, 3. [8]) Is. LXI, 2. [9]) In Is. l. c. [10]) Op. cit. Exercitat. chronolog. p. 505. [11]) In Ezech. I, 3. [12]) Conf. Diss. XXI. n. 11. [13]) De vir. ill. c. 5. [14]) Lib. I. c. III. nn. 13—27.

Romamque pervenisset. Quae quum ita sint, Hieronymus dicendus est vel putasse Paulum e Iudaea profectum postremis mensibus alterius anni, ex quo Nero imperabat, vel annum a Christi obitu 24, non autem 25, dicere voluisse, vel obitum huno adscripsisse, non anno 4745, aer. vulg. 32, sed p. i. 4744, aer. vulg. 31, quo eius ratiocinia a ratiociuiis Eusebii toto biennio discreparent. Quodnam horum dicere praestet, non de facili affirmarem; primum tamen verisimilius videtur. Illud unum certo ex his consequitur, Christi mortem secundum Hieronymi opinionem alterutri anno esse adscribendam, vel p. i. 4744, aer. vulg. 31, vel p. i. 4745, aer. vulg. 32.

87 ***Philastrius.*** An. CCCLXXX. ***Salvator carnaliter omnia in se et de se consummabat, ut et nasceretur VIII cal. ian., et appareret VI. Apparuit Magis post duodecim dies. . . . Quidam autem diem epiphaniorum baptismi, alii transformationis, in monte quae facta est, esse opinantur*** [1]. ***Alia est haeresis de anno annuntiato ambigens, quod ait propheta Isaias: Annuntiare annum Dei acceptabilem et diem retributionis. . . . Dominus enim, quae in uno anno gessit et docuit, haec sola praecepit conscribi. Nam, quae facta sunt ab eo ac dicta primis triginta annis, secundum beatum Ioannem, quae dicit mundum non capere posse, si universa scriberentur, quae fecerat. Propheta itaque Isaias de anno illo dixit Salvatoris Domini, in quo docuit usque ad passionem, et resurrectionem, et ascensionem in caelum, sicut et beatissimi tradiderunt, non de trecentis sexaginta quinque annis, ut quidam arbitrantur, sed de anno illo post baptismum, scilicet in quo praedicans credentibus salutis mysteria reserabat*** [2].

88 ***Gaudentius Brixiensis.*** An. CCCLXXXVII. De paschali agno ita loquitur: ***Anniculus est, quia post baptismum usque ad passionem unius anni tempus impletur*** [3].

89 ***Paulinus Nolanus.*** An. CCCXCIII. Christum natum esse sntumavit VIII kal. ianuar.; id quod colligitur ex enumeratione dierum festorum, in qua diem Christi natalem distinguit ac dividit eo die, quo et Magorum adventum, et Christi baptismum, et prodigium Canae a Christo patratum, festis sollemnibus recolimus [4]. ***Christus post passionem et ascensionem ad caelos, sicut Elisaeus ascendit in Bethel, id est, in domum Dei, conversus maledixit Iudaeis post XLII annos ascensionis suae, et immisit duos ursos, id est, duos reges horrendos, Vespasianum et Titum, qui de sylvis Gentium prodeuntes crudeli eos strage mactaverunt*** [5]. Verba illa ambigua post XLII annos ascensionis, ut certiores nos faciunt ***ascensionem*** hanc factam dici a Paulino anno aerae vulg. 28 aut 29, ita, utro anno, vetant definire.

90 ***Anonymus scriptor Commentarioli de Pauli martyrio.*** An. CCCXCVI. Hoc opusculum est (121) apud Enthulium [6]) et initio operum Oecumenii, inque eo haec leguntur: ***Sub Nerone imperatore Romanorum Paulus apostolus martyrium passus est, capite videlicet ense reciso,*** *ἐν τῳ τριακοστῳ και ἑκτῳ ἐτει του σωτηριου παθους* ***anno tricesimo sexto salutaris passionis, pulcrum certamen certans in urbe Roma,*** *πεμπτῃ ἡμερᾳ κατα Συρομακεδονας πανεμου μηνος, ἡτις λεγοιτο ἀν παρ᾽ Αἰγυπτιοις ἐπιφι ε᾽, παρα δε Ῥωμαιοις ἡ προ τριων καλανδων ἰουλιων,* ***quinta die secundum Syromacedonas panemi mensis, quae diceretur apud Aegyptios epiphi V, apud Romanos autem a. d. III kalend. iul., quo die sanctus apostolus proprio martyrio consummatus est,*** *ἑξηκοστῳ και ἐνατῳ ἐτει της του σωτηρος ἡμων Ἰησου Χριστου παρουσιας. Ἐστιν οὐν ὁ πας χρονος, ἐξ οὑ ἐμαρτυρησε, τριακοσια τριακοντα ἐτη μεχρι της παρουσης ταυτης ὑπατειας, τεταρτης μεν Ἀρκαδιου, τριτης δε Ὀνωριου των δυων ἀδελφων αὐτοκρατορων Αὐγουστων, ἐνατης ἰνδικτιωνος της πεντεκαιδεκαετηρικης περιοδου, μηνος ἰουνιου εἰκοστῃ ἐνατῃ ἡμερᾳ* ***sexagesimo nono anno Salvatoris nostri Iesu Christi adventus. Est igitur omne tempus, ex quo martyrium fecit, trecenti triginta anni usque in praesentem hunc consulatum Arcadii IV Honorii III, duorum fratrum imperatorum Augustorum, nona indictione quindecennalis periodi, mensis iunii vicesimo nono die.*** Arcadio IV Honorio III coss. annus ibat p. i. 5109, aer. vulg. 396, indictione IX. A die 29 iunii huius anni regreditor per spatium annorum 330, pervenies ad diem 29 iunii anni p. i. 4779, aer. vulg. 66, quo die Paulum interemptum esse hic scriptor putavit, proximeque superiore huius ipsius anni paschate annum a Christi morte tricesimum sextum incepisse. Ab hoc paschate regredi pergito per annos 35, sistendum tibi erit die paschatis, qui fuit anno p. i. 4744, aer. vulg. 31, cuique ex huius auctoris sententia Christi mortem adscribere oportet. Denique, si die 29 iunii anni p. i. 4779, quum Paulus gladio est animadversus, annus erat *της παρουσιας* 69, die item 29 iunii anni p. i. 4371 annus *της παρουσιας* primus iret necesse est.

---

[1]) Haeres. CIX ex ms. corbeiensi. [2]) Haeres. CVI al. LVIII. [3]) De agno Tract. III. [4]) Poem. XXVI de sat. s. Felic. carm. IX. vv. 43—52. [5]) Ap. *Murator.* in Paulini Poemata Diss. XXII. [6]) Edition. epistolar. Pauli Prolog. in *Zacagni* Collectan. monumentor. veter. p. 535.

Quum autem graecus homo credi nequeat annorum principium ducere a kalendis ianuar., nota autem, indictionis iudicio sit morem in Graecos iam fuisse inductum, ut anni inciperent kal. septembr. mensis vero panemus, quum nomine syromacedonico, tum aegyptiaca forma, evincat opusculi auctorem gente Palaestinum esse atque adeo Gazensem (11), consequitur *τὴν παρουσίαν* secundum huius scriptoris sententiam incidisse in eos menses, qui fuerunt inter diem VI kal. novembr. an. p. i. 4710 et inter III kal. iul. an. 4711. Nomine autem *παρουσίας* Christi in terris praesentiam significari, ita tamen, ut ipsum huius praesentiae exordium ipsaque incarnatio sit, unde numerus ille annorum ducitur, pro comperto est. Itaque sententia huius scriptoris est, intra eos menses Christum conceptum fuisse, quumque, ut non semel diximus, duae furent per illam aetatem de die Christi natali sententiae, alterutram procul dubio ipse sequutus esse dicendus est, ut Christi ortum adscripserit vel diei VIII kal., vel VIII id. ianuar., si primum, anno p. i. 4711, si alterum, anno p. i. 4712.

91 *Augustinus.* An. CCCXCVI. *Sicut a maioribus traditum suscipiens ecclesiae custodit auctoritas, octavo kalendas aprilis conceptus traditur Christus, quo et passus* [1]). *Novem menses et sex dies . . . computantur ab octavo kal. aprilis, quo die conceptus Dominus creditur, quia eodem die etiam passus est, usque ad octavum kal. ianuar., quo die natus est* [2]). *Mortuus est ergo Christus duobus Geminis consulibus octavo kalendas aprilis* [3]). Ex quibusdam Augustini verbis [4]) quis fortasse arguat hunc iis esse adnumerandum, qui Christo triginta dumtaxat vitae annos adsignant. Verum, neque id ex illis verbis colligitur, et aliis Augustini verbis oppositis refutari potest, quae ita sunt: *Et annorum quidem fere triginta baptizatum esse retinemus auctoritate evangelica; sed postea quot annos in hac vita egerit, quamquam textu ipso actionum eius animadverti possit, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum evangelio liquidius certiusque colligitur* [5]).

92 *Q. Iulius Hilarianus.* An. CCCXCVII. [6]). Darium *interfecit Alexander Magnus Macedo, a cuius tempore historia Machabaeorum Graecorum annos divina narratione percurrit. . . .* Ex quo Antiochus Epiphanes templum polluit, *usque in CLXXIV annum regni Graecorum, quo tempore L. Licinius Lucullus, qui fuit consul Romanorum, de societate et amicitiis ad Simonem fratrem Iudae Machabaei litteras dedit, anni sunt XXVI. Ex istius namque consulatu annuos iam consules requirentes invenimus usque ad passionem Domini nostri Iesu Christi, usque ad annum XVI imperii Tiberii Caesaris CLXXIX annos esse completos, ac per hoc a fabrica mundi usque ad passionem Christi Salvatoris nostri anni sunt V̄DXXX. . . . De CD vero et LXX annis,* qui desunt ad explendam summam V̄Ī M̄ annorum, *a passione Domini in consulatu Caesarii et Attici die IX kalendas aprilis anni transierunt CCCLXIX* [7]). *Quintodecimo namque anno imperii Tiberii Caesaris Dominus Christus, cum esset quasi triginta annorum, incipiens a baptismo Ioannis accessit. Haec evangelista testatur. Uno proinde anno iudaicae genti, ad quam venerat, praedicavit . . . usque in annum sextum decimum imperii Tiberii Caesaris. . . . Eo quippe anno, ut supputationis fides ostendit et ratio ipsa persuadet, passus est ipse Dominus Christus, luna XIV, VIII kal. april., feria sexta* [8]). In fine opusculi haec legimus: *Consummavimus . . . hoc laboriosum opus in die isto III nonarum martiarum, post consulatum Arcadii IV et Honorii III. . . . Quintus Iulius Hilarianus explicuit, emendavit, die III nonarum martiarum Caesario et Attico coss.* [9]). Hilarianus temporum rationes eo consilio subducit, ut summam colligat annorum, qui sunt ab ipso die, quo mundus est conditus; diem autem hunc esse ait VIII kal. april. [10]), eumdem, ac Christi diem emortualem. Quare non est dubium singulas annorum summas, quas recenset, a die VIII kal. april. initium capere. Quam rem sic se habere vel hinc comperimus, quod, quum scriberet eo die, qui erat a. d. III non. mart. Caesario et Attico coss., summam summarum a mundi primordiis ad hunc annum ita colligit, ut, quo integra haec sit, addat eos dies, qui ad ipsam explendam supererant usque ad IX kal. april. Itaque, si a die VIII kal. april. anni p. i. 4563, quo L. Licinius Lucullus consulatum gerebat, incipias numerare annos 179, quot Hilarianus fuisse ait inde *usque ad passionem Christi,* hic numerus desinet in diem IX kal. april. an. p. i. 4742, aer. vulg. 29, qui utique erat XVI imperii Tiberii, si huius principatus annis initium fiat ipsis kalendis ianuar., et quo anno dies VIII kal. april.

[1]) De Trin. L. IV. c. 5. [2]) De diversis quaestion. LXXXIII. q. 56. [3]) De civ. Dei L. XVIII. c. ult. [4]) De civ. D. L. XV. c. 15. Ad Hesych. ep. CXCIX al. LXXX. § 20. [5]) Doctr. christ. L. II. c. 28. § 42. [6]) Ap. *Galland.* Bibl. veter. PP. T. VIII. pp. 235. 745. [7]) De mundi duratione §§ 13. 15—17. [8]) De die paschatis § 15. [9]) Ib. Epilog. [10]) Ib. § 5 et De durat. mundi § 3.

incidit in diem VI hebdomadae. Annis imperii Tiberii hoc modo numeratis, quum horum quintodecimo Christus ad baptismum venerit, unoque anno Iudaeos docuisse dicatur, usque ad diem VIII kal. april. anni p. i. 4742, aer. vulg. 29, quum pridie mundi annus 5530 exiisset, liquet baptismi diem inter kal. ianuar. interque diem quinquagesimum saltem ante illum, qui fuit a. d. VIII kal. april., anni p. i. 4741, aer. vulg. 28, incidisse, secundum Hilariani opinionem, nondum expletis annis post mundum conditum 5529. Quum autem Christus tunc *esset quasi triginta annorum*, dicendus est ortus fuisse anno mundi 5500, hoc est, vel VIII kal. ianuar. an. p. i. 4711, vel VIII id. ianuar. an. p. i. 4712. His quidem minime respondet illud, quod Hilarianus scripsit: *A passione Domini in consulatu Caesarii et Attici die IX kal. aprilis anni transierunt CCCLXIX*; nam hi consules fuerunt anno p. i. 5110, aer. vulg. 397, proinde primus horum annorum incepisset a. d. VIII kal. april. an. p. i. 4741, aer. vulg. 28. Attamen constat rationem hanc pósteremam perperam ab Hilariano subductam esse, quum non modo summa annorum a Luculli consulatu, sed et annus XVI Tiberii, et dies VIII kal. april. incidens in diem VI hebdomadae, notae sint, quae in nullum annum congruunt, nisi in p. i. 4742, aer. vulg. 29. Quo alias difficultates vites, fac animadvertas annos Graecorum, quorum in Machabaeorum libris mentio est, ita ab Hilariano supputari, ac si, non ab regni Seleuci exordio, sed ab Alexandri obitu illorum initium foret repetendum, proinde annum Graecorum 174 eum esse, qui incepit anno U. C. 603 L. Licinio Lucullo A. Postumio Albino coss., qui annus erat p. i. 4563.

93 *Ioannes Chrysostomus.* An. CCCXCVIII. Longa oratione comprobat diem Christi natalem esse VIII kal. ianuar [1]). Christus *μετα τριακοντα ἔτη* POST *trigenta annos ad baptismum venit* [2]). De die epiphaniorum ita loquitur: *Haec enim dies est, qua baptizatus est* [3]). *Paucis ergo ante pascha diebus baptizatus est* [4]). Quae huo paschate a Christo gesta Ioannes refert, ea Chrysostomus facta dicit *ἐν προοιμιοις* et *ἐν ἀρχῃ των σημειων in praeludiis* et *in principio signorum* [5]); hoc igitur initium fuit triennii, quo Christum docuisse narrat: *Ex miraculis celebratus est, . . . idque trium μονον duntaxat annorum spatio* [6]). De Iudaeis vero clamantibus: *Sanguis eius super nos*, haec ait: *Non enim statim illis supplicium ac poenam intulit, sed τεσσαρακοντα και πλειονα ἔτη quadraginta et plures elabi post passionem annos sivit. Siquidem Salvator ipse Tiberio imperante cruci affixus est, at illorum civitas imperantibus Vespasiano ac Tito capta est* [7]). Ex his verbis postremis apparet Chrysostomum opinatum esse inter Christi mortem captamque Hierosolymam annos intercessisse plures quam quadraginta, proinde, quum Titus Hierosolymam ceperit kal. septembr. an. p. i. 4783, aer. vulg. 70, Christum non serius, quam paschalo anni p. i. 4742, aer. vulg. 29, mortuum esse. Quo posito e ceteris Chrysostomi verbis, quae retulimus, haec consequuntur. Christum baptismo tinctum fuisse die VIII id. ianuar., moxque docere coepisse circa pascha, non seriore anno, quam p. i. 4739, aer. vulg. 26, quum annos triginta iam implesset, natum autem esse die VIII kal. ianuar. non serius anno p. i. 4708. Quod si haec, illis quidem diebus, attamen aliquo e superioribus annis gesta putasset, dicendus foret vel secum ipse pugnasse, vel de anno, quo Ioannes Baptista ministerio suo fungi coepit ita a Luca dissensisse, ut nulla via pateret, qua ipsius atque huius narrationes componerentur. Quod quum ne suspicari quidem liceat, concludamus oportet, ea omnia illis ipsis annis, quos diximus, secundum temporum rationes a Chrysostomo initas subductasque esse adscribenda, atque annum quintumdecimum imperii Tiberii Caesaris a Luca commemoratum illum ex Chrysostomi, etsi forte neo opinantis, computatione esse, non qui ab Augusti decessu, sed qui a collata Tiberio pari cum Augusto in provincias potestate numerabatur. Chrysostomo inter veteres ea laus deberi non potest, quod spatia vitae Christi, natali anno fortasse dempto, unus omnium ex vero propriis quaeque temporibus adsignaverit.

94 Duo sunt, quae rationibus sic subductis opposita esse videntur. Nam in alio loco Chrysostomus haec scripsit: *Coepit Iesus praedicare . . . ex quo Ioannes in carcerem trusus est. . . . Neque praedicavit ante illam, neque signa edidit, donec in carcerem ille traderetur* [8]). Atqui Ioannes in vincula coniectus fuit post pascha, quod primum memoratur in evangelio Ioannis [9]). Putavit ergo Chrysostomus hoc pascha prius esse illo, quo Christus docere coepit, atque adeo, contra ac in alio loco dixerat, id non proxime post baptismum a Christo factum esse, sed anno post eoque amplius. Verum ipse utrumque affirmavit, pascha hoc primum a Ioanne commemoratum et a Christi

[1]) Homil. in diem natal. Christi Op. T. II. pp. 354 seqq. ed. *Montfauc.* [2]) In Matth. hom. X. § 1. [3]) Hom. de bapt. § 2. [4]) In Io. hom. XXIII al. XXII. § 1. [5]) Ib. § 2. [6]) Ib. hom. XXI al. XX. § 2. [7]) Hom. cur. in pentecoste acta legantur etc. Opp. T. III. p. 95 ed. *Montfauc.* Conf. in Matth. hom. LXIX al. LXX. § 1. [8]) In Matth. hom. XIV. § 1. [9]) Io. II, 13 coll. III, 24.

baptismo proximum faisse, et initium triennii, quod Christas Iudaeis docendis impendit. Tum probe ille sciebat Canae aquam in vinum fuisse conversam aliquammulto tempore, antequam Ioannes Baptista in Carcerem duceretur. Quare constat Chrysostomum, quum scripsit Christum coepisse *praedicare, ex quo Ioannes in carcerem trusus est*, vel memoria falsum esse, vel dicere voluisse a Christo plenius illud tunc fieri coeptum. Idem ipse Chrysostomus in Ioannis capite VIII, 58 ita legebat: *τεσσαρακοντα Quadraginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* itaque de his scripsit: *'Ως ἐγγυς των τεσσαρακοντα ἐτων λοιπον εἰναι τον Χριστον* [1]), quae ita reddita sunt: *Itaque quadraginta annos prope iam attigerat Christus;* sed verti aeque possent, atque adeo melius fortasse: *Perinde ac si Christus proxime annum quadragesimum esset.*

SAECULUM V

95 *Panodorus.* An. CDI. Quomodo is temporam rationes computaverit, Petavius [2]) et Pagias [3]) pro sua uterque sententia exposuerunt. Prias tamen, quam hac de re disseramus, referre praestat quaedam Syncelli verba, quorum sensam, ni mea me fullit opinio, neque Goarus neque Petavius [4]) recte expresserunt. Quum Syncellus Panodori, qui *την σωτηριον σαρκωσιν salutarem incarnationem* factam dixerat anno mundi 5493, sententiam refutare vellet, haec scripsit: *'Η δε αἰτια του σφαλματος αὐτου γεγονεν οὑτως. 'Επι γαρ το πρωτον ἐτος Φιλιππου του 'Αριδαιου . . . (καθ' ὁ ἐτος και ὁ Κλαυδιος Πτολεμαιος την των προχειρων κανονων ψηφιφοριαν ἐπηξατο ἀρχην αἰγυπτιακου και ἑλληνικου ἐτους κατα την πρωτην του θωθ μηνος παρ' Αἰγυπτιοις λεγομενου, κθ' του αὐγουστου μηνος, οὖσαν ἀποκαταστικην) ὁμοχρονον ὁμολογουμενως ἐστι τῳ ,εφο' ἐτει του κοσμου κ. τ. λ.* [5]). Nescio qaid in illis, quae perspicnitatis gratia *παρενθετα* esse posui, Goarus et Petavius viderint, ut ita ea interpretarentur, ac si de Panodoro dicta essent; neque animadverterunt voces *οὖσαν ἀποκαταστικην* ad *την ψηφιφοριαν* pertinere, non ad *ἀρχην*, ut rectus verborum ordo sit: *την ψηφιφοριαν οὖσαν ἀποκαταστικην ἀρχην αἰγυπτιακου και ἑλληνικου ἐτους κατα την πρωτην του θωθ μηνος.* Totus autem ille locus ita interpretandus est: *Ipsi autem* Panodoro *caussa erroris ita fuit. Primo enim anno Philippi Aridaei . . . (a quo anno et Claudius Ptolemaeus manualium canonum ducit computationem, qua in primum diem mensis ab Aegyptiis thoth nuncupati, vicesimum nonum augusti, aegyptiaci una ac graeci anni principium restituitur) idem tempus est omnium sententia ac anno mundi $\overline{V}$CLXX et cetera.* Hoc autem notandum censui, ne qais ex horum Syncelli verborum traaslatione, sive quam Goaras, sive Petavius fecere, existimet annorum mundi principium a Panodoro poni in die neomeniae thoth [6]). Quonam ergo in die illud posuit? Panodorus homo Aegyptias utique in die neomeniae thoth posuisse dicendas foret, idqae non una de caussa. Sed gravior caussa est, cur secus dicamus. Quae quidem caussa hoc ipso, quod evincat alio die, quam neomenia thoth, annorum principium esse apud Panodorum, satis profecto ea foret, cur concluderemus diem hunc non alium esse, quam veris initium; nam, quum veteres mundum veris initio conditum crederent [7]), indeque ii qui historias per mundi annos digerebant, horum initiam plerique omnes ducerent, hoc ipsum Panodorum fecisse iure credamas; neque enim de alio aliis gentibus usitato civiliam annorum principio hic est cogitandum. Sed *θετικως* hoc ipsum demonstrare est. Anianus, cuius dictis consona Panodorum loquutum esse Syncellus testatur, a mundo condito usque ad Constantini vicennalia annos collegit 5816 [8]), quo anno lanam XIV paschalem incidisse ait in diem mensis phamenoth 29, martii 25, diemque dominicum fuisse pharmathi 3, martii 29 [9]), quae notae certissimae sunt anni p. i. 5037, aer. vulg. 324. Huius igitar anni verno dieque 25 martii iam ibat ille annus mundi 5816. Si die 25 martii anni p. i. 5037 ibat annus mundi 5816, necesse est die 25 martii anni p. i. 4748 iverit annas mundi 5527, idqae iam usque a die 29 Augusti superioris anni p. i. 4747, siquidem die neomeniae thoth initium habuisset. Verum die 20 martii anni p. i. 4748 annus mundi 5526 adhuc ibat; Syncellas enim Panodorum redarguit, eo quod tradiderit anno mundi *,εφκς'* 5526 diem paschatis fuisse die 20 martii, id autem Panodorus dicere non potait de alio die 20 martii nisi anni p. i. 4748, quo anno dies 20 martii utique in dominicam incidit primam post lunam XIV, mensis tamen, non primi, quo pascha celebrandum est, sed *ἐμβολιμου*, quem eo anno intercalare oportuit, idque illad est, de quo Syncellus Panodorum obiurgat. Quo autem certior fias

[1]) In Io. hom. LV al. LIV. § 2. [2]) Auctar. L. VIII. cc. 1. 3. [3]) Dissert. de periodo graecoromana §§ 13. 52. 53. [4]) L. c. c. 14. [5]) Chronograph. pp. 326. 327. [6]) Conf. ib. pp. 264 C. et 312 D. [7]) *Syncell.* ib. p. 2. [8]) Ib. pp. 32. 35. 36. Lege *Goari* Adnotat. [9]) Ib. p. 36.

illam *πασχουαλιον ἡμεραν* anni mundi 5526 incidentem in diem 20 martii eam esse, qua Christum revixisse Panodorus tradebat, animadverte, ut Syncellus in illa pagina Aniani sententiae, quam *apostolicae traditioni* consentaneam dicit, de anno deque die tum incarnationis, tum resurrectionis oppositam esse Panodori sententiam affirmet; loquatur igitur necesse est de die, cui Panodorus resurrectionem adscripsit. Itaque si anno p. i. 4748 die 20 martii adhuc ibat annus mundi 5526, die vero 25 martii annus mundi 5527 iam inceperat, pro explorato iam est mundi annis apud Panodorum initium esse intra dies 21 et 25 martii. Quod si pro anno *‚εφκς´* 5526, quem Scaliger et Goarus legere iubent, legas *‚εφκε´* 5525, ut scriptum est in ipsa Syncelli pagina, quum die 25 martii anni p. i. 4747 iret iam annus mundi 5526, pascha anni mundi 5525 die neomeniae thoth initi illud foret, quod celebratum fuit anno p. i. 4746, aer. vulg. 33, non tamen die 20 martii, qui dies incidit in diem VI hebdomadae, inque ipsam neomeniam mensis paschalis. Denique feria, quae mundi annis initium facit, ea est, qua fuit dies 25 martii iis annis periodi iuliani, intra quos illi anni mundi incepere; ut iam nullo modo dubitare liceat diem 25 martii esse, quem Panodorus annorum mundi diem primum esse putavit. Quibus positis iam de temporibus a Panodoro designatis aliquid certius promere datur.

96 Primo animadverte, quod ad aeram Philippi, ut Syncellus nequaquam dicat tradi a Panodoro primum huius aerae annum incepisse anno mundi 5170, sed assentiri se Panodoro de quibusdam temporum designationibus *ὡς ἐν τοις Ἀλεξανδρου του Μακεδονος ἐτεσι κατα το ‚ερο´ ἐτος του κοσμου ut in Alexandri Macedonis annis cum anno mundi $\overline{V}$CLXX componendis* [1]), item annum mundi 5170 *κατα το τελος Ἀλεξανδρου . . . συντρεχον eum Alexandri fine concurrere* [2]), denique, quod *ἐπι . . . το πρωτον ἐτος Φιλιππου του Ἀριδαιου . . . ὁμοχρονον ὁμολογουμενως ἐστι τῳ ‚ερο´ ἐτει του κοσμου primo . . . anno Philippi Aridaei . . . idem tempus est omnium sententia ac anno mundi $\overline{V}$CLXX* [3]). Quaeritur ergo, utrum annus I regni Philippi intra annum mundi 5170, an hic intra illum inceperit. Ex illis, quae diximus, apparet, quid respondere oporteat; nam primus annus regni Philippi initium cepit a die neomeniae thoth, quae fuit die 12 novembris anni p. i. 4390, exiit pridie neomeniae thoth hoc est, die 11 novembris insequentis anni 4391, cuius verno incepit annus mundi 5170. Secundo item intelligendum illud, quod Syncellus scripsit: *Panodorus mathematicam doctrinam sequens principium imperii Augusti τῳ ‚ευνα´ ἐτει του κοσμου anno mundi VCDLI consignavit* [4]); videlicet annus mundi 5451 incepit, quum primus imperii Augusti annus adhuc iret, hic enim exiit in a. d. XV kal. mai. an. p. i. 4672, ille autem inceperat mense martio proxime superiore. Tertio *ab ipso primo anno Philippi μεχρι της καθαιρεσεως Κλεοπατρας usque ad sublatam Cleopatram anni secundum astronomicas regulas*, quas Panodorus sequebatur, *colliguntur σϘδ´ CCXCIV, ab ipso anno mundano ‚ερο´ $\overline{V}$CLXX*, qui incepit sub medium annum I regni Philippi; *anni fiunt ‚ευξγ´ VCDLXIII ab Adamo ἑως καθαιρεσεως Κλεοπατρας usque ad sublatam Cleopatram* [5]); nam a neomenia thot anni p. i. 4390, quae initium fecit aerae Philippi, ad neomeniam thot anni p. i. 4684, quae initium fecit aerae Augusti aegyptiacae, quum pridie postremus annus integer regni Cleopatrae finem habuisset, sunt anni 294, verno autem huius ipsius anni p. i. 4684 annus mundi 5463 inceperat. Quarto *Panodorus, mathematicam doctrinam sequens, . . . imperii Augusti . . . consignavit finem anno ‚εφς´ VDVI*, aitque Augustum post sublatam Cleopatram annos *μγ´* XLIII imperasse [6]); recte, nam annus mundi 5506 incepit verno anni p. i. 4727, aer. vulg. 14, quo anno a. d. XIV kal. sept. Augustus decessit. Quae quum ita sint, liquido apparet annum mundi 5493, cui Panodorus incarnationem adscripsit, incepisse die 25 martii anni p. i. 4714, ipsoque primo anno aerae vulgaris et dionysianae.

97 Verum unane atque eadem est aera incarnationis, quam Panodorus, quamque Dionysius sequuti sunt? Nam Panodorus hic anno mundi 5493 incarnationem quidem adscripsit, num autem etiam Christi ortum, ex ipsius verbis a Syncello relatis colligere haud est; commemoratam enim in his videas *την σωτηριον σαρκωσιν* [7]), *την ἀρρητον ἐνανθρωπησιν* [8]), *την σωτηριον γεννησιν* [9]), numquam vero *την γενεσιν* aut *τα γενεθλια*. Quum ergo constet initium annis mundi a Panodoro fieri die 25 martii, proposita quaestio ad id reducitur, utrum anno mundi 5493 ineunti, an exeunti, incarnationem ille adscripserit. Pagio ac Petavio ne dubitatio quidem subrepit, quin ineunti. Verum, si ineunti, qui factum est, ut Syncellus, a quo uno Panodori sententias discere licet, pluries [10]) affirmaret Panodorum eo peccasse, quod incarnatione anno mundi 5493 consignata septem annis a vero

---

[1]) Ib. p. 313. [2]) Ib. p. 261. [3]) Ib. pp. 326. 327. [4]) Ib. 327. [5]) Ib. [6]) Ib. [7]) Ib. p. 326. [8]) Ib. p. 35. [9]) Ib. p. 327. [10]) Ib. pp. 35. 313. 326.

aberraverit, quum tamen ipse Syncellus Aniano (101) aliisque assentiens, anno mundi 5501 ineunti, illam adscripserit? Nam annus mundi 5493 incepit secundum Panodori rationes die 25 martii anni p. i. 4714, annus autem 5501, ut ab Aniano et Syncello hic ponitur, initium habuit die 25 Martii anni p. i. 4722, ita ut inter utriusque anni initia, non septem, sed octo integri anni intercesserint. Ad hoc Syncellus dicit Panodorum, quum septem annis a vero aberrasset in definiendo anno incarnationis, *δια τουτο* PROPTEREA *aberrare a die paschali*, quo Christus revixit, *nam ‚εφκϛ' VDXXVI anno mundi hunc diem fuisse tradit mensis martii κ' XX* [1]). Panodorus, ut ostendimus, Christum revixisse aiebat anno mundi 5526 exeunte, die, inquam, 20 martii an. p. i. 4748; huius autem erroris caussam Syncellus non eam esse dicit, quod Panodorus Christo longiorem vitam adtribuerit, quam ipse Syncellus Anianum sequutus fecerit, imo numquam de hoc Panodorum is redarguit, redarguturus scilicet si ille adtribuisset, sed *δια τουτο propterea* quod septem annis citius, quam ipsius Syncelli sententia ferret, Christum incarnatum dixerit. Sicut igitur Syncellus et Anianus annis mundi ineuntibus tum incarnationem, tum resurrectionem, ita Panodorus exeuntibus utramque adscripsisse dicendus est. Denique Syncellus narrat Panodorum *ὁμοιως* PARI MODO *circa natalem Salvatoris nostri annum hallucinari*, ac circa diem, qua is revixit [2]). Iam vero, quantum ille autumat, eo Panodorus in hac die definienda hallucinatus est, quod eam in exeuntem annum 5526 incidisse putavit, quae tamen post septem annos in ineuntem 5534 inciderat. Panodori igitur error, quem Syncellus vocat, quod ad annum Christi natalem, is fuerit oportet, quod ad incarnationem, quam *ineunti* anno 5501 adscribere debuisset, septem integris, non tamen amplius, ante annis factam dixerit, hoc est, anno mundi 5493 *exeunte*, non autem *ineunte*. At enim quid illud, inquies, quod Syncellus non semel ait: *Panodorus annis VII aberravit ab annis VD, et VCDXCIII pro VD consignavit* [3])? Nempe ab anno 5500, non *ineunte*, sed *exeunte* aberravit, et *exeunte* 5493 consignavit pro 5500 item *exeunte*. Etenim, non de die mensis, sed de mundi anno, quo Christus conceptus fuit, lis erat. Dies quidem, quantum Panodorus autumabat, fuit anno exeunte, proinde ante 25 martii. Non hac de re illum Syncellus obiurgat, sed de anno, aitque, siquidem eo die Panodorus *την σαρκωσιν* factam credidit, non tamen diem hunc esse potuisse, qui in exeuntem annum 5493, sed qui in 5500 item exeuntem inciderat. Non semel Syncellus dixit Christum conceptum *τῳ ‚εφ' πληρουμενῳ και ἀρξαμενῳ ‚εφα' anno VD exacto, et incepto VDI* [4]). Fac *της σαρκωσεως* horam fuisse in noctis medio inter dies 24 et 25 martii, ita ut utrique tum anno tum die adscribi ea potuerit; Syncellus quidem cum Aniano factam illam dicebat die 25 martii annoque ineunte, Panodorus die 24 annoque exeunte; utrisque de die et hora, in speciem quidem minime, re ipsa plene conveniebat, de anno non item, sed Panodorum eam ob rem Syncellus culpabat, quod, quum exeunti potius anno, quam ineunti, incarnationem adscribere mallet, non anno mundi 5500, utique exeunti, quo pacto de anno quoque utrisque re ipsa convenisset, sed exeunti 5493 adscripserit. Itaque pro comperto habemus Panodori sententiam esse Christum conceptum fuisse mundi anno 5493 exeunte, hoc est anno p. i. 4715, aer. vulg. 2, non serius, quam noctis medio, quo diei 24 martii dies 25 succedit. Non ergo eadem est aera incarnationis, quam Panodorus, quamque Dionysius, sequutus est.

98 Ex his propositis illud quoque efficitur, non eodem mundi anno tum Christi conceptum, tum ortum, a Panodoro esse consignatum, sed conceptum quidem exeunte anno mundi 5493, ortum vero anno 5494, utrum autem die VIII kal. an VIII id. ianuar. non constat, sed minime dubitem, quin VIII kal., quum Panodori aetate sic foret omnium fere sententia, quumque Anianus quoque Panodori conterraneus sic senserit, quum denique Syncellus, si altera fuisset Panodoro sententia, id notare minime omisisset. Quare Christus, secundum temporum rationes a Panodoro initas subductasque, die 25 decembris an. mundi 5526, p. i. 4747, aer. vulg. 34, annos explevit 32, quot Anianus et Syncellus eum explesse tradiderunt. Hac autem re confirmatur ad annum diemque Christi emortualem, quem Panodorus designaverat, illud pertinere, quod Syncellus reprobat in Panodori computationibus, quod, inquam, is tradiderit *την πασχαλιον ἡμεραν . . . τῳ ‚εφκϛ' ἐτει του κοσμου . . . γεγενησθαι . . . μηνος μαρτιου κ' diem paschatis . . . anno mundi VDXXVI . . . incidisse . . . in mensis martii diem XX* [5]); Panodorus nimirum tradebat Christum obiisse sub exitum anni mundi 5526, die 18 martii, diemque dominicum paschatis, videlicet quo Christus revixit, in diem martii 20 eo anno incidisse, qui erat annus p. i. 4758 aer. vulg. 35.

---

[1]) Ib. p. 35. [2]) Ib. [3]) Ib. pp. 35. 313. [4]) Ib. pp. 35. 312. 315. [5]) Ib. p. 35.

99 En tibi *συνοψιν* eorum, quae ex Panodori scriptis Syncellus nobis servavit. Initium annorum mundi composui cum die VIII kal. april., quod a Panodoro factum esse minime dubitem, quippe quod feriae, quibus anni mundi ab ipso commemorati, inceperunt, id evincant.

Anni		Dies mensis vel anni tempus	Historia
Per. iul.	Mundi		
G			
	1	VIII kal. april.	Initium annorum mundi.
	779		
1		kal. ian.	Initium periodi iulianae.
G F			
4390			
A			
	5169	Neomen. thoth	Initium aerae Philippi.
4391			
G			
	5170	VIII kal. april.	Incipit annus mundi a morte Alexandri regnique Philippi primus.
		Medio vere	Alexander moritur.
4671			
G			
	5450	XIV kal. mai.	Octuvianus imperator salutatur, primus eius imperii annus incipit.
4672			
F			
	5451	VIII kal. april.	Incipit annus mundi, qui Panodoro est imperii Augusti primus.
		XIV kal. mai.	Imperii Augusti an. II incipit.
4683			
F			
	5462	Neomen. thoth	Incipit annus 294 aerae Philippi, postremus regni Cleopatrae.
4684			
E			
	5463	Prid. neomen. thoth	Finis regni Cleopatrae.
		Neomen. thoth	Initium aerae Augusti aegyptiacae.
4713			
D C			
	5492	VIII kal. april.	Incipit annus mundi, qui Panodoro est XLII imperii Augusti.
		Neomen. thoth	Incipit annus 30 aerae Augusti aegyptiacae.
4714		kal. ianuar.	Initium aerae Dionysianae.
B			
	5493	VIII kal. april.	Incipit annus mundi, qui Panodoro est XLIII imperii Augusti.
4715		IX kal. april.	Verbi divini incarnatio.
A			
	5494	VIII kal. april.	Incipit annus primus ab incarnatione, secundum Panodor.
		VIII kal. ianuar.	Christus oritur.

4727 G			
	5506	XIV kal. septembr.	Augustus moritur.
4747 C			
	5526	VIII kal. april.	Incipit annus 33 ab incaruatione secundum Pauodor.
		VIII kal. ianuar.	Christus annos 32 implet, incipit anuus eius 33.
4748		XV kal. april.	Christus moritur.
B		XIII kal. april.	Christi resurrectio, prima dominica paschalis.
	5527	VIII kal. april.	Incipit anuus 34 ab incarnatione secundum Pauodorum.
5037 E D			
	5816	VIII kal. aug.	Incipit annus XIX imperii Constantiui.
		Neomen. thoth	Iucipit Aegyptiis auuus imperii Constantiui XX.

100 Ne quid dissimulare velle videar, haud diffitebor, cum iis, quae de Pauodori computationibus disputavimus, minus conciuere illa videri, quae de die bissexto legimus apud Syucellum. Is enim uarrat anno mundi 5472, qui secundum Panodori ratiocinia anuus erat XXII imperii Augusti, diem hunc fuisse intercalatum [1]). Pauodori meutio, quam iniicit, suspicari sinit id Syucellum e Panodori libris didicisse. Nemo non videt minime agi de prima illius diei intercalatione, quae facta est anno 5 iuliauo, p. i. 4673, sed de ea, quae primo ab Aegyptiis. Iam vero constat sextam diem ἐπαγομένην primo ab his intercalatam esse inter exitum anni 8 et inter initium anni 9 aerae Augusti aegyptiacae, videlicet IV kal. septembr. au. p. i. 4692. Quare iam tuno ivisse dicendus foret annus muudi 5472; ex quo consequeretur totam mundi aeram a Panodoro adscitam a uobis uno anno serius, quam oportebat, esse constitutam. Verum cum primis velim cousideres, ut, tota aera in superiores anuos periodi iuliauae retroacta, haec inde saue incommoda consequerentur. Primo Panodori aera aeram Aniani et Syncelli uno anno anteiret, quod tamen credi nequit, quum, non modo nihil hac de re Syucellus memoriae tradiderit, sed semper ita de Panodoro et Aniano loquutus sit, ut qui uuam atque eamdem mundi aeram fuerint sequuti, imo id uecessario efficitur ex iis, quae refert de Panodoro et Aniauo Eusebium redarguentibus, quod ab Adamo ad Constantiui vicennalia annos collegerit, uou 5816, ut ipsi, sed 5526. Secundo, uon septem solummodo, quot Syncellus numeravit, sed octo annorum πρόληψις foret iu aera incarnationis, quam Pauodorus coustituit, prae aera, quam Anianus et Syncellus esse posuerunt. Tertio, Christi resurrectio fieri non potuisset die 20 martii, quo die Panodorus eam factam dixit. Tum ex hao ipsa Syncelli uarratioue adeo nihil contra ea, quae disseruimus, promere est, ut aliud praeterea exsistat argumentum, quo eadem haec ipsa magis ac magis confirmemus. Itaque, non de intercalatione ipsa ille luquitur, sed de intercalationis primo adhibitae effectu, qui fuit, ut Aegyptiorum anni ad id vagi, perque dies anuorum iulianorum sensim regredientes, iam fixi fierent, eodemque anno iuliani die constanter inciperent. Hic autem effectus primo apparuit anno p. i. 4693. Quum enim hoc anno, utpote intercalari, ueomenia thoth anui Aegyptiorum vagi a die IV kal. sept., in quem diem proximo quadriennio iuciderat, ad diem V kal. regredi deberet, id minime accidit, sed mausit in eodem illo die IV kal., idque propterea quia superiore auuo p. i. 4692 sexta dies ἐπαγομένη, ut dixi, fuerat intercalata. Illud autem, ut, inquam, ueomeuia thoth propter diem bissextum minime retrocederet, Panodorus dicit factum anno muudi 5472; hic igitur aunus iucepit verno anni p. i. 4693, ut colligitur ex nostra disputatione.

101 *Anianus.* Au. CDI. Is periodum luuisolarem, ut vocat, excogitavit aunorum 532 [2]). *Divinam incarnationem τῷ ͵εφʹ πληρουμένῳ, καὶ ἀρξαμένῳ τῷ ͵εφαʹ anno* $\overline{V}$*D exeunte, et ineunte* $\overline{V}$*DI contigisse demonstrat. . . . Resurrectionis diem κεʹ XXV iuxta Romanos mensis martii, iuxta Aegyptios phamenoth κθʹ XXIX (quem et primum conditum diem esse in paschali tabula annorum*

[1]) Ip. p. 312. [2]) *Syncell.* Chronograph. pp. 35. 315 coll. 36.

DXXXII** ab ipso confecta accuratis quibusdam argumentis demonstravit)* *anno mundi* ͵εφλδʹ ***VDXXXIV** incipiente, ipso vivifico primi dominici paschatis die* [1]). Ab Adamo ἑως της εἰκοσαετηριδος *usque ad vicennalia Constantini* annos collegit ͵εωιϛʹ 5816; *quos*, inquit, *si per **DXXXII** distribuamus, invenimus periodos decem et annos reliquos* υϟϛʹ ***CDXCVI**. Hos si referamus ad paschalem tabulam, invenimus **XIV lunam paschalem *respondentem diei phamenoth* κθʹ ***XXIX**, dominicam autem pharmuthi* τριτῃ *tertiae, hoc est, martii* κθʹ ***XXIX*** [2]). Idem ipse Syncellus haec quoque scripsit, quae se a maioribus, quos inter Anianum nominat, accepisse ait: *Anno* ͵εφʹ ***VD** post mundum conditum* πληρουμενῳ *exeunte mensis phamenoth die* κηʹ ***XXVIII**, mensis martii* κδʹ *XXIV*, και... ἀρχομενου του φαμενωθ κθʹ ἠτοι μαρτιου κεʹ *et . . . incipiente die phamenoth XXIX seu martii* XXV, . . . *ad . . . Virginem . . . Gabriel archangelus missus fuit* [3]). Nemo non sentit inter και et inter ἀρχομενου deesse notam anni ͵εφαʹ VDI. *Periodi quidem* ιαʹ *undecimae annorum **DXXXII** annus* ρπαʹ ***CLXXXI*** quum iret, *decembris mensis . . . die* κεʹ *XXV natus est Dominus noster et Deus Iesus Christus, . . . Sulpicio Camerino et C. Poppaeo coss.* [4]). Haec omnia liquent. Itaque secundum Aniani rationes Christus dicendus est conceptus fuisse die 25 martii anni p. i. 4722, aer. vulg. 9, obiisse die 23 martii an. p. i. 4755, aer. vulg. 42, vixisse annos 32 mens. 3.

102 *Athanasius* ψευδωνυμος, vel alius procul dubio magno Athanasio, nec Graecus. An. CDI. Huius *Tractatus de ratione paschalis*, repertus in libro quodam *de Computo*, quem Muratorius [5]) eruit ex ambrosiana bibliotheca, editus est a Montfauconio [6]). Quum scriptor iste haec pronuntiet: *Maiores nostri, qui XI kal. aprilis principium anni invenerunt, mensem exinde computantes in XI kal. maii extenderunt. Sic pascha nec ante diem XI kal. april., nec post XI kal. maii celebrari posse* DECRETUM EST. . . . *Itaque hanc summam et hanc conclusionem* IN PINACE CONSTITUTO A MAIORIBUS *invenimus, pascha nec ante XI kal. april., nec post XI kal. maii posse celebrari*, apparet eum vixisse, quum adhuc termini paschales constituti a concilio caesariensi observabantur a Latinis, proinde ante medium saeculum V. Quae e re nostra sunt, haec profert: *Resurrexit enim Christus in aequinoctio veris, luna plena, die dominica. . . . Invenimus et in VIII kal. quidem resurrexisse, verum in XI kal. die pascha cum discipulis inchoasse.* Erat igitur annus notatus litera G, aureo numero XIII, proinde aer. vulg. 31.

103 *Alexander Hierosolymitanus* ψευδωνυμος. An. CDI. In libro *de Computo*, quem Muratorius edidit [7]) haec leguntur: *In Commentariis Victorini inter plurima haec etiam scripta reperimus: Invenimus in membranis Alexandri episcopi, qui fuit in Hierusalem, quod transcripsit manu sua de exemplaribus apostolorum, ita: VIII kal. ian. natus est Dominus noster Iesus Christus, Sulpitio et Camerino coss. Et baptizatus est VIII id. ian. Valeriano et Asiatico coss. Passus est X kalend. apr. Nerone III et Valerio Messala coss. Resurrexit VIII kal. apr. coss. suprascriptis. Ascendit in caelos V non. mai. post dies XL coss. suprascriptis. . . . Ad Mariam vero locutus est Angelus VIII kal. april. . . . Ex quo supputatur eodem die Dominum fuisse conceptum, quo et resurrexit.* Q. Sulpicius Camerinus una cum C. Poppaeo Sabino consulatum gesserunt anno aerae vulg. 9. Dies 23 martii in diem sextum hebdomadae incidit anno aerae vulg. 42. Ortum ergo Christi auctor adscripsit anno aerae vulgaris 9, obitum anno 42, baptismum anno 39 vel 40, spatium autem vitae annis XXXII mens. III definivit. Neque enim ceteri consulatus curandi. Duos novimus Alexandros Hierosolymae episcopos, quorum alter huius urbis episcopatum accepit anno aer. vulg. 212, alter exeunte saeculo X, vel XI ineunte. Priori nemo haec affinget, posterior duobus fere saeculis post auctorem illius libri *de Computo* vivebat. Quinam sit Victorinus ille, in cuius *Commentarios* haec relata dicuntur, frustra quaeras; nullum tamen Victorinum novimus qui vixerit post saeculum quintum.

104 *Sulpitius Severus*. An. CDI. *Consummatio restitutae urbis* Hierosolymae *XXX et II imperii Artaxerxis anno refertur. A quo tempore usque ad Christi crucem, id est, Fusium Geminum et Rubellium consules, anni CCCXC et VIII* [8]). *Christus natus est Sabino et Rufino consulibus VIII kalendas ianuarias. . . . Crucifixus est Fufio Gemino et Rubellio Gemino consulibus. A quo tempore, usque ad Stiliconem consulem sunt anni CCCLXXII* [9]). *Templum dirutum ab hinc annos trecentos triginta et unum* [10]). Christus igitur natus est VIII kalend. ianuar. an. p. i. 4710, mortuus anno p. i. 4742, aer. vulg. 29, vixit annos XXXI m. III. In annorum summa, quam sive a

---

1) *Id.* ib. p. 35. 2) Ib. p. 36. 3) Ib. p. 315. 4) Ib. 5) Anecdot. T. III. 6) Opp. *Athanasii.* T. II. p. 741. 7) L. c. p. 207. 8) Hist. sacr. L. I. c. 11. 9) Ib. c. 27. 10) Ib. c. 30.

Christi obitu, sive a templo diruto, usque ad Stiliconem consulem colligit, utrumque terminum comprehendit; Stilico enim consulatum gessit anno p. i. 5113, aer. vulg. 400, Hierosolyma autem eversa est anno p. i. 4783, aer. vulg. 70.

105 *Cyrillus Alexandrinus.* An. CDXII. Christum natum credidit die VIII kal. ianuar. Hoc enim die Paulus Emesenus, ipso Cyrillo patriarcha praesente, homiliam Alexandriae habuit de Christi natali, in qua populo probante et plaudente haec pronuntiavit: *Hodie puerulus nobis natus est, . . . hodie supernaturale puerperium editur* [1]). Qui Christum natum aiebant die VIII kal. iannar., incarnationem adscribebant diei VIII kal. april. Hoc ipsum ergo Cyrillus fecisse putandus est. In reliquiis epistolae scriptae ad Leonem p. m. haec ait: *Christus . . . eodem die conceptus in utero est et mortuus in cruce* [2]); mortuum igitur hunc credidit die VIII kal. april., proinde non alio anno, quam p. i. 4742, aer. vulg. 29, vel p. i. 4748, aer. vulg. 35. *Duobus integris annis*, inquit, *totam peragrans Iudaeam Dominus noster Iesus Christus doctrinas omni sapientia refertas adhibuit, divinamque illis et evangelicam praedicationem tradidit* [3]). In alio quidem loco [4]) dicere videtur Christum uno anno docuisse, re tamen vera non id dicit, sed solum anno, de quo Isaias loquitur, significari tempus, quo Christus docuit. Quare autumabat Christum baptismo ablutum initio anni p. i. 4740, aer. vulg. 27, vel p. i. 4746, aer. vulg. 33. Quum autem minime sciamus, utrum Cyrillus id factum putaverit, quum Christus tricesimum annum die VIII kal. ian., qui proxime fuerat, absolverat, an quum inceperat, quatuor sunt anni, e quorum numero sit oportet annus, quo Christum natum esse Cyrillus opinatus est, anni, inquam, 4709, 4710, 4715, 4716. Neque diffitear me haud facile induci, ut Cyrilli esse credam ea omnia, quae sunt in illius epistolae reliquiis, quum eorum nonnulla a Cyrilli sagacitate plane abhorrere videantur, neque desint, qui has reliquias alienam manum expertas esse suspicentur [5]). Quae quum ita sint, nil satis certi habemus, ex quo Cyrilli sententiam pro certo comperiamus.

106 *Paulus Orosius.* An. CDXVI. *Anno ab Urbe condita DCCLII, . . . Augusti Caesaris, . . . posteaquam imperare coepit, emenso propemodum anno XLII, natus est Christus . . . VII kal. ian., quando primum incrementa omnia anni venientis incipiunt* [6]). Atqui *incrementa* haec incipere putabantur ipso die VIII kal. ianuar. *Sunt autem ab Adam primo homine usque ad Ninum, . . . quando natus est Abraham, anni tria millia CLXXXIV. . . . A Nino autem vel Abraham . . . usque ad nativitatem Christi . . . colliguntur anni duo millia XV* [7]). *Anno ab Urbe condita DCCLXVII post mortem Augusti Caesaris Tiberius Caesar imperium adeptus est. . . . Anno eiusdem XV*, vel, ut in aliis exemplaribus legitur, *XVII Dominus Iesus Christus voluntarie se tradidit passioni* [8]). Orosius annos imperii Augusti ducit a kal. ianuar., ut apparet. Sed et imperii Tiberii annos; nam Germanici triumphum, quem is egit VII kal. iun. an. U. C. 770, p. i. 4730, adscribit anno IV imperii Tiberii [9]). Eius itaque opinio est Christum natum anno p. i. 4712 a. d. VII kal. ianuar., forte in ipso noctis medio quo dies hic diei VIII kal. succedit, obiisse anno p. i. 4741, aer. vulg. 28, si annus erat imperii Tiberii XV inceptus kalendis ianuar., anno vero p. i. 4743, aer. vulg. 30, si annus XVII, quod potius Orosius sensisse non dubitem.

107 *Theodoretus.* Ao. CDXXIII. *Prima die primi mensis Deus . . . creaturas condidit, . . . liberavit populum Israel a servitute Aegyptiorum, et Gabriel archangelus sanctae virgini Mariae laetum nuntium admirandi partus attulit, . . . Christus Dominus salutarem pertulit passionem* [10]). Christus igitur mortuus est anno p. i. 4742 vel 4748, aer. vulg. 29 vel 35.

108 *Petrus Chrysologus.* An. CDXXXIII. *Ante . . . diem VIII kalendarum mensis huius ianuarii, quo crescere dies coepit, quia dies verus illuxit, in carne natum Dominum Christum Iesum* narrat [11]). *Crucem supra tricesimum annum vitae corporalis ascendit* [12]).

109 *Cyclus paschalis annorum LXXXIV.* An. CDXXXVII. Ducitur ab anno aer. vulg. 354 ad an. 437. Est in codice vaticano intra saeculum VI aut VII exarato [13]). In eius fine haec leguntur: *Id est hic usque ad annum CCCC a passione Domini . . . explicit computus paschalis.* Postremus Cycli annus est aerae vulg. 437. Si auctoris sententia est annum quatercentesimum *a passione Domini* exiisse in huius anni pascha, Christi mors adscribenda erit anno p. i. 4750, aer. vulg. 37, sin incepisse, posteriori anno adscribetur. Annus aer. vulg. 37 fuit cycli vicesimus,

---

[1]) In *Mansi* Concilior. collect. T. V. coll. 294. [2]) In opp. *Leonis* T. I. p. 601 ed. *Ballerin.* [3]) In Is. XXIX, 1. [4]) In Is. XXXII, 10. [5]) Lege *Ballerin.* ib. p. 599. [6]) Histor. L. VI. c. 22; L. VII. cc. 1. 2. 3. [7]) Ib. L. I. c. 1. [8]) Ib. L. VII. c. 4. [9]) Ib. [10]) In Exod. quaest. LXXII. [11]) Serm. CLIX. [12]) Serm. CLI. [13]) In Apparatu Annal. *Baronii* p. 237 ed. *Mansi.*

annus 38 fuit vicesimus primus. Si hoc anno Christus mortuus esset, diem eius emortualem illum fuisse auctor putavit, qui est a. d. III id. april.; si anno superiore, alius esse is dies non potuit, quam a. d. XI kal. apr.

110 *Prosper Aquitanus.* An. CDXLIV. *Anno XLIV imperii Augusti . . . Iesus Christus nascitur. Colliguntur autem omnes anni ab Abraham exordio usque ad nativitatem Christi ex Maria duo millia XVIII seu XV* [1]). *Computantur itaque in annum XV imperii Tiberii Caesaris . . . ab anno, quo natus est Abraham, MMXLVII . . . sunt ergo omnes anni ab Adam usque in annum XV Tiberii Caesaris anni VCCCLX aut CCXXVIII, anni vero secundum geneseos scripturam et Africani historici computationem amplius inveniuntur CXXIX* [2]). Continuo ea sequuntur, quae Labbeus [3]) ceterique post ipsum ita ediderunt: *Quidam putant Dominum nostrum Iesum Christum XV anno regni Tiberii Caesaris, id est, duobus Geminis consulibus crucifixum, quo anno secundum indubitabilem Lucae evangelistae auctoritatem baptizatum eum esse manifestum est, et evangelium regni caelorum praedicare coepisse. Secundum vero Ioannis evangelium festivitati paschae Iudaeorum ter Dominum interfuisse cognoscimus, ut appareat tertium fuisse illud pascha, quod verus agnus suo sanguine consecravit. Proinde consules quidem a manifestatione Domini, id est, a Rufino Gemino et Rubellio Gemino consulibus, inchoamus, sed tertios ab iis consules dominicae passioni adscribimus, sequentes quod auctoritas tradidit et ratio.* Ipse tamen Labbeus nos docet in aliis codicibus haec ita esse: *Quidam ferunt anno XVIII Tiberii Iesum Christum passum, et argumentum huic rei ex evangelio assumunt Ioannis, in quo post quintumdecimum annum Tiberii Caesaris triennio Dominum praedicasse intelligitur. Sed, quia usitatior traditio habet Dominum nostrum XV anno Tiberii Caesaris duobus Geminis consulibus crucifixum, nos sine praeiudicio alterius opinionis successiones sequentium consulum a suis consulatibus ordiemur, manente adnotatione temporum, quae cuiusque imperium habuit. Incipit adnotatio consulum a passione Domini nostri Iesu Christi cum historia. Suffigio Gemino et Rubellio Gemino.* Sic Bucherius quoque haec retulit ex alio codice exscripta, levi verborum discrimine, verbi gratia, pro *a suis consulatibus* multo rectius apud eum legimus *a supradictis consulibus*, hoc est, a duobus Geminis [4]). Prosper, ubi Hierosolymae eversionem commemorat, haec addit: *Colligitur itaque omne tempus in secundum annum Vespasiani et novissimam Ierosolymorum eversionem a quintodecimo anno Tiberii Caesaris et ab exordio evangelicae praedicationis anni XLII*, nullaque in his notatur codicum discrepantia; illud tamen *initium evangelicae praedicationis* nihil est aliud, quam quod legitur in Lucae III, 1 seqq., neque hac re efficitur Prosperi sententiam esse Christum alio anno obiisse, quam XV imperii Tiberii, quum credere ipse potuerit, quod alii patres, iique non pauci, Christum uno dumtaxat anno vixisse post baptismum.

111 Est igitur, cur dubitemus, utrum Prosper Christum mortuum crediderit duobus Geminis coss., an tertio post anno. Veri tamen longe similius, ac mea quidem sententia pro explorato est, illam, non hanc, Prosperi esse opinionem. Etenim illa aetate mos erat annos numerare initio ducto, non a Christi baptismo, sed *a passione*; nemo autem non videt, ad id pertinere consulum notationem, quae est in Prosperi Chronico, videlicet ut harum annorum numerus tum facilius certiusque iniretur, tum evidentius pateret. Consules igitur, qui primi an Prospero nominantur, ii sint oportet, quibus consulatum gerentibus Christus abiit. Adde, quod Victorius quoque Aquitanus anno primo suae Periodi, quam duxit a Christi morte, eosdem hos ipsos duos Geminos consules adscripsit; consules autem, quibus singulos Periodi annos consignavit, e Prosperi Chronico exscripsisse iure creditur, id enim tum ipse Victorius, etsi non aperte dicat, satis tamen indicat in Canonis prologo, tum res ipsa credere suadet, quum Prosperi aequalis et conterraneus ille foret, quumque consulum enumerationi a duobus Geminis, aeque ac Prosper, initium fecerit, quum denique illud ipsum, quod Prosper (115) hac in re peccaverit, ipsos Geminos coss., non anno aerae vulg. 29, ut fieri oportebat, sed 28 adtribuens.

112 Aliud argumentum Theodosius XIV et Maximus coss. suppeditant. Hi consules fuerunt anno aerae vulg. 433, annoque huic a Prospero, ut oportuit, adscriptos eos esse, duo sunt, quae nos faciunt certiores. Primo, quod Prosper haec scripserit: *Theodosio XVIII et Albino coss. Hoc anno pascha Domini IX kal. maii celebratum est, nec erratum.* Hi consules in Chronico sunt undecimi post Theodosium XIV et Maximum coss., signant autem annum aer. vulg. 444, idque in ipso

[1]) Chronic. integr. [2]) Ib. [3]) Nov. biblioth. ms. T. I. p. 25. [4]) Doctr. tempor. Commentar. in Victorii Canon. pasch. c. 12. p. 212.

etiam Chronico, nota enim paschalis, quam Prosper adiecit, id evincit. Iam vero de annis 444 deme 11, supererunt anni 433. Deinde in Chronico haec legimus: *Antonio et Syagrio coss. Finis cycli quarti et exordium quinti*; bis nimirum consulibus, anno 382 incepit quintus cyclus paschalis annorum LXXXIV, quorum cyclorum primus incepisse dicitur in Chronico iis consulibus, qui vicesimi sunt e recensitis a Prospero. Quidquid sit de quatuor prioribus cyclis, huius quinti initium recte ab ipso compositum esse cum illis consulibus dubitare non est, tum quia hic cyclus ibat adhuc, quum ipse haec scribebat, proinde huius initium perspectum habuit procul dubio, tum quia ex aliis quoque scriptoribus compertum est unum horum cyclorum incepisse Antonio et Syagrio coss., hoc est, anno aer. vulg. 382. Numera consulatus, quos Prosper recenset inter hos consules interque Theodosium XIV et Maximum, comperiesque hos alteros anno aerae vulg. 433 a Prospero esse adsignatos. Absunt quidem illa verba *Finis cycli quarti et exordium quinti* ab aliquibus exemplaribus, sed mirum sane illud foret, ut Prosper priores cyclus adnotaverit, non autem qui ibat, quum ipse ea scriberet, quae sua ipsius aetate acciderant. Constat itaque Theodosium XIV et Maximum coss. suo sibi loco esse positos. Iam vero post horum nomina in quibusdam codicibus summae colliguntur annorum, qui usque ad hunc consulatum fuerunt, initio ducto sive ab Adamo, sive a Diluvio, sive ab Abrahamo, sive aliunde, his verbis: *Colliguntur omnes anni usque ad consulatum Theodosii* XIV *et Maximi a* XV *Tiberii anno et passione Domini anni* CDVI. Videlicet hi consules fuerunt quatercentesimi sexti ab illis, quibus Christus mortem oppetiit, ita tamen, ut summa non constet, nisi primi in hoc numero sint duo Gemini. Duobus igitur Geminis consulibus Christi mortem Prosper consignavit. At enim non omnia Chronici exemplaria habent illas annorum summas adscriptas Theodosio XIV et Maximo coss. Esto. Verum utrum dicamus? in his exemplaribus librarii sive arbitrio sive incuria omissas esse, an aliis aliena manu intrusas? At, si hoc posterius dixeris, caussam afferas necesse erit, cur hoc in loco, non autem in fine Chronici, id librarius fecerit. E contrario caussam facile deprehendimus, cur hoc in loco illae summae scriptae sint, si Prosper ipse illas adiecit. Creditur enim non simul uno tempore integrum Chronicon edidisse, sed primo Eusebii et Hieronymi Chronica produxisse usque ad Theodosium XIV et Maximum coss., primoque hoc opere absoluto annorum summas, ut Hieronymus fecerat, collegisse deinde addidisse duodecim annos usque ad Valentinianum VI et Nonium coss. annumque aer. vulg. 445, deinque postremum decennium usque ad Valentiniani III obitum annumque 455. Lege, quae hac de re Bucherius edisseruit [1]).

113 Illud quoque advertere est, quod, si Prosper Christum mortuum putasset anno duodevicesimo imperii Tiberii, utique post consulum, qui hoc anno fuere, nomina eius mortis mentio facta ab eo esset, neque enim deberi poterat; verum ne unum quidem verbum hac de re, quod tamen a Prospero omissum esse suspicari non est. Denique in *Chronici Auctario*, quod saeculo VII aut VIII exaratum et e vaticana bibliotheca depromptum Mansius primo [2]) deinde Roncallius [3]) ediderunt, haec leguntur: *Prosperius presbyter usque ad annum* XV *Tiberii Caesaris, id est, duobus Geminis* consulibus, *quo Dominus Iesus Christus passus est, annos* VCCXXVIII *exponit*.

114 Quominus autem credamus Christi mortem a Prospero consignatam esse duobus Geminis consulibus, illud obstare nequit, quod Christum natum dixerit anno imperii Augusti XLIV, qui annus primus est aerae vulgaris; ex quo consequeretur, Christum vixisse annos 27 mens. 3. Nam nota haec XLIV illi verius debetur, qui medicam, ut ipse sibi videbatur, manum Chronico adhibere ausus est, quique mox annos mundi 2018 pro 2015 adnotavit, eumque imperii Tiberii XV in XVIII convertit.

115 Restat quaerere, an duo Gemini annum aerae vulg. 29, quo consulatum gesserunt, an alium annum signent in Prosperi Chronico, id est, an Prosper his consulibus suum sibi locum adsignaverit. Vidimus iam (112) Theodosium XIV et Maximum coss. recte positos esse adscriptusque, ut oportuit, anno aerae vulg. 433. Si consulatus numeres, qui sunt in Chronico a duobus Geminis ad Theodosium XIV et Maximum, utrisque in numero comprehensis non plures colliges, quam 404. Si ergo quatercentesimus quartus horum consulatuum, quem Theodosius XIV et Maximus gesserunt, incidit in annum aer. vulg. 433, primus, quem gessere duo Gemini, in annum 30 incidere debuit. Attamen

---

[1]) Doctr. tempor. in Victor. Canon. c. 12. [2]) Apparat. ad *Baron*. Annal. ed. *Mansi* p. 229. [3]) Vetustiora Latin. Chronica s. IV.

nullus dubito e Chronici exemplaribus duos consulatus excidisse, integrumque numerum a Prospero recensitum esse 406, ita ut duo Gemini signent annum aerae vulgar. 28. Cur sic credam, duo mihi sunt argumenta. Primum est, quod Victorius Aquitanus (120), qui, ut diximus (111), a Prospero consules accepit, quos suo Canoni adponeret, duos Geminos adscripsit anno aer. vulg. 28, sextos autem et quatercentesimos ab his Theodosium XIV et Maximum anno 433. Alterum est, quod, quum Prosper scripserit, *a XV Tiberii anno et passione Domini* ad Theodosium XIV et Maximum annos esse CDVI, necesse est hos esse saltem quatercentesimos sextos ab illis consulibus, quibus Christus mortem obiit, quumque hi signent annum aer. vulg. 433, illi annum 28 signare dicendi omnino sunt. Inferius reperies scriptores, quos constat Prosperi ratiocinia sequutos esse, quique Christi mortem duosque Geminos consules anno aer. vulg. 28 adscripsere (122. 137. 196). Scilicet annos *a passione* Prosper ita, ut Victorius, numerat initio ducto a kalendis ianuar. illius anni, quo Christum mortuum putavit; a kalendis autem ianuar. anni aer. vulgar. 28 ad diem prid. kal. ianuar. postremumque anni 433 numerus annorum 406 exactus est.

116 *Idatius Lemicensis.* An. CDXLIV. Scripsit is Chronicon initio sumpto ab anno I imperii Theodosii, qui annus est p. i. 5092, aer. vulg. 379, aerae hispanicae 417; item consulum album a Bruto et Collatino ad Anthemii imperium, quod tamen opus an Idatio sit adiudicandum, nonnulli dubitant. In eo haec leguntur: *Octaviano XIII et Silano. His consulibus natus est Christus die VIII kal. ianuar.*, an. p. i. 4713. . . . *Rufo et Rubellione. His consulibus passus est Christus die decimo kalendas aprilis, et resurrexit VIII kalendas easdem.* His ipsis consulibus in codicis margine haec sunt, quae confirmant Christi mortem huic anno adscriptam esse ab Idatio. *Cum Ioannis evangelium doceat Dominum salvatorem nostrum tribus annis post baptismum docuisse, ad quod venit tricesimo aetatis suae anno, sicut in imperio Tiberii habetur adscriptum, in hoc loco per consules error annorum est, nisi si de Rufo et Rebellione in tertium ordinem consulum supputatio pertendat.* Non dubito, quin huius adnotationis scriptori debeamus illa *die decimo kalendas aprilis* et, VIII *kalendas easdem*, quibus diebus si Christus mortuus esset et revixisset, utique tertiis consulibus *a Rufo et Rebellione*, id est, anno p. i. 4744, aer. vulg. 31, haec facta esse dicenda forent, anno enim p. i. 4742, aer. vulg. 29, quo hi duo consules fuerunt, dies X kal. april. incidit in feriam IV, dies VIII in feriam VI. Missa ea facimus, quae in altero libro *Collectionis historicae* a Canisio editae [1]) Idatio auctori affinguntur [2]).

117 *Basilius Seleuciensis.* An. CDXLVIII. *Anni . . . Augusti post mortem Cleopatrae μγ'* XLIII fuerunt [3]). Recte; Cleopatra enim vita decessit initio autumni anni p. i. 4684, Augustus post mediam aestatem anni p. i. 4727. *Regnante hoc natus est Christus secundum carnem anno κθ'* XXIX, a Cleopatrae morte videlicet, qui, quum Basilius annorum initium ducat ab autumno, is enim mos erat suarum regionum, exiit in autumnum anni p. i. 4713. In *Laudatione sancti Stephani* diem Christi natalem esse ait VIII kal. ianuar. Natum ergo hunc putavit a. d. VIII kal. ianuar. an. p. i. 4712. *Tiberius Caesar annis κβ'* XXII. *Huius imperii anno ιη'* XVIII . . . *Salvator crucifixus* [4]). Annus iste XVIII exiit in a. d. XV kal. sept. a. p. i. 4745, aer. vulg. 32. Huius ergo anni paschati Christi mortem Basilius adscripsit. Vixisset Christus ann. XXII mens. III. In latina huius orationis interpretatione a Turriano confecta pro XVIII legitur XIX.

117* *Polemius Silvius.* An. CDXLVII. *Ianuarius . . .* VIII *id. Epiphania, quo die . . . in amne Iordane Salvator baptizatus est* — VIII *kal. april. . . . Christus passus hodie* — VIII *kal. ian. Natalis Domini corporalis* [5]).

118 *Auctor ἀνώνυμος* homiliae de Christi natali olim Chrysostomo affictae [6]). An. CDL. Christum natum esse affirmat a. d. VIII kal. ianuar., idque, inquit, *Petrus* . . . IN OCCIDENTE *nos docuit.* Fuit ergo homo latinus, non graecus. Contra morem autem Hierosolymitarum diem Christi natalem celebrantium a. d. VIII id. ianuar. ita pronuntiat: *Universus mundus contra huius provinciae opinionem loquitur*; scribebat igitur ante annum aer. vulg. CDLVIII [7]). *Iudaei regnabant post ascensionem Domini quadraginta duobus annis. . . . Post quadraginta duos annos venit Vespasianus et Titus, subversa Hierosolyma . . . omnes eiecerunt.* Quod quum evenerit kalend. septembr. an. p. i. 4783, aer. vulg. 70, consequeretur Christi obitum incidisse in annum p. i. 4741, aer. vulg. 28, quod con-

[1]) Lection. antiq. *nunc.* Thesaur. monumentor. ecclesiast. ed. *Basnagii* T. II. [2]) Lege *Basnagii* Observat. n. IV ib. p. 149. [3]) Demonstr. adv. Iudaeos in *Basnagii* Thesauro T. I. p. 240. [4]) Demonstr. adv. Iud. p. 249. [5]) Kalendar. apud *Bolland.* Praef. gener. in vitas sanctor. c. IV. § III. [6]) Opp. *Chrysost.* T. II. coll. 1162. Paris 1581. [7]) Lege Dissert. XXI. nn. 23. 24.

sonat computatinnibus Prosperi (115) et Victorii Aquitani (120). Quum tamen illa *post quadraginta duos annos* significare idem possint ac *anno quadragesimo secundo*, iis potius scriptorem hunc adnumerandum putarem, qui Christum mortuum dixerunt duobus Geminis coss., an. p. i. 4742, aer. vulg. 29.

119 *Scriptor libri De praedictionibus et promissionibus Dei.* An. CDLIII. Hic Prosper olim creditus est. *Caput nostrum triginta annorum dignatum est crucifigi* [1]. *Paulus dicit apostolus: Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi. In quam sancti . . . ad tricennalem inventutem, in qua Christus Dominus passus, transeant cum ipso rege suo* [2]).

120 *Victorius Aquitanus.* An. CDLVII. Canonem paschalem confecit annos complectentem 532, in cuius praefatione ita loquitur: *A mundi origine usque ad Constantinum et Rufum praesentes consules* V̄DCLVIII *anni referuntur . . .* VIII *kalendarum aprilium mundus traditur institutus* [3]). *Restabat inquiri si lunae dinumeratio . . . pari lege transactis praesentibusque temporibus consonaret. Quam tot saeculis computatam, et kalend. ianuar.* III *feria, luna* XX, *et* VIII *kal. april. feria* II *luna* XIV, *Constantino et Rufo coss. perseveranti ratione provenisse compertum est* [4]). *A mundi principio . . . usque in diem, quo filii Israel paschale mysterium caelesti initiavere mandato, . . . anni* ĪIIDCLXXXIX, *quinta feria,* IX *kal. april., luna* XIII, *incipiente iam vespera, docentur impleti. Cuius sequenti die, tertiomillesimo scilicet anno ac sexcentesimo nonagesimo procedente, mense primo,* VI *feria,* VIII *kal. aprilis, luna* XIV, *noctis initio Hebraeos claruit agni sacrificium peregisse. . . . Passum autem Dominum nostrum Iesum Christum peractis* V̄CCXXVIII *annis ab ortu mundi eadem Chronicorum relatione monstratur. Quod gestum inchoante* XXIX supra V̄CC *anno non potest dubitari; siquidem* VIII *kalendas aprilis, primo mense, luna* XIV, *vespere procedente, sicut ab initio creaturae quarta die facta est, coepisse docealur, adinnetisque bissextis ad summam* V̄CCXXVIII *annorum, sequenti* IX *et* XX supra V̄CC *anno,* V *feria, docet se traditione praeventum. Primo vero azymorum die Dominus Iesus Christus . . . ad montem Oliveti . . . progressus, ibique detentus est a Iudaeis, tradente discipulo. Deinde* VI *feria subsequente, id est,* VII *kalendas aprilis, crucifixus est et sepultus. Tertia die, hoc est,* V *kalendas aprilis, dominica, surrexit a mortuis* [5]). *Ex tempore dominicae passionis, diebus kalendarum ianuarium . . . a duobus Geminis, Rufo scilicet et Rubellio, usque ad consulatum Constantini et Rufi . . . CCC et* XXX anni [6]). Anno primo Cannnis Victorius haec adscripsit: *Crucifixio Christi, consulibus duobus Geminis Ruffino et Rubellio.* Item haec: *Bissext., kalend. ianuar. fer.* V, *aetas lunae in kalend. ianuar.* XIX, *paschae dies* V *kal. april., aetas lunae in die paschatis* XVI. Mundi annis, ut ex his apparet, initium facit ex a. d. VIII kal. april. Constantinus et Rufus coss. signant annum aer. vulg. 457. Quare liquet Christi obitum a Victorio adscribi duobus Geminis coss., horum tamen consulatum, eodem nimirum errore, quo Prosper, Victorii aequalis et conterraneus abreptus fuerat (115), uno ante anno, quam rei veritas exigit, gestum dici, anno, inquam, aer. vulg. 28 pro 29.

121 *Euthalius Sulcensis.* An. CDLVIII. Post relata vetustioris scriptoris verba de Pauli martyrio (90), quod factum fuerit *anno a salutari Christi passione tricesimo sexto, quinto die mensis panemi secundum Syromacedonas, quae apud Aegyptios dicitur quinta mensis epiphi, apud Romanos vero* III *kal. iul.*, ita ut *summa totius temporis, ex quo martyrium sustinuit, trecentorum et triginta annorum sit usque ad . . . consulatum quartum quidem Arcadii, tertium vero Honorii, fratrum, imperatorum Augustorum, indictione nona periodi quindecennalis, vicesimo nono die mensis iunii,* an aer. vulg. 396, haec ipse Euthalius subiunxit: *Ἐσημειωσάμην ἀκριβῶς τὸν χρόνον τοῦ μαρτυρίου Παύλου ἀποστόλου καὶ ἀπὸ τῆς ὑπατείας τετάρτης μὲν Ἀρκαδίου τρίτης δὲ Ὁνωρίου μέχρι τῆς παρούσης ταύτης ὑπατείας πρώτης Λέοντος Αὐγούστου, ἰνδικτιῶνος δωδεκάτης, ἐπιφὶ ε΄, Διοκλητιανοῦ ροδ΄, ἔτη ξγ΄· ὡς εἶναι τὰ πάντα ἀπὸ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν παρουσίας μέχρι τοῦ προκειμένου ἔτους ἔτη τετρακόσια ἑξήκοντα δύο. Signavimus diligenter tempus martyrii Pauli apostoli. Et a consulatu quarto quidem Arcadii tertio autem Honorii usque ad praesentem hunc consulatum primum Leonis Augusti, indictionis duodecimae, epiphi* V, iunii 29, *Diocletiani* CLXXIV, *anni* LXIII. *Ut sint omnes a Salvatoris nostri adventu usque ad praedictum annum anni quatercenti sexaginta duo* [7]).

---

[1]) De praedict. et promiss. Dei P. I. c. 7. [2]) De gloria sanctor. c. 2. [3]) Canon. pasch. praef. § 7. [4]) Ib. § 8. [5]) Ib. § 9. [6]) Ib. § 10. [7]) Prolog. in quatuordec. epist. Pauli, in fine.

Arcadius IV Honorius III coss. fuerunt anno p. i. 5109, aer. vulg. 396, Leo Augustus et Maioranus coss. an. p. i. 5171, aer. vulg. 458. Annus Diocletiani 174 Aegyptiis exiit in diem prid. neomeniae thoth, hoc est, a. d. V kal. septembr. anni p. i. 5171, aer. vulg. 458. A die 20 iunii anni p. i. 5109 ad diem 29 iunii anni p. i. 5171 anni sunt 62; annus igitur 63, quem Euthalius dicit, non ille est, qui finem habuit, sed qui incepit die 29 iunii anni p. i. 5171. Quare annus quoque 462 ***a Salvatoris nostri adventu*** ille esse putandus est, qui illo die ibat, quo die annus quoque ibat Diocletiani 174. Animadverte, ut eodem illo die indictio esset, non XII, ut legitur, sed XI; illud autem *δωδεκάτης* ipsi Euthalio excidisse dicerem, ut qui scriberet illo quidem anno p. i. 5171, tamen post mensem augustum; quod sane verius videtur, quam quod Zaccagnius coniecit [1]), ***Euthalium antiochenam indictionem intelligere***, quum nec veri simile sit hanc Euthalium Aegyptium esse sequutum, et iure dubitetur, an indictio haec antiochena unquam exstiterit, nisi eu fortasse sit, quae ex aera mundi antiochena colligitur, aut ex iulinna Antiochenorum aera (146). Iam vero annus ille ***ab incarnatione*** 462, qui ibat die 29 iunii an. p. i. 5171, vel ipso die incarnationis vernoque huius ipsius anni p. i. inceperat, vel eodem initio cum anno Aegyptiorum a. d. IV kal. sept. superioris anni p. i. 5170 ita ut esset ipse annus 174 Diocletiani. Utrumvis dixeris, incarnationem ex Euthalii opinione factam esse ponas necesse est verno anni p. i. 4710; neque enim suspicari est Euthalium contra communem suae aetatis sententiam putasse Christum conceptum alio anni tempore ac verno. Idem ipse Euthalius haec quoque scripsit: ***Comperio passionem Salvatoris nostri ἐν ὀκτωκαιδεκάτῳ in decimo octavo anno Tiberii Caesaris factam*** [2]). Annus iste XVIII Aegyptiis desiit pridie neomeniae thoth an. p. i. 4744, aer. vulg. 31. Huius ergo anni paschate Christum crucifixum fuisse ille putavit, impletis vitae annis XXXIII mens. III. Euthalii itaque ratiocinia, quod ad annos incarnationis, minime respondent scriptoris illius vetustioris sententiae, quam ipse retulit ad annum definiendum, quo Paulus est interemptus. Lege, quae de illo scriptore disseruimus (90). Quod si credere malis Euthalium ab eo non dissensisse, id non alia ratione evinces, nisi dicas annum incarnationis 462 ab Euthalio commemoratum incepisse una cum anno Diocletiani 175 die neomeniae thoth, quae fuit a. d. IV kal. sept. an. p. i. 5171, aer. vulg. 458; quod vereor ut aliud sit, quam vim verbis inferre.

122 ***Chronographus vaticanus.*** An. CDLXIV. Hic Prosperi Chronicon in breve coegit, protraxitque usque ad Leonem Augustum III et Tatianum coss. ann. aer. vulg. 466. Editus primo fuit a Mausio [3]), deinde a Roncallio [4]), ab utroque ex codice vaticano alexandrino n. 2077. In eo haec legimus: ***Anno a passione*** CCCLXI ***Theodosio*** I ***et Cynegio*** coss. ***Maximus tyrannus Aquileia occiditur.*** Constat legendum esse ***Theodosio*** II, ipseque auctor id nos docet, apud quem quinto post anno Theodosius III et Abundantius coss. nominantur. Theodosius II et Cynegius coss. et Maximi caedes, quae facta est a. d. V kal. august., annum p. i. 5101, aer. vulg. 388, certo signant; quare quod ad annum Christi emortualem hic scriptor Prosperi sententiam sequutus est, Christique obitum anno p. i. 4741, aer. vulg. 28, consignavit, proinde putandus quoque est huic anno duorum Geminorum consulatum adscripsisse.

123 ***Chronographus Cuspiniani.*** An. CDXCIII. De hoc scriptore plene egit Roncallius [5]). ***Augusto*** XII ***et Silano. His consulibus Christus natus est*** VIII ***kal. ianuar.*** E consulum serie apparet consulatuum, quos Augustus gessit, notas perperam ab hoc chronographo esse positos, rescribendumque: ***Augusto*** XIII ***et Silano***, qui consules annum signant p. i. 4712. ***Duobus Geminis. His consulibus passus est Christus*** VIII ***kal. april.*** Neque illud curandum, sive quod inter Augustum XII et Silanum coss. interque duos Geminos reperiantur in hoc opusculo 31 aut 32 consulatus, etsi non plures fuerint, quam 29, sive quod ex annis aer. vulg. in margine adnotatis annus 31 respondeat duorum Geminorum consulatui; nam in primis Chronici paginis consulum series mendis scatet, anni autem aerae vulg. non ab auctore additi sunt, neque addi potuerunt, sed ab eo, qui codicem descripsit, quique, quum posteriores Chronici consules suis quosque annis consignasset, per superiores consulatus veluti regrediens his eas annorum notas adposuit, quas retrogradus numerorum ordo postulabat, ne suspicatus quidem ipsos consulatus perperam esse descriptos.

---

[1]) Collectan. monumentor. veter. Praef. § 51. [2]) L. c. § 3. [3]) In *Pagii* Apparatu Annalium Baronii p. 223. Lucae 1740. [4]) Vetustior. Latinorum scriptor. Chronica n. 4. [5]) L. c. n. VIII.

SAECULUM VI

• 124 ***Chronographus barbarolatinus Scaligeri.*** An. DI.[1]). Unnm atqne idem hoc opus est ac ***Chronicum puteanum Cuiaci***[2]). Ex scriptoris hnius farragine haec colligere licet. ***Dissipatus est Ptolomaeorum principatus sub Octaviano Augusto Romanorum imperatare sub imperium eius anno*** XIV[3]). ***Augustus regnavit ann.*** LVI, ***dedit***, volnit dicere gessit, ***consulatus*** XIII[4]). ***Missus est angelus Gabriel ad Mariam Virginem sub Augusto tertiodecimo*** cos., ***octavo kalendarum aprilium.... Augusto et Silvano. Hisdem consulibus Dominus noster Iesus Christus natus est sub Augusto,*** VIII ***kal. ianuar. . . . In ipsa enim die, qua natus est, pastores viderunt stellam, chuac,*** id est mensis choeac die XXVIII. ***Fiunt vero ab Adam usque ad nativitatem Domini nostri Iesu Christi anni*** V ***millia quingenti***[5]). ***Mysterium agebat cum discipulis suis sub consulatu Rubellionis*** IX ***kal. april. . . . Traditus est autem Dominus noster Iesus Christus a Iuda sub consulatu Rubellionis*** VIII ***kal. april. . . . Dominus noster Iesus Christus crucifixus est sub consulatu Rubellionis*** VIII ***kal. april., quod est phamenoth*** XXIX . . . ***Surrexit autem Dominus noster Iesus Christus sub consulatu Rubellionis*** VI ***kal. april.***[6]). Christns igitur ortns est die VIII kal. januar. an. p. i. 4712, mortnus VIII kalend. april. an. p. i. 4742. aer. vulg. 29, qnum annos implesset XXIX mens. III. Notare illud invat, ab hoc scriptore diem VIII kalend. ianuar. compnni cum die 28 choeao, eadem fortasse de canssa,* quae Cosmae Indicopleustae fuisse videtur cur id, etsi per errorem, faceret. Lege Dissertationem XXI. n. 24.

125 ***Auctor homiliae De solstitiis et aequinoctiis.*** An. DI.[7]). Hnmo latinus is fuit, quem non serins vixisse, qnam inito saeculo VI, iis de canssis censeo, quas in alio loco[8]) expnsui. ***Conceptus est ergo Dominus noster*** VIII ***kalendas aprilis, mense martio, qui est dies paschae passionis Domini et conceptionis eius. In qua enim die conceptus est, in eadem et passus est . . .*** VIII ***kal. ianuar. . . . Christus mundo natus est***[9]). Si dies Christi emortnalis fuit VIII kal. april., nnn alius fnisse putandus est qnam p. i. 4742, aer. vulg. 29, vel. p. i. 4748, aer. vulg. 35.

126 ***Ignatii interpolator.*** An. DI. Christns *τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος* ***quum tria decennia egisset, baptizatus est . . .*** *καὶ γ' ἐνιαυτοὺς κηρύξας* ***et, quum triennio praedicasset, mortuus est***[10]). Haec verba relata sunt in Chronicnn paschale[11]).

127 ***Cassiodorus.*** An. DXIV. ***C. Lentulus et M. Messala. His. coss. Dominus noster Iesus Christus filius Dei in Bethlehem nascitur anno imperii Augusti*** XLI, p. i. 4711. ***Tiberius Caesar*** V ***coss. His coss. Dominus noster Iesus Christus passus est*** VIII ***kalend. april.*** Tum qnintus Tiberii cnnsnlatus, tum cousnlum series quae integra est in his Cassiodori paginis, dubitare non sinnnt Christi obitum a Cassiodoro adscribi anno p. i. 4744, aer. vnlg. 31. Verum hoc anno dies VIII kal. april. non sextns hebdomadae fuit, sed primus.

128 ***Dionysius Exiguus.*** An. DXXXIII. Incarnationem adscripsit diei VIII kal. april., ortum autem Christi diei VIII kal. iannar. anni p. i. 4714, aer. vnlg. 1, ut, si ad annos ipsna spectes, alia non sit aera dionysiana quam vulgaris, qnod contra Petavinm et Pagium Norisius et Sanclementius omnino vicerunt (34). Utrum autem, qund Sanclementius contendit, utriusque aerae cardines qnnque iidem sint, atqne secnndnm aeram quoqne vnlgarem incarnatio atque ortns Christi anno p. i. 4714 sint consignandi, non autem, ut Petavius, Pagius, Norisius, aliiqne plnrimi censent, anno p. i. 4713, in praesenti dispntare nec vacat nec refert.

129 ***Marcellinus Comes.*** An. DXXXIV. His Chronicon suum conclusit: ***Collectio omnium annorum istius Chronici. Colliguntur omnes anni usque ad consulatum Valentis*** VI ***et Valentiniani iunioris Augg. primum a*** XV ***anno Tiberii et praedicatione Domini nostri Iesu Christi anni*** CCCLI. . . . ***Fiunt igitur ab Adam ad*** XIV ***Valentis annum, id est, usque ad consulatum eius*** VI ***et Valentiniani iunioris omnes anni*** V̄DLXXIX. ***A Valente*** VI ***et Valentiniano iuniore ad consulatum Eudocii colliguntur*** LXIV ***anni, et per hoc a*** XV ***Tiberii anno, quo Dominus praedicare coepit, ad consulatum Eudocii et Dioscori sunt anni*** CDXI. . . . ***Ab urbe Roma condita usque ad adventum Domini anni*** DCCLII, ***et ab eadem conditione usque ad passionem Domini anni*** DCCLXXI.

---

1) In *Scaligeri* Thesaur. tempor. in fine Chronicor. latinor. Amstelod. 1658. 2) ***Ducange*** Praef. Chronic. pasch. §§ V. VI. 3) In *Scal.* l. c. p. 79. 4) Ib. p. 80. 5) Ib. p. 81. 6) Ib. p. 82. 7) Inter opp. *Chrysost.* T. II. p. 1153. Paris 1581. 8) Diss. XXVII. c. II. n. 43. 9) L. c. coll. 1157. 10) Ep. ad Trullian. § 10. 11) Ann. XVIII Tiber. p. 222.

Et a passione usque ad consulatum Eustochii vel *Eustachii anni* CCCXCII. *Simul ab Urbe condita usque ad praedictum consulatum colliguntur anni* MCLXXV. *Usque ad consulatum D. Theodosii* XV *fiunt anni* MCLXXXIX. . . . *Passus est Dominus noster Iesus Christus a constitutione mundi post annos* $\overline{V}$CCXXIX. . . . *A passione Domini usque ad cousulatum Eustochii* vel *Enstachii anni sunt* CCCXCIV, *et usque ad consulatum D. N. Theodosii* XV *anni sunt* CDIX. Aliqaas ex bis numerorum notis mendosas esse nemo uon videt, quas tamen facile est emeudare. Illad gravius, quod eae miuus cohaereant, aliaeque aliis discrepent, ita ut credam non omnes ab uno atque eodem scriptore profectas. Marcellinus quidem in Prologo ait Chrouicon a se perductum esse usque ad quartum Iustiai cousulatum, qaem is gessit amo aer vulg. 534; quare, quaecumque post hunc anuum Chronicou habet, alterias opus sunt. Fieri itaque potuit, ut hic alter anuorum summis a Marcellino collectis alius admisceret. Ipse notarum ordo implexns utque praeposterus id confirmat. Tum, si illum Valentis et Valentiniani iunioris consnlatnm excipias, post buac enim coutiauo Chrouicon incipit, uou apparet quinam locus sit ceteris, ad qnos uaque unuorum summae colliguutur. Sed videamns quid ex bis notis extricare sit. Valens VI Valentinianus II coss. fuerunt aaao U. C. 1131, aer. vulg. 378, Eustathius, pro qno Eustochius vel Eustachius legitur in Chronico et Agricola coss. an. U. C. 1174, aer. vulg. 421, Theodosius XV Valeutiuianas IV coss. an. U. C. 1188, aer. vulg. 435, Eudocius vel Eudoxius et Dioscorus coss. un. U. C. 1195, uer. vulg. 442. Ab anais mundi 5579 et uer. vulg. 378 detrahe annos 351. sapererunt anni mundi 5228, aer. vulg. 27. Sed anno XV imperii Tiberii citissimam initium apad Romanos fait kalendis ianuar. an. p. i. 4741, aer. vulg. 28. Hic igitnr annus iu summa anuoram 351 comprehenditur, intraque baac anuam mundi 5529, aer. vulg. 28, Christns docere coepisse diceudas est secandum has rationes. Hoc ipsum colligitur ex annis, qui a XV anuo imperii Tiberii fuere usqae ad Eudoxium et Dioscoram coss., aenumque aer. vulg. 442; dicantur enim fuisse anni 411. aed legendum 415, de fncili autem potuit CDXV verti ia CDXI. At uotarum, quae seqnuntar, pnrs Christi obitum auno p. i. 4741, aer. vulg. 28, pars anno insequenti adscribere suadent. Fruatra foret plura de his coniicere velle.

130 *Chronographus Cuspiniani alter.* Aa. DXXXV. Haias fastis consuluribas Cuspiuiauuu usus eat, eosque edidit Ioaunes Georgius Eccardus [1]) postque huno Roucallius [2]). Hi fasti ita incipiunt: *Levatus est primus imperator Romae Gaüs Iulius Caesar. Gaio Iulio Caesare et Autonino,* qai sunt primi horum fastorum consules. Apnd Roncallium haec leguutur: *Augusto* XI *et Spulla. His coss. natus est Christus in Betleem Iudae sub Herode rege* VIII *kal. ian., die prima luna* XV. Ast apud Eccardam: *Augusto* XIII *et Syla. His coss. natns est Christus*, itaque in ipso codice Caspinianus legebat [3]). Ratio discrepantiue est, qnod iu his fustis, ut eos edidit Roucallius, usqae ad Christi ortum quadrugintaseptem dumtaxat consulatus uumerautur, ast apud Eccardum quinquaginta duo, quippe qaia is post *Augnstum* XI *et Spyllam* quinque cousulatus habet, quos Roncallius omisit; miuime autem ab ipso Cbronici scriptore omissos fuisse apparet ex annorum snmmis, qaus meutioui ortus Cbristi is aubiuaxit: *A Gaio Iulio Caesare,* iuqait, *usque ad nativitatem Domini anni* LII, *ab Adam autem anni* $\overline{V}$D, quae summa annoram $\overline{V}$D non coustabit, nisi a Caesare ad Christi ortam anni sint 52, attamen secandum haius scriptoris ratiociuia. Cur autem illos quinque consulatus Roncallius omiserit, eam caussam faisse putarem, quam ipse in pruefatioue iudicavit [4]). Ast quiuam aanua est, cui Cbronographus iste Augnstum XIII et Syllam coss. adscripsit? perversus enim ab eo est consulatuum ordo. Augustus XIII M. Plautins Sylvauus coss. utique faeruut anno U. C. 752, p. i. 4712, hosque huic anuo a Chrouographo adscriptos esse efficitur tum ex continaa serie sexdecim conaulatuum ad bunc uaque, in quibus consulum nomiua ita ille protulit, ut satis appareat siugulos suo aibi loco positos esse, tum ex numero cousulum, qui fuerunt ab illis quibua Caesaris uex in bnc opasculo adscripta est. Itaque acriptor iste Christum natum putavit VIII kal. iauuar. an. p. i. 4712, quo tamen auno diea VIII kal. ianuar. primus hebdomadue esse nou potuit. Exinde consulam series prorsus turbata est. Haec quidem adnotata invenies: *Ruffio Gemino et Rebellio Gemino. His coss. Christus passus est* VIII *kal. april., die veneris, luna* XIII, iu margine XIV, *anno* XXXI *adventus eius*; quae auno Christi natali sapra commemorato sane apte respondeut, nam die 25 martii au. p. i. 4742 incepit anuas XXXI *adventus*, id est, iucarnationis, siquidem auctor bauo adscripsit diei 25 martii, quod miuime dubium videtur. *Nigro et Aproniano. Fiunt a passione Domini usque ad consulatum Nigri et Aproniani anni* LXXXIV. Hi cousales

---

[1]) Corpus historicor. med. aevi T. I. col. 4t. [2]) Op. cit. a. IX. [3]) De consulib. ad an. U. C. 750. [4]) L. c. in fin.

fuerunt anno aer. vulg. 117; quo posito Christus obiisse dicendus est non ante an. aer. vulg. 33. *Fiunt ergo ob adventu Domini usque ad consulatum Viatoris anni D, ab Adam autem anni* VI *millia.* Flavius Viator consulatum gessit anno p. i. 5208, aer. vulg. 495, proinde annus Christi natalis serior esse non posset anno p. i. 4709. Non ergo ratio habenda est computationum, quas hic scriptor fecit, sed quibus consulibus Christum natum mortuumque dixit.

131 *Chronicon edessenum.* An. DXXXIX [1]). Adpositi sunt huic Chronico Syriaca lingua conscripto anni aerae Seleucidarum antiochenae, annis tamen initium est kalend. septembr. [2]). *Anno trecentesimo nono Dominus noster natus est* [3]), hoc est, anno p. i. 4710.

132 *Iornandes Ravennas.* An. DLII. *Augustus . . . regnans per annos* LXII [4]), lege LVII, quod facile fuit cum LXII commutare, ipseque Iornandes inferius [5]) ita legendum esse nos docet. Augusti *quadragesimo secundo imperii Dominus noster Iesus Christus de sancta virgine natus, . . . ab urbis autem Romae conditione* DCCIV [6]), lege DCCLII; nam reges rerum potitos ait annis 253, exinde consules usque ad Augustum annis 458 [7]), hoc est, usque ad Pansam et Hirtium coss. [8]), quibus consulibus annus U. C. 711 primusque Augusti imperantis signatur, ita ut annus XLII huius imperii sit annus U. C. 752, cuius nota DCCLII levi linearum inflexu in DCCLV converti potest. *Augustum . . . orbem venientis Iesu Christi nativitate pacatum censeri praecepit, regnavitque annos quinquaginta sex. Sed imperii eius secundo ac quadragesimo anno Dominus noster Iesus Christus . . . nasci dignatus est. Quatuordecim residuos annos, post Domini adventum corporali praesentia, in pace regnans . . . rebus excessit humanis* [9]). Augustus imperavit an. LVI mens. IV, proinde eius tempus imperii παχυλως definiri potest annis sive LVI, sive LVII. *Tiberius Augustus Caesar regnavit annos vigintitres. . . . Huius vero anno decimo octavo Dominus noster Iesus Christus passus est* [10]), hoc est, anno p. i. 4745, aer. vulg. 32. Vixisset itaque an. XXXII m. III; neque enim est, cur suspicemur a Iornande diem Christi natalem alium poni, quam qui est a. d. VIII kal. ianuar.

133 *Cyrillus Scythopolites.* An. DLV. *Euthymius . . .* τη νυκτι του σαββατου . . . κατα την εἰκαδα του ἰανουαριου μηνος της ἑνδεκατης ἰνδικτου, ἀπο μεν κτισεως κοσμου . . . ἐτους πεμπτου ἑξηκοστου ἐνακοσιοστου πεντακισχιλιοστου, ἀπο δε της του θεου λογου ἐκ παρθενου ἐνανθρωπησεως και κατα σαρκα γεννησεως ἐτους πεμπτου ἑξηκοστου τετρακοσιοστου *nocte Sabbati . . . vicesimo die ianuarii mensis undecimae indictionis, a creatione quidem mundi . . . anno quinquies millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, a Verbi Dei autem ex virgine incarnatione et secundum carnem nativitatem anno quatercentesimo sexagesimo quinto, secundum descripta tempora a sanctis patribus Hippolyta antiquo et apostolis noto, Epiphanio Cypriota, et Herone philosopho et confessore, . . .* ἐπι της πεμπτης Λεοντος του βασιλεως ὑπατειας, τῳ ἑξκαιδεκατῳ ἐτει της αὐτου βασιλειας *quinto Leonis imperatoris consulatu, sexto decimo anno eius imperii, finem vivendi fecit* [11]). *Sabbas* κατα την πεμπτην του δεκεμβριου μηνος της δεκατης ἰνδικτιωνος, ἀπο μεν κτισεως κοσμου . . . ἐτους τεταρτου εἰκοστου ἑξακισχιλιοστου, ἀπο δε της του θεου λογου ἐκ παρθενου ἐνανθρωπησεως και κατα σαρκα γεννησεως ἐτους τεταρτου εἰκοστου πεντακοσιοστου *quinto die decembris mensis decimae indictionis, a creatione quidem mundi . . . anno sexmillesimo vicesimo quarto, a Verbi Dei autem ex virgine incarnatione et secundum carnem nativitate anno quingentesimo vicesimo quarto iuxta tempora conscripta a sanctis nostris patribus Hippolyto illo apostolorum familiari, Epiphanio Cypriorum archipraesule, et Herone philosopho et confessore, . . . obiit, . . .* μετα την ὑπατειαν Λαμπαδιου και Ὀρεστου το δευτερον, τῳ ἑκτῳ ἐτει της παρουσης θεοφυλακτου βασιλειας *post consulatum Lampodii et Orestis secundo, sexto anno praesentis a Deo custoditi imperii* [12]). Notae temporum, quibus Cyrillus Euthymii obitum consignavit, omnes congruunt in diem 20 ianuarii anni p. i. 5186, aer. vulg. 473; Christum ergo conceptum putasse videtur anno p. i. 4721, aer. vulg. 8, mundi 5501 ineunte. Non item liquent, neque satis superioribus respondent ea, quae scripsit de Sabbae die emortuali. Si enim incarnationis annus I mundique annus 5501 incepere anno p. i. 4721, aer. vulg. 8, annus incarnationis 524, mundi 6024, quo Sabbam obiisse narrat, inceperit oportet anno p. i. 5244, aer. vulg. 531, quo anno dies 5 decembris indictione X utique recte notatur, ast eo die non secundus annus post consulatum Lampadii et Orestis, sed primus adhuc ibat, nec sextus, sed quintus imperii Iustiniani. Pagius quidem [13]) ostendit duos

---

[1]) Ap. *Asseman.* Biblioth. orient. T. I. pp. 387—417. [2]) Conf. ib. §§ 69. 96. 104. 106. [3]) Ib. § 3. [4]) De regnor. success. c. 7. [5]) Ib. c. 66. [6]) Ib. c. 7. [7]) Ib. c. 15. [8]) Ib. c. 16. [9]) Ib. c. 66. [10]) Ib. c. 67. [11]) In vita *Euthymii* in Analect. graec. *Mauriner.* T. I. pp. 81. 82. [12]) In vita s. Sabbae cc. 76. 77 in *Cotelerii* Ecclesiae graecae monum. T. III. pp. 353. 354. [13]) Dissert. hypot. P. III. c. 2. § 6; c. 3. §§ 3 seqq.

fuisse modos enuntiandi annos post consulatum alicuius, alterum, quum ex horum annorum numero excludebatur annus, quo ille consulatum gesserat, alterum, quum includebatur. Verum aetate Cyrilli alter hic modus in Occidente quidem obtinebat, an autem in Oriente quoque ante Iustinum iuniorem annumque aer. vulg. 567 obtinuerit incompertum est. Dici etiam posset dies ille 5 decembris incidisse in annum VI imperii Iustiniani, si mos fuisset huius imperii annos numerare initio ducto, non a die, quo is imperator est renuntiatus, sed ab ipso principio anni civilis, intra quem id evenit; quem tamen morem, nescio, an alius quis sit sequutus. Sed graviorem habent difficultatem ea, quae Cyrillus proxime scripserat: *Ὀψε σαββατων quum communionem* Sabbas *petiisset, et communicasset, dixissetque postremo: Domine, in manus tuas commendo spiritum meum, tradidit animam.* Quid enim est illud *ὀψε σαββατων*? Num *vespera sabbati*? Ast anno aer. vulg. 531 dies 5 decembris fuit sextus hebdomadae. Num *multa hora post sabbatum*? videlicet quum iam esset primus hebdomadae dies [1])? hoc tamen posito, non illo anno, sed insequente aer. vulg. 532 Sabbas obiisse dicendus foret, quod et annus post consulatum Lampadii et Orestis secundus et imperii Iustiniani sextus credere suadent. Utris characteribus potior fides, incertum; Oudinus hos, illos Baronius et Pagius praetulerunt. Utrosque autem inter se componere nequeas, nisi iis coniecturis, quae, quum veri nihil simile habeant, omitti posse videntur. Si tamen licet, promam, quod sentio. Si annus mundi 5965, incarnationis 465, ille esset, qui exiit in ver anni p. i. 5186, aer. vulg. 473, consequeretur verno anni p. i. 4714, aer. vulg. 1, incepisse annum mundi 5494; quae tamen mundi aera incomperta est, neminique, quod sciam, veterum scriptorum in usu fuit, feriaque, qua incepit annus mundi 5494, evinceret mundi annos incipere die 19 aut 26 martii nempe eo die, quo mundi initium nemo fuisse putavit. At si ponamus mendum esse in notis illius anni, quo Euthymius mortuus est, rescribendumque annum mundi 5964 pro 5965, et annum incarnationis 464 pro 465, aera mundi a Cyrillo usurpata erit alexandrina, cuius annus 5493 incepit verno anni p. i. 4714, aer. vulg. 1, nullaque alia supererit difficultas, nisi in nota indictionis, qua Sabbas decessit, quae tamen facile creditur *δεκατῃ* dicta esse pro *ἐνδεκατῃ*. Nam, quod ad illud *ὀψε σαββατων*, non ipsa hora obitus Sabbae his verbis signatur, sed illa qua Sabbas morti proximus *communionem* petiit. Ratio haec petita e mundi aera notaeque tum diei, tum consulatus, tum anni imperii, quibus Cyrillus Sabbae decessum consignavit nullam mihi dubitationem superesse sinunt, quominus affirmem Christi ortum anno p. i. 4722, aer. vulg. 9, sicut alii fecerunt, a Cyrillo adscriptum esse.

134 *Venantius Fortunatus.* An. DLX: *Lustra sex qui iam peracta, Tempus implens corporis, Se volente natus ad hoc, Passioni deditus Agnus in crucis levatur Immolandus stipite* [2]). Vult dicere Christum obiisse, quum annum tricesimum impleverat.

135 *Victor Tunnunensis.* An. DLX: *Colliguntur omnes anni ab Adam primo homine usque ad nativitatem Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, quae facta est* VMCXCIX. *A nativitate vero Domini nostri Iesu Christi secundum carnem quae facta est* XLIII *Augusti Octaviani Caesaris imperii anno, usque in annum Iustini primum principis Romanorum, qui Iustiniano in imperio successit, anni* DLXVII. *Fiunt simul ab Adam usque in annum primum memorati principis Romanorum anni* VMDCCLXVI [3]). Haec, sicut ea retuli, ita leguntur apud Schottum [4]). Canisius tamen et Scaliger pro anno DLXVII habent DXXVII, quod summae non respondet. Iustinus iunior Iustiniano successit die 14 novembris, indictione XIV, an. aer. vulg. 565; annus ergo post Adamum conditum 5766 desiit inter diem hunc interque diem 14 novembris anni insequentis aer. vulg. 566, qui erat p. i. 5279. Ex annis 5279 deme annos 567, supererit annus p. i. 4712, quo Victor incarnationem consignasse dicendus est.

136 *Anastasius Sinaita patriarcha Antiochenus.* An. DLXI. Christus die VIII kal. april. [5]), *meridie . . . et vespere sexti diei, seu quinquiesmillesimi et quingentesimi anni incarnatus apparuit* [6]). Horum Anastasii verborum sensum Baronius [7]) esse existimavit, quod Christus natus dicatur die sexto hebdomadae. Ast Anastasius non loquitur de Christi ortu, sed de incarnatione, nec de diebus hebdomadae, sed de septem mundi aetatibus, quas septem creationis diebus significari affirmat.

137 *Index vaticanus paschatum.* An. DLXI. Huius scriptor initium ducens ab Olybrio et Rustico coss. an. aer. vulg. 464 vix aliud adnotavit praeter consules et paschata, consules quidem usque ad annum aer. vulg. 543, paschata usque ad 589. Hunc indicem ediderunt Mansius [8]) et paullo aliter

---

[1]) Lege Dissert. LIII. nn. 1, 19. [2]) Carmin. L. II. carm. 2. [3]) In fine Chronici. [4]) Hispan. illustr. T. IV. [5]) Serm. I in Annuntiat. s. Mariae ap. *Combefis.* Auctor. T. I. [6]) In hexaemer. L. VII. pp. 886. 887. Biblioth. PP. Lugdun. T. IX. [7]) Apparat. § 122. [8]) In *Pagii* Apparat. Annal. Baronii p. 229. Lucae 1740.

Roncallius [1]), ut illum accepit descriptum cura viri clarissimi bibliothecae vaticanae praefecti. In eo haec leguntur: *Prosperius presbyter usque ad annum* XV *Tiberii Caesaris, id est, duobus Geminis* consulibus, *quo Dominus Iesus Christus passus est, annos* V̄CCXXVIII *exponit . . . Porro autem iuxta diligentissimam supputationem, ut posterior declaravit textus, a principio mundi usque ad consulatum Olybrii et Rustici* V̄CMXLIII *colliguntur anni.* Adscriptae consulibus sunt notae decenniorum *a passione*, deinceps autem a Cethego cos. an. aer. vulg. 504 singulorum annorum *a passione* notae adduntur singulis consulatibus, adiecta, ubi oportet, nota diei bissexti, hoc modo: CCCCLXXVII *B. Cethego* . . . CCCCLXXVIII *Theodoro*, atque ita porro. Cethegus consul fuit anno aer. vulg. 504. Hic igitur scriptor Prosperi sententiam sequutus est, credidítque Christum obiisse anno imperii Tiberii XV, duobus Geminis coss., ita tamen, ut annum hunc XV imperii Tiberii et Geminorum consulatum componeret cum anno p. i. 4741, aer. vulg. 28, quod Prosper (115) quoque et post eum Victorius Aquitanus (120) fecerunt.

138 *Gregorius Turonensis.* An. DLXXIII. *Anno XLIII imperii Augusti Dominus noster Iesus Christus . . . natus est* [2]). *A captivitate vero Hierosolymae et desolatione templi usque ad passionem Domini nostri Iesu Christi, id est, usque ad Tiberii septimum decimum annum, supputantur anni* DCLXVIII [3]). Ex alio loco intelligimus a Gregorio Christi diem natalem adscribi VIII kal. ianuar., mortem VIII kal. april [4]). Natus ergo Christus esset die 25 decembris anno p. i. 4713, mortuus die 25 martii anno p. i. 4744, aer. vulg. 31, vixissetque an. XXX mens. III.

139 *Hesychius Hierosolymitanus.* An. DLXXIII. *Anno μβ'* XLII *imperii Augusti, mense decembri, die κε'* XXV, *feria ϛ'* VI, *hora ζ'* VII *diei natus est Dominus noster Iesus Christus. . . . Ab Adamo . . . usque ad μβ'* XLII *annum imperii Augusti anni* ͵εϡξγ' V̄CMLXIII, *ac deinceps cum hominibus conversatus est Salvator annis λγ'* XXXIII, *ita ut ab Adamo usque ad Christi natalem et crucifixionem fiant anni ͵ϛ* VIM *pleni.* Anno XLII imperii Augusti ibat annus p. i. 4712, diesque 25 decembris, non in sextum, sed in quintum hebdomadae diem incidit. Anno superiore p. i. 4711 incidere hic dies debuisset in diem quartum, ob intercalationes tamen perperam habitas incidit in diem sextum, sed annus erat imperii Augusti XLI, nec XLII esse potuit, nisi si numerus initium capiat ab anno, quo C. Iulius Caesar fuit interfectus, aut si Hesychius unum atque idem annis imperii Augusti atque annis suarum regionum civilibus initium fecisse dicatur. Itaque ex huius sententia natalis Christi dies fuit a. d. VIII kal. ianuar. an. p. i. 4711 aut 4712. Haec Hesychii verba retulit Anastasius Nicaenus [5]), graece autem reperiuntur quoque in codicibus, ex quibus descripta ea ediderunt Ducangius [6]) et Hodyus [7]). His ipsis fere verbis Ioannes Malala exorsus est librum decimum *Chronographiae*, ut dubitare liceat, utrum is ab Hesychio, an ab eo Hesychius illa acceperit. Primum veri similius videtur, quum et Anastasius Nicenus et codices, quos memoravimus, Hesychio eo adiudicent. Quare quum haec eadem latine referat Chronographus, de quo statim dicendum erit, ante hunc Hesychio locum esse existimavi.

140 *Chronicon palatinum Mai.* An. DLXXIV [8]). *Anno XLII Octaviani Augusti Caesaris. Eusebius enim ait, quia postquam transivit XL et primus annus et mensis sextus regni eiusdem Caesaris, in mense dystro, id est, secundum Latinos martio, XXV die mensis, hoc est VIII kal. aprilis, qui secundum Graecos xanthicus appellatur, hora diurna secunda, initiante tertia, die dominica, missus est archangelus Gabriel evangelizare beatae Mariae, . . . in consulatu Cyrini et Longini.* VIII *ergo kal. aprilis, id est, aequinoctio vernali, conceptus est Dominus.* Natus est VIII *kalendarum ianuariarum, mense apellaeo, qui est december in die XXV mensis, hora diei VII, . . . sub praeside Cyrino exconsule, consulatu eiusdem Octaviani Augusti et Silvani* [9]). *In anno XV regni . . . Tiberii Caesaris, sub consulatu Silvani et Neri, coepit sanctus Ioannes praecursor praedicare. . . . Venit . . . Dominus Iesus Christus a Galilaea in Iordanem incipiens annorum XXX, id est, dies* XII *supra annos XX et VIIII, quia* VIII *kal. ianuarias natus est de virgine, et* VIII *idus ianuarias baptizatus ex aqua est . . . in nocte, hora decima noctis, hoc est, in diluculo, sub consulatu Rufi et Rubellionis* [10]). *Anno igitur* XVIII *regni Tiberii Caesaris . . . factus annorum circa* XXXIII *Iesus Christus Dominus noster traditus est a Iuda Scariote discipulo suo, mense dystro, qui est martius,* XXIV *die mensis id est,* IX *kal. aprilis, luna* XIII *habente diem, erat autem dies* V *feriae, hora nocturna* VI . . . *Crucifixus est specialiter* VIII *kal. aprilis mense martio,* XXV *die mensis,*

---

[1]) Op. cit. No. IV. p. 722. [2]) Hist. Francor. L. I. § 18. [3]) Ib. § 22. [4]) Ib. L. X. § 31. [5]) Quaest XCIII. [6]) In Chronic. pasch. p. 424. [7]) Praef. opp. Malalae § 24. [8]) In *Mai* Spicileg. rom. T. IX. pp. 118 sqq. [9]) Chronic. § 2. [10]) Ib. § 9.

luna XIV. *Erat autem VI feria parasceves, . . . sub consulatu Sulpicii et Solatii*[1]). *Est conversatus cum hominibus super terram Dominus noster Salvator Iesus Christus circiter annos* XXXIII *non plenos purum quid*[2]). Quantum e consulum nominibus colligimus, natus dicitur Christus a. d. VIII kal. ianuar. an. p. i. 4712, baptismo ablutus VIII id. ianuar. an. p. i. 4742, aer. vulg. 29, quum haberet annos XXIX, dies XII, cruci fixus, si ad eius aetatem spectes annosque imperii Tiberii, anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, siu ad consules, insequente anuo p. i. 4746, aer. vulg. 33.

141 *Isidorus Hispalensis.* An. DXCV. *Octavius Augustus regnat annis* LVI. . . . *Cessante regno et sacerdotio Iudaeorum, Dominus Iesus Christus in Bethlehem Iudae ex virgine nascitur anno regni eius* XLII. *Tiberius filius Augusti regnavit annis* XXII. . . . *Huius decimo octavo regni anno Dominus cruci fixus est, annis peractis a principio mundi quinquies mille ducentis viginti novem*, vel, ut est iu aliis exemplaribus, *viginti octo*[3]). Verum auctor *Libri de computo* editus a Muratorio[4]) haec scripsit: *Isidorus autem dicit: Cessante regno ac sacerdotio Iudaeorum Dominus noster Iesus Christus ex virgine nascitur anno* XLII *regni Caesaris Augusti*, XV *annis de regno eius adhuc restantibus. Regnavit autem annis* LVI. *Post illum regnavit Tiberius Caesar* XXIII *annis.* XV *autem anno regni Tiberii Dominus crucifixus est, peractis annis a principio mundi* VCCXXVIII[5]). Itaque secundum Isidori opinionem annus Christi natalis fuit p. i, 4712, emortualis vero annus p. i. 4745 vel 4742, aer. vulg. 32 vel 29; neque enim suspicio abest, verba patrum putantium Christum iu crucem actum fuisse anno XV Tiberii, attentata ab iis esse, quibus opinio haec testimonio Lucae adversari videbatur. Adde qnod annus mundi 5230, quo ex Isidori opiuione Christus mortuus est, inceperit feria VI, quacum anno aer. vulg. 32 uulla earum dierum concucurrit, quibus mundi creatio solet consiguari; ast anuo aer. vulg. 29 in feriam sextam dies 18 et 25 martii inciderunt.

142 *Auctor homiliae in descriptionem Deiparae.* Saec. VI aut VII. *Caesar Augustus . . . imperavit ἐτη πεντηκοντα ἑξ και μηνας τεσσαρας annis quinquaginta sex et mensibus quatuor. . . . Τελεσαντος δε αὐτου τεσσαρακοντα δυο ἐτη quum autem implevisset is annos quadraginta duos, Christus nascitur. Itaque spatio quindecim annorum regni eius Christus educatur. . . . In decimo octavo anno regni Tiberii ad crucem venit. Sic ut sint Augusti quidem quindecim, Tiberii autem octodecim. Iesus vero, Tiberio imperante, τριακονταετης γενομενος quum esset annorum triginta, suam apud discipulos divinitatem declaravit, ac per tres deinceps annos praedicavit*[6]). Augustus, cuius imperii tempus hic scriptor accurate definit anuis 56, mensib. 4, quod fuerunt a die XIV kal. mai. au. p. i. 4711, quo die imperator fuit salutatus, ad diem XIV kal. sept. an. p. i. 4727, qui ipsi supremus fuit, annum imperii qnadragesimum secundum implevit a. d. XIV kal. mai. an. p. i. 4713. At Christus hoc anuo iu lucem editus annum tricesimum implevisset an. p. i. 4743, a cuius anui paschate ad pascha anni XVIII imperii Tiberii, p. i. 4745, nou tres auui, quot Christum docuisse scriptor iste uarrat, sed duo iutercesseruut. Natum ergo Christum putavit anno p. i. 4712, illaque *τελεσαντος δε αὐτου τεσσαρακοντα δυο ἐτη* apparet *παχυλως*, ut fieri solet, dicta esse, pro *τεσσαρακοστου δευτερου ἐτους anno quadragesimo secundo;* uisi credere malis ab hoc scriptore annos imperii Augusti numerari eodem principio cum anno civili Orientalium plerorumque.

SAECULUM VII

143 *Chronographus Ruinartii.* An. DCV. *Dionysius paschales scribit circulos incipiens ab anno incarnationis dominicae quingentesimo tricesimo secundo, qui est annus Diocletiani* CCXLVIII, *post consulatum Lampadii et Orestis; quo anno codex Iustiniani orbi promulgatus est*[7]). Dionysii cyclus iuitium capit a paschate anni aer. vulg. 532; Dionysii ergo sententiam de incarnationis anuo auctor sequutus est, hic tamen annus erat post consulatum Lampadii et Orestis II, proinde perperam huic anuo adscripsit editionem codicis iustinianei, quae anno superiore, aer. vulg. 531, post consulatum Lampadii et Orestis, facta est.

144 *Felix Abbas.* An. DCXVI. Huius verba nobis servavit iu suo *Libro de computo* scriptor ille, cuius iam meminimus (141), et de quo iufra agemus (183), eaque ita suut: *Olympiade* CXCIV *mediante, id est,* XLII *anno imperii Octaviani Augusti, natus est Dominus noster Iesus Christus*

---

1) Ib. § 10. 2) Ib. § 3. 3) Chronic. Sext. aet. saeculi. 4) Anecdot. T. III. 5) Lib. de computo § LXXX. 6) Homil. in Descript. Deip. §§ 1. 2. opp. *Chrysost.* T. II. pp. 800 sqq. ed. *Montfauc.* 7) Ap. *Ruinart.* Histor. persecution. wandal. p. 112 et ap. *Roncallium* op. cit. Nr. XII.

in carne. A nativitate ergo Domini usque in olympiadem XLV, voluit dicere CCLXV, *tam idem usque in primum annum Diocletiani fiunt anni* CCLXXXIV. *Et a primo anno Diocletiani usque in primum cyclum Dionysii invenies annos* CCXLVIII; *fiunt quippe simul anni* DXXXII. Annus XLII imperii Augusti est p. i. 4712, cuius aestate secundum olympiadis CXCIV annum tertius excepit. At primus annorum 532, quorum postremo Dionysii cyclus incepit, est annus p. i. 4714. Perperam ergo Felix cum hoc anno composuit annum XLII imperii Augusti.

145 *Chronicon paschale.* An. DCXXX. Huius sive auctor sive consarcinator de eorum numero est, qui aliud verbo, aliud re ipsa tradunt, quum rationes temporum ab eo subductae summaeque annorum collectae minime respondeant annis, quibus Christum sive ortum, sive baptismo tinctum, sive mortuum, dixit. Instituti nostri non est de hoc libro fusius agere; sunt autem, qui id exsequi studuerunt ¹). Quare ea solummodo attingemus, quae scitu necessaria sunt, ut sive eius, sive eorum mentem assequamur, qui hoc opus composuerunt, vel, ut verius loquar, consarcinarunt. Digestum est hoc Chronicon per mundi annos. Horum notae non adscribuntur nisi ductis in summam annis, primo quibus quisque patriarcharum eum genuit, qui post ipsum nominatur, deinde quibus Israelitarum iudices, regesque Iudaeorum, Chaldaeorum, Persarum, Aegyptiorum, denique Romanorum imperatores, rerum potiti sunt, qui anni singuli singulis notis signantur, annorumque mundi vicem praestant. Annorum summa aequa ratione procedit usque ad finem imperii Tiberii, quod annis XXII definitur, hisque in summam ductis anni mundi 5543 colliguntur, ita ut nota anni XXII signet ipsum annum mundi 5543. Caligulae deinde IV imperii annos auctor adtribuit, qui priori summae additi annos conficerent mundi 5547, conficere tamen dicuntur annos ,εφμη' 5548, cui summae reliquae consonant usque ad finem Chronici. Imperite tamen ex hoc uno inferres mendum in posteriores summas irrepsisse, quum fieri potuerit, ut unus annus omitteretur in prioribus, non quod hae perperam collectae sint e principatuum annis, qui singillatim notantur, sed quod alicui principatui minus uno anno sit attributum. In utras autem summas mendum irrepserit, certo nos docent annorum cycli, quos auctor se sequi profitetur, et quorum σχήματα nobis exhibait ²).

146 Itaque in hoc Chronico anni mundi sunt forma iuliana, initiumque capiunt a die 21 martii, quo die solem et lunam auctor condita dicit, proinde qui dies fuit quartus hebdomadae, sicut apparet etiam ex modo, quo ille quaerit, quonam hebdomadae die aliquid evenerit, aut gestum fuerit. Quare mundum conditum credidit cum plerisque die 18 martii, facileque compertum habemus, quoto hebdomadae die quiqui mundi anni inceperint. Quotus lunae annus secundum ipsius auctoris ratiocinia singulis annis mundi respondeat, horum partitio per decem et novem certo commonstrat, tametsi eius cycli tum lunares, tum paschales, non modo ordine, sed sita quoque cyclis tum Alexandriaorum, tum Latinorum discrepent. Indictionibus idem initium in Chronico fit, atque aerae iulianae Antiochenorum, cuius primus annus incepit autumno an. p. i. 4665, quum indictionis προληπτικῶς computatae primus item annus proximis kalendis septembrib. principium habuisset. Indictionum notae usque ad finem Chronici exinde adscriptae accurate sunt, quumque constet notas hasce, ubi agitur de Orientis imperio, suo loco positas esse, non est dubium locum sibi suum ipsis deinceps esse adtributum ab ipso exordio, ita ut hae comparatae cum hebdomadae die, quo mundi anni, quibus eae sunt appositae, inceperunt, certissimam viam ostendant, qua ad ipsos mundi annos cum suis aliarum aerarum, verbi gratia, periodi iulianae, componendos perveniamus. Quibus ex propositis efficitur primum annum periodi iulianae incepisse anno mundi 796, feria II, annum autem mundi 797 incepisse anno p. i. 1, die 21 martii, feria V. Haec autem ἀποδεικτικῶς confirmantur iis, quae auctor adnotavit anno VII imperii Constantii, Leontio et Sallustio coss., indictione II, adeo ut certo constet his consulibus, hoc est, anno p. i. 5057, aer. vulg. 344, indictione II, die 21 martii incepisse annum mundi 5853, notaque anni VII imperii Constantii signari ipsum hunc mundi annum 5853, notis autem indictionum, quae singulis principatuum annis additae sunt, eam indictionem signari, intra quam ille annus mundi initium habuit, qui adscripto principatus anno indicatur, non autem eam, quae intra hunc mundi annum incepit; quare, etsi prima indictio in Chronico composita legatur cum anno VI regni Cleopatrae, qui prima indictione incepit, signatque annum mundi, per errorem quidem 5461, re tamen vera 5462, ea tamen initium habuit anno regni eius V, qui annum mundi designat in speciem 5460, re ipsa 5461, huicque anno indictionum exordium in Chronico adscriptum esse censendum est. Sed haec eadem auctor nos docet, narrans Constantinum mortuum esse *novembris die* γ' III, *anno iuxta Antiochenos* υι' CDX, *indictione* ε' V ³). Ibat autem annus p. i. 5074 annusque ille mundi, quem designat annus

---

¹) *Ducange* Praef. in Chronic. pasch. Paris 1688; *Hautinus* ib. p. XLII. ²) Ib. pp. 13. 15. 197. 288. ³) Ib. pp. 294. 295.

κδ' XXIV imperii Constantii adscriptus indictioni δ' IV; quumque postremus annus imperii Constantini Magni, ut ipse auctor expressis verbis affirmat, fuerit annus mundi ͵εωμϛ' 5846, annus iste XXIV imperii Constantii annum mundi ͵εωο' 5870, sicut idem ipse auctor scripsit, designet necesse est, quo anno indictio ε' V et annus aerae iulianae Antiochenorum υι' CDX inceperunt. Deme itaque 409 de 5870, supererit annus mundi 5461, intra quem et indictionibus, secundum scriptoris huius opinionem, et aerae illi iulianae Antiochenorum initium factum est. Hoc ipsum efficies ex iis, quae adscripta sunt anno γ' III imperii Marciani, indictione ϛ' VI. Annus enim iste III signat annum mundi 5962, quum annis ζ' VII imperii huius in summam ductis colligi annos mundi ͵εϠξϛ' 5966 ipse scriptor nos doceat; si ergo in hunc annum 5962 desiit annus aerae iulianae Antiochenorum φα' 501, aera haec anno mundi 5461 inceperat procul dubio. Anni quoque mundi 6027, 6036 similia horum argumenta suppeditabunt. Haec omnia indubia quum sint, quidquid in Chronico his non cohaeret, sive quod ad annorum mundi summas, sive ad ea attinet, quae certis quibusdam annis adnotata leguntur, id mendosum esse pro certo habendum est. Quare concludamus necesse est, nota anni XXII imperii Tiberii annum mundi designari, 5544, non autem, ut auctor scripsit, 5543, nunmque annum praeteritum esse ex illis, qui fuerunt ante annum mundi 5461, qui cum anno V regni Cleopatrae componitur, et 5460 esse perperam in Chronico putatur, quemque intra indictionibus initium factum fuisse dicitur. Quum autem initium aerae Seleucidarum syromacedonicae adscriptum sit anno regni Ptolemaei Lagi XVII, qui signat annum mundi 5198, idque recte, nam hic annus incepit die 21 martii an. p. i. 4402, liquet illud unius anni ἔλλειμμα admissum esse inter mundi annos 5198 et 5461.

147 Nunc ea videamus, quae in hoc Chronico pertinent ad annos, quos Christus vixit, et quibus ortus esse ac mortem obiisse narratur. Haec aperte et nulla ambiguitate enuntiantur. *Συμπληρωσας ἐτων ἀριθμον τριακοντα Quum annos numero triginta implesset, ... ἐν τῃ τρισκαιδεκατῃ ... ἡμερᾳ του τριακοστου πρωτου ἐτους αὐτου tertiodecimo ... die anni sui tricesimi primi, Christus verus Deus noster baptizatus est τῃ ἑκτῃ ... του αὐδιναιου die sexta ... audynaei mensis*, ianuarii videlicet [1]). *Iesus Christus Dei filius τρεις ἐνιαυτους και οϛ' ἡμερας annos tres dies* LXXVI *post baptismum quum praedicasset ... ad passionem venit* [2]). Constat ergo scriptoris huius sententiam esse Christum vixisse ann. XXXIII dies LXXXIX, vel, ut in alio loco legitur *annos* XXXIII, *menses* III [3]). Quare in definiendis annis, quibus in Chronico Christi ortus, baptismus, et mors, adscribuntur, illud est observandum, ut, siquidem fieri potest, illa temporis spatia, quae dicta sunt, inter haec intercedant. En autem Chronici verba: *Hoc anno ͵εφϛ'* V̄DVI *creationis mundi, μετα το παρελθειν το κϛ' ἐτος της Αὐγουστου Καισαρος μοναρχιας και μηνα τον ἑκτον, postquam exactus est annus* XXVI *Augusti Caesaris monarchiae, et mensis sextus, hoc est, anno λθ' imperii eius et cetera* [4]); quae apparet pertinere ad conceptum Ioannem Baptistam. Mensis *sextus* est anni mundi, cui respondet annus XXVII *Augusti Caesaris monarchiae*. Quinam sit *annus* XXVI *Augusti Caesaris monarchiae*, ipse auctor nos docet. Ait enim *δωδεκατῳ ἐτει της τριουμβιρατοριας duodecimo anno triumviratus Augusti Caesaris* Ptolemaeorum regnum ab ipso sublatum fuisse [5]). Hic annus duodecimus exiit in a. d. V kal. decembr. an. p. i. 4683, mundi 5479, quo anno ad Actium pugnatum est intra primos dies septembris, quum indictio IV *προληπτικως* numeraretur, kalendis huius ipsius mensis incepta. Illo igitur die incepit Augusti *monarchia*, hoc est, imperium sine socio, quippe Antonio devicto, cuius tamen monarchiae annos auctor componit eodem initio una cum annis mundi incipientibus die 21 prioris mensis martii, indictione III, post huius autem indictionis atque anni XIII triumviratus Augusti notam haec addidit: *Hinc quidam numerant primum annum monarchiae Augusti* [6]); illud *hinc* verbo dictum est de anno XIII *προληπτικως* incepto die 21 martii indictione III, re ipsa tamen de eo die, quo annus XII adhuc ibat, iamque indictio IV inceperat, ut appareat significari aeram augustanam Syrorum (31). Quare *προληπτικως* annus huius monarchiae XXVI finem habuit die 20 martii an. p. i. 4709, indictione XIV, postridie autem annus XXXIX incepit civili initio, tum ex quo Octavius imperator salutatus est, tum ex quo triumvir est renuntiatus. Quibus positis Ioannes Baptista conceptus esse dicendus esset autumno anni p. i. 4709. Verum annus mundi 5506 incepit die 21 martii anni p. i. 4710 indictione XV. Annus item cycli decemnovennalis, qui annus in chronico est XV, respondet autem nicaeno XVII, quemque signat luna, non II, ut auctor prave supputat, sed XII kalend. sept. [7]), incepit die 27 martii eiusdem huius anni p. i. 4710. Dicitur praeterea *anno mundi* V̄DVI *primus dies septembris in diem sabbati* incidisse [8]), quod utique anno mundi

---

[1]) Chronic. pasch. p. 209. [2]) Ib. p. 217 coll. pp. 221 seqq. [3]) Ib. p. 225. [4]) Ib. p. 194. [5]) Ib. pp. 191. 192. [6]) Ib. p. 194. [7]) Ib. [8]) Ib. p. 195.

5506, p. i. 4710, factum est. Quod antem dicitur primns dies septembris hoc auno cum luna II concurrisse, ipsius scriptoris error est, quem ipse cyclus XV arguit lunaque X, in quam anno insequeute diem 25 martii iucidisse ipse ostendit [1]). *Die εἰκαδιπεμπτη του δυστρου μηνος κατα δε τους Αἰγυπτιους ἀδαρ τριακαδι*, voluit dicere *φαμενωθ κϑ', προ η' καλανδων ἀπριλλιων, ἐτους ͵εφζ γενεσεως κοσμου, ἐν τῳ πρωτῳ σεληνιακῳ μηνι τῳ ἀδαρ, δεκατη του μηνος . . . ἡμερᾳ δευτερᾳ vicesima quinta dystri, secundum Aegyptios* non *adar tricesima*, sed vicesima uona phamenoth, *a. d.* VIII *kalend. april., anno* V̄DVII *creationis mundi, primo lunari mense adar, decimo die mensis . . . feria secunda* incarnatio facta est, anno decemnovennalis cycli *ις'* XVI [2]). Omnes hae notae signaut annum p. i. 4711. Ait Ioannis Baptistae ortum incidisse *εἰς την εἰκαδα τεταρτην in diem vicesimum quartum iunii . . . ἐν δευτερᾳ της ἑβδομαδος die secunda hebdomadae*, Christum vero natum esse *κε'* XXV decembria feria *δ'* IV [3]); quae certiores nos faciunt utriusque ortum adscribi anno mundi 5507, p. i. 4711. *Die τη πρωτη primo mensis ianuarii, feria δ'* IV *. . . venerunt circumcidere puerum. . . . Quum impleti sunt dies purificationis* Mariae *. . . κατα το παρον πεντακισχιλιοστον φζ' ἐτος hoc praesenti anno quinquiesmillesimo* DVII *ἐφϑασεν ἡ δευτερα του φεβρουαριου μηνος incidit secunda mensis februarii . . . ἐν κυριακῃ in dominicam* [4]); quae anuum p. i. 4712 certo designant. Compertam itaque habemus Chronographi huius opinionem; Ioaunem Baptistam conceptum esse anuo mundi 5506, p. i. 4710, indictione I, die 24 septembris, feria II, Christum autem auno mundi 5507, p. i. 4711, iudictione I, die 25 martii feria II; Ioaunem natum esse eodem hoc ipso anno atque indictione, die 24 iunii, feria II, Christum item hoc anno, indictione II, die 25 decembris, feria IV. Adde, quod annus mundi 6125, qui signatur nota anni VI imperii Heraclii, incepitque indictione IV, au. p. i. 5329, sit, ut ipse auctor supputat, quingentesimus decimus nonus ab ortu Christi, proinde liqueat primum horum 519 annorum, id est, annum Christi natalem in Chronico esse annum mundi 5507. Quod autem ille haec scripserit iu eo loco, ubi priorum indictionum notae sunt, non hoc efficitur ipsum putasse alio anno ea contigisse, quam quo diximus, aut indictionum notas perperam esse positas, sed non suo loco haec ab ipso fuisse descripta. Si igitur Christus illo anno natus est, quandoquidem auctor affirmat baptismo huno ablutum fuisse *quum annos numero triginta implesset, . . . tertio decimo die anni sui tricesimi primi*, porro autem vixisse *annos tres, dies* LXXXVI *post baptismum*, totumque vitae eius spatium esse *annos* XXXIII, *dies* LXXXIX, iure concluderes Christum a Ioaune tinctum fuisse die 6 ianuarii, anno mundi 5537, p. i. 4742, obiisse die 23 martii anni mundi 5541, p. i. 4745. Verum id fieri non potuit, nam hoc anno dies 23 martii fuit dies dominica. Sed videamus, quae ipse de his narrat. *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, . . . ͵εφλς'* V̄DXXXVI *creationis mundi, mensis audynaei die ς'* VI, *. . . Iesus Christus Dei filius, postquam in lucem editus fuit in Bethlehem Iudaeae, quum complesset annos numero triginta, . . . ἐν τῃ τρισκαιδεκατῃ . . . ἡμερᾳ του τριακοστου πρωτου ἐτους tertio decimo die tricesimi primi anni, . . . baptizatus est. . . . Anno igitur ͵εφζ'* V̄DVII *creationis mundi, ut dictum est, et τεσσαρακοστῳ quadragesimo regni Augusti, seu εἰκοστῳ ὀγδοῳ vicesimo octavo ipsius monarchiae, natus est secundum carnem Christus verus Deus noster. Praesenti autem anno ͵εφλς'* V̄DXXXVI *baptizatus est, . . . ἐν πεμπτῃ της ἑβδομαδος quinto die hebdomadis* [5]). *Ab Alexandro Macedone usque ad praesentem annum ιε'* XV (*Tiberii*) *et ad initium salutaris praedicationis, quod fuit praesente anno ιε'* XV, *anni τνς'* CCCLVI. *Simul ab Adam usque ad praesentem annum quintumdecimum Tiberii Caesaris ipsumque diem εἰκαδος vicesimum mensis Martii, anni ͵εφλζ' πληρεις* V̄DXXXVII *pleni* [6]). Quod fieri uecesse erat, tandem auctor verbo quoque, ne dum ipsa re, pugnantia aperte loqui incipit. Si enim Christus ad baptismum venit die 6 ianuarii, an. mundi 5536, imperii Tiberii XV, qui potuerunt intra huno annum XV anni 5537 impleri? Si ad feriam animum advertas, qua Christus tinctus fuisse dicitur, facile hanc pugnam removebis; nam dies 6 ianuarii incidens in feriam V signat anuum mundi 5537, p. i. 4742. Verum ea, quae sequuntur, hanc removendae pugnae viam omnino praecludunt; namque auctor loquitur: *Post baptismum versatus est Dominus in curationibus ἑτερα ἐτη τρια adhuc tres annos. . . . Hoc ipsum et Ioannes evangelista demonstrat a paschate ad pascha, tres annos et ipse in curationibus eius* enumerans [7]). Deinde haec paschata, quae fuerunt post Christi baptismum usque ad huius diem supremum, ita Chronographus describit. Anno imperii Tiberii *ιε'* XV, *indictione α'* I. . . . *Hoc praesente anno ͵εφλζ'* V̄DXXXVII *. . . incidit* XIV *primi mensis lunae in κζ'* XXVII *mensis martii, in sabbatum . . .* PRIMUM *ergo pascha legale cum discipulis suis*, POSTQUAM BAPTIZATUS EST,

[1]) Ib. p. 199. [2]) Ib. [3]) Ib. pp. 201. 202. [4]) Ib. pp. 203. 205. [5]) Ib. pp. 208—210. [6]) Ib. p. 215. [7]) Ib.

celebravit Dominus anno ὀγδοῳ octavo naturalis decemnovennalis cycli lunae, et κα' XXI anno naturalis vigintioctoennalis cycli solis [1]). Hunc autem annnm qnem ͵εφλζ' 5537 dixerat [2]), mox ͵εφλς' 5536 dicit [3]), sed, quod nemo nou perspicit, errore manifesto, librariis fortasse tribuendo. Anno imperii Tiberii ιϛ' XVI, indictione β' II. . . . *Hoc praesente anno* ͵εφλη' V̄DXXXVIII *creationis mundi, qui initium sumit a* κα' XXI *secundum Romanos mensis martii*, SECUNDUM *legale pascha celebravit Dominus*, POSTQUAM EST BAPTIZATUS κατα το ἐννατον ἐτος *anno nono naturalis decemnovennalis cycli lunae, et* κβ' XXII *anno naturalis vigintioctoennalis cycli solis*. . . . *Incidit* XIV *lunae in* ιε' XV *aprilis . . . feria* ἑκτῃ *sexta* [4]). Anno imperii Tiberii ιζ' XVII, *indictione* γ' III. . . . *Rursus* TERTIUM *legale pascha* POST BAPTISMUM *peregit Dominus anno* ι' X *naturalis decemnovennalis cycli lunae, et* κγ' XXIII *anno naturalis vigintioctoennalis cycli solis* . . . XIV *primi mensis lunae . . . hoc praesente anno* ͵εφλθ' V̄DXXXIX *incidit in* δ' IV *mensis aprilis et in feriam* γ' III [5]). Animadverte annos imperii Tiberii recte compositos esse cum iis indictionibus, intra quas inceperunt; si tamen eos habeamus, ut haberi debent, pro notis annorum mundi, ipsorum initia in earumdem indictionum diem 21 martii προληπτικως esse conferenda. Ceterum horum trium paschatum characteres ad unum omnes congrunnt in annos p. i. 4741, 4742, 4743. Neque illud curamus, qnod dnos Geminos coss. anno p. i. 4741 auctor adtribnerit, qui anno insequenti sunt attribuendi, uam hoc idem alii quoque peccarunt (115); tum cousnlum series in Chronico pessime habita est, proptereaque numquam in hac dispntatione iis temporum uotis utimur, qnas consnles Chronici suggerunt. Anno imperii Tiberii ιη' XVIII, *indictione* δ' IV. . . . *Iesus Christus filius Dei*, τρεις ἐνιαυτους και οζ' ἡμερας *tres annos et dies* LXXVII *post baptismum quum discipulis suis salutaria et caelestia praecepta editasque de se prophetias tradidisset, ad passionem venit* τῳ ιθ' ἐτει της Τιβεριου μοναρχιας ἀρχην εἰληφοτι τῃ κα' του μαρτιου μηνος της ἐνισταμενης δ' ἰνδικτιωνος XIX *anno Tiberii monarchiae initium habente a* XXI *mensis martii praesentis IV indictionis, et* ια' XI *anno naturalis decemnovennalis cycli lunae, et* κδ' XVI *anno natnralis vigintioctoennalis cycli solis. Hoc est* QUARTUM *pascha, quo passus est pro nobis Christus Dominus* . . . XIV *primi mensis lunae incidit in* κγ' XXIII *mensis martii*. . . . *Et demonstratum est, ut* XIV luna paschalis *praesente hoc anno* ͵εφμ' V̄DXL *creationis mundi et* ιθ' XIX *Tiberii Caesaris monarchiae, initium sumente a* κα' XXI *secundum Romanos mensis martii, indictione* δ' IV, *quando Dominus noster Iesus Christus salutarem crucem ultro subiit, inciderit in* κγ' XXIII *mensis martii, et in diem parasceves, die* ἑκτῃ *sexta hebdomadae. . . . In caelum assumptus est* τῃ τριτῃ *die tertio artemisii mensis, die* πεμπτῃ *quinta hebdomadae. . . . Et* τῃ ιγ' XIII *die dicti mensis artemisii* ἐν ἡμερᾳ κυριακῃ *die dominica, ipsa quinquagesima die post salutarem resurrectionem, Spiritus sanctus in ignitarum linguarum speciem ad apostolos venit* [6]). Si annum imperii Tiberii XIX excipias, omnia haec signant annnm p. i. 4744, aer. vulg. 31, nisi qnod hoc anno luna XIV paschalis, non in diem 23, sed in 24 martii incidit, sicnt ipsa quoque σχηματα cyclorum ab anctore exhibita ostendnnt, sed neqnam graecnlns, ut vinceret Christum luna ipsa XIV ipsoque legalis paschatis die mortem obiisse, anno XI sui cycli decemnovennalis epactas XXI pro XX assignat, epactamqne hanc vicesimam primam exsquisitis ratiociuiis extricat, atque ita vincit, ut pascha ex die 24 martii in 23 retroagatur. Adde, qnod *anno* τριακοστῳ ἐννατῳ *tricesimo nono Christi in caelum assumptionis Titus Vespasiani filius Iudaeam urbemque Ierusalem recepit. . . . Erat autem dies festus paschatis, quum cepit urbem Ierusalem. . . . Inchoante ceterum* τεσσαρακοστου *quadragesimo anno Christi in caelum assumptionis Iudaeorum duces omnino defecerunt* [7]). Hierosolyma capta est anno p. i. 4783, aer. vulg 70, non tamen die festo paschatis, qnod anctor ab Ensebio accepit, sed kal. septembr. Verum, si die paschatis anni p. i. 4783, aer. vulg. 70, ibat annns XXXIX *Christi in coelum assumptionis*, liquet hanc factam esse anno p. i. 4744, aer. vnlg. 31. Ad haec ait Ioannem evangelistam vixisse *post Domini et Dei nostri assumptionem annos* οβ' LXXII, obiisse autem iis consulibns, qui in Chronico signant annnm p. i. 4816, aer. vnlg. 103 inceptum indictione I [8]). Iam vero deme 72 de 4816 deque 103, supererunt 4744 et 31. Narrat Polycarpum martyrinm fecisse *anno* ρλγ' CXXXIII *post Domini in caelos assumptionem . . . a. d.* ζ' VII *kal. april. magno sabbato* [9]). Constat illa τῃ προ ζ' καλανδων ἀπριλλιων non secundnm Romauornm morem loquendi dicta esse, sed significare diem, qni fuit pridie VII kal. april., quum nullo illornm annorum dies 26 martii in sabbatum inciderit, uisi annis p. i. 4871 et 4882, ad qnos haec pertinere uequeunt. Ceterum hae notae omnes signant annnm mundi

---

[1]) Ib. pp. 208. 210. 211. 212. [2]) Ib. p. 210. [3]) Ib. p. 211 A. [4]) Ib. pp. 215. 216. [5]) Ib. p. 216. [6]) Ib. pp. 217. 221. 222. 223. [7]) Ib. pp. 246. 247. [8]) Ib. p. 252. [9]) Ib. pp. 257. 258.

5673, p. i. 4877, aer. vulg. 164, quo anno luna XIV paschalis fuit die 24 Martii, ipse autem dies festus paschatis die 26. Primus ergo annus *post Domini in caelos assumptionem* incepit anno mundi 5540, p. i. 4744, aer. vulg. 31. Addo denique, quod annos mundi 6125, quem signat in Chronico nota anni VI imperii Heraclii incepitque indictione IV, anno p. i. 5329, sit, ut ipse auctor narrat, quingentesimus octogesimus sextus *a passione*, ita ut liqueat primum horum annorum esse annum mundi 5540; hunc autem incepisse die 21 martii an. p. i. 4744, idem ipse scriptor nos docet, ostendens ut mensis ille martius, quo Christus mortuus est, annusque mundi 5540, primus illorum 586, incepit, initium habuerit feria V. Argumenta horum plane gemina suggerent anni mundi 5834, 5890, 5940, 5961. Cum his tamen pugnant, quae relata sunt in annos mundi 5805, 5807, 5839, 6071, ex quibus consequeretur Christum mortuum esse anno mundi 5539, p. i. 4743, aer. vulg. 30; ea tamen mendosa esse constat, quum certissimis notis adversentur, quibus auctor annum Christi emortualem consignavit. Quod autem in hoc, aeque ac in aliis locis ait Christum obiisse anno XIX imperii Tiberii [1]), argumentum praebet, quo confirmemus huic anno XIX Christi obitum ab Eusebio fuisse consignatum, ut iam demonstravimus (75); huiusmodi enim graecos chronographos Eusebii dicta transcribere solitos fuisse pro comperto est.

148 Notae quidem illae, quibus auctor illa quatuor paschata tresque postremos vitae Christi annos designavit, quum tot sint tamque certae, dubitare non sinunt, Christi obitum ob eo adscriptum esse anno mundi 5540, p. i. 4744, aer. vulg. 31. Qui ergo factum est, ut trigintatres vitae annos, menses tres, Christo adtribueret, quem tamen natum dicit die 25 decembris, anno mundi 5507 p. i. 4711? Scilicet diem 25 martii anni mundi 5507 composuit cum anno XL imperii Augusti, indictione XV, quem diem componere debuit cum anno huius imperii XLI, indictione I. Quod si illud vitae spatium Christum vixisse pro certo habuit, huius ortum, non anno mondi 5507, sed 5506 adscribere debuisset. Hinc autem Chronographi sententia illa anceps de anno, quo Christus ad baptismum venit, quem annum contrariis notis designavit, ita ut dubios esse nos cogeret, utrum anno mundi 5536 p. i. 4741, an anno mundi 5537, p. i. 4742 id factum putaverit, nisi certissimum argumentum quatuor paschata post baptismum a Christo acta nobis suppeditarent, quo omnem ea de re dubitationem amandemus. Quae hactenus disputavimus auctor luculenter confirmat iis, quae retolit in annum VI imperii Heraclii, indictione IV, qui est annus mundi 6125, et ex quibus necessario efficitur Christum conceptum inque lucem editum fuisse anno mundi 5507, p. i. 4711, obiisse die 23 martii, anno mundi 5540, p. i. 4744, denique ab incarnatione ad eius mortem esse annos XXXIII, quod postremum expressis quoque verbis ille pronuntiat. Itaque concludere vult, quum eo anno, de quo loquitur, primus dies martii fuerit feria II, oportere mensem martium illum, quo Christus obiit, incepisse feria V. Usitata ratione id exsequitur, in summam annorum 586 utrosque annos referens, ad quos tum hic, tum ille mensis martius pertinet. Iam vero mensis martius initus feria II fuit anno p. i. 5329, aerae vulg. 616, eoque mense exiit annus mundi 6124, incepitque annus mundi 6125; mensis ergo martius initus feria V, qui fuit quingentesimo octogesimo sexto ante anno, ille sit oportet, quo ibat annus p. i. 4744, aer. vulg. 31, et quo exiit annus mundi 5539, incepit annus mundi 5540.

149 Quo alias difficultates vitemus animadvertere postremo iuvabit, ut annorum mundi summam, non modo ante initium indictionum uno anno, ut diximus deficere, sed totam, quanta est in toto Chronico, si ad lunae cyclos, quos auctor sequitur, spectes, positumque sit solem lunamque condita die 21 martii, dieque XIV primi mensis lunaris, vel annis 6 augendam esse, vel 13 minuendam, idque ante annum mundi 3838, quo primum pascha celebratum est; quod ostendere quum longum sit atque ab re, id facere omittimus. En tibi σύνοψιν eorum, quae exposita sunt, nulla tamen habita ratione huius sive defectus sive excessus, quem dixi, nisi in anno lunae, qui fuit primo mundi anno. Solis et lunae cycli sunt, quales auctor excogitavit. Lunae cyclus est decemnovennalis paschalis.

[1]) Ib. pp. 217. 211. 225. 374.

Anni							Dies mensis vel Anni tempus	Feria	Historia
Periodi iulianae	Mundi a 21 martii	Solis	Lunae	Indiction.	Principatuum in Chronico	Principatuum proprii			
	0						18 martii	I	Mundus conditus.
	1	1	14				21 martii	IV	Luminaria condita. Initium annorum mundi in Chronico.
1 G F	796	12	17				1 ianuarii	II	Initium Periodi iulianae.
3043 E	3839	3	1				13 aprilis	I	Primum pascha.
4402 D	5198	18	11				autumno		Initium aerae Seleucidarum.
4665 A G	5461	1	8		5		21 martii	IV	Cleopatrae annus V προληπτ.
				1			1 septembris	VII	Initium indictionum in Chronico, adscriptum anno V Cleopatrae, qui perperam componitur cum anno mundi 5460.
							autumno		Initium aerae iulianae Antiochenorum.
4671 G	5467	7	14		11, 1		21 martii	IV	Cleop. XI, Augusti I an. προληπτ.
				7		1	27 novembris	III	Augustus triumvir renuntiatus.
4682 G	5478	18	6		22, 12		21 martii	IV	Cleop. XX, Aug. XII ann. προληπτ.
				3		12	27 novembris	III	Augusti an. XII incipit.
4683 F	5479	19	7		13, 1		21 martii	V	Augusti annus XIII imperii, I τῆς μοναρχίας προληπτικῶς.
				4		,1	3 septembris	III	Proelium actiacum, finisque Ptolemaeorum secundum Chronicon, et initium τῆς μοναρχίας Augusti, Antonio devicto.
						13,	27 novembris	IV	Augusti an. XIII imperii incipit.
4708 C	5504	16	13		38, 26		21 martii	I	Augusti an. imp. XXXVIII, monarchiae XXVI προληπτ.
				14		,26	3 septembris	VI	Augusti an. monarch. XXVI incipit.
						38,	27 novembris	VII	Augusti an. imp. XXXVIII incipit.

4709 B A									
	5505	17	14		39, 27		21 martii	III	Augusti an. imp. XXXIX, monarchiae XXVII προληπτ.
				15		,27	3 septembris	I	Augusti an. monarch. XXVII incipit.
						39,	27 novembris	II	Augusti an. imp. XXXIX incipit.
4710 G									
	5506	18	15		40, 28		21 martii	IV	Augusti an. imp. XL, monarch. XXVIII προληπτικῶς.
				1		,28	3 septembris	II	Augusti an. monarch. XXVIII incipit.
							24 septembris	II	Conceptus Ioannis Baptistae.
						40,	27 novembris	III	Augusti an. imp. XL incipit.
4711 F									
	5507	19	16		41, 29		21 martii	V	Augusti an. imp. XLI, monarch. XXIX προληπτικῶς.
							25 martii	II	Incarnatio.
							24 iunii	II	Ortus Ioannis Baptistae.
				2		,29	3 septembris	III	Augusti an. monarch. XXIX incipit.
						41,	27 novembris	IV	Augusti an. imp. XLI incipit.
							25 decembris	IV	Ortus Christi.
4712 E							1 ianuarii	IV	Circumcisio Christi.
							2 februarii	I	Purificatio Mariae Virginis.
	5509	21	18						
				4					
4714 B							1 ianuarii	VII	Initium aerae vulgaris.
				1					
4726 A									
	5522	6	12		56, 44		21 martii	III	Augusti an. imp. LVI, monarchiae XLIV προληπτικῶς.
				13		,44	3 septembris	I	Augusti an. monarch. XLIV incipit.
						56,	27 novembris	II	Augusti an. imp. LVI incipit.
4727 G									
	5523	7	13		1		21 martii	IV	Tiberii an. I προληπτικῶς.
							19 augusti	I	Augustus moritur. Tiberii annus I incipit.
				15					
4740 E									
	5536	20	7		14		21 martii	VI	Tiberii an. XIV προληπτικῶς.
						14	19 augusti	III	Tiberii an. XIV incipit.
				1					
4741 D C							6 ianuarii	III	Christi baptismus, quem auctor secum pugnans factum dicit anno mundi 5536, imperii Tiberii XV, feria V.
	5537	21	8		15		21 martii	I	Tiberii an. XV προληπτικῶς.
							27 martii	VII	Primum pascha post baptismum.
						15	19 augusti	V	Tiberii an. XV incipit.
				2					

4742 B									
	5538	22	9		16		21 martii	II	Tiberii an. XVI προληπτικῶς.
							15 aprilis	VI	Secundum pascha post baptismum.
						16	19 augusti	VI	Tiberii an. XVI incipit.
				3					
4743 A									
	5539	23	10		17		21 martii	III	Tiberii an. XVII προληπτικ.
							4 aprilis	III	Tertium pascha post baptismum.
						17	19 augusti	VII	Tiberii an. XVII incipit.
				4					
4744 G									
	5540	24	11		18		21 martii	IV	Tiberii an. XVIII προληπτικ.
							23 martii	VI	Quartum pascha, secundum auctorem. Christi mors.
							25 martii	I	Resurrectio.
							3 maii	V	Ascensio.
							13 maii	I	Pentecoste.
						18	19 augusti	I	Tiberii an. XVIII incipit.
				7					
4747 C									
	5543	27	14		21		21 martii	I	Tiberii an. XXI προληπτικ.
						21	19 augusti	V	Tiberii an. XXI incipit.
				8					
4748 B									
	5544	28	15		22		21 martii	II	Tiberii an. XXII προληπτικ.
						22	19 augusti	VI	Tiberii an. XXII incipit.
				9					
4749 A G									
	5545	1	16		1		21 martii	VI	Caligulae an. I προληπτικ.
						23	19 augusti	I	Tiberii an. XXIII incipit, ab auctore neglectus, quippe quia Caligulae annus I iam προληπτικῶς inceptus est.
				10					
4750 F						1	16 martii	VII	Tiberius moritur. Caligulae an. I incipit.
				12					
4752 D						3	16 martii	II	Caligulae an. III incipit.
	5548	4	19		4		21 martii	VII	Caligulae an. IV προληπτικ.
				13					
4753 C B						4	16 martii	IV	Caligulae an. IV incipit.
	5549	5	1		1		21 martii	II	Claudii an. I προληπτικῶς.
				14					
4754 A						1	24 ianuarii	III	Caligula occiditur. Claudii an. I incipit.

				13					
4783 G									
	5579	7	12		2		21 martii	IV	Vespasiani an. II προληπτικ.
						2	1 iulii	I	Vespasiani an. II incipit.
				14			1 septembris	VII	Hierosolyma eversa.
4816 A						6	27 ianuarii	VI	Traiani an. VI incipit.
	5612	12	7		7		21 martii	III	Traiani an. VII προληπτικ.
				2			27 decembris	IV	Ioannes evangelista moritur.
				2					
4877 B A						4	7 martii	III	Hadriani an. IV incipit.
	5673	17	11		5		21 martii	III	Hadriani an. V προληπτικ.
							25 martii	VII	Polycarpus sabbato magno martyrium facit anno IV imperii Hadriani vero, non autem προληπτικῷ, cui anno in Chronico id adscriptum est.
							26 martii	I	Dominica paschatis.
				13					
5038 C									
	5834	10	1		20		21 martii	III	Constantini an. XX προληπτικ.
							19 iunii	VII	Concilium nicaenum.
				10					
5050 B									
	5846	22	13		32		21 martii	II	Constantini an. XXXII προληπτικ.
						1	22 maii	I	Constantinus moritur die pentecostes. Constantii annus primus incipit.
				11					
5051 A									
	5847	23	14		1		21 martii	III	Constantii an. I μεταληπτικῶς.
				1					
5056 B									
	5852	28	19		6		21 martii	II	Constantii an. VI μεταληπτικῶς. Postremus annus undecimae periodi annorum DXXXII.
						7	22 maii	I	Constantii an. VII incipit.
				2					
5057 A G							20 martii	III	Finis undecimae periodi annorum DXXXII, Leontio et Sallustio coss.
	5853	1	1		7		21 martii	IV	Initium periodi duodecimae lunisolaris annorum DXXXII coss. supra scriptis. Constantii an. VII μεταληπτικῶς.
				4					
5074 G									
	5870	18	18		24		21 martii	IV	Constantii an. XXIV μεταληπτ.
						25	22 maii	III	Constantii an. XXV incipit.
				5			1 novembris	V	Aerae iulianae Antiochenorum annus CDX incipit.
							3 novembris	VII	Constantius moritur.

			9						
5094 c						3	19 iannarii	III	Theodosii an. III incipit.
	5890	10	19		3		21 martii	I	Theodosii an. III μεταληπτικ.
							3 maii	II	Annus CCCLI ab ascensione incipit.
							maio		Synodus constantinopolitana I.
				14					
5144 B									
	5940	4	12		23		21 martii	VII	Theodosii iunior. an. XXIII μεταληπτικ.
						24	1 maii	VI	Theodosii iunior. an. XXIV incipit.
							3 maii	I	Annus CDI ab ascensione incipit.
							22 innii	II	Synodus ephesina.
				4					
5164 G									
	5960	24	13		1		21 martii	IV	Marciani an. I μεταληπτικ.
						2	29 iulii	I	Marciani an. II incipit.
				5			8 octobris	II	Synodus chalcedonensis, quam auctor adscripsit recte quidem indictioni V et anno II imperii Marciani, male tamen anno II μεταληπτικῳ, qui signat annum mundi 5961.
	5961	25	14		2		21 martii	VI	Marciani an. II μεταληπτ.
						3	29 inlii	III	Marciani an. III incipit.
				6			1 novembris	VII	Annus DCCLXIV aerae Syromacedonum, et DI aerae iulianae Antiochenorum. Male auctor annum hunc ait esse 763 Syromaced.
5166 B							18 februarii	IV	Ioannis Baptistae caput inventum Opilione et Vincomalo coss. Male auctor id retulit post notam anni III μεταληπτικου imperii Marciani, quae signat annum mundi 5962, qui nondum inceperat.
	5962	26	15		3		21 martii	VII	Marciani an. III μεταληπτ.
5203 G									
	5999	7	14		16		21 martii	IV	Zenonis solius an. XVI μεταληπτ.
				14			1 novembris	V	Annus DXXXIX aerae iulianae Antiochenorum incipit.
						17	novembri		Zenonis solius an. XVII incipit.
5204 F									
	6000	8	15		17		21 martii	V	Zenonis solius an. XVII μεταληπτ.
						1	18 aprilis	V	Zenone mortuo Anastasius Dicorus coronatur feria V maioris hebdomadae, anno aerae iulianae Antiochenorum, non, ut legitur in Chronico, DXXXVII, sed DXXXIX. Anastasii an. I incipit.
				15					
5205 E D									
	6001	9	16		1		21 martii	VII	Anastasii an. I μεταληπτικ.

				11			1 novembris	IV	Annus DLXVI aerae iulianae Antiochenorum incipit.
5231 G									
	6027	7	4		27		21 martii	IV	Anastasii an. XXVII *μεταληπτ.*
							18 aprilis	IV	Anastasii an. XXVIII incipit.
						1	9 iulii	II	Anastasio mortuo Iustinus succedit anno DLXVI aerae iulianae Antiochenorum, Magno consule. Iustini an. I incipit.
				12					
5232 F									
	6028	8	5		1		21 martii	V	Iustini an. I *μεταληπτικ.*
				5			1 novembris	I	Annus DLXXV aerae iulianae Antiochenorum incipit.
5240 C									
	6036	16	13		9		21 martii	I	Iustini an. IX *μεταληπτικως.*
						1	1 aprilis	V	Iustinianus coronatur, Mavortio consule, anno DLXXV aerae iulianae Antiochenorum. Iustiniani an. I incipit.
				6					
5241 B A									
	6037	17	14		1		21 martii	III	Iustiniani annus I *μεταληπτ.*
				9					
5274 B									
	6070	22	9		34		21 martii	II	Iustiniani an. XXXIV *μεταληπτ.*
						35	1 aprilis	VI	Iustiniani an. XXXV incipit.
				10					
5275 A									
	6071	23	10		35		21 martii	III	Iustiniani an. XXXV *μεταληπτ.* Annus DXXXII a passione incipit.
						36	1 aprilis	VII	Iustiniani an. XXXVI incipit.
				11					
5276 G							20 martii	III	Finis primae periodi annorum DXXXII a passione, anno imperii Iustiniani *μεταληπτικῳ* XXXV exeunte, indictione XI, non autem X, ut scripsit auctor.
	6072	24	11		36		21 martii	IV	Iustiniani an. XXXVI *μεταληπτ.* Periodus secunda annorum DXXXII incipit.
				4					
						6	5 octobris	II	Heraclii an. VI incipit.
5329 D C									
	6125	21	7		6		21 martii	I	Heraclii an. VI *μεταληπτ.* Hic annus mundi 6125 est annus DCXIX a Christi ortu, et DLXXXVI *a passione*, primoque anno primae summae Christus ortus est, primo secundae cruci fixus.

150 ***Collector historiarum.*** An. DCXXXVI [1]). ***Erat autem** το δευτερον και τεσσαρακοστον ἐτος **annus secundus et quadragesimus imperii Augusti, Aegypti autem subactae et mortis Antonii et Cleopatrae** . . . ὀγδοον ἐτος και εἰκοστον **octavus annus et vicesimus, quando Dominus noster Iesus Christus . . . in Bethlehem natus est*** [2]). Antoaii interitum hic aactor anao III olympiadis CLXXXVII recte coasignavit [3]), qei annus initiam habuit aestata anei p. i. 4684, quare annas illa XXVIII incepit die neomeniae thoth anni p. i. 4711, haud serius. Hoc igitar aano Christus ortus esse petendus esset secandum huius aactoris opinionam. Idem hic narrat Aagustum obiisse daobas Sextis coss., quum imperasset ***annos** ἑξ . . . και πεντηκοντα . . . μηνας ϛʹ **quinquaginta sex . . . menses*** VI [4]), proinde cuius imperii exordiam fuisse ponitur ao die, quo Octavius imperator salototus est, qui dies fuit XIV kal. mai. an. p. i. 4671; annus igitur imperii Augusti XLII ast aneas p. i. 4712. ***Tiberii** . . . τῳ ιεʹ **anno** XV **imperii . . . Dominus noster Iesus Christus baptizatus est**, . . . τῳ ιηʹ **anno** XVIII **cruci fixus est*** [5]); non ergo sarius, quam paschate aeni p. i. 4745. At in desoriptiona olympiadam Augusti mors, proiede at principatus Tiberii exordia consignata sunt anno I olympiadis CXCVIII, ut fieri oportebat, Christi antem obitas aano IV olympiadis CCII, qei exiit in aestatem ineuntem aeni XIX imperii Tiberii, p. i. 4746. Quare huius scriptoris seatentia aaceps est, videlicet ex eius ratiocinlls Christi ortes anno p. i. 4711 vel 4712, obitus anuo p. i. 4745 val 4746 est adscribendus. Quod ad annoa tamae imperii Augusti homo graecus credi potest προληπτικως his leitium facisse idem ac annis civilibes suaram regianum.

151 ***Maximus Martyr.*** Aa. DCXLI. Haec legare est in ***Brevi temporum summa***, quam a vetusto quodam codice Maximi ***Computum*** coatinente primus edidit Scaliger [6]), deinde Petavius [7]) et Dacangius [8]). ***Anno** βʹ II **imperii Augusti Caesaris numerari coeperunt indictiones . . . anno Adami*** ͵ευξ V̄CDLX. ***Anno Augusti** μγʹ XLIII **nascitur . . . Christus . . . anno Adami*** ͵εφαʹ V̄DI. ***Anno** ιεʹ XV **imperii Tiberii in Iordane baptizatur . . . anno Adami*** ͵εφλʹ V̄DXXX. ***Anno** ιθʹ **eiusdem ad salutarem passionem venit . . . anno Adami*** ͵εφλδʹ V̄DXXXIV. In brevissima hac chronographia post Christi obitum nil nisi prima qainque universalia concilia commemorantur, ex quo apparet eam scriptam assa inter aneos aer. velg. 553 et 680; imo longo tempora post quiutum concilium, qaippa quod habitam dicitur anno κϛʹ XXVI imperii Iustiniani, etsi habitum fuerit anno XXVII, quem in arrorem scriptor aequalis eut suppar abreptus non fuisset. Quare, nisi Maximus ipse haeo scripsit, attamen liqaet huius pagellae scriptorem Maximi, cum cuias ***Computo*** ea compacta est, ratiociaia sequutum esse, ax qao ***Computo*** haec eadem colliguntur. Quamqaam aatem Christus natus dicatur anno XLIV imperii Augusti, baptismo ablutus anno XV imparii Tiberii, mortuus XIX, qui forent anni p. i. 4713, 4742, 4746, re tamen vera Christi ortes adscriptus est anno p. i. 4722, aar. vulg. 9, baptismes auno p. i. 4752, aer. vulg. 39, mors aeno p. i. 4756, aer. vulg. 43. Haec ita, ut dixi, se habera, hancqae essa ipsam Maximi sententiam ex huias ***Computo*** demonstrandum est.

152 Adami annis iuliaeo forma Maximus initium facit verno. Anno Adami 779 kalendis ianaar. initium habuit periodus iuliana, anno autam Adami 5492 item kalend. ianaar. aara vulgaris; scilicet Maximam eandem ipsam siva Adami, sive mundi, aeram sequutum esse, quam Paeodorus et Syncellus, quamqua alexandrinam cum Petavio vocamus. Civile aanis initium est kaleedis aprilis, pridie enim harum kalandarum epactae tum solis tum lenae a Maximo colliguntar. Aliud tamen est caput, ex quo ducit anuas tum Adami tum cycli solaris. Etenim a dieram numero, qaos aepra integroa annos Christam vixisse dicit, comparato cum anno et dia huius emortuali eque aliis annorum characteribus certo comperimus Christum ortum ab eo dici dia 25 decembris, conceptum dia 25 martii. Si ergo Adami at cycli solaris anni inciperent kal. aprilis, Adami salarisqae cycli annas, quo Christas conceptus est idem foret, ac illa, quo sex ante mensibas die 27 septembris Ioannem fuissa conceptum Maximus patavit, alius autem illo, quo uterque natus est; sed contraria Maximus tradit. Annus item Christi emortualis foret annus Adami 5533, cycli solaris 17; est tamen secundum Maximi ratiocinia annus Adami 5534, cycli solaris 18. Idem ipsa hio annas, cui Christi mors a Maximo adscripta est, ostendit Adami ac cycli solaris annos nou series ioitium habare, quam die 23 martii; hoc eaim die Christum obiisse a Maximi ratiociniis efficitur. Quum autam primus annus Adami atque adeo cycli paschalis, in eius Compato ille sit, cuies lana prima paschalis incidit ie diem 23 martii, qeaa dies aaeo primo Adami iacidit in feriam VI, pro comperto hebemus diem hanc martii 23 primam

---

1) In *Scaligeri* Thesaur. tempor. pp. 313 seqq. Amstelod. 1688. 2) Ib. p. 386. 3) Ib. p. 337. 4) Ib. p. 386. 5) Ib. p. 387. 6) De emendat. tempor. p. 745. Genevae 1629. 7) Doctr. tempor. T. III. p. 193. Antverp. 1703. 8) In Chronic. pasch. p. 408.

esse annorum Adami, Maximum autem nequaquam iis assensisse, qui lunam conditam putarunt in plenilunio, hanc autem rerum universitatem e nihilo eductam die 18 martii opinatum esse. Quartum quemque Adami cyclique solaris annum *βισεκτον* vocat, diem tamen bissextum priore anno intercalat, ut ex ipsius computationibus colligitur [1], et ex solis epactis apparet manifesto; non tamen alii sunt anni intercalares in eius Computo, quam in periodo iuliana, ut, quum docet annum ***bissexti divisa summa per quatuor*** exsistere [2], loquatur de annis Adami compositis eodem initio cum annis indictionis, intra quos inceperunt. Adhibet aureos numeros nicaenos. Anni cyclorum solis, lunae, et indictionum, usitata ratione inveniuntur. Indictio ita inventa, hoc est, numero annorum Adami per 15 diviso, ea est, intra quam annus Adami eo numero notatus incepit, alia mundana, alia augustana, illa, quae ex annis Adami per quindecim distributis restat, haec, quae illam uno anno anteit; hanc augustanam Maximus sequitur. Summa eorum, quae is tradit, haec est, quam infra vides. Animadverte, ut Maximus plus uno vitae anno Christo aeque ac Ioanni Baptistae verbo, quam re ipsa tribuerit.

Per. iul.	Adami	⊙	☽	Ind.	*Dies mensis*	Fer.	**Historia**
G	1	1	1		23 martii	VI	Adam conditus.
1 G F	779	23	19		1 ianuarii	II	Initium periodi iulianae.
4680 C 4681	5459 4560	27 28	6 7	1	1 septembris	IV	Initium indictionis augustanae.
4714 B	5492	4	1	4	1 ianuarii	VII	Initium aerae vulgaris.
4721 A G	5500	12	9	12	27 septembris	V	Conceptus Ioannis Baptistae.
4722 F	5501	13	10		25 martii	II	Incarnatio.
					24 iunii	II	Ortus Ioannis Baptistae.
				13	25 decembris	IV	Ortus Christi.
4752 D	5530	14	1	12	6 ianuarii	III	Christi baptismus
4754 A	5533	17	4	14 15	29 augusti	III	Nex Ioannis Baptistae.

[1] Comput. P. I. c. 30; P. II. c. 6. [2] Comp. P. I. c. 17.

4755 G	5534	18	5		23 martii	VI	Christus cruci fixus.
5353 B A	6132	28	14	14	1 septembris		Initium *προληπτικον* anni Adami 6133 cum indictione compositi.
5354 G	6133	1	15		23 martii 1 aprilis	VI 1	Initium naturale anni Adami 6133. Initium civile anni Adami 6133.

153 *Scriptor De mirabilibus sacrae scripturae.* An. DCLVII [1]). Annorum DXXXII cyclus decimus *ab initio conditi orbis nonagesimo secundo anno post passionem Salvatoris Alia et Sparsa,* id est, Aviola et Pansa, *consulibus consummatur* [2]). Aviola et Pansa consulatum gesserunt anno p. i. 4835, aer. vulg. 122. Ab huius anni verno regredere per annos 92, pervenies ad ver anni p. i. 4743, aer. vulg. 30, quo anno, secundum huius scriptoris sententiam Christi mors est consignanda.

154 *Scriptor homiliae de paschate*, Chrysostomo olim affictae. An. DCLXXII [3]). *Natalem celebramus* VIII *kal. ianuar., theophania vero die* XIII *mensis quarti secundum Asianos* [4]), hoc est, nonis ianuar. *Luna quartadecima, mense primo, . . . in paschate Iudaeorum Christus passus est, . . . post aequinoctium. . . . Commentaria sub Pilato edita definitum continent. Narratur enim octavo kal. apriles passum esse Salvatorem . . . in parasceve, . . . parasceve tunc concurrente cum quartadecima luna* [5]). Inter annos aerae vulgaris, quibus Christi mors consignata reperitur, non alii sunt, quibus dies 25 martii inciderit in diem veneris, nisi anni 29, 35, 40, 46, nullus vero, quo simul concurrerint dies 25 martii, luna XIV, et feria VI.

155 *Iulianus Toletanus.* An. DCLXXX. *Invenietis usque ad vicesimum octavum annum Caesaris Augusti, cuius quadragesimo primo anno Christus natus est in Iudaea, in toto orbe terrarum fuisse discordiam* [6]). *Annorum numerus a tempore nativitatis Christi usque in praesens, in promptu est unicuique et scire, si volet, et supputare, si placet, assumptis videlicet annis secundum aeram* hispanicam *ab ipsa Domini incarnatione. Era enim* hispanica *inventa est ante triginta et octo annos, quam Christus nasceretur* (29). *Nunc autem acclamatur era esse* DCCXXIV. *Detractis igitur triginta et octo annis, ex quo era inventa est, usque ad nativitatem Christi, residui sunt* DCLXXXVI *anni* [7]). Apparet Iulianum Dionysio Exiguo adsentire.

156 *Concilium constantinopolitanum* III *oecumenicum* VI. An. DCLXXX. Haec de die dominico pronuntiavit: *In eo die . . . nasci dignatus est, . . . in eo baptismum in Iordane suscepit* [8]). Dies dominica concurrens cum 25 decembris character est anni primi aerae vulgaris, cum 6 ianuarii annum aer. vulg. 32 designat. Quibus positis Christus dicendus esset ad baptismum venisse tredecim post diebus ab exacto anno aetatis tricesimo.

SAECULUM VIII

157 *Ioannes Beda.* An. DCCI. Aliorum is potius sententias retulit, quam suam protulerit, quod facile cuiquam apparebit. *Solstitia duo sunt, primum hyemale,* VIII *kal. ianuar., qua die natus est Dominus noster Iesus Christus. . . . His contrario duo sunt aequinoctia. Primum vernale aequinoctium* VIII *kal. april., in qua die . . . est conceptio sanctae Dei genitricis Mariae, quando salutata est ab angelo, in qua etiam die passus est Dominus noster Iesus Christus. . . . Conceptus*

---

[1]) Opp. *Augustini* T. III. P. 1 Append. ed. *Maurinorum.* [2]) De mirabilib. sacrae scripturae L. II. c. 4. [3]) *Usserius* De Macedonum et Asianorum anno solari cc. 2. 5. [4]) Opp. *Chrysost.* T. VIII ed. *Montfaucon.* Append. hom. VII de pasch. § 1. [5]) Ib. §§. 1. 2. [6]) Adv. Iudaeos L. I. [7]) Ib. L. III. [8]) Ap. *Baron.* Annal. Apparat. § 122.

est Christus Dominus noster die dominico, VIII *kal. april.*, *et natus est* III *feria*, VIII *kal. ianuar. Et a nativitate eius usque in diem, qua passus est, fiunt anni* XXXII *et menses* III. . . . *Ex quo vero baptizatus est Dominus noster usque in diem, qua passus est, fiunt anni* II *et dies numero* XXC, *qui faciunt dies* DCCCX, *et sic baptizatus est* VIII *idus ianuarii feria* II [1]). Dies VIII kal. mart. in feriam I diesque VIII kal. ianuar. in feriam III incidunt eo anno p. i., qui notatur litera G, dies VIII id. ianuar. in feriam II eo anno, qui notatur litera E, dies VIII kal. april. in feriam VI eo anno, qui notatur litera B. Quare haec, quae apud Bedam leguntur, non cohaerent, nisi pro annis XXXII, quos Christus implevisse dicitur, rescribas XXXIII; hoc enim posito Christus ortus fuisset anno p. i. 4708, cui ob pravas diei bissexti intercalationes litera G pro C adscribenda fuit, baptismo tinctus anno p. i. 4740, verum exacto iam tricesimo primo vitae anno, mortuus denique anno p. i. 4742, aer. vulg. 29. Sed merito dubites, an illa verba sint ipsius Bedae, minime enim respondent iis, quae in aliis locis ipse Beda narravit, Christum ortum esse XLII anno imperii Augusti, anno III olympiadis CXCIV, U. C. DCCLII, quae omnia congruunt in annum p. i. 4712, baptismo ablutum anno XV principatus Tiberii, anno autem huius principatus XVIII in crucem actum [2]). In alio autem opere haec scripsit: *Habet enim, ni fallor, ecclesiae fides, Dominum in carne paullo plus quam* XXXII *annis usque ad suae tempora passionis vixisse, quia videlicet* XXX *annorum fuerit baptizatus, sicut evangelista Lucas testatur, et tres semis annos post baptisma praedicaverit, sicut Ioannes, in evangelio suo non solum, commemorato redeuntis paschae tempore, perdocet, sed et idem in apocalypsi sua. . . . Quod autem* VIII *kalendarum aprilium crucifixus* VI *kalendarum earumdem resurrexerit, multorum late doctorum ecclesiasticorum constat sententia vulgatum* [3]). *Ubi autem primum dominicus resurrectionis Christi dies fuerit varie refertur. . . . Quidam* VIII *kal. april.*, . . . *alii* VI, *nonnulli* V *kalend. earumdem die fuisse asseverant* [4]). Merito *creditur, si non verior sententia vincit, quod beatus Theophilus cum ceteris non solum Palaestinae, sed et permultis aliarum regionum, episcopis de pascha disputans scripsit, eodem* decimo *kalend. april. die Dominum fuisse cruci fixum* [5]). Vides, ut vere dixerim a Beda aliena potius, quam sua, proponi. Ceterum Beda ad tempora dimetienda adhibet aeram incarnationis, huiusque primum annum, quo eam factam dicit, illum ipsum esse statuit, qui nobis primus est aerae vulgaris, annum, inquam, p. i. 4714. Lege Petavium [6]), Norisium [7]), et Sanclementium [8]). Non tamen desunt, ex quibus quis colligeret aerae incarnationis initium a Beda, non anno primo aerae vulgaris, sed priori anno p. i. 4713 adscriptum esse. Lege, quae continuo dicemus.

158 *Romana ecclesia.* An. DCCI. Apud Bedam haec legimus: *Anno ab . . . incarnatione iuxta Dionysium septingentesimo primo, indictione quarta decima, fratres nostri, qui tunc fuere Romae, hoc modo se in natali Domini in cereis sanctae Mariae scriptum vidisse et inde descripsisse referebant: A passione Domini nostri Iesu Christi anni sunt* DCLXVIII [9]). Iam vero *anni ab incarnatione Domini mutantur* VIII *kal. ianuar.*, . . . *indictiones incipiunt ab* VIII *kal. octobr.*, *ibidemque terminantur* [10]). Nisi igitur putare malis utramque legem hoc in loco a Beda neglectam esse, dies festus Christi natalis, de quo loquitur, ille sit oportet, qui fuit anno p. i. 5413, annus autem a passione DCLXVIII inceperit huius ipsius anni verno. Romae ergo illa aetate opinio obtinebat Christum obiisse anno aer. vulg. 33 a. d. XIII vel VI kal. april. Quod si sensus est annos illos DCLXVIII impletos fuisse intra illum annum p. i. 5413, Christum mortuum dices anno aer. vulg. 32 a. d. XII kal. april. Animadverte, ut Beda non semel haec scripserit: *Quarta indictione secundum Dionysium Dominus natus est* [11]), quae annum 1 aerae vulgaris designare nequeunt, nisi Beda, secus ac fieri iubet, indictiones numeret initio ducto a kalendis ianuar., nam, si a die VIII kalend. octobr., annum superiorem designabunt. Si itaque contendas indictione romana uti Bedam, quae ducitur a kal. ianuar., proinde loqui de die illo festo Christi natali, qui actus est an. p. i. 5414, ex *cereis sanctae Mariae* colliges Christi mortem incidisse in annum aer. vulg. 33 a. d. XIII vel VI kal. april., si annus ab ea DCLXVIII iam praeterierat, sin vero tunc adhuc ibat, in an. aer. vulg. 34 a. d. XIV vel. VII kal. april. Haec autem si ad feriam VI dumtaxat spectes, non autem si ad lunae cursum adque astrica ratiocinia.

159 *Anastasius Nicaenus.* An. DCCI [12]). Quae is ex Eusebio se accepisse narrat, quandoquidem

[1]) Argum. lunae col. 214 opp. T. I. Basileae 1563. [2]) De tempor. ratione c. 7; De sex mundi aetatibus; De temporibus cc. 7. 22. [3]) De tempor. ratione c. 45. [4]) Ib. c. 59. [5]) Ib. c. 65. [6]) De doctr. temp. L. XII. c. 2. [7]) Diss. de cyclo pasch. ravennat. c. 5. [8]) De vulgar. aerae emendat. L. IV. c. 8. [9]) De temporum ratione c. 45. [10]) Argument. lunae col. 215; De tempor. ratione c. 47. [11]) Ratio cyclor. opp. T. I. p. 373; De tempor. ratione c. 47; De temporib. c. 14. [12]) Quaestiones in scriptur. q. XCIII.

ea Eusebii seutentiae ac supputationi minime consouaut, uude autem ea Anastasius acceperit, incompertum est, iu hunc locum referri posse videntur: *Postquam sunt impleti* V̄D *anni a mundi creatione, udvenit Dominus noster, et natus secundum carnem ex sancta virgine Maria, et incipiente tricesimo eius anno, sicut dicit Lucas, mensis ianuarii die* VI, *tertio die hebdomadae, post* XXIX *annos suae apparitionis, tinctus fuit a Ioanne. Et, cum praeter hos alios tres fecisset miracula, anno* V̄DXXXII *a creatione mundi propter nostram salutem actus fuit in crucem. Nam cum comedisset umbraticum pascha cum discipulis, et instituisset authenticum quinto die hebdomadae, qui erat lunae quartus decimus, mensis autem martii* XXII, *indictionis quintus decimus, eadem nocte, quae fert ad* XXIII *eiusdem mensis fuit traditus, et, cum fuisset eodem die crucifixus, surrexit* XXV, *die dominico.* Annus ergo mundi 5501 ille est, quo Christus, et conceptus, et in lucem editus fuit. Per illos annos, intra quos Christus mortuus est, numquam concurrerunt iudictio XV, dies 23 martii et feria VI; uulli igitur usui est nota haec iudictionis. Pro V̄DXXXII legendum esse V̄DXXXIII tum ea nos monent, quae sequuutur, tum temporis spatium, quod Christum vixisse auctor uarrut. *Erat ergo tunc* V̄D *annus, ut habet scriptura in sacris literis, annorum, qui numerantur ab Adamo; in eo enim fuit et annuntiatio Virginis, et castissimus ex ea partus. Erat autem annus solis quidem* XIII, *lunae vero* X. . . . *Ita autem divinus quoque eius baptismus fuit anno* V̄DXXX, *annus autem erat solis quidem* XIV, *lunae autem* X. . . . *Rursum autem salutaris eius passio fuit anno* 5533, *annus autem solis quidem erat quintus, lunae autem* XIV. Dies hebdomadae, quos uuctor notat, omisimus, meudosos quippe. In annos quoque cyclorum meuda irrepsere; nam anno 5530 lunae annus erat I, anno autem 5533 solis annus erat XVII, lunae IV. Pro anno V̄D rescribendum est V̄DI; hic enim annus fuit solis XIII, lunae X, eoque Christum conceptum natumque esse cousequitur e superioribus verbis. Paullo iufra interque ea, quae ab ipso Anastasio his addita esse videntur, haec leges: Dies XXV *martii . . . est dies primo creatus*; hoc ergo die annis mundi initium est, idque iis confirmatur, quae mox Anastasius dicit: *Anno* V̄DXXXIV *fuisse primum dominicum pascha*, hoc est, *diem resurrectionis* . . . XXV *martii*. Dies 23 martii iu feriam VI per illud annorum spatium, quo Christus obiit, non iucidit, nisi annis aerae vulg. 31 et 36. Si primum accipias, Christi natalis cum plerisque primarum aetatum auctoribus adscribendus erit anno p. i. 4711, si alterum, anno 1716, aerae vulg. 3, quod nemo est opinatus; feria autem, qua annus mundi 5501 incepit, Christique aetas, quam vixit, primum accipere iubent, ac credere Anastasium quod ad mundi aeram annumque Christi natalem Hippolyto (55) assensisse. Itaque emendatum scriptoris huius de Christi aetate sententiam haec tabella tibi ponet ob oculos.

Anni				Dies mensis	Feria	Historia
Per. iul.	Mundi	⊙	☽			
4711 F						
	5501	13	10	25 martii	II	Incarnatio.
				25 decembris	IV	Christi ortus.
4740 E						
	5530	14	1	25 decembris	V	Christus annum XXIX implet.
4741 D C				6 ianuarii	III	Christi baptismus.
	5531	15	2			
4742 B				6 ianuarii	V	Annus I post baptismum exit.
	5532	16	3			

4743 A				6 ianuarii	VI	Annus II post baptismum exit.
	5533	17	4			
4744 G				6 ianuarii	VII	Annus III post baptismum exit.
				23 martii	VI	Christus cruci fixus.
	5534	18	5	25 martii	I	Resurrectio.

160 ***Iacobus Edessenus.*** An. DCCVIII. *Christus natus est . . . anno* CCCIX *Graecorum, qui est annus* XLI *Augusti; . . . eiusdem autem passio anno undevicesimo Tiberii* [1]). *Nemo exacte novit diem nativitatis Domini* [2]). Anni *Graecorum* sunt anni aerae Seleucidarum antiochenae (25). Natum ergo Christum Iacobus putavit an. p. i. 4710, mortuum vero si notam attendas anni Tiberii imperantis, putasse dicendus foret an. p. i. 4745 aut 4746, ac si Christus vixisset ultra aetatis annum 34 aut 35; attamen ex iis, quae Dionysius Bar Salibi [3]) scripsit (226) Iacobi sententiam sequutus, intelligimus Christi obitum anno p. i. 4743, aer. vulg. 30, a Iacobo adscriptum fuisse.

161 ***Chronographus ἀνώνυμος.*** An. DCCXXXVI. Ad hunc annum Fredegarii Chronicon ab eo productum est [4]). *Ab initio mundi usque ad passionem Domini nostri Iesu Christi anni* $\overline{\text{V}}$DXXXVIII. Ast $\overline{\text{V}}$CCXXVIII legitur in aliis exemplaribus. *Et a passione Domini usque in istum annum praesentem, qui est in cyclo Victorii, anni* CLXXVII, *kal. iannar., die dominica, anni* DCCXXXV. Suas historias scriptor hic produxit usque ad annum aerae vulg. 735. Quare non est dubium horum verborum sensum esse, illis kalendis ianuar., die dominica, ivisse annum centesimum septuagesimum septimum periodi a Victorio Aquitano excogitatae, quam is duxit *a passione Domini*, hoc est, a kal. ianuar. anni aer. vulg. 28, cui anno Christi obitum adscripsit, et quae iterata est anno aer. vulg. 560, videlicet qui primus fuit annus secundae periodi. Itaque annus 177 secundae huius periodi incepit utique die dominico, kal. ianuar., an. aerae vulg. 736, vel 735, si annis huius aerae, ut ab isto Chronographo fieri constat, initium fiat ipso die, cui Dionysius incarnationem adscripsit. Si ergo auctor hic noster eodem hoc ipso die incarnationem factam esse opinatus est, consequeretur Christum ortum esse anno 1 aerae vulgaris, mortuum anno 28, vixisse annos XXVI menses III non amplius quod tamen e sua computatione consequi minime is animadvertisse merito creditur.

162 ***Pirminius Abbas.*** An. DCCLVI. *Videte, fratres, sicut Dominus noster Iesus Christus* XXX *annorum passus tertia die resurrexit a mortuis, ita et nos . . . in* XXX *annorum aetate resurgemus* [5]).

163 ***Paulus Diaconus.*** An DCCLVII [6]). *Anno ab Urbe condita* DCCLII *Caesar Augustus ab oriente in occidentem, a septentrione in meridiem, ac per totum oceani circulum, cunctis gentibus una pace compositis, Iani portas tertio ipse tunc clausit. . . . Igitur eo tempore, id est, quadragesimo secundo imperii sui anno, . . . natus est Christus.* Tiberii autem *imperii anno . . . septimo decimo. . . . Dominus Iesus Christus voluntarie . . . se tradidit passioni. . . . Eadem quoque die a sexta hora diei usque in horam nonam sol in totum obscuratus, atraque nox subito obducta est terris, . . . quod, non solum sanctorum evangeliorum fides, sed etiam aliquanti Graecorum libri attestantur; quamquam nono decimo anno Tiberii haec facta referuntur, . . . quarto anno ducentesimae secundae olympiadis.* In aliis exemplaribus pro anno *septimo decimo* legitur *octavo decimo.* Anni principatus tum Augusti, tum Tiberii, recte in hoc opera positi sunt, suisque ab initiis ducti. Itaque Christus ortus fuisset anno p. i. 4712, mortuus anno p. i. 4744 aut 4745, aer. vulg. 31 aut 32, annosque 31 vel 32 tresque praeterea menses implesset.

164 ***Theophilus Edessenus.*** An DCCLXX [7]). Christi annum emortualem fuisse ait annum

---

[1]) Chronic. ap. *Dionysium Bar Salibi* in *Asseman.* Biblioth. orient. T. II. c. 32 p. 163. [2]) Ep. ad Mosen Tur Abdin ap. *eund.* ib. [3]) Ap. *Asseman.* ib. [4]) Fredegarii Chronic. continuat. P. II in fine. [5]) De singulis libris canonicis. [6]) Histor. miscell. L. VII. [7]) Histor. ap. *Gregor. Abulpharag.* Hist. dynastiar. p. 63 ed. *Pocock* et Chron. syriac. in *Asseman.* Biblioth. orient. T. II. p. 315.

Graecorum, hoc est, Seleucidarum aerae antiochenae, CCCXLII, qui exiit in autumnum anni aerae vulgaris 31.

165 *Alcuinus.* An. DCCLXXX. *Natus est Christus anno, videlicet iuxta hebraicam veritatem, a conditione mundi termillesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, secundum alios vero, anno quinquiesmillesimo centesimo nonagesimo nono, qui est annus imperii Octaviani Caesaris Augusti quadragesimus secundus. . . . Conceptus namque traditur octavo kal. april., a quo supputantur dies ducenti septuaginta sex . . . usque ad octavum kal. ianuarias, quando creditur natus Sulpitio et Camerino coss.* [1]) *Expletis Christi quasi triginta annorum curriculis venit in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo, anno videlicet decimoquinto imperii Tiberii Caesaris sub Valeriano et Asiatico consulibus, . . . Peracti erant ab initio mundi secundum hebraicam veritatem anni quater mille, lege ter mille, nongenti octoginta duo, . . . iuxta Septuaginta interpretum vero editionem anni sunt quinquies mille ducenti viginti novem* [2]). Q. Sulpitius Camerinus cum C. Poppaeo Sabino consulatum gessit anno p. i. 4722, aer. vulg. 9, P. Valerius Asiaticus et L. Vitellius II coss. fuerunt an. p. i. 4756, aer. vulg. 43; quare, si e consulibus arguere velis, dicas Christum baptismo ablutum, quum annos XXXIII iam implesset. Quos vero annos p. i. signent notae annorum imperii tum Augusti, tum Tiberii, saepe dictum est.

166 *Concilium Nicaenum II oecumenicum* VII. An DCCLXXXVII [3]). Ἐν γαρ τῳ πρωτῳ και πεντακισχιλιοστῳ πεντακοσιοστῳ ἐτει *Anno enim quinquiesmillesimo quingentesimo primo Christus Deus noster ad homines veniens,* τριακοντα τρια ἐτη ἐπι μησι παρα μικρον πεντε *per triginta tres annos et menses pene quinque nobiscum conversatus, quum magnum et salutare mysterium nostrae redemptionis operatus esset, ad caelos iter fecit.* Si aeram mundi alexandrinam (13) hoc concilium secutum est, Christum natum credidit anno p. i. 4722, aer. vulg. 9, mortuum an. p. i. 4756, aer. vulg. 43.

167 *Scriptor* ἀνώνυμος *Brevis annorum summae.* An. DCCXC [4]). *Ad passum . . . Dominum nostrum Iesum Christum peracti sunt ab ortu mundi quinque millia ducenti viginti et quinque anni. A passione Domini nostri Iesu Christi usque ad sedem beatissimi Marcellini papae sunt anni ducenti septuaginta sex, menses novem. De apostolato iam facto Christi martyris Marcellini usque tempus gloriosissimi Domni Karoli regis, vigesimi secundi regni eius, hoc est, usque* VIII *kalendas aprilis, sunt anni quadringenti nonaginta et menses tres.* Pro annis 5225 videtur rescribendum 5228 (168). A Christi ergo obitu, quem ab hoc auctore adscribi apparet diei VIII kal. april., usque ad VIII kal. april. anni XXII regni Karoli Magni, aerae vulg. 790, vel 789, si huius regni initium ducatur a kal. ianuar., numerandi essent anni 767, Christique mors anno aer. vulg. 23 vel 22 consignanda. Sed duplex in his verbis mendum esse videtur. Marcellinus martyrium fecit anno aer. vulg. 305 a. d. VI kal. mai.; quare Christi mors incidisset in annum aer. vulg. 28, mensemque iulium. Sed pro *Marcellino* rescribe *Marcellum*, cuius martyrium fuit anno aer. vulg. 309 a. d. XVII kal. febr., novem mensibus a paschate exactis, quemque veteres nonnulli, Graeci praesertim, Marcellino non distinxerunt [5]). Item pro annis CDXC rescribe CDXXC. Iam vero sive ab anno aer. vulg. 309 iam inito demas annos 276, menses 9, et aliquot dies, sive ab anno aer. vulg. 789 dieque VIII kal. april. demas annos 757, quod restat, erit dies VIII kal. april. anni aer. vulg. 32. Verum hic dies cum feria VI non concucurrit ullo anno, qui fuit inter annos aer. vulg. 29 et 35.

168 Horum, quae modo retulimus, e codice quodam bibliothecae hardynnae a Labbeo eruta, in quo codice sunt post catalogum romanorum pontificum, gemina fere, item post romanorum pontificum album, reperias in *Codice bibliothecae alexandrinovaticanae.* An. DCCXCII. De hoc codice consule Schelestrate [6]). *Passum . . . Dominum nostrum Iesum Christum peractis ab ortu mundi* V̄CCXXVIII *annis. A passione Domini nostri Iesu Christi usque ad sedem beatissimi Marcellini papae sunt anni* CCLXXVI, *m.* IX. *De apostolato iam facto Christi martyris Marcellini usque tempus gloriosissimi Domini Caroli regis,* XXV *anni regni eius, hoc est, usque* VIII *kal. aprilis, sunt anni* CDXC *et menses* III. De his aeque ac de superioribus (167) coniectes, si lubet, utpote quae ex uno atque eodem fonte derivata videntur, nisi quod in his Christi mors illi mundi anno adscripta sit, cui Prosper adscripsit, quemque is Eusebium secutus cum anno XV imperii Tiberii composuit.

---

1) De divinis offic. c. 1. 2) Ib. c. 6. 3) Act. IV. col. 218 edit. *Mansi.* 4) In *Labbé* Nova biblioth. ms. T. I. p. 404. 5) Acta sanctorum XXVI april. 6) Antiquit. eccles. T. I. diss. III. c. 4. §§ 4. 5 et Append. n. 24.

169 ***Georgius Syncellus.*** An. DCCXCII. Anni initium ponit die 25 martii [1]). Quomodo menses numeret, ipse nos docet [2]). Tempora distribuit per mundi annos. *Primum annum*, inquit *Nabonassari Chaldaeorum regis a ‚δψμϛ'* ĪVDCCXLVI *anno mundi oportet numerare* [3]). Nabonassari primus annus incepit die 26 februarii an. p. i. 3967; quare videretur concludendum periodo iulianae initium fuisse intra annum mundi 780. Ab hoc anno primo Nabonassari ad Alexandri obitum annos numerat *υκδ'* 424 [4]), ita ut hic annus Nabonassari 424 ille sit, quo Alexander mortuus est, *et anni a Philippo post Alexandrum ducti secundum Ptolemaei manuales astronomiae canones consonent deinceps annis insequentibus* [5]). Alexander quidem vita excessit verno anni p. i. 4391, sed communis obtinuit error eum obiisse anno superiore p. i. 4390, annus autem primus aerae, quae ab huius morte aut a Philippo eius successore nomen habet, est ipse annus Nabonassari 425, qui incepit die 12 novembris p. i. 4390; proinde ex his quoque effici posse videtur, primum periodi iulianae annum intra annum mundi 780 initium habuisse. Verum ait ab Adamo ad annum XX imperii Constantini numerandos esse annos *‚εωιϛ'* 5816 [6]). Annus hic vicesimus incepit VIII kal. august. an. p. i. 5038; necesse igitur est annus mundi 5816 exierit in diem 24 martii huius anni p. i. 5038 vel insequentis 5039, annus autem p. i. primus non serius inceperit, quam anno mundi 779. Item ait Christum obiisse die 23 martii an. mundi *‚εφλγ'* 5533 [7]), revixisse die 25 martii, qui primus dies fuit anni mundi *‚εφλδ'* 5534 [8]). Quae quidem, si iuliana periodus incepisset intra annum mundi 780, adscribenda essent anno huius periodi 4754, quo anno dies 23 martii in feriam V, dies 25 in feriam VII inciderunt; proinde annus p. i. 4755 ille est, quo annus mundi 5533 impletus est, inceptusque annus mundi 5534, annus autem p. i. primus ille, qui incepit anno mundi 779. Hoc alterum, non autem illud primum, in annis mundi a Syncello supputatis periodo iulianae initium esse, ita ut annus primus aerae vulgaris inceperit anno mundi 5492, die autem 25 martii anni aer. vulg. 1 principium fuerit anno mundi 5493, nec sit dubitandum Syncellum aeram mundi eamdem sequutum esse, quam Panodorum et Maximum, plane comprobant tum indictiones, tum feriae, quas ille interdum commemoravit.

170 Quod ad ferias adtinet, liquet diem 25 martii, qui primus mundi conditi dies a Syncello dicitur, in primam feriam incidisse, ipseque Syncellus id aperte affirmat [9]); ergo dies 25 martii, quae initium fecit anno mundi 780, cum feria II concucurrit, qui character est anni p. i. 1 literis GF consignati. Anno mundi *‚βσμβ'* 2242, quo diluvium factum Syncellus narrat, diem 20 maii in feriam I incidisse ait [10]), sed errore manifesto, quum illo anno dies 20 maii in feriam II inciderit necesse sit, nisi dicatur dies bissextus intercalari primo vel secundo *τετραετηρίδων* anno, quod cur credamus quum nulla caussa est, tum est cur negemus, siquidem aeram mundi antiochenam ille sequitur, in qua annus tertius *τετραετηρίδων* intercalaris est, idque positum habuimus ad definiendam feriam, qua annum mundi 780 incepisse diximus. Sed in tota illius anni, quo terra aquis demersa fuit, descriptione Syncellus de feriis nec sibi ipse consentit. Si enim anno mundi 2242 dies 20 maii fuit feria I, dies primo mensis sabat, quam cum 22 ianuarii ipse componit, feria III fuisset; ait tamen hanc fuisse feriam II, itaque huic errori inhaeret, ut simili mendo in insequentibus feriis designandis admisso, diem 25 martii, primum anni mundi 2243, cum feria prima concurrisse narret, etsi superiore quoque anno 2242 dies 25 martii cum feria I concurrerit oporteat, siquidem dies 20 maii fuit, ut ille scripsit, feria I. Ceterum, quum Syncellus, quasnam ferias primis mundi diebus adscripserit, ipse nos doceat, moneatque omnis mundi initium esse die 25 martii, huncque diem esse *primo conditum*, atque annus iuliana forma usurpet, nemo nescit, quibus cum feriis horum annorum dies sint componendi. Itaque dies 20 maii incidens in feriam II signat annum p. i. 1463, qui litera F notatur; eique hoc anno incepit annus mundi 2242, non est dubium annum p. i. primum anno mundi 779 incepisse. Denique hoc ipsum efficitur, ut diximus, ex annis mundi 5533 et 5534, quorum primo Christi mortem, alteri resurrectionem consignavit.

171 Nec secus esse concludendum indictiones evincunt his a Syncello commemoratae. Hae eodem modo se habent ac in Maximi *Computo* (152.) Ait enim Syncellus opus a se productum esse *ἕως του νυν ἐνεστωτος ἑξακισχιλιοστου τριακοσιοστου ἀπο κτισεως κοσμου, ἰνδικτιωνος πρωτης usque ad annum, qui nunc est, a creatione mundi sexies millesimum trecentesimum, indictione prima* [11]), hac videlicet indictione augustana ille annus inceperat; incepit igitur anno p. i. 5521, annus autem

---

[1]) Chronograph. pp. 1. 2. 3. 6. Paris. 1652. [2]) Ib. pp. 6. 7. [3]) Ib. p. 204. [4]) Ib. pp. 204. 207. 208. [5]) Ib. p. 261 coll. 313. [6]) Ib. pp. 32. 35. 36. 169. [7]) Ib. pp. 320. 321. [8]) Ib. pp. 2. 321. 322. 325. 327. [9]) Ib. p. 3. [10]) Ib. p. 22. [11]) Ib. pp. 3. 6.

p. i. 1 anno mundi 779. In alia pagina haec de Augusto scripsit: *Anno ͵ευξ* V̄CDLX . . . *indictio ab eo, sive ἐπινεμήσεως, sancita est, ut testatur beatus Maximus in Tractatu de paschate* [1]). Maximus discrimen indictionis mundanae et augustanae ex eo repetit, quod Augustus anno mundi 5460 indictionem, quae tunc XV erat, primam esse constituit, ita ut hic annus mundi inceperit indictione mundana quidem XV, ast augustana I [2]). Augustanae autem dumtaxat indictionis usus obtinuit. Indictione I incepit annus p. i., non 4680, sed 4681; hoc itaque, non illo anno initium fuit 5460, ipsa autem iuliana periodus anno mundi 779 principium habuit.

172 Quae quum nemini non sint explorata, patet pro mendo habendum esse, quidquid his in Syncelli Chronographia minus consentaneum est, licetque iam certa quaedam historiae capita iis annis, quibus ea Syncellus adscripsit, consignata exhibere.

Anni			*Dies mensis vel anni tempus*	*Feria*	**Historia**
Per. iul.	Mundi	Ind.			
	1	2	25 martii	I	Mundus conditus, et annorum initium.
1 G F	779	1	1 ianuarii	II	Initium periodi iulianae.
3967 E	4746	7	26 februarii	IV	Nabonassari annus I incipit.
4390 A	5169				
4391 G		11	12 novembris	I	Initium aerae Philippi.
	5170		verno		Alexander moritur.
	5459				
4681 B A		1	1 septembris	IV	Initium indictionis augustanae.
	5460				
	5492	4			
4714 B			1 ianuarii	VII	Initium aerao vulgaris.
4721 A G	5500				
4722 F		12	27 septembris	V	Ioannis ortus Zachariae patri praenuntiatus.
	5501		25 martii	II	Incarnatio.
		13	25 decembris	IV	Christi ortus.

[1]) Ib. p. 305. [2]) Comput. P. I. c. 33.

4755 G	5533	15	23 martii	VI	Christi mors.
	5534		25 martii	I	Resurrectio.

173 *Theophanes.* An. DCCXCII. Syncelli opus huius ipsius rogatu produxit usque ad Michaelem Curopalaten, eamdemque ac Syncellus, tum mundi tum incarnationis aeram sequitur, annum primum incarnationis eum ponens, qui ipsi erat annus mundi 5501, inceperatque anno p. i. 4722 [1]).

174 *Dionysius Telmarensis.* An. DCCC [2]). Chronicon is scripsit *usque ad praesentem annum,* inquit, *in quo sumus, id est, usque ad annum Alexandri* MLXXXVI, *qui est hegirae* CLVIII [3]). Annus hegirae 158 exiit in diem 17 aprilis anni p. i. 5488, aer. vulg. 775; annus ergo Alexandri 1086, qui in eiusdem huius anni p. i. aeraeque vulg. autumnum exiit, annus est aerae Seleucidarum antiochenae; non enim defuerunt, qui aeram hanc Alexandri nomine designarent. Christum natum dicit Dionysius anno Alexandri 309; ergo anno p. i. 4710.

175 *Nicephorus Constantinopolitanus.* An DCCC [4]). Imperii Augusti *anno μβ'* XLII *natus est secundum carnem ex sancta virgine et deipara Maria Dominus noster Iesus Christus in Bethlehem Iudaeae* πρὸ ὀκτὼ καλανδῶν ἰανουαρίου, ὅ ἐστι χοιὰκ κθ, τοῦτ᾽ ἔστι δεκεμβρίῳ κε' VIII *kal. ianuar., quae est choeae dies* XXIX, *hoc est, decembris* XXV.... *Ab Adamo itaque ad Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi in carne adventum ex accuratissimo calculo sunt anni ,εφ'* $\overline{\text{V}}$D. Tiberii principatus *anno ιη'* XVIII *salutarem pro nobis in Hierusalem subiit passionem* πρὸ η' καλανδῶν ἀπριλλίων, φαμενὼθ κθ', ὅ ἐστι μαρτίου κε' *a. d.* VIII *kal. april., phamenoth* XXIX, *quae est martii* XXV. *Ab Adam itaque ad salutiferam passionem et Domini ac Dei et Salvatoris nostri resurrectionem anni ,εφλγ'* $\overline{\text{V}}$DXXXIII *colliguntur.* Natalis itaque Christi dies fuisset anno p. i. 4712, obitus, si ad annum principatus Tiberii spectes, anno p. i. 4745, sin ad feriam, anno p. i. 4742 vel 4748, aer. vulg. 29 vel 35, quorum neuter aetati, quam Christus vixit, respondet. Annos sive mundi sive Adami ultra diem 24 martii excurrere nemo putavit eorum, qui illos ducunt a verno; anno ergo ineunte Christus mortuus esset. Annus Adami (13) 5533 incepit feria V, proinde, si huic anno Christi mors adscribatur, primus huius anni dies fuisset dies 24 martii, quo tamen die nemo huiusmodi annorum initium esse positum habuit. Annus vero Adami 5534 incepit feria VI; quare primo huius anni diei Nicephorus Christi mortem adscripsisse dicendus esset, maxime quum id ad amussim cohaereat summae annorum 5533, qui ab Adamo ad Christi obitum fuisse dicuntur. Sed alia Nicephori ratiocinia his non satis respondent. Adde quod aliam atque aliam Adami aeram is sequatur, ut quisque intelliget, qui conferet inter se illa, quae ipse Nicephorus adnotavit anno VII imperii Iustini minoris et in fine Chronographiae.

176 *Scriptor ἀνώνυμος ex bibliotheca regia.* An. DCCC [5]). Is laudat ac Chrysostomo adtribuit homiliam illam de paschate, de qua superius (154) loquuti sumus, cuius tamen opinionem minime sequitur; quare non ante id tempus scripsisse videtur. *Observandum*, inquit, ὅτι τριάκοντα τριῶν ἐτῶν γενόμενος *quum annorum esset triginta trium ab ipsius in terram adventu, Christum fuisse cruci fixum.* Demonstrat errare eos, qui illum natum dicunt anno mundi ,εφ' 5500, quum consequenter dicere debeant cruci fixum anno ,εφλγ' 5533, quo anno quartus lunae annus erat, proinde luna XV paschalis, inquit, incidit in diem 30 martii, at Christi obitum diei 23 martii adscribere oportet. Concludit incarnationem factam esse anno mundi ,εφς' 5506, et *quoniam* τριάκοντα τρεῖς χρόνους τοὺς πάντας *annos in totum triginta tres, ut in confesso est, in terris versatus est,* Christum obiisse anno mundi 5539, lunae X, die 23 martii, luna XIV. Animadverte eas, quae huic scriptori sunt lunae decimaequintae, esse re ipsa secundum nicaenam computationem quartas decimas, cyclumque lunarem, quem ille adhibet, initium capere ab aureo numero IV. Iam vero dies 23 martii, luna XIII, et feria VI, notae sunt anni, cuius litera est G et aureus numerus XIII, qualis fuit annus p. i. 4744

[1]) Chronographia. [2]) Chronic. ap. *Asseman.* Biblioth. orient. T. II. c. 16. [3]) Ib. p. 100. [4]) Brevis Chronographia.
[5]) Ap. *Ducange* Chron. pasch. p. 424.

aer. vulg. 31. His illud consonat, quod annus mundi 5539 incipere potuerit dominica, eo, inquam die, in quem anno aer. vulg. 31 incidit dies 18 martii, quem diem veterum bene multi annorum mundi principium esse putabant. Incarnatio autem facta esset anno p. i. 4711.

SAECULUM IX.

177 *Ioannes Malala.* An. DCCCI. *Anno autem μβ' XLII et mense δ' IV Augusti imperantis προ η' καλανδων a. d. VIII kalend. ianuar., decembris κε' XXV, hora diei ζ' VII, natus est Dominus noster Iesus Christus, . . . Octaviano ipso et Silvano consulibus. . . . Ab Adamo primo homine ad Domini nostri Iesu Christi secundum carnem nativitatem, id est, ad Augusti Caesaris imperantis annum μβ' XLII, colliguntur anni ͵εφ'* $\overline{\text{V}}$D. *Conversationem suam denique habuit in terra cum hominibus per annos λγ'* XXXIII. . . . *Ab Adamo igitur ad Dominum nostrum Iesum Christum in carne cruci fixum anni habentur ͵εφλγ'* $\overline{\text{V}}$DXXXIII. . . . *Anno* XV *imperantis Tiberii Albano et Nerva coss. sanctus Ioannes praecursor baptismum poenitentiae praedicare coepit. . . . Dominus noster Iesus Christus ab eodem Ioanne praecursore baptizatus γενομενος ἐνιαυτων περιπου λ', quum esset annorum circiter* XXX, . . . *mensis audinaei sive ianuarii die ἑκτῃ sexta, hora nocturna ι'* X, *Rufo et Rubellione coss. . . . Anno autem ιη'* XVIII *imperantis Tiberii et mense ζ'* VII *Iesus Christus Deus et Salvator noster, γενομενος ἐνιαυτων περιπου λγ', quum esset annorum circiter* XXXIII, *a Iuda Iscariote discipulo suo proditus est, mensis dystri, id est, martii κγ'* XXIII, *luna habente diem ιγ'* XIII. . . . *Cruci fixus est itaque Dominus noster Iesus Christus προ η' καλανδων a. d.* VIII *kal. april., mensis martii κδ'* XXIV, *luna habente diem ιδ'* XIV . . . *Sulpitio et Sylla coss., anno aerae Antiochenorum ἑβδομηκοστου ἐνατου septuagesimo nono* [1]). Quum narret Christum ad caelos adscendisse die 4 maii, feria IV, indeque Spiritum sanctum descendisse die 14 maii, feria I, non est dubium diem Christi emortualem esse ex Malalae sententia diem 24 martii, ideoque legendum *προ ϑ' καλανδων a. d.* IX *kal. april.* E consulum nominibus consequeretur Christum natum esse anno p. i. 4712, baptismo ablutum an. p. i. 4742, aer. vulg. 29, mortuum an. p. i. 4746, aer. vulg. 33, vixisseque ann. XXXIII, m. III. Ast annus aerae iulianae Antiochenorum 79 exiit in autumnum anni p. i. 4744, aer. vulg. 31. Neutro autem anno dies 24 martii incidit in feriam VI, nisi anno p. i. 4743, aer. vulg. 30, quo tamen anno plenilunium medium fuit die 6 aprilis. De aetate, qua Malala vixit, accurate egit Humfrydus Hodyus. [2]).

178 *Chronographus casanatensis.* An. DCCCVII. *A nativitate Domini nostri Iesu Christi usque ad Tiberium numerantur anni* XIV. *A Tiberio usque ad passionem Christi sunt anni* XVIII. Videlicet Christi ortus adscribitur anno imperii Augusti XLII, p. i. 4712, obitus anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, vitaque Christi definitur annis XXXII m. III. In quodam codice reginae Christinae, qui idem hoc opusculum habet, pro annis XIV sunt anni XIII, videturque Christus dici ortus anno p. i. 4713. [3])

179 *Claudius.* An. DCCCXIV [4]). Solem et lunam creatos dicit die aequinoctii, XII kal. april., Adamum die perendino, luna XVII. Tradit, *ut a constitutione mundi usque ad nativitatem Domini Salvatoris in carne, quae facta est anno Octaviani Caesaris* XLII, *colligantur anni* $\overline{\text{III}}$CMLII. . . . *Colliguntur omnes anni a conditione mundi usque ad praesentem annum, qui est incarnationis Domini nostri Iesu Christi* DCCCXIV, *quo Karolus gloriosus princeps ex hoc migravit mortali saeculo et ei. . . . Hludovicus successit imperio, anni* $\overline{\text{IV}}$DCCLXVI. . . . *Praesens annus, qui nunc est, secundus est post bissextum, . . . decimus septimus annus est cycli solaris,* voluit dicere *lunaris, qui est decemnovenualis, . . . sextus decimus annus est epactae lunaris.* Karolus Magnus decessit V kal. februar. an. aer. vulg. 814. Est ergo vulgaris aera, quam Claudius sequitur, eiusque annis ab ipso initium fit kalendis ianuar. Si annus mundi 4766 exiit in a. d. kal. april. huius anni aerae vulgaris 814, qui erat p. i. 5527, mundus conditus a. d. XV. kal. april. an. p. i. 761 dicendus ex huius scriptoris sententia est, annus autem mundi 3952 exiisse in a. d. XVI kal. april. an. p. i. 4713, ac primus incarnationis annus esse annus mundi 3953, etsi illius initium Claudius componat cum kal. ianuar. an. p. i. 4714, aer. vulg. 1, quae kalendae in hunc mundi annum inciderunt. Lege, quae diximus de aera dionysiana (34). Haec eo confirmantur, quod annus mundi 4767, qui incepit

---

[1]) Chronograph. L. X. [2]) In *Malalae* Chronograph. Prolegom. §§ 13 sqq. [3]) Ap. *Schelestrate* Antiquit eccles. T. I. Append. No. 25. [4]) Chronograph. in *Labbé* Nova biblioth. ms. T. I. p. 309.

a. d. XV kal. april. an. p. i. 5527, aer. vulg. 814, fuerit utique XVII cycli decemnovennalis, num $4767 = 250 \times 19 + 17$, non secus ac $5527 = 290 \times 19 + 17$. Quare Christi conceptus atque ortus anno p. i. 4713 a Claudio consignatus esse dicendus est. Christum revixisse narrat X kal. april., proinde anno p. i. 4745 vel 4751, aer. vulg. 32 vel 38, sed luna minime consonat.

180 *Egiuhardus.* An. DCCCXIV. Hunc Lambecius auctorem esse autumat *Abbreviationis Chronicae*, quam ipse edidit depromptam e bibliotheca caesarea [1]). Unum atque idem est hoc opusculum, ac breve quoddam chronicon, quod Duchesnius edidit in sua *Historia francorum scriptorum* [2]). *Ab Octaviano Augusto usque ad Christum fiunt anni* XLII. *Hic finitur quinta aetas, . . . et fiunt simul anni quinque aetatum* IIIDCCCCLII. *A nativitate Domini nostri Iesu Christi usque ad Tiberium numerantur anni* XIV, *a Tiberio vero usque ad passionem Christi sunt anni* XVIII, sed apud Duchesnium legimus: *sunt anni* XIX. Collectis in summam annis 4761 a mundo condito ad annum XLII regni, IX imperii Karoli Magni ita pergit scribere: *Ab Adam usque ad nativitatem Christi computantur anni* IIIDCCCCLII, *inde usque ad passionem eius anni* XXXIII *et dimidius. Si in primo anno, quo Adam factus est, posueris terminum pasehae in* XII *kal. april. et* VII *concur., erit in ipsa die* IV *feria, in qua sidera condita esse creduut, et pleniluuium atque aequinoctium. Quod cum tali termino talique concur. cyclum inchoaveris, et usque ad Christi nativitatem vel passionem supputando praedictum annorum numerum perduxeris, erit anno nativitatis dominicae terminus kal. et concur.* IV, *annoque passionis terminus* XVII *kal. maii et concur.* IV. *Si vero ab Adam usque ad nativitatem Domini* VCXCIX *annos habere volueris, et supputationem eorundem annorum secundum praedictam rationem per concurrentes et terminos compleveris, habebis anno nativitatis Domini terminum paschae* XIV *kal. maii et concur.* I, *anno vero passionis terminum* IV *nonas aprilis et concur.* II. *Si autem ab Adam usque ad Christum* VD *pronunciaveris, eosque secundum ipsam regulam computaveris, eveniet tibi anno dominicae nativitatis terminus paschae* XI *kal. april. et concur.* VII, *annoque passionis terminus non. aprilis et concur.* VII. Quum Karolus Magnus regnum acceperit die 24 septembris anni p. i. 5481, aer. vulg. 768, imperium die 25 decembris anni p. i. 5513, aer. vulg. 800, temporis spatium commune annis regni quadragesimo secundo et imperii nono fuit a die 24 septembris ad 24 decembris anni p. i. 5522, aer. vulg. 809. Hoc tempore ibat annus mundi 4761, proinde hic intra illum annum inceperat die 18 martii. Quare annus primus aerae vulgaris, qui est p. i. 4714, incepit kal. ianuariis, quae fuerunt anno mundi 3952. Atqui hoc mundi anno 3952 Christus ortus dicitur, ortus ergo fuisset die 25 decembris an. p. i. 4713. Ab ortu ad ipsius obitum fuisse dicuntur anni 33 et *dimidius*, hoc est, praeter annos 33 tot menses, quot sunt a die 25 decembris ad pascha. Ergo annus Christi emortualis fuit annus p. i. 4747, aer. vulg. 34. His consonant quidem *concurrentes* primae computationis, uterque enim annus tum Christi natalis tum emortualis signatur littera C, minime vero sive anni principatus Augusti ac Tiberii, quibus auctor Christum natum ac mortuum esse dicit, sive anni lunae. Ceterum ex prima computatione Christi ortus anno aer. vulg. 185, obitus anno 219 foret adscribendus, ex secundo ortus anno 26, obitus anno 60, ex tertio denique ortus anno 137, obitus anno 171.

181 *Rabanus Fuldensis.* An DCCCXX [3]). Mundum conditum dicit a. d. XV kal. april., solem et lunam a. d. XII, ipso in aequinoctio [4]). Numerantur anni usque ad adventum Christi *secundum hebraicam veritatem* IIICMLVII, . . . *usque in septimum annum Hludovici imperatoris secundum hebraicam veritatem* IVDCCLXXVII [5]); hic ergo, ut ipse Rabanus aperte ait, erat annus incarnationis 820 [6]), aera vulgari [7]), ductus a kal. ianuar. [8]). Incarnationem factam dicit primo aerae huius anno [9]). Illo anno 820 numerabantur *anni a passione septingenti octuaginta septem. Habet enim*, inquit, *ni fallor, ecclesiae fides Dominum in carne paullo plus, quam triginta tres annos, usque ad suae tempora passionis vixisse; quia videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, sicut evangelista Lucas testatur, et tres semis annos post baptisma praedicaverit* [10]). Quae, aeque ac alia non pauca, ex Beda Rabanus exscripsit. Consequeretur Christum baptismo tinctum fuisse anno aerae vulg. 31, mortuum anno 35. Quod ad diem Christi emortualem ait diversas esse sententias, aliis eius obitum adscribentibus diei X kal. april., aliis VIII, aliis VI, aliis V kal. [11]); ipse potiorem sibi eorum opinionem videri ostendit, qui aiunt Christum obiisse VIII kal. april. [12]), proinde anno aer. vulg. 35 [13]),

---

1) Commentar. de biblioth. caesar. T. II. pp. 395—400. 2) Hist. francor. scriptor. T. III. p. 125. 3) Liber de computo in *Baluzii* Miscell. T. I. 4) Ib. cc. 23. 27. 53. 5) Ib. c. 65. 6) Ib. cc. 58 61. 62. 63. 69. 7) Ib. cc. 58. 60. 69. 8) Ib. cc. 54. 72. 9) Ib. cc. 58. 61. 62. 63. 10) Ib. c. 63. 11) Ib. cc. 64. 67. 12) Ib. cc. 53. 64. 13) Ib. c. 64.

non tamen pro certo affirmat, lunarium enim motuum rationes adversantur, revixisset enim Christus eo die, quo interlunium fuit, hoc est, diebus quatuordecim ante pascha.

182 *Freculfus.* An. DCCCXXIV. *Anno ab Urbe condita* DCCLII *Caesar Augustus, . . . cunctis gentibus una pace compositis, Iani portas tertio ipse tunc clausit. . . . Igitur, postquam imperare coepit Octavianus Caesar, . . . prope emenso anno admodum quadragesimo secundo, . . . ab Urbe condita* DCCLII, *natus est Christus* [1]. *Anno duodecimo imperii Tiberii Iohannes . . . Christum filium Dei in medio eorum adesse testatur . . . Iesus Christus . . . ad passionem venit anno Tiberii decimo octavo, . . . quarto autem anno* CCII *olympiadis . . . Argumentum autem huius rei, quod Salvator isto anno passus sit, evangelium praebet Ioannis, in quo scribitur, post* XV *annum Tiberii Caesaris, III annis Dominum praedicasse* [2]. Petrum et Paulum necatos dicit eodem die, anno XIV imperii Neronis, *post passionem Domini* XXXVII [3], vel, ut paullo post scripsit, XXXVI [4]. *Colliguntur ergo per omne tempus a decimo quinto anno Tiberii Caesaris et ab exordia evangelicae praedicationis anni quadraginta duo usque ad Vespasiani secundum imperii, quando . . . urbis hierosolymitanae excidium actum est* [5]. Illum annum *duodecimum* imperii Tiberii, quo Ioannes ad munus suum fungendum adgressus dicitur, apparet depromptum esse ex Tertulliano (43. 188). Aetate Freculfi usus iam obtinebat numerandi annos secundum vulgarem aeram, ipseque hanc semel commemorat [6]. Attamen constat Freculfum in ea fuisse sententia, quod incarnatio facta sit duobus annis ante illam aeram. Ab initio anni XV Tiberii principatus ad Hierosolymae eversionem, hoc est, ab aestate anni aerae vulgaris 28 ad aestatem anni 70, utique anni sunt 42. Recte se haberet haec computatio, etiam si anni imperii Tiberii a prioribus kalendis ianuar. initium caperent. Incertum itaque est, utrum anno aerae vulgaris 28, an 29, *exordium evangelicae praedicationis* Freculfus adscripserit. Eadem hac de caussa incompertum est, utrum illud triennium, quod fuisse dicitur ab anno XV principatus Tiberii usque ad Christi obitum, a kal. ianuar., an a XIV kal. septembr. anni aerae vulg. 28 ducatur. Si primum, Christus anno 31 aer. vulg. mortuus esset, anno autem 32, si alterum; utriusque enim anni pascha anno XVIII imperii Tiberii adscribere liceret pro duplici huius imperii exordio, altero vero ac proprio, altero in primum civilis anni diem collato. Annus IV olympiadis CCII cum illo anno XVIII componi nullo pacto potest. Item nota illa ambigua anni aer. vulg. 67, quo Petrus et Paulus necati sunt, rem in medio relinquere iubet. Si annum aer. vulg. 31 praeferas, Christum baptismo ablutum dicas oportet, quum annum ageret XXIX, quod Lucae testimonio adversari affirmare non ausim.

183 *Scriptor ἀνώνυμος libri de Computo.* An. DCCCXXVII [7]. Hic plura in suum librum congessit ex Bedae aliorumque libris deprompta, ut aliorum potius sententias referat, quam propriam proferat. Illud pro comperto est Christi conceptum atque obitum ab eo adscriptum esse diei VIII kal. april., ortum diei VIII kal. ianuar., incarnationis autem annis numerandis initium fieri die VIII kal. april. an. p. i. 4713. Refert tamen, nec respuit, eorum opinionem, qui Christum natum dicunt anno XLII imperii Augusti. Quum dies VIII kal. april. in diem VI hebdomadae nullo anno ex illis, qui sunt inter aerae vulg. annos 29 et 35, inciderit, dubitare est, utro anno Christi mortem consignaverit. Consignasse tamen videtur anno 29, tum quia refert verba putantium Christum cruci fixum fuisse anno XV principatus Tiberii, nihil autem dicit, quo annum aer. vulg. 35 designare videatur, tum etiam quia narrat *passum Dominum nostrum Iesum Christum peractis* $\overline{\mathrm{II}}$CCXXVIII *annis ab ortu mundi* [8], qui numerus librarii mendum est pro $\overline{\mathrm{V}}$CCXXVIII, annum autem post mundum conditum 5228 in annum XV imperii Tiberii exiisse [9].

184 *Catalogus palatinovaticanus pontificum atque imperatorum.* An. DCCCXXVII [10]. *Octavianus Caesar annis* XLII, *Christus nascitur, completis ab Adam ann.* $\overline{\mathrm{III}}$CMLII, *iuxta alios* $\overline{\mathrm{V}}$CXCIX. . . . *A nativitate Domini nostri Iesu Christi usque ad Tiberium sunt anni* XIV. *Tiberius annis* XXIII. *Huius anno* XVIII *Dominus crucifigitur.* Natus ergo Christus fuisset anno p. i. 4712 mortuus anno p. i. 4745, aer. vulg. 32.

185 *Strabo Fuldensis.* An. DCCCXLII. *Vicesimo quinto die martii Dominus conceptus est et passus* [11]. Annus igitur Christi emortualis fuit aer. vulg. 29 vel 35.

186 *Ado Viennensis.* An. DCCCLIX. *Anno Caesaris Augusti quadragesimo secundo, a morte vero Cleopatrae et Antonii, quando et Aegyptus in provinciam versa est, anno vicesimo septimo,*

---

[1] Chronic. T. I. L. VII. c. 16; T. II. L. I. c. 2. [2] Ib. T. II. L. I. cc. 5. 6. [3] Ib. c. 17. [4] Ib. c. 20. [5] Ib. c. 24. [6] Ib. L. V. c. 22. [7] Lib. de computo in *Murator.* Anecdot. T. III. [8] Ib. § 77. [9] Ib. § 54. [10] Ap. *Schelestrate* Antiquit. eccl. T. I. App. NN. 22. 23. [11] Glos. interlinear. in Luc. I, 26.

olympiadis centesimae tertiae anno tertio, ab Urbe condita DCCLII, . . . *natus est . . . octavo cal. ianuarii Christus. . . . Anno* XV *imperii Tiberii Dominus post baptismum, quod praedicavit Ioannes, mundo regnum caelorum annuntiat, peractis a mundi principio secundum Hebraeos annis . . . quotuor millibus; . . . iuxta vero Chronica, . . . quae . . . Eusebius . . . composuit, anni supputantur quinque millia ducenti et viginti octo. . . . Anno decimo octavo imperii Tiberii Dominus sua passione mundum redemit* [1]). *Merito creditur, si non verior sententia vicerit, . . . decimo kalendarum aprilium die Dominum fuisse crucifixum* [2]). Mundum conditum dicit n. d. XV kal. april. [3]). Sequitur vulgarem aeram, huiusque annis initium facit ipso die incarnationis, idque apparet ex eclipsibus, quas descripsit, factasque dicit anno incarnationis DCCCVI [4]). Nota illa quadruplex anni Christi natalis non cohaeret; nam annus III olympiadis CXCIII, sic enim scripsisse putandus est, non CIII, exiit in aestatem anni p. i. 4709, annus XXVII a morte Cleopatrae incepit a. d. IV kal. sept. an. p. i. 4710, annus denique U. C. DCCLII imperiique Augusti XLII est annus p. i. 4712. Dies X kal. april. incidens in diem VI hebdomadae signat annum p. i. 4744, aer. vulg. 31, quo cum concurrebat annus XVIII imperii Tiberii, si προληπτικως ducatur a kal. ianuar.; si secus, pascha huius anni XVIII illud foret, quod actum est anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, quo anno dies X kal. april. fuit primus hebdomadae.

187 *Anastasius Bibliothecarius.* An. DCCCLXX. Is easdem temporum designationes, ac Nicephorus Constantinopolitanus (175), cuius χρονογραφιαν συντομον latine transtulit in *Historia ecclesiastica*, sequi dicendus esset. At post historiam hanc anni ab Adamo usque ad exordia imperii Iustiniani ita colliguntur, ut a Christi ortu ad exordia haec anni 519 numerentur, quum tamen 529 fuerint, siquidem Christus, ut Nicephorus scripsit, ortus est anno imperii Augusti XLII. Verum, an haec annorum summa ipsius Anastasii opus sit, non constat (190). In *Libro pontificali*, qui vitas romanorum pontificum continet, et Anastasii nomine inscribi solet, Petrus et Paulus necati dicuntur *post passionem Domini annis* XXXVIII, vel, ut legimus in aliis exemplaribus, XXXIX. Hi martyrium fecerunt anno aer. vulg. 67 L. Fonteio Capitone C. Iulio Rufo coss.; proinde annus Christi emortualis fuisset aer. vulg. vel 30, vel 29, vel 28. Sed scriptor *Libri pontificalis* Petri et Pauli necem seriore fortasse anno consignavit.

188 *Regino Prumiensis.* An. DCCCXCII. *Anno imperii Caesaris Octaviani quadragesimo secundo Iesus Christus filius Dei natus est. . . . Anno dominicae incarnationis* XVI *Tiberius regnare coepit. . . . Anno dominicae incarnationis* XXX, *Tiberii autem* XII *Ioannes . . . praedicat, multosque baptizat, inter quos ipsum redemptorem mundi. . . . Anno dominicae incarnationis* XXXIII, *Tiberii autem* XVIII *Dominus sua passione nos redemit. . . . Scimus . . . Petrum et Paulum apostolos anno post ascensionem Domini* XXXVIII, *id est, ultimo Neronis anno, passos fuisse. . . . Anno dominicae incarnationis* LXXIII *regnum Iudaeae a Tito subvertitur* [5]). Si annus imperii Tiberii XVIII componendus est cum anno incarnationis XXXII, liquet cum anno incarnationis XXX, non annum XII, sed XV huius imperii componendum esse, facileque factu fuit, ut XV in XII a librariis transformaretur; non tamen notam hanc XII inobservatam praeterire oportet (43. 182). Quum in primo huius Chronici libro annorum summa a vero prorsus aberret, notaeque numerorum crassioribus mendis scateant, hoc unum inde colligere licet, etsi aera incarnationis in hoc Chronico sit ipsa aera vulgaris, eius tamen annos in libro illo primo componi cum iis temporum notis cumque iis eventibus ac gestis, quae tempus signant duobus tribusve annis superius. Ex imperii annis consequitur Christum in lucem editum fuisse anno p. i. 4712, in crucem actum anno p. i. 4745, aer. vulg. 32.

189 *Ioannes Diaconus Neapolitanus.* An. CM. *Anno quadragesimo secundo imperatoris Caesaris Octaviani . . . Dominus noster Iesus Christus pro nostra salute nasci dignatus est.* Imperii Tiberii *octavo decimo . . . anno sua passione mundum redemit* [6]). Eadem est haec temporum designatio, ac proxime superior (188) aliaeque bene multae.

SAECULUM X

190 *Graecus imperatorum catalogus vaticanus.* An. CMXII. Operae fecisset Schelestrate, qui hoc imperatorum album ex graeco codice vaticano descriptum latine edidit [7]), si annos quoque

---

[1]) Chronic. Aet. VI. [2]) Ib. Aet. I. [3]) Ib. init. [4]) Conf. L'art de vérifier les dates T. I. Chronologie des éclipses pag. 67. Paris 1783. [5]) Chronic. L. I. [6]) Chronic. episcopor. neapol. in *Murator.* Scriptor. rerum italic. T. I. P. II. p. 291. [7]) Antiq. eccl. T. I. Append. No. 28.

mundi, qui in eo sunt adnotati, referre haud omisisset. Post imperatorum album est annorum summa eadem, ac in fine historiae Anastasii (187), nisi quod desinit in eum annum, qui ab exordio imperii Iustiniani 286 numeratur, apud Anastasium autem, qui 280. Ceterum, quod in huiusmodi scriptis saepe fieri vidimus, annorum summae non cohaerent. Quod nostra refert, Christus natus dicitur anno XLII imperii Augusti; an vero suo loco annum hunc scriptor posuerit, non satis ipse, prout a Schelestrate editus est, suggerit, ex quo coniiciamus.

191 ***Hippolytus Thebanus.*** An. CMXXXIII. *Facta est igitur humanatio Domini nostri Iesu Christi anno ͵εφ'* $\overline{\text{V}}$D, *sub Augusto imperatore natus est in spelunca mensis decembris* κε' XXV. *Ab Adam ... simul anni ͵εφ'* $\overline{\text{V}}$D. *Ab humanatione Christi ... usque ad baptismum Christi ... simul anni* λ' XXX. ... *Post baptismum vero elegit discipulos, ut praedicarent regnum suum usque ad crucem annis* γ' III [1]). *Nascitur ergo Dominus noster Iesus Christus ... ἐπ' ἐσχάτου των ἡμερων, μεσουντος του ἑξακισχιλιου ἐτους in fine dierum mediante sexto millenario, in* μβ' XLII *anno Augusti imperatoris, in mense decembre* κε' XXV, *noctis* ι' X, *die* α' I. ... *Ἀπο δε της Χριστου ἀναληψεως A Christi autem assumptione usque ad Constantinum Magnum ... anni* σϟζ' CCXCVII. Periodus annorum DXXXII *decima completa est anno* ͵ετκ' $\overline{\text{V}}$CCCXX. *De incepta autem undecima periodo anni* ϙπς' CLXXXVI *praeterierunt, et incarnatus est Dominus noster Iesus Christus. ...* Annis λγ' XXXIII *in mundo versatus, et passus propter nostram salutem* τῃ κγ' *die* XXIII *mensis martii cruci fixus est, ... et* τῃ κε' *die* XXV *resurrexit, ... ut Metaphrastes declarat, ... ut autem reliqui, aprilis πρωτολιγουσα vicesima prima resurrexit. Equidem fidem habeo sententiae Domini Simeonis, nam creatio a* κβ' XXII *mensis martii initium cepit, et lumen, quo ad dimetienda tempora utimur,* κε' XXV *eiusdem mensis, quarto die, factum est* [2]). An utraque uni eidemque auctori Hippolyto adtribui queant, aliorum esto iudicium. Notae vero omnes inter se pugnant. Ne autem immane discrepent a vero, alterutrum accipere oportet, annos illos 297 vel Constantini obitu absolvi, vel non a Christi reditu ad caelos, sed ab eius ortu duci, ita ut unius vel alterius anni error sit sive in Christi aetate, sive in temporis spatio, quo Constantinus imperium gessit, Christus autem mortuus dicatur anno aer. vulg. 42, quo anno dies 23 martii incidit in VI hebdomadae, natus vero vel anno aer. vulg. 7, aerae constantinopolitanae 5507, quo anno dies 25 decembris fuit prima hebdomadae, ut annos, non XXXIII, sed XXXIV impleverit, vel anno aer. vulg. 8, aerae alexandrinae sive antiochenae 5500, non tamen feria I, sed III.

192 ***Eutychius Alexandrinus.*** An CMXXXIII. Imperii Augusti *anno quadragesimo primo allatum est Dominae Mariae Virgini ... nuntium de Domino Christo. Annoque imperii Augusti Caesaris quadragesimo secundo ... natus est Dominus noster Christus, die canun primi vicesimo quinto, choeac vicesimo nono. Ad Christum autem natum a fine regni Cleopatrae anni sunt triginta, a regno Alexandri trecenti undeviginti, ... ab Adamo quinquis mille quingenti* [3]). *Anno decimo octavo Tiberii Caesaris ... cruci fixus est Dominus noster Christus, die veneris, mensis adar vicesimo tertio, pharmuthi vicesimo septimo. ... Post quadraginta dies in caelum adscendit, annos habens triginta tres* [4]). *A Christo nato ad Hierosolymae per Titum excidium anni sunt septuaginta, ... ab Adamo quinquies mille quingenti septuaginta* [5]). *Ad imperium Diocletiani ab Hierosolyma per Titum vastata anni sunt ducenti sex. Ad idem a Christo nato ducenti septuaginta sex* [6]). *Natus est ergo Dominus noster Iesus Christus vicesimo quinto die canum primi, choeac vicesimo nono, fuitque dies eius natalis feria tertia. ... Fuit baptisma ipsius illustre feria tertia, sexto die canun secundi, tybi undecimo. ... Crucifixus fuit feria sexta, adar vicesimo tertio, pharmuthi vicesimo septimo* [7]). *Anno primo imperii Heraclii ... fuit* Hegira, id est, fuga, *eius, quem Arabes sibi prophetam sumpserunt, Medinam, mense rabiae primi. ... A Diocletiano ad hegiram anni sunt trecenti triginta octo, a Domino Christo ad eamdem sexcenti quatuordecim, ... ab Adamo ad eamdem sexies mille centum et quatuordecim* [8]). Fugam illam celebrem, a qua Arabes aeram suam duxerunt, Mahummedes fecit nocte, quae fuit ante diem 16 iulii an. aer. vulg. 622, aerae Diocletiani 338. Itaque non est dubium annum Christi natalem, mundi 5500, Eutychio eum esse, qui incepit verno anni p. i. 4721, aer. vulg. 8, quo anno dies 25 decembris fuit feria III, aeramque mundi alexandrinam, quam is sequitur, annum autem emortualem p. i. 4755, aer. vulg. 42, quo anno dies 23 martii fuit feria VI

---

[1]) Commentar. chronic. ex cod. vatic. No. 573 ap. *Schelestrate* l. c. No. 1. [2]) Chronic. in *Canis.* Lection. antiq. sive *Basnag.* Thesaur. monumentor. T. III. P. I. [3]) Annal. T. I. pp. 308. 311. [4]) Ib. pp. 316. 323. [5]) Ib. p. 343. [6]) Ib. p. 400. [7]) Ib. pp. 447. 448. [8]) Ib. T. II. p. 227.

inque ipsum hunc diem incidit luna XV paschalis secundum computationem nicaenam, annum denique p. i. 4752, quo Christus in Iordane tinctus fuit.

193 *Georgius Arbelensis.* An. CMXLV [1]. *Anno Alexandri tercentesimo quinto annuntiatus est Ioannes, et natus est. Anno tercentesimo sexto natus est Christus. Anno vero tercentesimo tricesimo sexto baptizatus fuit. Et anno tercentesimo tricesimo nono in crucem sublatus. Anno demum tercentesimo septuagesimo nono excisa fuit Hierusalem. Annuntiatus autem fuit Ioannes . . . vicesima sexta mensis elul*, id est, septembris, *feria quinta. . . . Conceptus est Ioannes . . . decima septima tisri prioris*, id est, octobris, *feria sexta. . . . Die vicesima nona solaris mensis adar*, martii videlicet, *conceptus fuit Christus Dominus noster. Natus est Ioannes die decima octava tamuz*, id est, iulii, *feria* IV, *. . . Christus . . . conceptus est die dominica, . . . natus die vicesimaquinta conun*, videlicet decembris, *feria sexta* [2]. *Baptizatus fuit die sexta conun*, hoc est, ianuarii, *sabbato* [3]. *Passus est die vicesima sexta adar*, id est, martii [4]. Anni isti Alexandri non alii sunt, quam anni aerae Seleucidarum antiochenae, incepti tamen, non, ut Georgii aetate, kal. octobr. [5], sed more Arabum ac recentiorum Syrorum kal. septembr., nam non alia ratione Ioannes intra unum atque eumdem annum *annuntiatus natusque* dici potuisset. Annus huius aerae 305 incepit kal. septembr. anni p. i. 4706; dies tamen 26 septembris huius anni fuit feria VI, non V, dies autem 18 iulii anni insequentis non fuit feria IV, sed sabbatum. Ceterae dierum notae apte cohaerent. Itaque Georgii sententia est Christum conceptum fuisse die 29 martii an. p. i. 4707, natum die 25 decembris eodem hoc anno, baptismo tinctum die 6 ianuarii an. p. i. 4738, aer. vulg. 25, cruci fixum die 26 martii an. p. i. 4741, aer. vulg. 28, Hierosolymam autem eversam fuisse an. p. i. 4781, aer. vulg. 68, qua iure toto biennio aberrat a vero.

194 *Iosephus Hypomnematistes.* An. CMLXXX. *Dominus noster Iesus Christus nascitur . . . anno* μγ' XLIII *regni Octavii. . . . In universum omnes ab Adamo ad Salvatoris nativitatem anni* ͵εφ' $\overline{\text{V}}$D [6]. *Post resurrectionem Domini et reditum eius in caelum* εἰς ἔτη λη' XXXVIII *annis a Vespasiano et Tito Iudaea tota vastata est, templumque omnino eversum* [7], *per tempus festum paschatis* [8]. Proinde Christi ortus anno p. i. 4713 est consignandus, obitus anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, videlicet triginta et octo annis ante Hierosolymam eversam.

195 *Suidas.* An. CMLXXX. *Ab Adamo . . . usque ad Christum Deum nostrum . . .* ͵εφ' $\overline{\text{V}}$D. *A Christo usque ad Constantinum Magnum* τιη' CCCXVIII. *A Constantino usque ad Michaelem Theophili filium* φνε' DLV. *Tota summa est annorum* ͵ςτοε' $\overline{\text{VI}}$CCCLXXV [9]. Pro ͵εφ' Kusterus legere iubet ͵εφα', *id est, 5501, tot enim anni ex praecedentibus colliguntur*, totque flagitat postrema summa summarum. Michael Theophili filius interemptus est anno aer. vulg. 867, quo tamen anni tempore, non constat, quare neque illud compertum habere quimus, utrum annus Adami 6375 intra hunc annum inceperit, an exierit; si primum, annus huius aerae 5509 incepisset anno aerae vulg. 1, si alterum, e contrario. Quare annus Adami 5501 incepit anno p. i. 4705 aut 4706; horum primum consonat Chronico paschali, eoque se probat, quod, quum annus 5501 inceperit feria II, annorum mundi initium apud Suidam foret, ut plerorumque sententia fuit, die 18 martii.

196 *Index paschatum vaticanus.* Saec. X [10]. Exhibet hic codex dies, quibus pascha celebratum est anno a Christi obitu CXLI annisque insequentibus usque ad annum CCXII. Ex singulorum characteribus apparet hos a Christi obitu annos ita numerari, ut annus CXLI ille sit, qui incepit anno aerae vulgaris 168. Primus ergo horum annorum, cui, inquam, Christus moriens initium fecit, ille sit oportet, qui incepit anno aer. vulg. 28. Quum hic codex saeculo X fuerit exaratus, credere licet per illam aetatem adhuc fuisse, qui Prosperi et Victorii Aquitani opinionem de anno Christi emortuali sequebantur.

SAECULUM XI

197 *Petrus Antiochenus.* An. MXL. Christus *obiit die parasceves, in quam tunc accidit, ut* ἡ τεσσαρεσκαιδεκάτη *decima quarta luna primi mensis incideret anno* ͵εφλδ' $\overline{\text{V}}$DXXXIV, *erat enim cyclus* ιη' XVIII *solis et* πέμπτος *lunae* [11]. In alio exemplari pro ͵εφλδ' est ͵εφλθ', sed perperam, cycli enim solis et lunae annum 5534 designant. Anni sunt aerae mundi alexandrinae sive antio-

[1]) Declaration. officior. Tract. I in *Assemani* Biblioth. orient. T. III. P. I. Append. c. 35. [2]) Ib. cc. 6. 7. [3]) Ib. c. 12. [4]) Ib. c. 15. [5]) Ib. cc. 2. 4. 5. [6]) Hypomnest. c. 130. [7]) Ib. c. 123. [8]) Ib. c. 124. [9]) Lexic. ad v. Ἀδάμ. [10]) In *Baronii* Apparatu ed. *Mansi* p. 234. [11]) Respons. ad Petrum Gradensem § 16 in *Coteler.* Eccles. graecae monument. T. II.

chenae, non modo quia hanc aeram antiochenus patriarcha sequutus esse putandus est, sed maxime quod id cycli solis et lunae nos doceant, itemque feria II, qua hic annus incepit, quae omnia evincunt hunc annum incepisse an. p. i. 4755, aer. vulg. 42, litera G, die 18 martii, cyclo solis XXIII, qui secundum Antiochenos XVIII est, lunae V, proinde lunam XIV paschalem fuisse die 22 martii, feria V, non autem feria VI, quod tamen graecus homo minime attendit, qui vincere contendebat Christum in crucem actum esse luna XIV, propterenque agnum sine azymis pridie comedisse.

198 *Chronicon romanae historiae vaticanum.* An. MXL [1]). Imperii Augusti *anno* XLII *Dominus et Salvator noster natus est.* Imperii Tiberii *anno* XV *baptizatus Dominus, et exinde coepit praedicare . . . per tres annos et tres menses. Anno Tiberii* XVIII *passus est. . . . Hierosolymitana civitas a Tito excisa est . . . anno post passionem Christi* XL. Videlicet Christus ortus est anno p. i. 4712, baptismo tinctus anno p. i. 4742, aer. vulg. 29, cruci fixus anno p. i. 4745, aer. vulg. 32; quare Hierosolymae eversio uno post anno consignata est, quam oportuit.

199 *Hermannus Contractus.* An. MLIV. Deus die *quarta sydera in firmamento caeli posuit, quae nunc, quantum aequinoctii coniectura colligimus,* XII *cal. aprilium vocatur* [2]). *Anno* XLII *Octaviani Augusti Caesaris, ex quo autem . . . Cleopatra cum Antonio victa,* XXVIII *anno, ab Urbe vero condita* DCCLII, *olympiadis* CXCIII *anno tertio Dominus noster Iesus Christus . . . nascitur, transactis ab initio mundi secundum hebraicam veritatem annis* $\overline{III}$CMLII, *secundum Septuaginta interpretes vero* $\overline{V}$CXCIX. Pro olympiade CXCIII rescribe CXCIV, annos 28 a victa Cleopatra ita accipe, ut qui iam exacti fuerint, quum Christus natus est, et omnes notae congruent in annum p. i. 4712. Huic anno, quo Christum natum dicit Hermannus, notam adposuit anni I incarnationis. Anno incarnationis XV adscribitur initium imperii Tiberii, anno XXX Christi baptismus, anno XXXIII Christi obitus, anno LXIX Petri et Pauli martyrium, anno autem LXXII haec adscripta sunt: *Ierusalem a Tito expugnata destruitur anno a passione Domini* XL. Etsi numerorum, quorum notis anni a Christo nato designantur, series respondeat annis aerae vulgaris, idque manifesto appareat ex rebus seriore aetate gestis, quae suis quaeque annis consignantur, si tamen spectes ad annos principatus tum Augusti, tum Tiberii, item ad annum, tum quo Petrus et Paulus occisi sunt, tum quo Hierosolyma eversa, necesse est concludas Christi mortem ab Hermanno adscriptam esse anno aerae vulgaris, in speciem quidem 33, re tamen ipsa 31, proinde diei 23 martii.

200 *Georgius Cedrenus.* An. MLVII. Prima mundi dies *prima est primi Hebraeorum mensis, qui nisan vocatur, vicesima quinta autem mensis, qui a Romanis martius, vicesima nona mensis Aegyptiorum septimi, qui phamenoth vocatur. Ea die et Gabriel Dei nostri Servatoris conceptionem castissimae Deiparae salutatione denuntiavit. Eadem die unigenitus patris filius . . . e mortuis surrexit. Quam diem etiam pascha dominicum sancti patres nominarunt,* ἀρχην λαβοντες κατα την αὐτην ἁγιαν της ζωηφορου ἀναστασεως ἡμεραν, του πεντακισχιλιοστου πεντακοσιοστου τριακοστου ἐννατου ἐτους *principium capientes secundum ipsum sanctum vivificae resurrectionis diem, anno quinquiesmillesimo quingentesimo tricesimo nono ab origine mundi* [3]). *Augusti* τῳ δευτερῳ ἐτει *anno secundo indictiones institutae sunt* [4]). *Augusti autem Caesaris anno* μβ' XLII *Christus Dominus noster natus est. Fuit is annus mundi secundum accuratiores annales* ͵εφϛ' $\overline{V}$DVI, *mensis decembris die* κε' XXV, *feria* IV, *cyclus solis erat* ὀκτωκαιδεκατος *decimus octavus, et lunae cyclus* ιε' XV [5]). *Anno Tiberii Caesaris* ιε' XV, *indictione* πρωτῃ *prima, ab Ioanne baptizatus est in amne Iordane* τῃ ιγ' ἡμερᾳ του λα' ἐτους αὐτου, ϛ' του ἰανουαριου μηνος, . . . ἐτει . . . του κοσμου . . . ͵εφλϛ' . . . ἐν ε' της ἑβδομαδος ἡμερᾳ *die* XIII *anni ipsius* XXXI, *die* VI *mensis ianuarii, . . . anno . . . mundi . . .* $\overline{V}$DXXXVI . . . *die* V *hebdomadis* [6]). Pascha anni mundi ͵εφλζ' $\overline{V}$DXXXVII, quod primum fuit post Christi baptismum, actum est τῃ κζ' του μαρτιου μηνος, . . . και ἠν σαββατον *die* XXVII *mensis martii, . . . et erat sabbatum. Anno autem* ιθ' XIX *Tiberii Christus supplicio sese subdidit, anno mundi* ͵εφλθ' $\overline{V}$DXXXIX, *die mensis martii* κγ' XXIII. . . . *Quo tempore iudaicum pascha peragebatur* μηνι μαρτιῳ κδ', ἡμερᾳ ζ' *mense martio, die* XXIV, *sabbato, cyclus solis erat* κγ' XXIII, *lunae* ι' X, *uterque initium ducens a* κα' XXI *martii praesentis* δ' IV *indictionis, et* ια' XI *erat annus* της κατα φυσιν ἐννεακαιδεκαετηριδος *naturalis novendecennii lunae et* κϛ' XXVI της κατα φυσιν ὀκτωκαιεικοσαετηριδος *naturalis vigintioctennii solis. Hoc autem quartum pascha est, quo pro nobis passus est Christus* [7]). Sed in alio loco pro anno ιθ' XIX imperii Tiberii est annus ιη' XVIII [8]), legitur imo

[1]) Ap. *Schelestrate* Antiq. eccles. T. I. Append. No. 39. [2]) Chronic. Act. I in *Basnag.* Thesaur. T. III. P. I. [3]) Compend. histor. pp. 2. 3. Paris 1647. [4]) Ib. p. 172. [5]) Ib. p. 173. Conf. p. 190. [6]) Ib. pp. 173. 174. 190. [7]) Ib. pp. 174. 175. 188. [8]) Ib. p. 190.

Eusebium sic tradidisse [1]), quod tamen abest a vero, nec magis verum est, quod additur, Christi mortem anno mundi ͵εφλϑ' V̄DXXXIX ab Eusebio esse adscriptam; sed viri eruditi iam animadverterunt, ut graeci recentioribus aetatibus scriptores quasdam temporum designationes veluti ab Eusebio factas commemorent, quae alicuius fortasse Eusebii opus sunt, non tamen Eusebii Pamphili. *Qui Christum scribunt natum anno ͵εφ' V̄D, supplicio affectum anno ͵εφλγ' V̄DXXXIII, errant, neque praecise annos norunt* [2]). Etsi annis mundi initium sit die 25 martii, cyclis tamen tum solari tum decemnovennali paschali, quos Cedrenus ait esse *κατα φυσιν*, est die 21 martii [3]), id enim rationes paschatis flagitant; proinde horum cyclorum anni *κατα φυσιν* inceperunt, sive incepisse finguntur, quatuor diebus ante mundum conditum. Hac re praecognita intelliges, quid ille voluerit dicere, ubi satis quidem implexe loquitur de cyclorum annis, qui ibant eo die, quo iudaicum pascha postridie mortis Christi actum fuisse narrat, comperiesque perperam scriptum esse *κς'* XXVI pro *κδ'* XXIV. Aurei numeri sunt nicaeni, quumque primo mundi primoque cyclorum *κατα φυσιν* anno luna XIV paschalis fuerit die 13 aprilis, quae respondet aureo numero nicaeno III, liquet Cedreni cyclum paschalem ab hoc aureo numero duci, sicut in vetere kalendario romano. Quum Christum obiisse dicat anno mundi 5539, die 23 martii, revixisse die 25, quumque dies hic 25 martii primus sit in annis mundi, concludamus necesse est Christum mortuum esse anno mundi 5539 exeunte, revixisse ipso primo die anni 5540, quod et cycli, et feriae, et Christi aetas, qua fuisse dicitur eo die, quo baptismo tinctus est, composita cum temporis spatio, quod intercessit secundum Cedreni opinionem inter diem hunc diemque Christi emortualem, plene confirmant; quare ea, quae dicit de patribus, qui diem illum 25 martii *pascha dominicum nominarunt, principium capientes, secundum ipsum sanctum vivificae resurrectionis diem, anno quinquies millesimo quingentesimo tricesimo nono ab origine mundi*, non significant Christum hoc anno 5539 revixisse, inque annum hunc diem illum 25 martii incidisse, sed ipsum illum diem veluti cardinem seu caput esse, unde rationem patres duxerunt temporis, quo pascha agi debet, cuius rationis principium capitur ab anno mundi 5539, id est, ab illa luna XIV paschali, quae cum huius anni exitu concurrit. Nemini, qui attendat, non patet perperam a Cedreno rationes initas esse, ut diem hebdomadae inveniret, quo Christus in lucem editus et baptismo ablutus fuit, diemque 25 decembris anni mundi 5506 aeque ac 6 ianuarii anni mundi 5536 feriam III fuisse. Quibus positis constat Cedreni summam chronologiae, quod ad Christi vitam eam esse, quam haec tabella exhibet.

Anni					Dies mensis	Feria	Historia
Per. iul.	Mundi	☉	☽	Ind.			
G		1	1		21 martii	VI	Cyclorum *κατα φυσιν* initium.
	1				25 martii	I	Mundus conditus.
	796	12	17				
1 G F						II	Initium periodi iulianae.
4665 A G		1	8				
	5461			1	kal. septembr.	VII	Initium *προληπτικον* indictionum.

[1]) Ib. p. 196. [2]) Ib. p. 175. [3]) Ib. p. 174.

				15			
4710 G							
		18	15				
	5506				25 martii	I	Incarnatio.
				1	25 decembris	III	Ortus Christi.
		21	18				
	5509						
				4			
4714 B					kal. ianuar.	VII	Initium aerae vulgaris.
		20	7				
	5536						
				1			
4741 D C					6 ianuarii	III	Christi baptismus.
		21	8				
	5537				25 martii	V	Initium postremi triennii vitae Christi.
					27 martii	VII	Primum pascha post baptismum.
				2			
4742 B							
		22	9				
	5538				25 martii	VI	Initium postremi biennii.
					15 aprilis	VI	Secundum pascha.
				3			
4743 A							
		23	10				
	5539				25 martii	VII	Initium postremi anni.
					4 aprilis	III	Tertium pascha.
				4			
4744 G							
		24	11		22 martii	V	Pascha a Christo postremo actum.
					23 martii	VI	Christi mors.
					24 martii	VII	Quartum pascha secundum Cedrenum.
	5540				25 martii	I	Resurrectio.

Ceterum Cedrenus sententiam suam de anno Christi emortuali his verbis aperuit: *Narratio verissima et tempus salutaris passionis a Romanis magis designatum est; Gemini enim consulatu ipsum passum esse adnotarunt, qui consulatus fuit ἐν α' τῆς σβ' in anno I olympiadis* CCII [1]); scilicet duobus Geminis coss. annus primus huius olympiadis incepit. Atque huc fortasse Cedrenus spectabat, quum scripsit *ab assumptione Christi in caelum usque ad captam a Tito Hierosolymam annos μβ'* XLII numerari [2]).

201 *Petrus Damiani.* An. MLVII. Christus *octavo . . . kalendas aprilis conceptus creditur, quo et passus. . . . Natus autem traditur octavo kalendas ianuarias* [3]). *Sicut . . . tunc, cum Dominus pateretur, et mensis erat martius, et dies a kalendis aprilis octavus, feria erat sexta, et luna*

[1]) Ib. p. 189. [2]) Ib. p. 241. [3]) Serm. XLVIII de exaltat. s. Crucis; Ad episcopos ep. XVI; Opusc. XXXVII de variis quaestionib.

decimaquarta, ita per omnia et quingentesimo tricesimo tertio anno contigit, et hoc anno, qui millesimus sexagesimus quintus est similiter venit [1]). Sed merum hoc est sancti illius viri παροραμα, quo annum aerae vulg. 1065, quo haec scribebat, et in quem illi characteres congruebant, iidem qui in huius ipsius aerae annum primum, habuerit pro primo anno tertiae periodi annorum DXXXII, quae *a passione* duci solebat.

202 ***Marianus Scotus.*** An. MLIX. ***Dominus noster Iesus Christus . . . octavo die calendarum ianuarii, dominica, nascitur, anno ab Urbe condita DLII, anno imperii Augusti*** XLI, ***olympiadis*** CXCIV ***anno tertio, anno etiam ab origine mundi*** $\overline{\text{IV}}$CXCIII, ***indictione quarta. Octava etiam die dominica circumciditur*** [2]). Paullo supra haec scripserat: ***Anni mundi*** $\overline{\text{IV}}$CXCIII . . . ***Cyclus magnus paschalis incipit hinc, in cuius anno secundo iuxta Dionysium, indictione tertia, natus est Dominus.*** Ex his notis haud cohaerentibus consequitur Christum ortum esse alterutro anno p. i., 4713, vel 4714, qui primus est aerae vulgaris; annos vero tum imperii Augusti, tum U. C. seriore initio notari. Indictiones sunt romanae, kalendis ianuar. inceptae. Exinde adscribuntur anni aerae vulgaris, initiumque his fit kalend. ianuar. [3]). ***Anni Christi*** XXXI. . . . ***Baptizatus est in die dominico epiphaniae, die*** XIII ***anni sui*** XXX. . . . ***Anni Christi*** XXXIV. . . . ***Iesus Christus passus est octava die kalendarum aprilis, . . . luna*** XV, ***in anno*** XVIII ***imperii Tiberii Caesaris.*** Animadverte, anno aerae vulg. 31 diem 6 ianuarii fuisse sabbatum, anno autem 34 diem 25 martii fuisse feriam V. Ceterum, si Christus, quum anno aer. vulg. 31 ad baptismum venit annum tricesimum agebat, efficitur natum fuisse anno 1 eiusdem huius aerae.

203 ***Lambertus Schafnaburgensis.*** An. MLXXVII. ***Octavianus annis*** LVI. ***Huius anno*** XLII ***Dominus noster Iesus Christus nascitur, completis ab Adam iuxta Hieronymum annis*** $\overline{\text{V}}$CXCIX. ***Tiberius annis*** XXIII. ***Huius anno*** XVIII ***Dominus noster Iesus Christus crucifixus est. . . . Vespasianus annis X. Huius anno secundo Titus Hierosolymam subvertit . . . post annos . . . dominicae incarnationis*** LXXI [4]). Is ergo Christi ortum adscripsisse videtur anno p. i. 4712, obitum anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, primum autem annum incarnationis composuisse cum anno p. i. 4713, etsi ab initio saeculi octavi notas annorum aerae vulgaris deinceps historiae suae adposuerit.

204 ***Gregorius Farfensis.*** An. MLXXXIV. Augusti ***anno imperii*** XLII ***Iesus-Christus filius Dei Dominus noster secundum carnem natus est, . . . secundum Hebraeos a mundi principio annis*** $\overline{\text{III}}$CMLII, ***secundum Graecos annis*** $\overline{\text{V}}$IDVIII, ***Urbis*** DCCLI. Tum haec nota DCCLI, tum illa $\overline{\text{V}}$IDVIII pro mendo habendae sunt, rescribendumque DCCLII et $\overline{\text{V}}$DVIII. Tiberii ***anno*** XV ***Christus baptizatus est***, XVIII ***passus.*** Neronis ***extremo anno Petrus et Paulus apostoli passi sunt anno Domini*** LXX, ***passionis*** XXXVIII [5]). Si ***anni Domini*** ducuntur ab ipso anno imperii Augusti XLII, quo Christus natus dicitur, ***annus Domini*** LXX concurrisset cum anno aer. vulg. 68, huiusque anni verno annus ***passionis*** XXXVIII incepisset, annoque aer. vulg. 31 Christus obiisse foret dicendus. Sin ***anni Domini*** sunt anni aerae vulgaris, consequitur perperam cum primo aerae huius anno annum XLII imperii Augusti, U. C. DCCLII, cumque septuagesimo postremum imperii Neronis a Gregorio coniungi, Christum autem anno aer. vulg. 1 natum esse, mortuum autem anno 33.

205 ***Ordo romanorum pontificum vaticanus.*** An. MC. ***Beatus Petrus . . . cum Paulo coronatur post passionem Domini anno*** XXXVIII [6]). Si Petri et Pauli martyrium adscriptum sit, ut debet, anno aer. vulg. 67, Christi mors anno 30 erit adscribenda.

206 ***Chronicon urbinovaticanum de incarnatione.*** Saec. XI exeunte. ***Natus est Dominus noster . . .*** *τῳ τριτῳ ἐτει της ἑκατοστης ἐνενηκοστης δ' ὀλυμπιαδος* ***anno tertio centesimae nonagesimae*** IV ***olympiadis. Hic autem erat*** *μβ'* XLII ***imperii Augusti. . . . Anno regni Tiberii*** *πεντεκαιδεκατῳ* ***quintodecimo Dominus*** *τριακοντα ἐτων ὤν*, ***quum esset annorum triginta, venit ad Ioannis baptismum. . . . Anno autem*** *ἐννεακαιδεκατῳ* ***decimonono imperii Tiberii divina crucifixio et vivifica resurrectio facta est. . . . Colliguntur autem anni*** *μ'* XL ***a salutifera passione ad captam Hierosolymam*** [7]). Notae anni, quo Christus natus dicitur, congruunt in annum p. i. 4712. Christus igitur annum tricesimum agere coepit extremo anno p. i. 4741, aer. vulg. 28, eumque implevit anno insequente. Si annos imperii Tiberii numerare incipias ab eo die, quo is Augusto demortuo successit,

---

[1]) Opusc. cit. [2]) Chronic. aet. VI. [3]) Conf. ib. an. 1073. [4]) De rebus gestis Germanor. in *Pistorii* Veter. scriptor. German. T. I. p. 150. [5]) Chronic. farfens. in catalogo imperator. et in catalogo summor. pontif. ap. *Murator.* Scriptor. rer. italic. T. II. P. II. coll. 299. 305 et ap. *Blanchin.* Anastas. Biblioth. T. II. prolegom. pp. CXIII. CXV. [6]) Ap. *Schelestrate* Antiq. eccl. T. I. Append. No. 31. [7]) Ib. No. III.

Christi baptismum ex huius scriptoris sententia adscribes anno p. i. 4742, aer. vulg. 29, obitum anno p. i. 4746, aer. vulg. 33; sin a civilis anni initio, utrumque anno proxime superiori. Ast anno p. i. 4741 Christus nondum fuisset *annorum triginta*, nisi postremis anni diebus. Quare, quum dubitare non sit scriptorem hunc sua aetate vulgatam opinionem sequutum esse de die Christi natali deque die baptismi, prior ipsius verborum explicatio praeferenda est.

SAECULUM XII

207 *Sigebertus.* An. MCI. De anno aer. vulg. 979 haec refert: *Hoc anno complentur mille anni a nativitate Christi, secundum veritatem evangelii, qui secundum cyclum Dionysii anno ab hinc* XXI *finiuntur, sicque in anno dominicae passionis veritati evangelicae contraitur* [1]). Natus ergo Christus est anno p. i. 4692, isque primus mille annorum a Christi ortu secundum Sigebertum. De anno autem aerae vulgaris 1073: *In hoc anno, duobus magnis annis*, id est, cyclis annorum 532, *a* XV *anno Tiberii Caesaris revolutis, omnia secundum cursum solis et lunae concordant illi anno, quo baptizatus est Iesus Christus, id est*, VIII *idus ianuarii, die dominico epiphaniae* [2]). Quare Christus dicendus foret ad baptismum venisse anno p. i. 4722, aer. vulg. 9. De anno 1076: *Hoc anno, qui est* XIII *annus primi decemnovennalis cycli in repetito magno anno Dionysii, duobus magnis annis a passione Domini revolutis, omnia, quae ad cursum solis et lunae spectant, anno dominicae passionis concordant. Unde apparet, quod Dionysius non recte annos Domini cyclo suo annexuit. Quia enim ab anno Domini* DXXXII *cyclum suum orditus est, nimirum intendit Christum fuisse natum anno secundo prioris magni anni, ac per hoc hic annus, anno dominicae passionis concordans, debuisset esse magni cycli annus, non* XIII, *sed* XXXIII, *quia is fuit annus passionis Domini, et, per hanc consequentiam solaris et lunaris cursus concordantem evangelicae veritati, Dionysius posuit nativitatem Christi viginti uno annis tardius, quam debuit* [3]). Ex his consequitur Christi obitum anno p. i. 4725, aer. vulg. 12, esse consignandum, dieque 25 martii, feria VI, in quem diem secundum rationem cycli decemnovennalis incidit luna XV paschalis. Haec nimirum caussa fuit, cur huic anno Christi mortem Sigebertus adscriberet, quia, inquam, per illam aetatem nullus, nisi hic, annus fuit, cuius luna XV paschalis in diem 25 martii feriamque VI incideret.

208 *Hugo Haviniacensis.* An. MCII [4]). *Anno a mundi conditione* $\overline{\text{V}}$CXCVIII, *ab Urbe autem condita* DCCLII, *anno secundo cycli decemnovennalis, indictione* IV, *concurrente* V, *epacta* XI, *feria* I, *luna* XIII, *Iesus Christus . . . nascitur anno Caesaris Augusti* XLII. Notae omnes, praeter annos U. C. et imperii Augusti, annum I aerae vulgaris designant. *Dominus Iesus, trigesimo aetatis suae anno iam peracto, anno* XV *Tiberii baptizatur . . . octavo idus ianuarii, quod fuit septima feria, indictione* III, *luna* XV. Annus imperii Tiberii signat annum aer. vulg. 29, luna et indictio congruunt in annum aer. vulg. 30, feria in annum 31, aetas denique Christi in annum 32. *Anno igitur a mundi conditione* $\overline{\text{V}}$CCXXXII, *ab Urbe condita* DCCLXXXIV, *ab incarnatione Domini* XXXIII, *ipse Iesus Christus Dei filius pro salute mundi venit ad passionem anno* XVIII *Tiberii Caesaris, octavo idus, volui dicere octavo kalendas, aprilis, quinta feria, luna* XIV, . . . *anno cycli decemnovennalis* XIII, *et typico pascha cum discipulis celebrato, traditur a suo discipulo Iudaeis. . . . Septimo kalendas aprilis, luna* XV, *et sexta feria, ascendit crucem. . . . Resurrexit a mortuis quinto kalendas aprilis, luna* XVII. Annus mundi 5232 nequit concurrere cum anno 33 aerae vulgaris siquidem primo huius aerae anno inceperat annus mundi 5198. Quum Hugo superius coniunxerit annum U. C. DCCLII, imperii Augusti XLII, cum anno 1 aerae vulgaris, consentanee nunc annum U. C. DCCLXXXIV, imperii Tiberii XVIII, coniungit cum anno aer. vulg. 33; re tamen vera annus XVIII imperii Tiberii incepit anno 31 aer. vulg., quo cum concurrit annus U. C. DCCLXXXIV. Hunc annum 31 aer. vulgar., non autem annum 33, signat annus XIII cycli decemnovennalis, quo tamen anno dies 25 martii fuit feria I; anno autem 33 aer. vulg. erat annus cycli decemnovennalis XV, diesque 25 martii concucurrit cum luna VII et feria IV. Paullo post legimus Petrum et Paulum supplicio affectos III *kal. iul., quinta feria, luna* XXIII, *ab incarnatione anno* LXXII, *a passione* XXXIX. Dies 29 iunii composita cum quinta feria cumque luna XXIII signat annum aer. vulg. 69, p. i. 4782; proinde primus *incarnationis* annus foret p. i. 4711, annus autem *passionis* annus p. i.

[1]) Chronic. ad an. 979. [2]) Ib. ad ann. 1073. [3]) Ib. ad ann. 1076. [4]) Chronic. virdunens. ap. *Labbé* Nov. biblioth. ms. T. I. p. 75.

4744, aer. vulg. 31, *incarnationis* secundum hunc Hugonis computationem 34. Si plerasque notas easque certiores sequi praestat, concludendum esset ex Hugonis rationibus effici Christum natum anno aer. vulg. 1, anno 31 obiisse.

209 *Ioannes Vulturnensis.* An. MCVIII [1]). *Christus de Virgine nascitur* V̅CXCIX *anno mundi.* Principatus Tiberii *quintodecimo . . . anno Christus praedicare coepit, et in decimo octavo crucifixus est* [2]). Anni mundi adnotati sunt secundum Eusebii chronologiam; ex quo consequitur Christi ortum adscribi anno p. i. 4711, obitum anno p. i. 4745, aer. vulg. 32.

210 *Bernardus Claravallensis.* An. MCXV. *Cum enim iam Christus triginta annorum tempus exegisset in carne, . . . ad baptismum Ioannis venit* [3]). In alio loco: *Iam triginta annorum ad baptismum ipse perrexit* [4]). Sed item in alio: *Hodie quoque*, VIII id ianuar., *cum iam triginta ferme in dispensatione carnis egisset annos, . . . ad Iordanem baptizandus advenit* [5]). *Triginta et tribus annis super terram visus* [6]). *Triginta et tribus annis operatus est salutem tuam* [7]).

211 *Ioannes Zonaras.* An. MCXVIII. *Anno imperii Augusti τεσσαρακοστῷ δευτέρῳ quadragesimo secundo . . . natus est Dominus noster et Deus Iesus Christus, . . . ab actiaca demum victoria . . . εἰκοστῷ ἐννάτῳ vicesimo nono* [8]). Annus XLII imperii Augusti est annus p. i. 4712, annus ab actiaca victoria XXIX exiit in primos dies mensis septembris eiusdem illius anni p. i.; quare dubitare liceret utrum huic, an superiori, p. i. anno Christi ortus adscribatur, nisi compertum esset ex ipsa computatione, quam Zonaras fecit in hoc loco, annum primum ab actiaca victoria παχύλως ab ipso componi cum anno imperii Augusti XIV, proinde annum p. i. 4712 Christi natalem esse ex eiusdem ipsius Zonarae opinione. *Anno πεντεκαιδεκάτῳ quintodecimo imperii Tiberii Caesaris Christum Ioannes baptizavit, τριακοντα δ' ἦν ἐτῶν triginta autem annorum erat, quando baptizatus est* [9]). *Anno autem ὀκτωκαιδεκάτῳ decimo octavo traditus et crucifixus resurrexit* [10]). Anno, inquam, p. i. 4742, aer. vulg. 29, baptismo tinctus est, anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, cruci fixus.

212 *Epitome temporum.* An. MCXVIII [11]). Augusti *imperii anno μβ'* XLII *nascitur Dominus noster Iesus Christus, . . . et voluntarias poenas perpessus est anno imperii Tiberii Caesaris ιη'* XVIII. *Nam ιε'* XV *eiusdem Tiberii anno baptizatus est. . . . A Christi Domini ascensione ad excidium Hierosolymae anni μη'* XLVIII. Hae notae, postremo dempta, vulgares esse viderentur, nisi auctor annorum quoque mundi notas adiecisset, ita ut annus XLII imperii Augusti serius non exierit, quam anno mundi 5493; quum autem e notis, quibus in fine huius Epitomes designatur exordium principatus Alexii Comneni, consequatur annum aer. vulg. 1 a kalendis april. ad prid. kal. septembr. concurrisse cum anno mundi 5509, liquet annum mundi 5493 per eosdem illos menses concurrisse cum anno p. i. 4698, item liquet huic vel superiori anno in hac epitome ortum Christi esse adscriptum, obitum autem haud seriore anno consignatum, quam p. i. 4730, aer. vulg. 17, non enim serius hoc anno Tiberius annum imperii XVIII implesset, siquidem, ut ipse scriptor supputat, hic annus cum anno mundi 5524 concurrisset.

213 *Florentius Vigorniensis.* An. MCXVIII. *In disponenda temporum ratione*, inquit Caveus, *duplici epocha a Christo nato usus est, una secundum evangelium, altera secundum Dionysium Exiguum, intercedente annorum* 22 *inter se discrepantia.* Illius *Chronicon* editum est una cum Matthaei Vestmonasteriensis *Floribus historiarum*, in eo autem haec leguntur: XLII. *Lentulus Messala* coss. I *Dominus noster Iesus Christus filius Dei conceptus* VIII *cal. aprilis, feria* VI, *indictione* XII . . . VIII *cal. ianuarii, indictione* XIII, *dominica, nocte, nascitur. Octava, etiam dominica, circumciditur.* XIII *die* post ortum, *stella duce, adoratur a Magis.* Consules designant annum p. i. 4711, annus XLII imperii Augusti concurrit cum anno p. i. 4712, at reliquae notae manifesto indicio sunt natalem Christi annum secundum Florentii opinionem esse p. i. 4692. *Anno secundum evangelium* XXIII, *secundum Dionysium* I. *Incarnatio secundum Dionysium incipit, conscripta per ordinem, contraria incarnationi iuxta evangelium. . . . Anno secundum evangelium* XXXI, *secundum Dionysium* IX, imperii Tiberii XV . . . *Iesus . . . baptizatus est in die* XIII *incipientis anni sui* XXX, *die dominica epiphaniae*, hoc est anno p. i. 4722. *Anno secundum evangelium* XXXIV, *secundum Dionysium* XII, imperii Tiberii XVIII. *Dominus noster Iesus Christus passus est* VIII *die calend. aprilis*, anno p. i. 4725, scilicet biennio amplius ante Augusti obitum. Eadem nimirum hic opinantur, quae Sigebertus (207).

---

[1]) Chronic. vulturnens. in *Murator.* Scriptor. rer. italic. T. I. P. II. col. 325. [2]) Ib. Sexta aet. [3]) In epiphan. Serm. I. § 6. [4]) In octav. epiphan. Serm. § IV. [5]) In epiphan. Serm. III. § 2. [6]) Serm. in fer. IV maior. hebdom. § 13; Serm. II in pentecost. § 8. [7]) Serm. XIX de divers. § 5. [8]) Annal. L. X. § 39. [9]) ib. [10]) Ib. L. XI. § 3. [11]) Post *Nicephori* Breviarium ed. *Petavii* p. 287 et post *Zonarae* Annal. T. II. p. 312. Paris. 1687.

214 ***Michael Glycas.*** An. MCXX. Is ait *anno imperii . . . Augusti Caesaris* μβ' XLII, *quod carnem attinet, Dominum nostrum Iesum Christum . . . natum esse, . . . anno ab orbe condito* ͵εφ' V̄D [1]), mortuum autem *anno δεκατῳ ὀγδοῳ decimo octavo Tiberii Caesaris* [2]). Quinam sit annus XLII imperii Augusti, quinam XVIII imperii Tiberii, saepe dictum est. Ast Glycas eam mundi aeram sequitur, cuius anno 796 periodus iuliana, anno 5509 vulgaris aera inceperunt, mundique annos componit cum civilibus Graecorum annis, atque initium utrisque facit una cum annis indictionum kalendis septembr. Etenim [3]) componit diem 11 decembris anni mundi 6478 cum indictione XIII; hic igitur annus est p. i. 5682. In alio loco [4]) ait Theodoram imperatricem vixisse *ὁλην την ἰνδικτιωνα* θ' *του* ͵ςφξδ' *ἐτους totam indictionem* IX *anni* 6564; proinde ea mortua est exeunte mense augusto aut ineunte mense septembri anni p. i. 5769. Necesse est ergo annus mundi 6478 inceperit anno p. i. 5682 cum indictione XIII, annus autem mundi 6564 anno p. i. 5768 cum indictione IX [5]). Annus ergo mundi V̄D incepit kal. septembr. anni p. i. 4704, quo anno secundum Glycae ratiocinia Christus ortus esse dicendus est. Augustum annis LVI imperasse idem ipse Glycas narrat [6]). Si ergo mensis decembris anni XLII imperii Augusti fuit anno mundi 5500, mensis decembris anni LVI anno mundi 5514 fuerit oportet; proinde primus Tiberii imperantis annus cum anno mundi 5515, annus autem XVIII cum anno mundi 5532 est componendus. Quum ergo annus mundi 5532 inceperit kal. septembr. anni p. i. 4736, dies Christi emortualis fuisset dies paschatis an. p. i. 4737, aer. vulg. 24.

215 ***Honorius Augustodunensis.*** An. MCXXX. *Qui autem evangelium diligenter legerit, Dominum, non* VIII, *sed* X *kal. aprilis passum videbit : . .* VIII *kal. resurrexit* [7]). Christi ortum consignat anno 1 aer. vulg. [8]), obitum vero, quum Christum mortuum dicat a. d. X kal. april., anno 31 aut 36 aer. vulg. consignet necesse est.

216 ***Ordericus Vitalis.*** An. MCXL [9]). *Virgo . . . Salvatorem . . .* VIII *kal. ianuarii . . . peperit, . . . anno . . . Caesaris Augusti* XLII, *ab interitu vero Cleopatrae et Antonii, quando et Aegyptus in provinciam versa est,* XXVIII, *olympiadis vero centesimae nonagesimae tertiae anno tertio, ab Urbe autem condita* DCCLII. . . . *Secundum computationem Eusebii Caesariensis et Hieronymi ab Adam usque ad* XVIII *annum Tiberii Caesaris, quando Christus passus est, anni* V̄CCXXXI *fiunt* [10]). *Salvator* XXXII *annis et* III *mensibus in terris conversatus est. . . . In initio* XXX *anni . . . a Ioanne baptismate intinctus . . . triennio signa facit. . . . Tiberius . . . annis* XXIII *regnavit, cuius* XVIII *anno Christus passione sua mundum redemit* [11]). *Anno* XV *imperii Tiberii Caesaris Dominus Iesus post baptismum . . . mundo regnum caelorum annuntiavit. . . . Iuxta Chronica eadem, quae ipse Eusebius de utraque editione, ut sibi videbatur, composuit, anni sunt quinque millia ducenti viginti octo. Anno* XVIII *imperii Tiberii Dominus sua passione mundum redemit* [12]). Lege secundum quoque huius historiae librum [13]). *Petrus princeps apostolorum . . .* XXXVI *anno a passione Domini* IV *kal. iulii cum Paulo martyrizatur* [14]). Hae notae omnes, si pro olympiade CXCIII rescribas CXCIV, adscribere docent ortum Christi anno p. i. 4712, baptismum anno p. i. 4742, aer. vulg. 29, mortem anno p. i. 4745, aer. vulg. 32.

217 ***Otho Frisingensis.*** An. MCXLIV. *Anno imperii Augusti* XLII, *anno vero ab Urbe condita* DCCLII, *olympiade centesima nonagesima tertia, revolutis ab Adam* V *millibus* D *annis, . . . Iesus Christus . . . nascitur* [15]). *Anno ab incarnatione Domini* XXX, *anno vero Tiberii Caesaris* XV, *. . . Ioannes in deserto baptismum poenitentiae praedicare coepit. Ad cuius baptismum Dominus quoque . . . venit* [16]). *Anno ab incarnatione sua* XXXIV, *regnante adhuc Tiberio, . . . Dominus ad passionem venire dignatus est* [17]). *Post* XL *a passione Domini annos . . . urbs infidelis a Tito . . . expugnatur* [18]). Aera incarnationis, quam hic sequitur, uno anno aeram vulgarem anteit, primusque eius annus est, qui post Christi ortum proximis kalendis ianuar. incepit [19]). Itaque Christus natus est anno p. i. 4712, baptismo tinctus anno p. i. 4742, aer. vulg. 29, mortuus anno p. i. 4746, aer. vulg. 33.

218 ***Isaacus Armenius.*** An. MCL. *Die* κε' XXV *martii, . . . inquiunt Eusebius et sanctus Athanasius, conditus fuit Adam, eademque Dei filius ac Verbum in Virginis utero habitavit, ac*

---

[1]) Annal. P. III. pp. 207. 221. [2]) Ib. p. 227. [3]) Ib. p. 308. [4]) Ib. p. 322. [5]) Conf. ib. P. IV. pp. 249. 308. 315. [6]) Ib. P. III. p. 205. [7]) De imagine mundi L. II. c. 17. inter opp. *Anselmi Cantuar.* [8]) Ib. c. 23. [9]) Hist. eccl. in *Duchesne* Hist. Normannor. scriptor. p. 321. [10]) Ib. L. I. pp. 323. 324. [11]) Ib. p. 325. [12]) Ib. p. 352. [13]) Ib. p. 375. [14]) Ib. p. 436. [15]) Chronic. L. III. c. 7. [16]) Ib. c. 11. [17]) Ib. c. 12. [18]) Ib. c. 19. [19]) Lege ib. v. gr. L. V. cc. 31. 32. 33.

demum in ea, prima dominica, contigit pascha Christique resurrectio ex mortuis [1]. Annus ergo Christi emortualis fuisset aer. vulg. 31 aut 36.

219 *Petrus Cluniacensis.* An. MCL. Tertulliano adstipulatur, eiusque verba refert, sed ita: *In quadragesimo et primo anno imperii Augusti . . . nascitur Christus. Insuper vixit idem Augustus, ex quo natus est Christus, annis* XV. . . . *Cui succedit Tiberius Caesar. . . . Huius nonodecimo imperii anno patitur Christus annos habens quasi* XXXIII, *cum pateretur.* Quae Tertulliani verba vereor ne Petrus ad vulgatiorem aetatis suae sententiam refinxerit. Tum ipse Petrus de LXX hebdomadibus a Daniele praedictis: *Restant igitur septem et dimidia. In quarum enuntiatione sumpto ab eadem Christi nativitate principio, complentur hebdomades quatuor, additis quintae hebdomadis annis quinque et dimidio, id est, aetatis Christi usque ad ipsius passionem annis triginta tribus et dimidio* [2]. Videlicet putavit Christum natum esse anno p. i. 4711, mortuum anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, anno imperii Tiberii XIX ducto a kal. ianuar.

220 *Chronicon Allerspachense.* An. MCLXVII [3]. *Ab orbe condito usque ad Urbem conditam computantur anni quatuor millia* CDXLVII. *Ab Urbe vero condita usque ad nativitatem Christi computantur anni septingenti quinquaginta duo. Omnes igitur anni ab exordio mundi usque ad nativitatem Christi fiunt quinque millia centum* XCIX. *Regnante Octaviano Caesare Augusto, anno* XLII *imperii eius, ab Aegypto vero subiugata et Antonii vel Cleopatrae interitu* XXVIII *anno, . . . natus est Dominus noster Iesus Christus . . . dominica, nocte,* VIII *kal. ianuar.* Exinde notae annorum incarnationis deinceps ponuntur, iis quoque annis, quibus nihil gestum narratur. XXX, *Tiberii autem anno* XV, *Ioannes . . . Redemptorem baptizat . . .* XXXIII, *Tiberii vero* XVIII, *Dominus Iesus sua passione mundum redemit . . .* LXXIV, *Hierusalem eversa est, indictione secunda . . .* CCCVI, *Hoc anno,* XIX *autem regni sui, Diocletianus in Oriente, Herculius in Occidente, vastari ecclesias interficique Christianos . . . praeceperunt. . . .* CCCX, *Constantinus imperator.* Si annorum seriem attendamus, liquet Christi ortum adscribi anno aer. vulg. 1, quo anno dies 25 decembris utique prima hebdomadae fuit, mortem vero anno aerae vulg. 33; sin vero ceteras notas, quibus Christi annua tum natalis, tum emortualis, signantur, natum eum dicere oportet anno p. i. 4712, mortuum anno p. i. 4744 vel 4745, aer. vulg. 31 aut 32. Quod si ad annos spectes, quibus Hierosolymae expugnatio, Diocletiani decretum contra Christianos, Constantini exordium imperii, adscripta sunt, annus p. i. 4708 esset annus Christi natalis, emortualis autem annus p. i. 4742, aer. vulg. 29; Hierosolyma enim anno aerae vulg. 70 expugnata est, Diocletiani decretum editum anno 302, Constantinus anno 306 imperium accepit, ut aera incarnationis huic Chronico adiecta toto quadriennio aeram vulgarem anteire quod ad illam aetatem videatur.

221 *Gotefridus Viterbiensis.* An. MCLXX. *Anno ab Urbe condita* DCCLII, *olympiade* CXCIII, *revolutis ab Adam* V̄D *annis, . . . natus est Iesus Christus. . . . Anno ab incarnatione Domini tricesimo, anno vero Tiberii Caesaris* XV, . . . *Ioannes in deserto baptismum poenitentiae incipit praedicare, ad cuius baptismum Dominus Iesus . . . advenit. . . . A passione Domini quadraginta annorum spatio iam transacto . . . Hierusalem . . . capitur* [4]. Ex his consequeretur Christum natum anno p. i. 4712, mortuum anno p. i. 4743, aer. vulg. 30. Verum *anno ab incarnatione Domini tricesimo* Gotefridus Christum baptismo tinctum fuisse aperte affirmat, qui tamen an annus sit aerae vulgaris 30, dubitare licet. Tum haec quoque scripsit: *Dominus noster Iesus Christus sedit in hoc mundo annis triginta duobus mensibus tribus* [5]. Si ergo Christus ortus est anno aer. vulg. 1, obiisse dicendus est anno huius aerae 34; sin vero anno p. i. 4712 natus dicatur, consequetur anno p. i. 4745, aer. vulg. 32 mortuum esse.

222 *Petrus Comestor.* An. MCLXX. Christus *creditur . . . conceptus* VIII *kal. aprilis, et revolutis* XXXIII *annis eadem die mortuus est. . . . Natus est autem Salvator anno regni Augusti Caesaris* XLII, . . . *olympiadis centesimae nonagesimae tertiae anno* III, *anno ab Urbe condita* DCCLII, . . . *nocte dominicae diei. . . . Fluxerant quidem ab Adam anni quinquies milleni centum nonaginta sex, alias nonaginta novem* [6]. *Usque ad hunc annum Tiberii* XV *computantur ab Adam anni quinquies millia* CCXXV *secundum* LXX [7]. *Quum Christus ad baptismum venit, tricesimum annum inceperat,* XIII *tantum diebus eiusdem anni peractis. Et secundum hoc vixit Iesus tantum triginta duobus annis et dimidio. Quia eadem die revoluto anno convertit aquam in vinum, et in sequenti pascha, id est, in pascha tricesimi primi anni, incarceratus est Ioannes, et in pascha*

---

[1] In Armen. invect. I. c. 2 in *Combefis* Histor. Monothelit. [2] Tract. adv. Iudaeos c. 3. [3] In *Basnagii* Thesaur. T. III. P. II. p. 219. [4] Chronic. P. XV. [5] Ib. p. XX. [6] Hist. scholast. cc. 2. 5. [7] Ib. c. 30.

sequenti, id est, tricesimi secundi anni, decollatus est, et in tertio paschate, id est, tricesimi tertii anni, passus est Dominus; et ita vixit Dominus triginta duobus annis integris, et de XXXIII, *quantum fluxit temporis a natali usque ad pascha, quod pro dimidio anno computatur* [1]). Continuo refert Petrus Chrysostomi opinionem putantis Christum, quum ad baptismum venit, *iam complevisse tricesimum annum. . . . Et secundum hanc opinionem vixit triginta tribus annis integris, et de* XXXIV, *quantum est a natali usque ad pascha.* Priorem tamen sententiam ipse praeferre videtur [2]). *Anno nono decimo imperii Tiberii Caesaris . . . mortuus est Dominus et resurrexit* [3]); quo anno, *si tabulam computi diligenter retro percurramus, inveniemus lunam* XXII *kal. aprilis, feria sexta; ergo in praecedenti feria sexta fuit luna quintadecima* paschalis, die 25 martii, quo die Petrus Christum mortuum esse opinatur [4]). Hae notae signant annum aureo numero XIII, litera B, qualis per illam aetatem nullus fuit nisi annus aer. vulg. 12. Ex his certo comperimus Comestorem ratiocinia Sigeberti (207) et Florentii Vigorniensis (213) sequutum esse.

223 *Romualdus Salernitanus.* An. MCLXXVIII. *Transactis ab exordio mundi iuxta Hebraeos annis* ĪIICMLII, *secundum Septuaginta vero interpretes* V̄DVIII, *iuxta Eusebium* V̄CXCIX, *anno Caesaris Augusti* XLII, *a morte vero Cleopatrae et Antonii, quando et Aegyptus in provinciam versa est, anno* XXVII, *olympiadis quidem* CXCIII, *ab Urbe autem condita anno* DCCLII, *. . . nasci dignatus est in terris Iesus Christus* [5]). De ceteris sententias refert Bedae et Orosii, quorum ille anno imperii Tiberii XVIII, hic XVII, Christi mortem adscripserunt.

224 *Chronographus Saxo.* An. MCLXXXVIII. *Octavianus Augustus post mortem avunculi sui Iulii Caesaris quadragesimum secundum agit annum imperii sui, et solus monarchiam regit anno* XXVIII *post bellum acciacum et pulsum Antonium cum Cleopatra, quando Aegyptus Romanis in provinciam cessit, . . . Iesus Christus filius Dei in Bethleem Iudae nascitur, olympiade* CXCIII. . . . *A centesimo et quintodecimo anno regni Persarum, quando Artaxerses, rex eiusdem imperii, vicesimum regni sui habebat annum, . . . usque ad ducentesimae secundae olympiadis annum secundum, qui est quintus decimus imperii Tiberii Caesaris, colliguntur anni et cetera. . . . Itaque anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris . . . factum est verbum super Iohannem Zachariae filium, et Iesus* XXX *habens annos venit ad baptismum, et deinceps per tres annos conditum est evangelium, nam per tria paschata, in Iohanne legimus, ascendit Iesus Ierosolymam, tertio quidem passurus* [6]). Exinde anni incarnationis singuli notantur. *Annus Domini* XV, *Augusti Caesaris* LVI *. . . Augustus . . . moritur. . . . Annus Domini* XVI, *Tiberii Caesaris* I. *Tiberius . . . imperium romanum adeptus est. . . . Annus Domini* XXX, *Tiberii* XV. *Iesus . . . baptizatur. . . . Annus Domini* XXXIII, *Tiberii* XVIII. *Christus a Iudaeis patitur . . . quarto . . . anno olympiadis* CCII. . . . *Annus Domini* LXX, *Neronis* XIV. . . . *Petrus crucifigitur, Paulus decollatur* III *kal. iulii. . . . Annus Domini* LXXII, *Vespasiani* I . . . *Ierusalem a Tito capitur . . . die* VIII *mensis septembris. . . . Annus Domini* CCCVIII, *Diocletiani et Maximiani* XIX. . . . *Mense martio in diebus paschae iussu imperatorum ecclesiae subvertuntur. . . . Annus Domini* CCCXI, *Constantini* I. *Constantinus imperator efficitur* VI *kal. augusti.* Scriptoris sententia est, Christum vixisse annos XXXII menses III, proinde natum esse ante initum annum primum incarnationis. Si ad integram seriem attendas annorum incarnationis, quam auctor perducit ad annum 1188, certior fies eos esse ipsos annos aerae vulgaris; quare Christus ortus dicendus foret anno p. i. 4746, aer. vulg. 33. At si ad annos principatuum Augusti et Tiberii, eum ortum dicas necesse est anno p. i. 4711, mortuum anno p. i. 4744, aer. vulg. 31, aeramque hanc incarnationis duobus annis citius initium habere, quam aeram vulgarem, quod ipsum colliges ex anno, quo Hierosolyma eversa fuisse dicitur. Nero sibi mortem conscivit III id. iun. an. p. i. 4781, aer. vulg. 68; dies ergo III kal. iul., quo die Petrus et Paulus necati sunt, in seriorem annum haud incidit, quam in p. i. 4780, aer. vulg. 67; ex quo concludendum foret, huic chronographo annum 1 incarnationis esse p. i. 4711, Christi autem annum natalem esse p. i. 4710, qui tamen componi nequit cum illo anno XLII imperii Augusti. Notae autem annorum XIX imperii Diocletiani et I imperii Constantini cogerent nos annum incarnationis primum componere cum anno p. i. 4707.

225 *Chronicon Rhemense.* An. MCXC. *Christus natus de Virgine anno* XLII *Octaviani . . .* XV *obiit Octavianus succedente Tiberio.* XXX *Christo baptizato doctrina et miracula eius incipiunt.* XXXIII *passus est Dominus . . .* LIII *incipit cyclus primus Bedae presbyteri . . .* DLXXXV *incipit*

---

[1]) Ib. c. 33. [2]) Ib. [3]) Ib. Act. apostol. c. 1. [4]) Ib. Evangel. c. 149. [5]) *Chronic.* Sexta aet. in *Murator.* Scriptor. rerum italicar. T. VII. [6]) In *Leibnitii* Accession. historic.

cyclus secundus Bedae presbyteri. Notae sunt annorum aerae vulgaris, quos auctor ducit a kal. ianuar., et enumerat usque ad annum 1190. Ut ceteri fere illius aetatis scriptores, illud peccat, quod annum XLII imperii Augusti coniungit cum anno aer. vulg. 1, aut cum superiore. Quum autem veri simile non sit Christo vitae annos XXXI menses III dumtaxat ab eo tribui, dicendus est Christi ortum adscripsisse anno p. i. 4713 [1]).

226 *Dionysius Bar Salibi.* An. MCXC. *Christus natus est . . . anno* CCCIX *Graecorum* (160), *qui est annus Augusti* XLI. . . . *Eiusdem autem passio anno undevicesimo Tiberii. Omnes anni, quibus in terris versatus est, a nativitate usque ad baptismum fuere triginta, atque a baptismo ad eiusdem ascensionem duo cum dimidio. Summa erit duo et triginta cum dimidio. Natus est autem Dominus die* XXV *decembris* [2]). Quare consignandus est Christi ortus anno p. i. 4710, baptismus anno p. i. 4741, aer. vulg. 28, obitus anno p. i. 4743, aer. vulg. 30.

227 *Chronicon atinense.* An. MCC [3]). Augusti principatus *quadragesimo secundo anno Iesus Christus Dominus noster in Betlehem nascitur. . . . Initium praedicationis anno decimosexto, Christus crucifigitur anno Tiberii decimo octavo.*

228 *Sicardus Cremonensis.* An. MCC [4]). *Anno* XLI *Octaviani Augusti natus est Ioannes Baptista. . . . Eodem tempore, ut ait Tertullianus, vel potius* XLII *anno imperii Caesaris Augusti, . . . Maria peperit filium primogenitum. . . . Fuerunt anni ab Adam usque ad Christum anni quinque millia centum nonaginta novem, . . . ab Urbe condita septingenti quinquaginta duo. . . . Quum regnastet Tiberius annis* V *post passionem Domini, mortuus est. . . . Anno* XII *Neronis et* XXXVI *post passionem Domini, et* LXX *ab incarnatione, alibi dicitur* XIV *Neronis et* XXXVIII *dominicae passionis, Nero Petrum occidit. . . . Titus anno secundo imperii patris sui Iudaeam et Hierusalem diebus azymorum subvertit; . . . fuerunt . . . anni . . . a passione Domini* XXXIX, *vel potius* XL. Itaque inter incarnationem et Christi obitum anni 34 intercesserunt, incarnatio facta est anno p. i 4711, Christus in crucem actus est anno p. i. 4745, aer. vulg. 32. Si a verno anni aer. vulg. 32 docas numerum annorum 36, summa desinet in vernom anni aer. vulg. 68, si annorum 39, in 71, utromque recte, quod ad annos, tum quo Petrus necatus, tum quo Hierosolyma eversa, nisi quod eversio haec, non diebus paschatis anni aer. vulg 71, sed mensi septembri superioris anni sit adscribenda.

229 Quum, quidquid in duodecim saeculorum scriptoribus reperire datum fuit, hoc usque collegerimus, satis profecto id est, quo iudicium feramus de eo, quod mihi propositum est demonstrare, ut ecclesia nullam unquam sententiam de annis, quibus Christus ortus est, atque obiit, quousque vixit, ita sequuta sit, ut eam aliis praetulerit. Quare e scriptoribus, qui postea vixere usque ad saeculum XIV, nobiliores aliquot dumtaxat seligemus, quorum verba referamus, eosque insuper, quibus minus communis hac de re opinio fuit.

SAECULUM XIII

230 *Ioel.* An. MCCIV. *Post Iulium Caesarem imperium tenuit Augustus. . . . Anno μβ'* XLII *eius imperii Dominus noster Iesus Christus nascitur. Anno vero μα'* XLI *eius imperii anni mundi erant ͵εφ'* V̅D. . . . *Post Augustum Tiberius. . . . Imperii eius anno . . . ιη'* XVIII *crucifixus surrexit die κε'* XXV *phamenoth, sive martii, primum creati mensis, qui nisan ab Hebraeis vocatur* [5]). Dies 25 martii incidens in feriam I signat annum p. i. 4744, aer. vulg. 31. Natus ergo Christus dicitur anno p. i. 4712, cruci fixus die 23 martii anni p. i. 4744. aer. vulg. 31.

231 *Ioannes de Ceccano.* An MCCXVII. Is creditur *Chronicon Fossae novae* composuisse [6]). Annos aerae vulgaris huic Chronico adscripsit, simulque indictionum romanarum annos, quibus tamen initium, subinde saltem, est VIII kal. ianuar. *Anno Domini primo, indictione* IV, *anno quadragesimo secundo imperii Augusti, natus est Iesus Christus. . . .* XXX, *indictione* III. *Hoc anno baptizatus est Dominus noster Iesus Christus a Ioanne.* XXXIII, *indictione* VI. *Hoc anno passus est Dominus noster.* Quare, si primus annus *Domini* incepit VIII kal. ianuar., Christus vixisset ann. XXXII, mens. III, non amplius.

---

[1]) In *Labbé* Nova biblioth. ms. T. I. p. 358. [2]) Exposit. in evangel. ap. *Asseman.* Biblioth. orient. T. II. c. 32. p. 163. [3]) In *Ughelli* Ital. sacr. edit. secund. T. X. Anecdot. p. 38. [4]) In *Murator.* Scriptor. rer. italicar. T. VII. [5]) Chronograph. pp. 161. 162. Paris. 1651. [6]) In *Ughelli* Italia sacra edit. secund. T. X. Anecdot. col. 1. et in *Murator.* Scriptor. rer. italic. l. c. col. 855.

232 ***Salomon Bassorensis.*** An. MCCXXII. In libro, cui *Apem* titulum fecit, scripsit Christum conceptum fuisse *feria prima die* XXV *martii, vel iuxta alios kalendis aprilis*, *anno* (160) *Graecorum* CCCVII [1]), *natum feria quarta*, *et feria quinta baptizatum* [2]). Quae quidem haud cohaerent. Dies enim 25 martii anni 307 aerae Seleucidarum Antiochenae, quam recentiores hi scriptores orientales sequuntur, hoc est, anni p. i. 4709, non in feriam primam, sed in sabbatum incidit; proinde, siquidem die 25 decembris natum Christum Salomon credidit, non feria IV, sed II is natus esset; neque enim intra unum atque eumdem annum dies 25 martii in feriam I diesque 25 decembris in feriam IV incidere possunt. Forte pro *anno Graecorum* CCCVII rescribendum est CCCVIII, quo Syri scriptores non pauci incarnationem factam putarunt, et pro *feria* IV item rescribendum *feria* III, ut sit annus p. i. 4710. Denique *die IX aprilis ait Christum cruci affixum fuisse* [3]), quod, feriae dumtaxat ratione habita, annum signat p. i. 4741 vel 4747, aer. vulg. 28 vel 34.

233 ***Ebnarrahebus Aegyptius.*** An. MCCXXXIV. Auctor hic est *Chronici orientalis*, quae pars est *Bibliothecae byzantinae* [4]). *Natus est Dominus noster Iesus Christus nocte, quae praecessit diem martis, vicesima nona mensis quarti Aegyptiorum, qui est chiac, anno quinquies millesimo quingentesimo ab orbe condito* [5]). Principatus Tiberii *anno decimoquinto Dominus noster Christus baptizatus est, anno vero decimo nono cruci affixus* [6]). Annus imperii Tiberii XV respondet anno mundi 5530, annus autem XIX anno mundi 5534. Annis mundi principium esse dicitur die 19 martii [7]); attamen ex annorum dierumque summis, quae continua serie usque ad finem Chronici notantur, apparet idem initium in ipsa computatione annis mundi atque annis civilibus fieri die neomeniae thoth fixi, ac porro colligitur annum primum aerae vulgaris incepisse φυσικῶς anno mundi 5492, nam scriptor aegyptius aeram mundi alexandrinam sequitur, πολιτικῶς tamen anno mundi 5493, cuius neomenia thoth fuit die 29 augusti an. p. i. 4713, proinde annum mundi 5500 φυσικῶς incepisse verno an. p. i. 4721, aer. vulg. 8, atque huic anno Christi ortum adscribi, ut apparet ex feria, qua natus is dicitur, baptismum autem anno p. i. 4752, aer. vulg. 39, obitum denique anno p. i. 4755, aer. vulg. 42.

234 ***Albericus Monachus.*** An. MCCXLI. *Anno ab Urbe condita* DCCLII, *olympiade* CXCIV, *anno Augusti* XLII, *natus est Dominus noster Iesus Christus. . . . Aera*, hispanica videlicet, *computabatur* XXXVIII [8]). Exinde adnotantur anni incarnationis, iidem atque aerae vulgaris. *Anno* XIV... *obiit Augustus post* LVII *annos*; sed mendum est in illo XIV, scribi enim debet XV, nam Tiberius imperasse dicitur annis XXIII, una autem componuntur anni incarnationis XVI, XXXIV, XXXVIII cum annis imperii Tiberii I, XIX, XXIII. *Anno Domini* XXXIV, *Tiberii vero* XIX *passio Domini. . . . Ad hoc autem, quod luna* XV *et feria* VI *passus sit Dominus, omnium doctorum sententiae, tam veterum, quam modernorum, et ipse usus catholicae ecclesiae conveniunt. Qualiter autem ista duo, luna* XV *et feria* VI, *in hoc anno conveniant octavo kal. aprilis, difficillimum est invenire.* Difficultatis autem huius caussis expositis, ita ille scribere pergit: *Dum ergo certissimum teneamus isto anno passum fuisse Dominum, de luna invenienda* XV VIII *kal. aprilis nullo modo possumus evadere, quia* XIX *videtur occurrere. Unde aut non debemus inniti huic opinioni, quae dicit* VIII *kal. aprilis passum fuisse Dominum, aut luna sub aliis regulis computabatur, quam modo computetur.*

235 ***Vincentius Bellovacensis.*** An. MCCXLIV. Sequitur opinionem Petri Comestoris (222) de annis, tum quibus Christus ortus ac mortuus est, tum quos vixit [9]).

236 ***Albertus Stadensis.*** An. MCCLVI. *Natus est Christus Dominus noster anno . . . Augusti Caesaris* XLII, *ab orbe condito secundum Orosium, qui* LXX *interpretes sequitur; quinquies millesimo* CLXXXIX, *ab Urbe condita* DCCLI, . . . *anno decemnovennalis cycli* II, *indictione* IV. Illud V̅CLXXXIX apparet mendum esse, scribendumque V̅CLXXXXIX, haec enim est Orosii sententia (106). *Incipiens quasi annorum* XXX *a Iohanne baptizatur. . . . Anno* XVIII *Tiberii, mense martio, . . . sua passione perditum mundum redemit. . . . Sedit in hoc mundo annis* XXXII *et mensibus tribus* [10]). *Anno Domini* XV *Augustus moritur. . . . Anno dominicae incarnationis* XVI *Tiberius . . . imperium adeptus est. . . . Anno Domini* XXX, *hoc est Tiberii* XV, *Iohannes baptizavit Dominum. . . . Anno Domini* XXXIII *ipse Dei filius crucifigitur* [11]). Consequitur Christum natum esse anno p. i. 4713, baptismo tinctum an. p. i. 4743, aer. vulg. 30, mortuum anno p. i. 4746, aer. vulg. 33.

---

[1]) Apis c. 35 in *Asseman.* Biblioth. orient. T. III. P. I. p. 315. [2]) Ib. c. 41. p. 317. [3]) Ib. c. 44. [4]) Lege *Asseman. Bibl. orient.* T. I. p. 574. No. VIII. [5]) De imperatorib. Roman. p. 48. Paris. 1651. [6]) Ib. p. 51. [7]) De aetat. patriarchar. p. 7. [8]) Chronic. P. I. p. 11 ed. *Leibnitii.* [9]) Specul. histor. L. VI. cc. 77. 88; L. VII. c. 7. [10]) Chronic. p. 141 post *Aeneae Silvii* Histor. Friderici III. Argentor. 1685. [11]) Ib. p. 155.

237 *Albertus Magnus.* An. MCCLX. Christum conceptum dicit VIII kal. april. [1]). *Salvator . . . natus est* XLII *anno regni* Augusti [2]), baptismo ablutus, *cum esset quasi annorum triginta, hoc est, circa triginta annos, quia habuit triginta annos et tredecim dies* [3]). *Iesus Christus in martio noscitur esse passus, trigesimo quarto aetatis suae anno, et . . . de anno trigesimo quarto transiverant tres menses. . . . Vicesima quinta die martii passus fuit* [4]). *Annuntiatio sua et passio eodem die fuerunt* [5]). Manifestum est loqui Albertum de anno aerae vulg. 34, id enim efficitur ex computatione, quam facit, motuum lunarium, etsi illo anno dies 25 martii fuit feria V. Opinatus est ergo Christum in lucem fuisse editum anno p. i. 4713, tinctum a Ioanne anno p. i. 4744, aer. vulg. 31, cruci fixum anno p. i. 4747, aer. vulg. 34.

238 *Gregorius Abulpharagius Barhebraeus.* An. MCCLX. Perperam Caveus ex uno duos Gregorios fecit, alterum *Barhebraeum*, Iacobitarum patriarcham, scriptorem *Chronici syriaci*, alterum *Abulpharagium*, quem medicum fuisse dicit, *Historiae dynastiarum* auctorem [6]). Ab Adamo condito ad initium aerae Seleucidarum annos numerat 5197, ita ut primus huius aerae annus sit annus mundi 5198 [7]). Mundi annis initium est kalendis septembr., πολιτικον videlicet, annis vero Seleucidarum, sive, ut Gregorius hos vocat, Alexandri, kalendis octobr. [8]). Seleucidarum aera est antiochena, cuius, inquam, primus annus incepit autumno anni p. i. 4402; hegirae enim principium ait fuisse anno mundi 6130, Graecorum, hoc est, Seleucidarum, 933 [9]), quum autem Muhammedes Medinam fugerit nocte, quae fuit ante diem 16 iulii an. p. i. 5335, efficitur primum Graecorum annum incepisse anno p. i. 4402. Ex his porro colligimus annum p. i. 4714, aer. vulg. 1, incepisse anno mundi 5509 a prioribus kal. septembr. πολιτικως ducto. *Anno imperii Augusti Caesaris quadragesimo tertio, qui aerae Alexandri* تسع وثلثماية *tercentesimus nonus*, non autem, ut Pocockius vertit, *tricesimus nonus, fuit, natus est Dominus Christus ex Maria Virgine die martis, canun primi*, id est, decembris, *vicesimo quinto* [10]). Notae annorum Seleucidarum et feriae congruunt in annum p. i. 4710. In *Chronico* tamen *syriaco*, ubi loquitur de exordio annorum hegirae, annum Graecorum 933 coniungit cum anno post Christum natum 624; hoc autem posito Christus ortus esset anno p. i. 4711. *Baptizatus est Christus a Ioanne Zachariae filio feria quarta, vel secundum alios prima, canun secundi*, ianuarii videlicet, *sexto, annos tunc natus triginta* [11]). Christus ortus 25 decembris anni p. i. 4710 tricesimum annum implevisset die 25 decembris anni p. i. 4740, aer. vulg. 27, proinde baptismo tinctus fuisset hoc ipso anno vel insequente, quorum neutro dies 6 ianuarii incidit in feriam sive I, sive IV. *Anno* XIX *Tiberii imperatoris cruci fixus est Christus die veneris decimo tertio odar*, id est, mensis martii [12]). Illud *decimo tertio* mendum esse constat pro *vicesimo tertio*; haec enim Gregorius subiunxit: *Fuitque ascensio feria quinta, tertio iiari*, id est, maii, *pentecoste autem die dominica, decimo tertio iiari* [13]). Hae notae, si annum excipias XIX imperii Tiberii, congruunt in annum p. i. 4744, aer. vulg. 31. Huic autem anno Christi obitum adscriptum a Gregorio esse certo comperimus ex his, quae dicit in *Chronico syriaco*: *Colliguntur ab Adam ad annum, quo passus est Salvator noster, anni* $\overline{\text{V}}$DXXXIX, *. . . anno Graecorum* CCCXLII [14]). Ait utique annum hunc 5539 *die dominica* incepisse, etsi kalendis sept. anni p. i. 4743 fuerit dies sextus hebdomadae, sed significare fortasso voluit anni principium, non πολιτικον, quod est kalendis septembrib., sed φυσικον et, quale vulgo esse ferebatur, vernum, quod, quum in diem dominicam inciderit, dicendum est fuisse die 18 martii, qui dies anno p. i. 4744 cum die dominica utique concucurrit; nisi credere malis Gregorium spectasse ad principium *anni Graecorum* CCCXLII, qui kal. octobr. anni p. i. 4743, die dominica, inceperat.

239 *Ebediesu Sobensis.* An. MCCLXXXV [15]). Christus *quum esset quasi annorum triginta, ad Ioannis baptismum accessit, anno quintodecimo Tiberii Caesaris, qui erat Alexandri annus trecentesimus quadragesimus primus.* Quae verba Assemanus ita explicat: *Christum ait anno Graecorum* CCCXLI *baptizatum fuisse, adeoque natum anno* CCCXI, *quae est*, inquit Assemanus, *communis Syrorum opinio*, natum videlicet anno p. i. 4712, baptismo ablutum anno p. i. 4743, aer. vulg. 31.

SAECULUM XIV

240 *Ptolemaeus Lucensis.* MCCCIII. Ait Christum conceptum fuisse VIII kal. april. *Anno ab Urbe condita* DCCLII *. . . et anno* XLII *imperii Caesaris Augusti Dominus noster Iesus Christus*

---

[1]) In Luc. I, 26. [2]) Ib. III, t. 2. [3]) Ib. 23. [4]) Comment. in Dionysii Areopag. ep. VII. No. 3 E. [5]) In. Io. II, 13. [6]) Lege *Asseman.* Bibl. orient. T. II. p. 309. [7]) Chronic. syriac. P. I. ap. *Asseman.* ib. p. 314; Histor. dynastiar. p. 98 edit. *Pocock.* [8]) Ib. [9]) Chronic. syriac. ib. p. 315. [10]) Hist. dynastiar. p. 109. [11]) Ib. p. 112. [12]) Ib. p. 113. [13]) Ib. pp. 113. 114. [14]) Ap. *Asseman.* l. c. [15]) De veritate fidei P. III. c. 2 ap. *Asseman.* op. cit. T. III. P. I. p. 354.

nascitur. . . . Effluxerunt autem anni a creatione mundi usque ad Domini nostri Iesu Christi nativitatem . . . quinque millia CXCIX [1]). Tiberii XV *anno imperii baptizatus est Christus, annis a creatione mundi* V *millibus* CCXXIX, *et ab Urbe condita* DCCLXXII, *lege* DCCLXXXII [2]). *Passus est igitur Dominus anno Tiberii* XVIII *cum dimidio, . . . et anno Domini* XXXIII *et tanto amplius, quantum est ab octavo cal. ianuarii usque ad octavum cal. aprilis, qua die Dominus passus est* [3]). *A passione Domini usque ad mortem apostoli fluxerunt anni* XXXVII, XIV *Neronis anno, a nativitate Domini septuagesimo. . . . Cum beato Paulo martyrio coronatur post passionem Domini anno* XXXVII [4]). Dies 25 martii per eos annos, quibus Christi mors solet consignari, in feriam VI non incidit, nisi annis aer. vulg. 29 et 35. Quare, nisi ceterae notae obstarent, Christi ortus adscribendus esset anno p. i. 4714, qui primus fuit aerae vulgaris. Secundum annos autem imperii et U. C. Christum natum dicas oportet anno p. i. 4712, mortuum anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, quo tamen anno dies 25 martii fuit feria III, eoque die Christus nondum annos XXXIII impleverat. Quum tamen auctor annos incarnationis historiis suis deinceps adscripserit, cumque his annos U. C. ita composuerit, ut annus U. C. DCCLIII sit primus incarnationis, dicendus est Christi ortum anno p. i. 4713, baptismum anno p. i. 4743, aer. vulg. 30, obitum anno p. i. 4747, aer. vulg. 34 consignasse, minime tamen animadvertisse, ut hoc anno dies 25 martii fuerit feria V.

241 *Nicolaus Lyranus.* MCCCXX. Christus *natus est anno* XLII *Augusti Caesaris* [5]). *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta. Secundum Augustinum et Chrysostomum Christus tunc habebat triginta annos completos, et inceperat tricesimum primum, et secundum hoc sic intelligenda est haec litera: Erat autem Iesus annorum triginta incipiens, id est, inceperat* XXXI; *et secundum hoc praedicavit duobus annis cum dimidio. Secundum alios vero doctores, quorum opinio communius tenetur, Iesus tunc habebat* XXIX *annos completos, et inceperat* XXX, *et secundum hoc est sic intelligenda haec litera: Erat Iesus incipiens annorum triginta, id est, tricesimum annum, de quo habebat* XII *dies; et secundum hoc Christus praedicavit tribus annis et dimidio usque ad passionem suam* XVIII *anno Tiberii* [6]). Apparet temporis spatium, quo Christus vixit, annis XXXII mensibus III a Nicolao definiri, illumque natum dici anno p. i. 4712, mortuum anno p. i. 4745, aer. vulg. 32, baptismo vero ablutum anno p. i. 4742, aer. vulg. 29, vel p. i. 4743, aer. vulg. 30.

242 *Bernardus Guido.* An. MCCCXX. Narrat Martialem Christi discipulum missum fuisse *in Galliarum apostolum ac patronum anno dominicae incarnationis* XLVII, *a passione vero Christi* XIV, *vel potius* XV [7]). Hic annos ducit ab ipso die incarnationis [8]), sunt autem anni aerae vulgaris. Christum ergo conceptum credidit anno 1 huius aerae, cruci fixum anno 34 aut 33, Christique vitam annis XXXII aut XXXI mens. III contineri. Sed fortasse cum iis sensit, qui Christum, non primo anno incarnationis, sed anno superiore natum crediderunt.

243 *Nicephorus Callistus.* An. MCCCXXXII. *Agebatur a mundo condito* ἐτος τηνικαυτα πεμπτον και πενταχοσιοστον προς τῳ πενταχισχιλιοστῳ *annus tunc quinquies millesimus quingentesimus quintus, Augusti autem Caesaris* δευτερον και τεσσαραχοστον *secundus et quadragesimus erat, post macedonicae autem dominationis solutionem* ὀγδοον προς τῳ εἰκοστῳ *vicesimus octavus, quum Salvator noster . . . natus est* [9]); πεμπτην και εἰκοστην *vicesimam quintam diem habebat mensis december. . . . Et die octavo, videlicet* κατα την κυριακην *dominica circumciditur* [10]). *Quum* ὁ τριετης τῳ υἱῳ του Θεου χρονος *Dei filio triennale spatium mansionis in terris ad docendum finem haberet, . . . accedit ad Bethaniam et cetera* [11]). Ὁ δε πας χρονος της του Σωτηρος διδασκαλιας οὐδε τετραετης περιισταται *Totum autem tempus doctrinae Salvatoris nec quadriennio constat* [12]). Primum librum, in quo Christi vitam narravit, Nicephorus his verbis concludit: *Complectitur autem primus hic historiarum liber tempus annorum* τριων προς λ' *trium et* XXX, *initio sumpto a quadragesimo secundo Augusti Caesaris iam fini proximo anno, quo Dominus noster Iesus Christus cum carne ex sancta Virgine processit, desinens autem* ἀχρι και του ἐννεακαιδεκατου ἐτους Τιβεριου Καισαρος, ἠδη καταρχομενου ὁπηνικα κοσμου μεν ἐτος ͵εφλθ', ἀπο δε της θειας του Κυριου γεννησεως τριτον προς τοις τριακοντα ἐπεραινετο *in annum decimum nonum Tiberii Caesaris, iam inceptum quum mundi quidem annus* $\overline{\text{V}}$DXXXIX, *a divina autem Domini nativitate tricesimus tertius, absolvebatur* [13]). *Petrum et Paulum interemptos dicit* ἐτους ἑβδομον και τριακοστον μετα το σωτηριον παθος Χριστου διαγινομενου *exacto anno tricesimo septimo post salutarem Christi passionem* [14]); in fine vero libri

[1]) H. E. L. I. c. 2. [2]) Ib. c. 7. [3]) Ib. c. 9. [4]) Ib. cc. 14. 17. [5]) In Luc. II, 1. [6]) In Luc. III. 23. [7]) Nomina ac gesta episcopor. Lemovicens. c. 1 in *Labbé* Nova biblioth. ms. T. II. p. 265. [8]) Conf. ib. cc. 17. 18. [9]) Eccl. hist. L. I. c. 10. [10]) Ib. c. 12. [11]) Ib. c. 27. [12]) Ib. c. 29. [13]) Ib. c. 40. [14]) Ib. L. II. c. 36.

secundi haec legimus: *Finem vero iam secundo quoque tomo huic facio, qui necessario in tantam evasit magnitudinem, incipiens* ἀπο του ἐννεακαιδεκατου ἐτους *a decimo nono anno Tiberii Caesaris, desinens autem* ἀχρι και του τεσσαρεσκαιδεκατου ἐτους *in decimum quartum annum Neronis, quo Petrus et Paulus apostolorum principes martyrii receperunt coronam. Continet autem mihi haec secunda pars historiarum* χρονον ἐτων ἑβδομον και τριακοστον *tempus annorum triginta septem, quando annus quidem mundi* ͵εφοε' $\overline{\text{V}}$DLXXV, *a divina autem Domini nativitate* ἑβδομηκοστον τελειον *septuagesimus, integer finiebatur* [1]). *Hierosolyma expugnata est* ἐτει κοσμου ἐνισταμενῳ πεντακισχιλιοστῳ πεντακοσιοστῳ ἑβδομηκοστῳ ἐνατῳ, τεσσαρακοστῳ δε μετα την του Κυριου ἀναληψιν *anno mundi instante quinquiesmillesimo quingentesimo septuagesimo nono, quadragesimo autem post Domini assumptionem* [2]). Videtur autem putasse, ut alii, id factum ipsis paschae diebus [3]). Nemo puto id pervincet, ut temporum designationes, quae sunt in historiis Nicephori ad annos sive periodi iulianae, sive aerae vulgaris, certo revocet. Temporum enim, quibus quaeque evenere, apprime incuriosum fuisse Nicephorum apparet manifesto, quippe qui nec cyclorum, nec feriarum, neque indictionum, rationem habuerit, atque adeo ipsum diem Christi emortualem silentio praeterierit, contentus dumtaxat in fine singulorum librorum annos tum mundi, tum incarnationis, in summas colligere, idque aliter, quam ad rei veritatem. Quibus ex summis duo haec dumtaxat discere est. Primum, quod ad iulianae periodi sive vulgaris aerae annos numquam eum μεταχρονισμους, sed προχρονισμους usque graviores peccasse, adeo, ut, quum annus *a Christi nativitate* 33, qui primo libro finem facit, exierit in vernum anni XIX imperii Tiberii, aer. vulg. 33, annus *a Christi nativitate* 625, quo absolvitur liber duodevicesimus, concurrat cum anno aer. vulg. 610. Alterum, annos *a Domini nativitate*, una cum mundi annis eodem initio ita composuisse, ut ipsi primus incarnationis annus sit annus mundi 5506. Annis initium verno esse videtur, quod ita demonstrare est. In primo libro historia perducitur usque ad Christi adscensum in caelos, desinitque *in decimum nonum annum Tiberii Caesaris, iam inceptum quando mundi quidem annus* ͵εφλθ' $\overline{\text{V}}$DXXXIX, *a divina autem Domini nativitate tricesimus tertius, absolvebatur.* Pro ͵εφλθ' 5539 legendum esse ͵εφλη' 5538 certo constat, quum primus annus *a nativitate* sit ipse annus mundi 5506, quumque complectatur *primus hic historiarum liber annos triginta tres, initio ducto* ab anno mundi 5505, quum denique anni 37, quorum historiam liber secundus complectitur, additi annis mundi, qui in fine primi libri notati sunt, summam conficiant annorum ͵εφοε' 5575. Petri et Pauli martyrium, quod factum dicitur *exacto tricesimo septimo anno post salutarem Christi passionem*, ac Neronis mors, veluti si utraque in idem fere tempus inciderint, finem imponunt libro secundo, qui *continet annos triginta septem*, usque ad id temporis, quo annus mundi 5575 aeque ac annus *a nativitate Domini* 70 τελειον *absolutus* iam erat. Summa igitur annorum triginta septem desinit in annum mundi 5576. Atqui summa haec ducitur *ab ascensione*, in quam prior liber desinit; ergo Christus ad caelos rediit anno mundi 5539. Fac annum hunc initium habuisse kal. septembr., iam vides, ut Christus natus anno mundi 5505 obiisset annum agens tricesimum quintum; quam opinionem Nicephoro fuisse vix crederem. At si annus iste 5539 incepit circa eum diem, quo Christus mortuus est, aetas Christi ea foret, quae esse fertur, annorum videlicet XXXIII mens. III. His consonat designatio temporis, quo Hierosolyma eversa dicitur, siquidem Nicephorus, ut videtur, id factum credidit diebus paschatis; ait enim fuisse eversam *anno mundi* ἐνισταμενῳ *quinquies millesimo septuagesimo nono, quadragesimo autem post Domini assumptionem*, id est, quum annus ille mundi ἐνεστη *aderat* iam, annus autem hic *post Domini assumptionem* adhuc ibat. Denique, quum Theodosius iunior e vita excessit, quod accidit IV kal. augusti anno aer. vulg. 450, ibat annus mundi 5965 [4]). Quare, si anni mundi a kal. septembr. ducerentur, eodem illo anno aer. vulg. 450 kalendis septembr. incepisset annus mundi 5966, anno autem aer. vulg. 451 item kal. sept. annus mundi 5967, huiusque anni nota inscribenda fuisset actis synodi Chalcedonensis, quae coacta fuit VIII id. octobr. an. aer. vulg. 451, quibus tamen Nicephorus notam inscripsit anni mundi 5966 [5]); annus nimirum 5965 inceperat verno anni aer. vulg. 450, annus autem 5966 item verno anni aer. vulg. 451. Ut autem tandem concludamus, liquet ex primo dumtaxat libro ea peti posse, quae e re nostra sunt, ex quo colligimus eam mundi aeram Nicephorum initio suarum historiarum sequutum esse, cuius anno 5506 incepit aera vulgaris, ipsiusque Nicephori opinionem esse, Christum fuisse in lucem editum anno p. i. 4712, ad baptismum venisse, postquam Ioannes Baptista triginta annos impleverat [6]), proinde non ante mediam aestatem anni p. i. 4742,

---

[1]) Ib. c. 46. [2]) Ib. L. III. c. 9. [3]) Ib. c. 5. [4]) Ib. L. XIV. c. 58. [5]) Ib. L. XV in fin. [6]) Ib. L. I. c. 18.

Auctorum nomina		[...]e spatium	Doctrinae tempus		Petri martyrium anno eunte		Hieros. capta anno eunte	
		ex auctorum ratiociniis	ex auctorum verbis	ex auctorum ratiociniis	a passione	ab ascensione	a passione	ab ascensione
SAEC. I								
Evodius		—	3	—	—	—	—	—
SAEC. II								
Irenaeus		—	—	—	—	—	—	—
Constitution. apost.		—	—	—	—	—	—	—
Clemens Alexandr.	[...]us	30 amplius	1	1	—	—	42	—
seu	[...]us	30 amplius	1	1	—	—	42	—
apud eumdem		—	—	—	—	—	—	—
„		—	—	—	—	—	—	—
„		—	—	—	—	—	—	—
„		—	—	—	—	—	—	—
„		—	—	—	—	—	—	—
Basilidiani		—	—	—	—	—	—	—
Tertullianus		30 amplius	—	3	—	—	—	—
Synod. Caesariens.		—	—	—	—	—	—	—
SAEC. III								
Iulius Africanus		30 amplius	—	1	—	—	—	—
Hippolytus		30 m. 3	—	—	—	—	—	—
Origenes		30 amplius	1 amplius	—	—	—	42	—
seu		30 amplius	1 amplius	—	—	—	42	—
Idem aliter		31. 32 amplius	3 fere	—	—	—	—	—
Chronograph. ἀνων.		—	—	—	—	—	—	—
Cyprianus		30 m. 3	1	1	—	—	—	—
Nicodemus		—	—	—	—	—	—	—
Idem latine		—	—	—	—	—	—	—
Acta Pilati		—	—	—	—	—	—	—
Eadem aliter		—	—	—	—	—	—	—
SAEC. IV								
Lactantius		—	—	—	—	—	—	—
Eusebius		34 amplius	$3\frac{1}{2}$	$3\frac{1}{2}$	—	—	—	—
seu		34 amplius	$3\frac{1}{2}$	$3\frac{1}{2}$	—	—	—	—
Athanasius		—	—	—	—	—	—	—
seu		—	—	—	—	—	—	—
Fasti consulares?		27 m. 3	—	—	—	—	—	—
Catalog. pont. RR.		—	—	—	—	—	—	—
Hilarus Diaconus		—	—	—	—	—	—	—
Epiphanius		32 d. 74	2 m. 4	2 m. 4	—	—	—	—
apud eumdem		—	—	—	—	—	—	—
„		—	—	—	—	—	—	—
seu		—	—	—	—	—	—	—
Alogi		—	—	—	—	—	—	—
seu		—	—	—	—	—	—	—
Ephraemus		—	—	—	—	—	—	—
aliter		—	—	—	—	—	—	—
Amphilochius		—	—	—	—	—	—	—
Apollinaris		31. 32 amplius	2 amplius	—	—	—	—	—
Ambrosius		—	—	—	—	—	42	—
Hieronymus		32 amplius	—	3 m. 3	—	—	—	—
seu		33 amplius	—	3. m. 3	—	—	—	—
Philastrius		30. 31 amplius	1	—	—	—	—	—
Gaudentius		30. 31 amplius	1	—	—	—	—	—
Paulinus Nolanus		—	—	—	—	—	—	43
seu		—	—	—	—	—	—	42
Ἀνων. ap. Euthal.		32 m. 3	—	—	36	—	—	—
seu		32 m. 3	—	—	36	—	—	—
Augustinus		—	—	—	—	—	—	—
Hilarianus		30. 31 amplius	1	—	—	—	—	—
seu		30. 31 amplius	—	—	—	—	—	—

s Dies ıensis	EUNTE VITAE ANNO verbo	 re ipsa	Vitae spatium ex auctorum verbis	 ex auctorum ratiociniis	Doctrinae tempus ex auctorum verbis	 ex auctorum ratiociniis	Petri martyrium anno eunte a passione	 ab ascensione	Hieros. capta anno eunte a passione	 ab ascensione
—	—	34	—	33 m. 3	3	3 amplius	—	—	40amp.	—
martii	—	33	—	32 m. 3	—	—	—	—	—	—
martii	—	33	—	32 m. 3	—	—	—	—	—	—
martii	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
martii	—	33	—	32 m. 3	—	—	—	—	—	—
—	—	32	—	31 m. 3	—	—	—	—	42	—
martii	—	—	—	—	2 amplius	—	—	—	—	—
—	—	29	—	28 m. 3	—	—	—	—	—	—
—	—	31	—	30 m. 3	—	—	—	—	—	—
martii	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	31	—	—	30 m. 3	—	—	—	—	—	—
martii ?	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
aprilis ?	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	29	—	28 amplius	—	1	—	—	42. 43	—
—	—	30	—	29 amplius	—	—	—	—	—	—
martii !?	—	29	—	28 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	33	—	32 m. 3	—	—	—	—	—	—
—	—	34	—	33 m. 3	—	—	—	—	—	—
martii	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	43	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	42	—
—	—	30. 31	—	—	—	—	—	—	—	—
martii	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	34	—	33 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	30	—	29 m. 3	—	—	—	—	—	—
martii	—	30	—	29 m. 3	—	—	—	—	—	—
martii	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	33. 34	—	32. 33 amplius	3	—	—	—	—	—
martii !	—	33	—	32 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	29	—	28 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	30	—	29 amplius	—	—	—	—	—	—
martii	—	30	—	29 m. 3	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	33	—	32 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	31	—	—	30 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
martii !	—	31	—	30 m. 3	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
martii !	33	33	33 non plenos	32 m. 3	—	—	—	—	—	—
—	—	33	—	32 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	30	—	29 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
martii	34 !	33	33 m. 3 !	32 m. 3	—	—	—	—	—	—
—	—	34	—	33 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	34	—	33 amplius	—	—	—	—	—	—
martii	34 !	33	33 m. 3 !	32 m. 3	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—

Auctorum nomina	…um		Doctrinae tempus		Petri martyrium anno eunte		Hieros. capta anno eunte	
	…raiocinis	ex auctorum …	ex auctorum verbis	ex auctorum raiocinis	a passione	ab ascensione	a passione	ab ascensione
Pseudochrysostom.		—	—	—	—	—	—	—
Iulianus Toletanus		—	—	—	—	—	—	—
Concil. oecum. VI		—	—	—	—	—	—	—
SAEC. VIII								
Ioannes Beda		amplius	3½	3 amplius	—	—	—	—
vel		amplius	—	2	—	—	—	—
aliter ?	47	m. 3	2 d. 80	2 d. 80	—	—	—	—
Alii apud eumd.	—	—	—	—	—	—	—	—
Romani	—	—	—	—	—	—	—	—
seu	—	—	—	—	—	—	—	—
seu	—	—	—	—	—	—	—	—
Anastasius Nicaen.	47	m. 3	3	3 amplius	—	—	—	—
Iacobus Edessen.	—	amplius	—	—	—	—	—	—
seu	—	amplius	—	—	—	—	—	—
Chron. post Fredeg.	—	amplius ?	—	—	—	—	—	—
seu	—	amplius ?	—	—	—	—	—	—
Pirminius Abbas	—	9 amplius	—	—	—	—	—	—
Paulus Diaconus	—	amplias	—	—	—	—	—	—
aliter	—	amplius	—	—	—	—	—	—
Theophilus Edess.	471	—	—	—	—	—	—	—
Alcuinus	—	—	—	—	—	—	—	—
Concil. oecum. VII	—	—	—	—	—	—	—	—
Brav annor. Summa	—	—	—	—	—	—	—	—
Alia ?	—	—	—	—	—	—	—	—
Syncellus	472	2 m. 3	3	3 m. 3	—	—	—	—
vel	472	2 m. 3	3	3 amplius	—	—	—	—
Theophanes	472	—	—	—	—	—	—	—
Dionys. Telmarens.	—	—	—	—	—	—	—	—
Nicephorus Cpolit.	—	2 m. 3	—	—	—	—	—	—
Ἀνων. ex bibl. reg.	471	2 m. 3	—	—	—	—	—	—
SAEC. IX								
Malala	—	2 m. 3	—	3 amplius	—	—	—	—
seu	—	8 m. 3	—	4 amplius	—	—	—	—
seu	—	1 m. 3	—	2 amplius	—	—	—	—
seu	—	0 m. 3	—	1 amplius	—	—	—	—
Chronogr. casanat.	—	amplius	—	—	—	—	—	—
aliter	—	amplius	—	—	—	—	—	—
Claudius	—	amplius	—	—	—	—	—	—
Eginhardus	—	amplius	—	—	—	—	—	—
seu	—	amplius	—	—	—	—	—	—
Rabanus Fuldens.	—	amplius	3½	3 amplius	—	—	—	—
Fruculfus	—	amplius	3	3 amplius	36. 37	—	—	—
seu	—	amplius	3	3 amplius	36. 37	—	—	—
Comput. Murator.	471	9 m. 3	—	—	—	—	—	—
aliter	471	4 m. 3	—	—	—	—	—	—
Catal. palat. vatic.	—	amplius	—	—	—	—	—	—
Strabo Fuldensis.	—	—	—	—	—	—	—	—
Ado Viennensis	—	1 m. 3	—	3 amplius	—	—	—	—
seu	—	2 m. 3	—	—	—	—	—	—
Anastas. Biblioth.	—	—	—	—	—	—	—	—
aliter	—	—	—	—	—	—	—	—
aliter	—	—	—	—	38	—	—	—
seu alitur	—	—	—	—	39	—	—	—
seu	—	—	—	—	40	—	—	—
Regino Prumiens.	—	amplius	—	—	—	38 !	—	—
seu	—	amplius	—	—	—	38 !	41 !	—
Ioan. Diac. Neap.	—	amplius	—	—	—	—	—	—

Mors			Vitae spatium		Doctrinae tempus		Petri martyrium anno eunte		Hieros. capta anno eunte	
Dies mensis	Eunte vitae anno: verbo	Eunte vitae anno: re ipsa	ex auctorum verbis	ex auctorum ratiociniis	ex auctorum verbis	ex auctorum ratiociniis	a passione	ab ascensione	a passione	ab ascensione
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	33	—	32 m. 3	3	3 amplius	—	—	—	—
23 martii	—	35	33!	34 m. 3	—	—	—	—	—	—
19 aprilis	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
23 martii	—	34	33	33 m. 3	—	3 m. 3	—	—	37!	—
26 martii	—	34	—	33 m. 3	—	3 m. 3	—	—	41!	—
—	—	32	31 amplius	—	—	—	—	—	—	38
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
23 martii	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	33	—	32 amplius	3 m. 3	3 m. 3	—	—	40!	—
—	—	32	—	31 amplius	—	—	37	—	40	—
—	—	—	—	—	—	—	37!	—	40!	—
23 martii	—	34	—	33 m. 3	—	3 m. 3	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	42
25 martii	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
25 martii!	—	33	—	32 m. 3	—	3 m. 3	—	—	—	—
—	—	33	—	32 amplius	—	—	—	—	39	—
—	—	32	—	31 amplius	—	3 amplius	38!	—	—	—
—	—	32	—	31 amplius	—	3 amplius	38!	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	38	—	—	—
—	—	34	—	33 amplius	—	4 amplius	—	—	40!	—
25 martii	—	33	—	32 m. 3	—	3 amplius	—	—	—	—
26 martii	—	33	—	32 m. 3	—	3 m. 3	39!	—	—	—
26 martii!	—	33	—	32 m. 3	—	2 m. 3	39!	—	—	—
—	—	34	—	33 amplius	—	3 amplius	—	—	—	—
—	—	—	33	32.33 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	33	—	32 amplius	—	—	—	—	—	—
—	—	32	—	31 amplius	—	—	—	—	—	48!
—	—	32	—	31 amplius	—	—	—	—	—	48!
—	—	33	—	32 amplius	—	—	—	—	—	48!
—	—	33	—	32 m. 3	—	3 m. 3	—	—	—	—
—	—	33	—	32 amplius	—	—	—	—	—	—
23 martii	—	30	—	29 amplius	—	—	—	—	—	—
23 martii	—	35	—	34 amplius	—	—	—	—	—	—
—	33	33	32 m. 3	32 m. 3	3	3 amplius	36	—	—	—
—	—	34	—	33 amplius	—	—	—	—	41!	—
23 martii	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	34	34	33½	33 amplius	—	—	—	—	—	—
—	32!	34	—	33 m. 3	—	3 amplius	—	—	42	—
—	33	33	—	32 m. 3	—	3 amplius	—	—	42!	—
—	32	32	—	31 m. 3	—	—	—	—	42!	—
—	—	33	32 m. 3	32 m. 3	—	3 amplius	—	—	41?!	—
—	—	33	32 m. 3	32 m. 3	—	4 amplius	—	—	41?!	—
25 martii	—	—	32 m. 3	32 m. 3	—	3 m. 3	—	—	—	—
25 martii	—	—	33 m. 3	33 m. 3	—	3 m. 3	—	—	—	—
—	—	—	—	31. 32 m. 3	—	—	—	—	—	—
—	—	33	—	32 amplius	—	3	38!	—	40!	—
—	—	33	—	32 amplius	—	3	38!	—	40	—
—	—	33	—	32 amplius	—	3 amplius	—	—	—	—
—	—	33	32½	32 m. 3	—	2 m. 3	—	—	—	—
—	—	33	—	32 amplius	—	2 amplius	—	—	—	—
—	—	34	—	33 amplius	—	—	38!36	—	40!39	—
—	—	33	—	32 amplius	—	—	38!36	—	40!39	—

Auctorum nomina	...atium: ex auctorum ratiociniis	Doctrinae tempus: ex auctorum verbis	Doctrinae tempus: ex auctorum ratiociniis	Petri martyrium anno eunte: a passione	Petri martyrium anno eunte: ab ascensione	Hieros. capta anno eunte: a passione	Hieros. capta anno eunte: ab ascensione
SAEC. XIII							
Ioel	31 amplius	—	—	—	—	—	—
Ioannes de Ceccano	32 amplius	—	3 amplius	—	—	—	—
Salom. Bassorens.	31 m. 3	—	—	—	—	—	—
seu?	30 m. 3	—	—	—	—	—	—
vel	—	—	—	—	—	—	—
Ebnarrahebus	33 m. 3	—	3 amplius	—	—	—	—
Albericus Monach.	34? amplius	—	—	—	—	—	—
Vincentius Bellov.	32 m. 3	—	3 amplius	—	—	—	—
Albertus Stadens.	32 m. 3	—	3 amplius	—	—	—	—
Albertus Magnus	33 m. 3	—	3 m. 3	—	—	—	—
Gregor. Abulphar.	33 m. 3	—	4 m. 3	—	—	—	—
seu	33 m. 3	—	3 m. 3	—	—	—	—
aliter	—	—	—	—	—	—	—
Ebediesu Sobens.	—	—	—	—	—	—	—
SAEC. XIV							
Ptolemaeus Lucens.	33 m. 3	—	—	37!	—	—	—
Nicolaus Lyranus	32 m. 3	3½	3 amplius	—	—	—	—
vel	32 m. 3	3½	2 amplius	—	—	—	—
Niephorus Callist.	33 amplius	3 amplius	3 amplius	—	—	—	—
seu	33 amplius	3 amplius	3 amplius	37!	—	—	40!
Matthaeus Vestm.	33 m. 3	—	3 m. 3	—	—	—	—

Obitus

Die	Anno periodi iulianae	Eunte vitae anno	Die
2	4714?	27	18 martii
2	4725	28	19 martii ?
2	4729?	29	20 martii
2	4730	30	21 martii
2	4731	31	22 martii ?
	4737	32	23 martii
	4741	33	24 martii
	4742	34	25 martii
	4743	35	26 martii
	4744	infra 50	27 martii
	4745		9 aprilis
	4746		11 aprilis ?
	4747		14 aprilis
	4748		19 aprilis
	4749		20 aprilis
	4754		
	4755		
	4756?		

aer. vulg. 29, non tamen serius, quam ineunte anno p. i. 4743, aer. vulg. 30, quum docuisse dicatur diutius quam triennio, demum obiisse anno p. i. 4746, aer. vulg. 33, imperii Tiberii XIX. Quod autem Christus ortus dicatur die prima hebdomadae, Nicephoro errori tribuendum est, quum dies 25 decembris an. p. i. 4712 fuerit feria V.

244 *Matthaeus Vestmonasteriensis.* An. MCCCLXXVII. Is de prioribus aetatibus agens alios auctores exscripsit. *Christus . . . creditur . . . conceptus fuisse* VIII *kalend. aprilis, et revolutis* XXXIII *annis eadem die mortuus* [1]. *Anno ab origine mundi quinquies millesimo* CC *minus uno, imperii Augusti Caesaris* XLII, . . . *olympiadis autem centesimae nonagesimae tertiae anno* III, *indictione* IV, *epactis existentibus* XI, *concurrentibus* V, *octavo kalend. ianuarii natus est Dominus noster Iesus Christus . . . nocte diei dominicae* [2]. Omnes hae notae, exceptis annis imperii Augusti et olympiadum, primum aerae vulgaris annum signant. *Anno divinae incarnationis* XV *Caesar Augustus vitam finivit. . . . Anno divinae incarnationis* XVI *Tiberius Claudius . . . imperavit annis* XXII. . . . *Anno gratiae* XXX *Ioannes . . . baptizabat. Eodem anno Iesus . . . baptizatus est ab eo. Et ipse Iesus erat incipiens quasi triginta annorum, id est,* XXX *inceperat annum, videlicet* XIII *diebus illius anni peractis. Et secundum hoc vixit Iesus tantum* XXXII *annis et dimidio. . . . Anno gratiae* XXXIII *traditus est Dominus noster Iesus Christus a discipulo suo, . . . et* VIII *kal. aprilis cruci fixus* [3]. Missum illud facio, quod anno aer. vulg. 33 dies 25 martii in feriam VI non incidit. At, si ab incarnatione ad Christi obitum anni XXXIII fuerunt, incarnatio autem anno aerae vulg. 1 facta est, Christi mors anno aer. vulg. non 33, sed 34 esset consignanda. Verum animadverte, ut Matthaeus historiis suis notas singulorum annorum aerae vulgaris ita adposuerit, ut bis annis initium faceret, non kalendis ianuar., sed octo ante diebus, ipsoque die Christi natali, ac si primus aerae vulgaris annus inceperit a. d. VIII kal. iannar. an. p. i. 4713, isque dies est, quo Matthaeus Christum natum esse putavit. Quod autem hunc diem iis characteribus notaverit, qui non in hunc annum, sed in insequentem congruunt id per errorem ab eo alios exscribente factum dici posset; verum, quum characteres, non ad diem, sed ad annum pertineant, quumque annus esset re ipsa aerae vulgaris 1 προληπτικῶς inceptus, utique his, non aliis, characteribus notandus erat.

245 Ut horum, quae in hanc dissertationem congessimus, usus expeditus esse cuique possit, ea ex ordine descripta eorumque summam uno veluti intuitu pervidenda infra exhibemus. Auctores, quorum nomina obliquis, ut vocant, literis scripta vides, ii sunt, qui vel dubii, vel ψευδώνυμοι habentur. Annos imperii, quos certo constat alio initio apud ipsos auctores esse, revocavimus ad initium Romanis usitatum. Quae duobus aut pluribus modis intelligi possunt, ea disiunximus, ac distinximus particula *seu.* Quae alia sunt in aliis eiusdem auctoris locis, aut in aliis eiusdem loci exemplaribus, distinguuntur adverbio *aliter.* Quum denique ipse scriptor alia atque alia proponit, haec per particulam *vel* separantur. Hoc signo (?), quae dubia sunt, notantur, hoc autem (!), quae pugnantia. Ceterum satis, opinor, haec erunt, quibus intelligamus, verene, an secus, quidam autument, esse aliquam sive de anno, sive de die, quo Christus conceptus, in lucem editus, baptismo tinctus, cruciqne fixus fuit, sententiam, quaenam vero haec, quam veluti πατροπαράδοτον ecclesia sibi propriam adsciverit.

DISSERTATIO XX

De Christi anno natali

1 In superiore dissertatione oculis non minus quam menti legentium propositum est, ut veterum de Christi anno natali sententiae, non modo pleraeque omnes inter se, sed singulae quam saepissime sibi ipsae discrepent atque discordent. Nam, verbi gratia, qui definire voluerunt, quoto mundi anno Christus ortus sit, tum scriptores illi veteres, tum qui post eos vixere, adeo in diversa abierunt, ut ipsorum opiniones ad centum septuaginta quinque Fabricius longo ordine enumeraverit [4], quarum prima est Christi ortum incidisse in annum a mundo condito IIIM CDLXXXVIII, postrema in annum VIM CDLXXXIV. Non tamen timendum est, ne multum inde nobis fiat negotii. Harum enim sententiarum patroni plerique non ideo sibi mutuo adversantur, quod alii aliis annis Christi ortum ad-

[1] Flores histor. Aet. V. c. 33. [2] Ib. Aet. VI. [3] Ib. [4] Bibliogr. antiquar. c. 7. § 9.

scribant, qua imo de re illis convenit, sed quod alii pluribus annis ante Christum, alii paucioribus, mundum conditum fuisse opinentur. Ceterum, ut nihil quaestioni huic prodesset, quantumvis veteres ad unum omnes in illum mundi annum definiendum consentirent, ita, quantumvis dissentiant, minime obesse potest. Ut enim aliquod tempus anteactarum aetatum definiamus, non illud aliis temporibus incertis, sed fixis atque indubiis est dimetiendum cumque his comparandum; ast inter temporum rationes vix ulla minus certa, quam mundi aetas. Proinde liquet, ut annum Christi natalem compertum habeamus, frustra hunc inter mundi annos requiri.

2 Multo magis nos impediet horum scriptorum dissensus quod ad notas temporum, de quorum ratione constat inter omnes, ut sunt olympiades, anni Urbis, anni imperii Augusti, anni actiaci, anni Antiochenorum, ceteri. Neque enim inter se dumtaxat illos discrepare videas, sed saepe nec paucos suae sibi sententiae ipsos contradicere pugnantiaque narrare, quam vel temporum notas una componunt, quae componi nullo pacto possunt, vel ita priorum ac posteriorum aetatum tempora supputant, ut Christi ortum aliis annorum notis signare oporteat, ac ipsi signant. Porro in eo anno definiendo id illi peccarunt, quod, quum perspecta minime haberent, imo saepe nec habere possent, illa historiae monumenta, quae recentior aetas vel e tenebris eruit, vel novo aut maiore lumine conspersit, his nec opinantes adversarentur. Quae quum pronuntio, me non nimium audere, testem habeo Augustinum haec scribentem: *Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea, quae appellatur historia, plurimum nos adiuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi praeter ecclesiam pueriliter eruditione discatur. Nam et per olympiadas et per consules multa quaeruntur a nobis, et* IGNORANTIA CONSULATUS, QUO NATUS EST DOMINUS, *et quo passus est*, NONNULLOS COEGIT ERRARE [1]). Testes quoque sunt, quotquot ferme hoc et duobus superioribus saeculis vixere, quibus a penitiore sive antiquitatis, sive historiae, sive chronologiae cognitione maxima est commendatio. Imo testes illi ipsi scriptores veteres, qui, nisi verbis, re saltem, quum adeo, ut vidimus, in illa quaestione habenda vagantur, id, quod ipsis vitio vertimus, ultro fateri dicendi sunt.

3 Facile iam intelligis, nullam unquam exstitisse de anno Christi natali opinionem, quam ecclesia velati *πατροπαράδοτον* sibique propriam habuerit, utque nihil opis a veteribus exspectare sit, quo ad illius anni notitiam recta ducamur. Nulla igitur religione impedimur, quominus ad id, quod quaerimus, inveniendum illam viam ineamus, quam Augustinus nobis commonstravit, ubi haec scripsit: *Quot annos in hac vita* Christus *egerit*, *quamquam textu ipso actionum eius animadverti possit*, *tamen*, *ne aliunde caligo dubitationis oriatur*, *de historia gentium collata cum evangelio liquidius certiusque colligitur* [2]).

4 Itaque aio Christum in lucem editum esse anno periodi iulianae 4707, qui septimus est ante aeram vulgarem. Hanc sententiam, ut equidem arbitror, luculenter demonstravit Sanclementius [3]), ante quem eam Harduinus [4]) sequutus fuerat. Argumenta autem, quibus ducimur, ut his assentiamus, haec sunt.

5 Christi ortum seriori anno adscribi non posse, quam anno p. i. 4709, nemo iam est, quin pro certo habeat, nisi si vel contra sentire, ac evangelistae testantur, vel horum narrationes aliaque vetustatis monumenta, eaque luculentissima, inter se veluti committere haud reformidet. His enim ex monumentis, quod in alio loco [5]) ostendemus, efficitur Herodem regem Iudaeae anno p. i. 4710, vere ineunte, diem vixisse supremum. Atqui Christus, ut Matthaeus testatur [6]), natus est Herode adhuc vivo. Magi ad Christum advenerunt aliquot post diebus a die quadragesimo, ex quo natus erat [7]), quum Herodes et viveret, et bene valeret, utpote qui simulaverit se quoque Bethlehemum ad Christum adorandum ire velle [8]). Morbum, quo ille ad plures fuit amandatus, haud breviorem duorum saltem mensium spatio fuisse constat [9]). Constat ergo et illud, Christum non serius, quam exeunte anno p. i. 4709 natum esse. Huius argumenti vim Chrysostomus omnium primus sensisse videtur, cuius ex ratiociniis concludere oportet diem Christi natalem fuisse e. d. VIII kal. ianuar. ann. p. i. 4708, quum usque ad Chrysostomi aetatem vix exstiterit, qui diem hunc in aliam annum incidisse putaret, quam in ann. U. C. DCCLI a palilibus inceptum, hoc est, in p. i. 4711 exeuntem aut in ineuntem 4712, nemo autem, qui in aliquem superiorum annorum.

6 Id, quod affirmamus, porro confirmare est argumento, quod annus Christi emortualis atque aetas, qua erat, quum venit ad Ioannem Baptistam, ut in Iordane tingueretur, una suppeditant.

---

[1]) Doctr. christ. L. II. c. 28. § 42. [2]) Ib. [3]) De vulgar. aerae emendat. L. IV. c. 7. [4]) Antirrhet. de num. veter. populor. pp. 64. 65. [5]) Diss. XXXV. [6]) Matth. II, 1. [7]) Diss. XXVII. c. III. [8]) Matth. II, 8. [9]) Diss. cit. c. III. n. 5.

Christus cruci fixus fuit anno p. i. 4742, aer. vulg. 29 [1]). Quater sollemne paschatis actum esse inter Christi baptismum atque obitum Ioannes evangelista nos docuit [2]). Primum igitur horum paschatum anno p. i. 4739, aer. vulg. 26, actum fuit, proinde non serius, quam huius anni initio Baptista Christum tinxit in Iordane. Erat tunc Christus *ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα quasi annorum triginta* [3]), hoc est annos saltem viginti novem iam impleverat. Natus ergo fuerit non serius, quam anno p. i. 4709.

7 Sed neque post annum p. i. 4707. Etenim iam ea protulimus [4]), quibus efficitur Christum natum esse primo quoque tempore post indictum in Iudaea capitum descriptionem, quae ante exitum anni p. i. 4707 inita fuit [5]). Et illud notavimus [6]), quod caedi puerorum Bethlehemitarum locus esse haud potuerit, nisi ante ver anni p. i. 4708, qua de re plenius in alio loco [7]). Iam vero inter Christi ortum interque hanc caedem duo saltem menses intercesserunt [8]).

8 Non tamen alicui anno, qui fuerit ante annum p. i. 4707, Virginis partum adscribere licet. Fac enim Christum in lucem fuisse editum anno p. i. 4706, is triginta annos implesset anno p. i. 4736. Ast anno illi quintodecimo imperii Tiberii, quem Lucas commemorat [9]), et quo Ioannes Iudaeos baptismo abluere coepit citius initium esse non potuit, quam anno p. i. 4738 [10]). Non ergo ante affectum aetatis annum XXXII Christus baptismo fuisset ablutus, quodque inde consequitur, non ante annum XXXVI in crucem actus. Neque nullius momenti habendum est argumentum, quo Sanclementius quoque usus est [11]), petitum ex anno, quo pax universo orbi terrarum, Augusto imperium obtinente, parta est. Communis Christianorum opinio est, ipsaque ecclesia in martyrum fastis ante diem IX kal. ianuar. se ita opinari profitetur, Christum pacis aeternae auctorem tum nobis exortum, quum totum humanum genus in pace compositum esset; quam pacem praenuntiam fuisse et quoddam veluti symbolum credere est pacis illius supernae, quam ipsi generi humano Christus erat allaturus, et de qua, ut primum is natus est, angeli canebant: *Gloria in altissimis Deo*, ET IN TERRA PAX [12]). Illa autem pacis universae aetas alia esse non potest, quam cui Ianus tertio ab Augusto clausus initium fecit [13]), quod non ante mediam aestatem anni p. i. 4706 [14]) factum est. Quum autem etiam divini Verbi ἐνανθρώπησις, non secus ac, qui eam sequutus est, ortus, par enim utriusque est ratio, nisi pace obtinente facta esse putanda non sit, liquet non ante initum ver anni p. i. 4707 Christum natum esse. Denique id ipsum apprime eo confirmatur, quod Christi ortus in illud tempus inciderit, quo tempore Iudaeae descriptio habebatur, quae tamen non ante posteriores menses anni p. i. 4707 habita est [15]).

9 Postremo liceat mihi novum huius rei argumentum proferre, quod, equidem vereor, ne quis forte cachinnis excipiat, sed aliis aliud fortasse videbitur, quam quod risu excipiatur. Usque ad medium saeculum V veterum sententiae discrepuere de die Christi natali, aliis iisque pluribus diem hunc a. d. VIII kal. ianuar. esse aientibus, aliis ante diem VIII id. Sed quaenam huius discrepantiae caussa, atque adeo de his duobus diebus dumtaxat? nam, qui alio die Christum natum dicerent, vix ulli exstitere, iique nullo nomine aut auctoritate. Cui quaestioni priusquam respondeo, velim animadvertas, ut, sententiae illae ipsae, quas a vero aberrare constat, de anno Christi natali, deque die et anno, quo Christus baptismo ablutus et cruci fixus fuit, ac de temporis spatio, quo docuit, quoque vixit, quanam ab origine sint repetendae, compertum habeamus. Nam, cur, verbi gratia, prisci plerique putarent Christum uno anno docuisse, caussa fuit, quod scirent eum obiisse duobus Geminis consulibus, qui consulatu functi sunt anno XV imperii Tiberii; atqui Lucas narrat Christum anno XV imperii Tiberii docere coepisse. Item, quod putarent Christum annos triginta, non amplius, implesse, eadem illa ex caussa repetere oportet; nam, Christus, quum ad baptismum venit, *erat* . . . QUASI *annorum triginta* [16]). Iisdem his de caussis illud factum est, ut Christum natum dicerent anno U. C. DCCLI a palilibus ducto; si enim mortuus est anno XV imperii Tiberii, cuius anni pascha incidit in annum U. C. DCCLXXXII, sique, ut putabant, annos triginta dumtaxat impleverat, natus esset oportebat anno U. C. DCCLI a palilibus ducto. Simili modo, quum ipsis constaret Christum obiisse anno U. C. DCCLXXXII, die sexto hebdomadae, nossentque diem, quo pascha agendum est, dependere a verno aequinoctio, aequinoctium autem civile per illam aetatem incideret in a. d. VIII kal. april., qui dies illo anno fuit sextus hebdomadae, diei huic Christi obitum adscripsere, maxime quum eo anno acciderit, ut luna paschalis, secundum Iudaeorum, qui tunc erant, com-

---

[1]) Diss. LI. [2]) Diss. XLVII. n. 5. [3]) Luc. III, 23. [4]) Diss. XVIII. n. 27. [5]) Ib. nn. 24 seqq. [6]) Ib. n. 35. [7]) Diss. XXXIII. nn. 7 seqq. [8]) Ib. c. I coll. Diss. XXVII. c. III. [9]) Luc. III, 1. [10]) Diss. XXXIX. n. 22. [11]) L. c. p. 449 et c. 1. p. 397. [12]) Luc. II, 14. [13]) Diss. XVIII. n. 15. [14]) Ib. [15]) Ib. nn. 33 seqq. [16]) Luc. III. 23.

putationem citima esset. Ut denique Christus ad baptismom venisse crederetur a. d. VIII id. ianuar., hinc factum esse videtur, aut fieri certe potoit, quod secundum illorum opinionem, qni eum boo die natum dicebant, eodcm hoo ipso die trigiuta impleverit anuos. Ceterarum qnoque de his opinionum serios invectarum caussas nollo negotio deprehendas. Quae qunm ita sint, caussa item fnerit oportet, cnr Christi ortom alii adscriberent diei VIII kal. ianuar., alii VIII id. Itaque fac memineris, ut primis ecclesiae aetatibus, in Oriente praesertim, obi seconda sententia olim apod aliqoos obtinuit, Christianorum anoo initium fieret kalendis aprilis, isque mensis, utpote io quem luna paschalis desinebat, *primus* anni mensis haberetur et vocaretur, veluti Iudaeorum mensi nisani responderet, insequentibus antem deinceps meusibus, more item Iudaeorum, *secundus, tertius, quartus*, atque ita porro nomen fieret, ut ianuarius *decimus* mensis esset [1]). Iam vero anno p. i. 4707 decimi Iudaeorum mensis, qni tebbeth vocatur, dies primus incepit occidente sole die 20 decembris, nam verum interlonium factum est, qoom Hierosolymae esset dies 21 decembris 7^h 19' post mediam noctem, proinde dies sextns eiosdem illins mensis decimi concurrit ex parte com die 25 decembris, boc enim die incepit sole occidente. Fac Christi ortum iucidisse in eas horas, quae sunt inter solis occasum et noctis medium, iam vides ut natos fnerit die 25 decembris simnlque die 6 decimi mensis. Quum ergo, qui in Oriente initium aono fnciebaot kalend. aprilia, existimareut huinsmodi anui meuses, παχυλῶς saltem, Iudaeorum mensibus respondere, decimum horum mensem, cuius die sexto Christum natum esse didicerant, putarunt esse mensem ianuarium, huiusqoe diem sextum Christi natalem dixeroot. Anno qoidem p. i. 4707, qui dies 25 decembris esse debnit, eom ex intercalatiooibos perperam moltiplicatis vicesimum secondum Romaoi dixerunt. At non boc quidqoam virium adimitur hnio nostro argumento. Nam dies 6 mensis Iudaeorum decimi illo anno incepit die 29 mensis choeao Aegyptiorum, 25 mensis apellaei Antiochenorum. Illa aetate in Orientis regionibus romanorum mensium usus nondum obtinebat, procul dubio minus quam aegyptiorum atque antiochenorum. Cum his igitur potius, qoam cnm romanis meusibos Iudaeorum menses comparari solebant. Quum ergo memoriae proditum esset Christum natum esse eo die, qui foit sextns mensis Iudaeorum decimi, vicesimus nonns meusis choeac, vicesimos quintos mensis appellaei, qui dies est 25 decembris, liquet nullam a pravis iotercalationibus difficoltatem huic nostrae senteutiae esse posse.

DISSERTATIO XXI

De die Christi natali

1 Ea, ad quae edisserenda nunc adgredimur, non eo tendont, ot certum omni ex parte atque indubiam praestemus sententiam illam communem iam inde usque a priscis aetatibns obtinentem, Christnm natum esse VIII kal. ianuar.; id enim frustra nos conaturos minime diffitemur. Sed illud contendimns, sententiam hanc, quam ceteris probabiliorem esse demoustrabimus, nulla ratione ut minos veram explodi posse.

2 In patrum ea de re sententiis explicandis primum attendere oportet, qnibus nominibus utantur, diversa namque nomina ortoi Christi fecerunt, eademque ad alia quoque nominanda usurparunt. Deinde, otrum de ipso die Christi natali loqoaotur, an de die festo, qno bic natalis quotannis celebratur; oam, uti iam animadvertit Papebrochius [2]), cx eo, quod hno illove die rei alicuius memoriam sollemnibus sacris qoidam celebrant, minime consequitur, bos pro certo habere io eum ipsum diem rem olim eveoisse. Itaque, qno rectius eorum, quae de Christi natali veteres tradiderunt, sensom assequamur, iovabit quorumdam nomiuum, quae eadem tum ad natalem huuc tum ad alia nominanda illi adhibuerunt, significationem atque usum primo explicare. Auctores, qui haec uomina usurpant, tibi suggeret, etsi subinde ab re, Caspar Suicerus [3]), nonnullos practer bos ipsi suggeremos. Dein, quae de die festo uatalis Christi prisca monomeota nos docent, proferemus. Denique, quod recepi, persolvam.

3 Ἐπιφάνεια actus ille dicitur, quo superi, conspicabiles hominibus sese praebent, vel alio qnovis modo apparent; quam vim tum apud sacros tum apud profanos scriptores hnbet ea vox [4]).

---

[1]) Conf. Constitut. apost. L. V. c. 13. [2]) Ep. II consultor. ad Possin. § t. in Paralipomen. in Conat. ad catal. Romanor. PP. pag. 2t. [3]) Thesaur. ecclesiast. ad voc. ἐπιφανεια, παρουσια etc. [4]) II Machab. III, 24.

Idcirco, ubi de Christo agitur, id sonare dicenda est, quod Tertullianus vocavit *apparentiam Christi*[1]). Atque in hunc sensum nomen hoc Paulus[2]), et post Paulum patres accepere[3]). Neque *apparentiam* Christi, quae uno aliquo actu facta fuerit, hoc nomen significat tandummodo, sed et quae toto eius vitae tempore continuata est. Nam a Suida et Phavarino ἐπιφανεια ita definitur: *Ἐπιφανεια est salvatoris nostri Iesu Christi in carne οἰκονομια*[4]). Quid οἰκονομια significet, quum de Christo loquimur, plene te Valesius ducebit[5]). Ex pluribus vero, ad quae designanda nomen οἰκονομια usurpari solet, duo solum sunt, quae in hoc loco potest significare, divina incarnatio et opus, in quod Christus toto vitae tempore incubuit, atque adeo ipsam quoque eius vitam, quam totam posuit in ipso hoc opere perficiendo. Primam harum significationum expresse nos ducet Theodoretus[6]), alteram prodidit Epiphanius scribens, Christum obiisse *tricesimo tertio anno ipsius in carnè οἰκονομιας*[7]). Hanc autem alteram subesse Phavorini et Suidae verbis eo crederem, quod verius integra Christi vita, quam eius incarnatio ἐπιφανεια vocari videatur, quum, non tam, quum incarnatum est, quam dum viveret, Verbum divinum hominibus conspicabile apparuerit. Peculiari tamen ratione ἐπιφανεια appellatur ipse ortus Christi, quo nobis primo apparuit[8]).

4 Hoc idem nomen factum est sollemni, quod agimus VIII id. ianuar., *quia in illo* (*die*) *deitas Christi ostensa fuit testimonium ei perhibente Patre in baptismo*, ut legimus in *Constitutionibus apostolicis*[9]). Dubitant quidam, an ἐπιφανεια vocetur etiam haec ipsa res, cuius dies ille festus anniversarius est; sed neque esse potest dubitandi locus, quum et ratio ipsa nominis ita credere suadeat, et pateat diei festi nomen ex ipsa re ductum esse. Tum in quadam oratione Chrysostomo perperam adscripta[10]), sicut dies festus natalis Christi vocatur *ἡ κατα σαρκα γεννησις secundum carnem nativitas*, ipso videlicet rei nomine, ita quoque dies VIII id. ianuar., quia paullo post ἐπιφανεια vocatur, nomen ex ipsa re habere putandus est, praesertim quia, quae continuo subiiciuntur huic nomini, non de die festo, sed de re, cuius dies festus agitur, dicta esse necessario credenda sunt; sunt autem haec: *Secundum autem festum est ἐπιφανεια*, QUA *prope Iordanem ostendit omnibus hominibus ineffabilis misericordiae demissionem*. Theodoretus autem, qui non de die festo loquitur, sed de ipsa re, ἐπιφανειαν simpliciter hanc vocat[11]). Festum vero diem Christi nascentis nusquam *ἐπιφανειαν* a quoquam nuncupatum reperias, imo ita vocari negat expressis verbis Chrysostomus[12]); nisi forte excipiendi sint, qui eodem die VIII ianuar. natalem etiam Christi celebrabant, quorum tamen scripta, saltem, quae ad totam hanc nostram quaestionem pertineant, nulla iam supersunt, praeter scripta Epiphanii, de quo mox.

5 Etiam τα ἐπιφανια nuncupant Graeci diem festum baptismi Christi[13]), Epiphanius vero etiam diem festum natalis[14]), quem agebat die VIII id. januar. Ruffinus quoque vertens orationem Gregorii Nazianzeni inscriptam *in sancta lumina*, id est, de die festo, qui agitur VIII id. januar., titulum latine praescripsit *de* SECUNDIS *epiphaniis*, ut clare pateat diem festum natalis Ruffino fuisse *prima* epiphania.

6 Id, quod ϑεοφανεια nominatur, tunc contingit, quum *Deus apparet; ϑεοφανεια est Dei manifestatio*, inquit Suidas[15]). Quod nomen in hunc sensum acceptum patres graeci adhibuerunt[16]); Joannes Damascenus vero ϑεοφανειας τυπικας dixit, quibus Verbum divinum apparebat vetere obtinente testamento[17]). Quod attinet ad novum foedus, eumdem paene usum habet hoc nomen ac ἐπιφανεια, eo namque designatur tum *apparentia*, id est, adventus Christi[18]), tum huius ortus[19]), tum denique integra eius vita[20]). Sed τα ϑεοφανεια vocatur, dies festus baptismi Christi[21]), forte et natalis die VIII kal. ianuar. celebrati[22]).

7 Christi adventus in terras etiam τα ϑεοφανια dictus fuit a patribus graecis[23]), qui utrique

---

[1]) Adv. Marcion. L. I. c. 19. [2]) II Tim. 1, 10. *Chrysost.* in ep. ad. Tit. II, 11 et *Theophylact.* in eamd. II, 13. [3]) V. gr. *Athanas.* Orat. de incarnat. Verbi §§ 1. 56. [4]) In Lexico. [5]) Adnotat. in *Eusebii* H. E. L. I. c. 1; L. X. c. 4; Vita Constant. c. 6; De laudib. Constant. p. 764. Cantabrig. 1720. [6]) Dial. II. c. 9. [7]) Haer. LI al. XXXI. § 25. [8]) Lege inter alios *Theodoret.* Ep. LV. [9]) L. VIII. c. 33. [10]) Hom. IV in assumption. D. N. I. Ch. inter opp. *Chrysost.* T. III ed. *Montfauc.* [11]) In Dan. IX, 25. [12]) Homil. de baptismo et de epiphano. § 2. [13]) *Chrysost.* hom. I de pentecoste § 1 ed. *Montfauc.* [14]) Haeres. LI al. XXXI. § 16. 27; Exposit. fid. cathol. § 22. [15]) In Lexico. [16]) V. gr. *Dyon. Areopag.* De cael. hier. c. 4; *Athanas.* Orat. de incarnat. Verbi § 8. [17]) De fid. orthod. L. III. c. 1. [18]) *Athanas.* Orat. de incarnat. Verbi § 8; *Nyssen.* In Cantic. hom. XIII. T. I. pag. 664 ed. Paris 1615; Orat. catechet. cap. 18. [19]) *Nyssen.* Orat. in laud. Basilii T. II. p. 911. [20]) *Euseb.* De theophania in *Mai* Scriptor. veter. nova collect. T. I. pp. 113 seqq. [21]) *Balsamon.* Constitution. ecclesiast. L. 1. Tit. 1. paratitl. p. 1243. [22]) *Phylostorg.* H. E. L. VI. § 2. [23]) V. gr. *Athanas.* l. c. § 46; *Epiphanius* l. c. § 29; *Nyssen.* Orat. in princip. ieiunior. sub fin. in Append. opp. pag. 259.

sollemni, tum natalis Christi, quod agitur die VIII kal. ianuar. [1]), tum baptismi [2]), nomen hoc indiderunt. Quum autem diebus festis hoc nomen factum fuerit, rebus quoque ipsis, quarum sollemnis illis diebus agebantur, factum fuisse putandum est. Ea certe, quae post Christi baptismum facta sunt, ita vocavit Ioannes episcopus Citri, qui narrat Armenios *annuntiationem*, *natalem*, *et theophania*, simul celebrare *ipso die theophaniorum* [3]), quibus in verbis, quum *dies theophaniorum* ipsum diem festum significet, nomen *theophania*, perinde ac *annuntiatio* et *natalis*, rem ipsam significet oportet, quum hanc a festo cognomine Ioannes ea appellatione distinguat.

8 Deorum ad homines adventum, quem subinde fieri putabant, Graeci *Deorum* ἐπιδημίαν vocaverunt; qua de re, lege, quae Valesius adnotavit in Eusebii *Historia ecclesiastica* [4]). Eodem hoc nomine patres Christi adventum in universum appellarunt. Peculiariter autem significarunt adventum Christi ἐνανθρωπημένον, ut Theodoretus, qui nomina ἐπιδημίαν et κάθοδον una coniungit [5]), si tamen oratio, in qua id legimus, Theodoreti opus est. Item adventum Christi nascentis, ut Gregorius Nazianzenus ita scribens: *Hoc est, quod celebramus, hoc hodie festum agimus* ἐπιδημίαν *Dei ad homines* [6]), et Nicephorus Constantinopolitanus, qui annum diemque Christi natalem commemorat, continuoque haec sit: *Fiunt simul omnes ab Adamo* ἕως τῆς ἐνσάρκου ἐπιδημίας *Domini nostri et salvatoris Iesu Christi*, *ex accuratissima supputatione anni* $\overline{\text{V}}\overline{\text{M}}$ $\overline{\text{D}}$ [7]); sed et totam Christi mansionem in terris, ut Eusebius [8]).

9 Denique παρουσία proprie idem sonat, ac *praesentia*; atque ita appellatur ipsa Christi praesentis continuata toto vitae tempore [9]), quo *in terris visus est*, *et cum hominibus conversatus est* [10]). Christi quoque adventus, qui fuit, quum conceptus, quumque ortus est, simpliciter hoc nomine vocatur, non tamen ipsa incarnatio, neque ipsa natio; neque enim τῇ ἐνανθρωπήσει illa congruunt adposita ἔνσαρκος, ἐνσώματος, σωματική, θεανδρική, ἐπίγειος, εἰς ἀνθρώπους, quae τῇ παρουσίᾳ addi solent, quod autem Epiphanius [11]) τὴν παρουσίαν coniungat τῇ γεννήσει, ideo facere putandus est, quia non ambo pro uno atque eodem habet.

10 Qua aetate dies Christi natalis festus agi coeperit, si roges, nam hoc etiam quaestioni nostrae conducit, respondebo vetustissimum omnium, qui huius sollemnis meminere, esse scripturam *Constitutionum apostolicarum* [12]); ideoque liquet saeculo secundo id agi iam, alicubi saltem, coepisse. An vero scriptori huic credere debeamus ab ipsis apostolis illud fuisse institutum, equidem hoc mihi affirmandum non sumo. Sed multo sane minus id Ioanni Nicaeno [13]) credendum est, qui scripsit, probante Iacobo apostolo diem hunc coepisse celebrari, quum lateat fons, unde istud hauserit, suaeque narrationi quominus fides adjungeretur, effecerit plurimis in eam insertis, quae pugnant cum historiae veritate (22). Primis tamen ecclesiae aetatibus non ubique morem fuisse hoc sollemne agere, coniicimus ex homilia Chrysostomi *de natali Christi* (13) et ex historiis Nicephori, qui narrat Iustinum decrevisse illud toto orbe terrarum celebrari [14]). Quinam vero anni dies celebrando Christi natali esset constitutus, iam quaerere oportet.

11 Nonis ianuar. festum diem epiphaniorum actum aevo suo fuisse, eumque tamquam Christi natalem a quibusdam habitum, Hieronymus narrare videtur, qui simul hos falli animadvertit [15]). Verum, quum anno aerae vulgaris CDXI, quo haec scribebat Hieronymus, a Latinis et a Graecis, ut semper mos fuerat, festum diem epiphaniorum VIII id. ianuar. actum fuisse nemini liceat dubitare, aut suspicari contra, ac mos iste ferebat, sensisse Hieronymum, huius verba in alium sensum accipere oportet, ut qui Christum baptizatum neget ipso die epiphaniorum, quo eius baptismus celebratur, sed ἐν τῇ προεορτίῳ, eosque refellat, qui eodem die VIII id. ianuar. baptismi et natalis sollemnia agerent. Tum Hieronymus in illo loco ea, quae scripsit Ezechiel, interpretari conatur, veluti praesignificarent Christi baptismum; quum autem cetera responderent, solum dies *quintus* et dies *sextus* discreparent, quo fortasse utrumque componeret, quum diebus festis initium fiat pridie vesperi, epiphania nonis adscripsit. Reperitur tamen inter opera Chrysostomi homilia quaedam habita anno aerae vulgaris DCLXXII, in qua haec legimus: *Natalem celebramus* VIII *kal. ianuar.*, *theophania vero die* XIII

[1]) *Nazianz.* Orat. XXXVIII in sancta theophania seu Christi natalitia sub init.; *Auctor* hom. de hum. Christi generatione *Basilio* tribut. § 6; *Isidor. Pelus.* L. III. ep. 110. [2]) *Chrysost.* hom. de s. Philogon. § 3; Auctor hom. VII paschal. § 1 inter opp. *Chrysostomi* T. VIII. append. p. 275 ed *Montfauc.*; Auctor. hom. in sancta theophania *Gregorio Thaumat.* tribut.; *Photius* Nomocan. T. VII. c. 1. [3]) Respons. inedit. ad Cabasil. episc. Dyrrach. ap. *Coteler.* not. ad Constit. apost. L. V. c. 13. [4]) H. E. L. IX. c. 7. [5]) Encom. in nat. Io. Bapt. opp. T. V. p. 91. Halae 1774. [6]) Or. XXXVIII in Theophania. § 4. [7]) Chronograph. [8]) Praep. ev. L. V. sub. init. [9]) *Iulius Africanus* ap. *Syncell.* Chronograph. p. 324. C. Paris 1652; *Epiphan.* l. c. §§ 25. 28. [10]) Bar. III. 28. [11]) L. c. § 16. [12]) L. V. c. 13. [13]) Ep. ad Zachar. patriarch. Armenior. ap. *Combefis.* Hist. Monothelitar. col. 298. [14]) H. E. L. XVII. c. 28. [15]) In Ezech. I, 3.

mensis quarti secundum Asiaticos [1]); qui dies fuisse videtur non. ianuar., ut demonstravit Usserius [2]). In *Excerptis* quoque *chronologicis* editis a Scaligero in fine Chronicorum latinorum [3]) haec reperies: *Paulus . . . in apostolatum ordinatur* VI *idus ianuarias . . . pridie epiphaniae.* Hunc morem celebrandi Christi natalem nonis ianuar. Armeniis haereticis culpae vertebant saeculis XII, XIII et XIV, Euthymius [4]), Isaac patriarcha Armeniorum [5]), Ioannes episcopus Citri (7), Graeculus quidam anonymus [6]), et Nicephorus Callistus [7]), apud quem, quod legitur *ιε'* XV pro *ε'* V, error est librario tribuendus. Saeculo tamen X Nicon monachus scribebat eosdem illos non. ianuar. vespere celebrare *annuntiationem*, postridie mane natalem Christi [8]). Ceterum huius moris origo ex eo repetenda videtur, quod, ut inquit Stephanus Gobares, quidam crederent Christum natum V *ianuarii, media nocte, quae est a. d.* VIII *id. ianuar.* [9]). Quum enim media nox, qua hora contigisse putabant id, cuius festus dies agebatur, aeque attribui possit diei desinenti, id est, non. ianuar., ac incipienti, id est, VIII id., essentque, qui posteriorem diem festum haberent, putarunt alii posse se pari ratione festum habere diem priorem, quo utrique consentiebant inter se de die et hora ortus Christi eoque dumtaxat dissentiebant, quod ipsa hora, qua Christum natum putabant, illis diem festum aperiret, his vero clauderet.

12 Die VIII id. ianuar. celebratum fuisse natalem Christi prisca ecclesiae aetate, saltem ab Orientalibus, a Graecis, et ab Aegyptiis, plurimorum opinio est; an autem omni ex parte vera ac satis firma ea sit, disquisitio haec nostra, puto, dubitare saltem suadebit.

13 In Oriente, quos certo constet natalem Christi egisse VIII id. ianuar., nullos novimus praeter Edessenos, de quibus id testatur Ephraemus [10]), et Hierosolymitas, de quibus id narrant Cyrillus Hierosolymitanus, si tamen Ioanni Nicaeno (10) credamus *γνησίαν* esse Cyrilli epistolam ad Iulium p. m., in qua id legitur, auctor secundae ex homiliis de Lucae evangelio Chrysostomo olim tributis [11]), et Cosmas Indicopleustes [12]). Ad Hierosolymitas pertineret quoque, si germana foret, ea, quae ab eodem illo Ioanne Nicaeno affertur, *Iacobi (apostoli) conscriptio, ianuarii* VI *statuens celebrari natalem et baptisma* [13]). Id ipsum observatum olim etiam in urbe Arabiae Adena nomine, quae *Portus romanus* dicebatur, et cuius episcopus fuisse videtur Hyppolitus, qui vulgo episcopus Portuensis creditur [14]), aliquis forte coniiciat ex eo, quod Hippolytus Christum VIII id. ianuar. (29) natum putasse nonnullis visus sit [15]); attamen, quod adtinet ad diem festum, Hyppolitum secus sensisse inferius (19) videbimus, sed etiam quod ad diem Christi natalem [16]). Aiunt etiam Antiochiae ante annum aerae vulg. CCCLXXVI eo die Christi natalem agi solitum, idque sibi videntur eruere posse ex homilia Chrysostomi *de natali Christi* [17]), ex qua tamen hoc unum colligitur, anno illo [18]) Antiochiae agi coepisse hoc sollemne, idque eo die, qui *ab exordio iis, qui in occidente habitant, cognitus fuit* [19]), VIII kal. ianuar. videlicet, at ne unum quidem verbum in ea legitur, quod vel suspicari sinat, ad id usque alio die agi solitum esse, quia ita loquitur Chrysostomus, ut de anniversario quodam ritu, non in illum diem ex alio translato, sed prorsus novo (10) Antiochensibus. Quoniam autem hoc testimonium Chrysostomi multum urgent, qui hanc ipsam quaestionem habent, conducet ipsa Chrysostomi verba referre: *Nondum decimus annus est, ex quo manifestus et notus ipse dies factus est. . . . Quare non erraverit, qui eundem novum simul et vetustum nuncupet; novum quidem, quia recens nobis innotuerit, vetustum autem et antiquum, quia (festa) aetate priora cito adaequaverit. . . . Hic dies, quum ab exordio iis, qui in occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos annos transmissus repente ita increvit. . . . Multus ubique de hoc die sermo, partim incusantium, quod novum quid, et recens, et nunc invectum sit, partim propugnantium, quod vetustus et antiquus est, quum et olim prophetae nativitatem eius praedixerint, et iam inde a primordio ab ipsa Thracia ad Gades usque incolentibus manifestus et celebris fuerit. . . . Ab illis, qui exactam huius rei cognitionem habent, quique illam urbem* (*Romam*) *inhabitant, hunc diem accepimus. Nam illi ipsi, qui illic commorantur, multo ante et ex antiqua traditione ipsum celebrantes ad nos usque illius notitiam nunc transmiserunt* [20]). Si quis autem dubitet an haec pertineant

---

[1]) Opp. *Chrysost.* Tom. VIII Append. pag. 257. § 1 ed. *Montfauc.* [2]) De anno solari Macedon. et Asianor. cc. 2. 5. [3]) Thesaur. tempor. pag. 82. Amstelod. 1658. [4]) Panopl. L. II. tit. 20. [5]) Invectiv. I. cc. 2, 3; II. haeress. 9. 10. 11. 12. ap. *Combefis.* Hist. Monothelit. [6]) Crimination. adv. eccles. latin. § 57. ap. *Coteler.* Ecclesiae graec. monum. T. III. [7]) H. E. L. XVIII. c. 53. [8]) Ap. *Coteler.* not. ad Constitut. apost. L. II. c. 24. et ap. *Galland.* Biblioth. veter. patr. T. III. p. 249. [9]) Ap. *Photium* cod. CCXXXII. [10]) Serm. IV. in natal. Dom. Opp. syriac. latin. T. II. p. 415. A Romae 1740. [11]) Opp. *Chrysost.* T. II. col. 1162. Paris. 1581. [12]) De opific. mundi. L. V. pp. 194. 195. ed. *Montfauc.* [13]) L. c. [14]) *Cave* de scriptorib. ecclesiast. in Hippolyt. [15]) *Sanclement.* de aerae vulg. emend. L. IV. c. 9. p. 474. [16]) Diss. XIX. n. 55. [17]) Opp. T. II. p. 354. ed. *Montfaucon.* [18]) Lege Monitum *Montfauconii* ib. [19]) Ib. § 1. [20]) L. c. §§ 1. 2.

ad diem VIII kalend. ianuar., is legat eiusdem Chrysostomi homiliam *de sancto Philogonio* [1]. Ad haec haeretici quidam in Armenia die VIII id. ianuar. nunc natalem Christi festum agebant saeculo X (11).

14 Ex Graecis sive proprie dictis sive improprie unos Cyprios novimus, qui Christi natalem olim celebrarent VIII id. ianuar. Huic enim diei illum adscripsit Epiphanius episcopus Salaminae in *Panario*, quod scribere coepit anno aerae vulg. CCCLXXIV. [2])

15 De Aegyptiis id ipsum narrat Cassianus [3]), idque Isidorii Pelusiotae [4]) testimonio confirmari putat Papebrochius [5]), et Origenes quoque testari dicendus foret, si huius esset homilia quaedam *de epiphania*, quae inter eius opera edita est [6]), quam tamen alii Maximo Taurinensi, etsi perperam, attribuunt, nemo iam Origeni non abjudicat (18). Verba Isidori haec sunt: *Quum τα θεοφανια seu secundum carnem nativitas incidit in diem dominicam, duplicem solemnitatem efficit ac veluti festum in festo.* Num vero haec sonent, quod Papebrochio sonare visa sunt, quisque comperiet, qui teneat sensum nominis θεοφανιων (7); tum particula *seu* clare demonstrat ab Isidoro vel duos dies festos commemorari, vel duo nomina unius diei festi proferri, sicut Timotheus presbyter [7]), quod agitur VIII id. ianuar., vocat *festum theophaniorum seu luminum.* Quum vero ex una parte Cassianus, cui bene perspecti mores consuetudinesque monachorum Aegypti, illud de Aegyptiis affirmet, ex altera vero parte eius narrationi aliquod monumentum vel aequale (19) vel etiam longe vetustius (28) opponere possimus, dicere restat, non universae Aegypto neque Alexandrinis, sed monachis atque iis fortasse regionibus, in quibus hi degebant, morem hunc proprium fuisse ac peculiarem. Sed et alia ratione de Cassiani testimonio iudicare est (24).

16 Sunt, qui putant etiam in Occidente natalem Christi adscriptum olim diei VIII id. ianuar. Nam, ut memoriae prodidit Ammianus Marcellinus, Iulianus Apostata, quum in Galliis commoraretur, *feriarum die, quem celebrantes mense ianuario Christiani epiphania dictitant, progressus in eorum ecclesiam sollemniter numine orato discessit* [8]); Zonaras vero ait id accidisse die natali Christi [9]). At Zonaras, qui saeculo XII scribebat, vel perperam intellexit Ammiani verba, siquidem ex ipso didicit hanc historiam, vel, si aliunde, cur non utroque die illud Iulianus fecisse putetur, quippe qui, sicut narrat ipse Ammianus, ideo talia faceret, et *adhaerere cultui Christiano* simularet, *ut . . . omnes nullo impediente ad sui favorem illiceret* [10])?

17 Vere autem nequaquam censenda est opinio eorum, qui putant, quotquot Christi natalem festum non agebant VIII kal. ianuar., eos hunc simul cum baptismo celebrasse VIII id. ianuar. Unde enim id didicere? Ex homiliis, inquiunt, habitis VIII id. ianuar., in quibus de utraque re, ut quae uno atque eodem illo die celebraretur, patres loqui videmus ad illam usque aetatem, qua in ipsorum regionibus VIII kal. ianuar. Christi natalis celebrari coepit. Ego vero, an unam ex huiusmodi homiliis producturi sint, praeter illam Origeni aut Maximo Taurinensi perperam affictam, quam superius (15) commemoravimus, valde dubito; neque enim locus nunc est orationi Ephraemi (13), qua habita VIII id. ianuar. de natali Christi solummodo agit. Aliarum unicum argumentum est Christi baptismus, quae vero Latinorum sunt, etiam adventus Magorum ad Christum, et prodigium a Christo Canae in nuptiis patratum; ex quo alterutrum necessario consequitur, vel in illis regionibus in quibus homiliae istae dictae fuerunt, nondum, quum eae haberentur, natalem Christi festum agi coepisse (10), vel certe alio die, quam VIII id. ianuar.

18 Diem VIII kal. ianuar. huic sollemni in omnibus ecclesiis Occidentis ab omni memoria dictum nequit in dubium revocari. Nam ne unum in tota antiquitate reperire est vel levissimum indicium, quod secus alicubi factum aliquando fuerit; neque enim moramur epistolam illam Ioannis Nicaeni (10), cui paullo infra fidem omnem abrogavimus. Sed neque orationem de epiphania, cuius initium: *Hodie verus sol ortus est mundo*, in qua de natali deque baptismo Christi simul agitur, et quam Maximo Taurinensi inter huius sermones adtribuit Bruneus, quum iussu Pii VI. p. m. splendidissimam operum Maximi editionem Romae curaret [11]). Mirari enim subit, qui fieri potuerit, ut vir diligentissimus nec noverit hanc orationem esse illam ipsam homiliam Origeni affictam, quam non semel memoravimus (15. 17), nec viderit, ut nullo modo tribui ea possit Maximo, utpote qui saepius in aliis sive homiliis sive sermonibus, quos magno numero habuit de epiphania et de Christi baptismo,

---

[1]) In Anomaeos hom. VI. §§ 3. 4. [2]) *Epiphan.* Haeres. L. I. T. I. § 2; *Cave* op. cit. in Epiphanio. [3]) Collat. X. c. 2. [4]) L. III. ep. 110. [5]) Paralipom. l. c. § 20. p. 25. [6]) Opp. *Origen.* latin. P. II. p. 289 Paris. 1604. [7]) De receptione haereticor. de Haesitantibus § 2. ap. *Coteler.* Ecclesiae graec. monum. T. III. [8]) Rer. gestar. L. XXI. c. 2. [9]) Annal. L. XIII. § 11. [10]) Ib. [11]) Sancti Maximi episcopi Taurinensis Opera. Romae 1784.

diem festum natalis Christi ab epiphaniae aperte secernat, atque hoc altero tria celebrari doceat, adventum Magorum ad Christum, huius baptismum, et aquam ab eo in vinum conversam [1]). Manifestissimum autem ac luculentissimum de illo die festo superius retulimus (13) testimonium Chrysostomi, quem patet non de ipso die, quo Christus natus est, loqui solummodo, sed et de die festo; quumque commemoret, ut hic dies ***iam inde a primordio* ab ipsa Thracia *ad Gades usque incolentibus manifestus et* celebris *fuerit***, etiam Byzantium ecclesiamque constantinopolitanam hoc numero comprehendit. Testis quoque est auctor secundae ex homiliis, quae de Lucae evangelio conscriptae inter opera Chrysostomi feruntur (13), aitque: Christum VIII kal. ianuar. natum esse ***Petrus . . . nos in occidente docuit*** [2]), quae verba scriptorem, non graecum, sed latinum aperte argunnt, et, quamquam de ipso die ortus Christi dicta sint, ex serie tamen orationis apparet dicta quoque esse ad refutandos Hierosolymitas alio die illum agentes; ex quo recte coniicit Cotelerius [3]) vixisse auctorem hunc ante medium saeculi quinti (23. 24).

19 Sed et in Oriente ecclesiae fuerunt, quas certo constat hac in re consensisse cum ecclesiis Europae, idque ea ipsa aetate, qua sive Cyprios sive Hierosolymitas ab illis adhuc dissensisse scimus (13. 14), id est, a medio usque saeculi quarti ad medium quinti. Nam de ecclesia caesariensi in Cappadocia cum europaeis consentiente testis est Basilius Magnus [4]), de nazianzena Gregorius [5]), de constantinopolitana, quae inter orientales ecclesias solet recenseri, idem Gregorius, qui in hac urbe creditur habuisse homiliam *in Christi natalem* aliamque *in sancta lumina* inscriptam, itemque Chrysostomus (18) et Proclus [6]), de nyssena Gregorius Basilii frater [7]), de iconiensi Amphilochius [8]), de antiochena ab anno aerae vulgaris CCCLXXVII Chrysostomus (13), de amasena Asterius [9]), de alexandrina Cyrillus [10]), de emissena Paulus [11]), de ancyrana Theodotus [12]), de seleuciensi Basilius [13]). Nec secus sentiendum de ecclesia neocaesareensi deque gabatitana; nam Gregorius Thaumaturgus episcopus Neocaesareae et Severianus episcopus Gabatorum in orationibus habitis *εἰς Θεοφανια* VIII id. ianuar. loquuntur solummodo de Christi baptismo, nihil autem dicunt de eius ortu. Simili de caussa ecclesiae quoque Arabiae cum occidentalibus de Christi natali celebrando a. d. VIII kal. ian. consensisse putandae forent, siquidem Hippolytus (13) Adenae, quae Portus Romanus nomen quoque habuit, episcopus sit habendus, nam et ipse silet prorsus de ortu Christi in oratione *εἰς Θεοφανια*, deque uno baptismo loquitur, atque aperte separat diem festum natalis ab epiphaniae in opere, cui titulus est *Των ἀποστολων παραδοσις* [14]). Quod si Basilii Magni testimonium *ψευδωνυμον* esse putes cum Maurinis, attendas nihilominus, ut verisimile non sit alia sensisse Basilium, ac sensere Gregorius Nyssenus ipsius frater, eiusque amicissimi Gregorius Nazianzenus et Amphilochius, qui omnes praeterea in iisdem, ac Basilius, Cappadociae regionibus episcopatum gerebant. Meminisse insuper oportet orationis in concilio ephesino a Theodoto Ancyrano habitam de Christi natali eo die, quo adventus Magorum celebrabatur; haec enim in ea legimus: Hodie *ipsi* (***Magi***) *suis muneribus mysterium monstraverunt* [15]); quum ergo a Graecis dies festus Magorum a. d. VIII kalend. ianuar. celebretur, concludendum est ab ipso concilio diem festum natalis Christi eodem illo die fuisse actum.

20 Patribus autem omnibus modo enumeratis vetustiores sunt libri ***Constitutionum apostolicarum***, in quibus statuitur, ut festus dies natalis Christi agatur die XXV noni mensis, id est [16]), VIII kal. ianuar. [17]). Suspicatur quidem Iacobus Usserius [18]) caput hoc *Constitutionum* refictum esse atque interpolatum, quia secus, ac in eo statutum est, senserit atque egerit Epiphanius (14) harum *Constitutionum* laudator. Verum, ubi sententiam suam promit Epiphanius, eam auctoritate *Constitutionum* haudquaquam tuetur, imo eas ne nominat quidem, nec veri minus simile est eum ab his ea de re dissensisse. Imo tenacior sententiae suae Epiphanius ex eo urguitur, quod ignorare nequiverit ab ecclesiis omnibus Europae et ab Orientis plerisque eam respui, hancque vehementioribus verbis proponat, veluti qui aliam refellere studeat; quare, quod auctoritatem illam, quam ut censet Usserius,

---

1) Conf. homil. de Epiphan. I. VI. VII; de Baptismo Christi I. V. VI; Serm. de Epiphan. II. III. IV. Serm. VI de kalendis. 2) L. c. col. 1162 D. 3) Not. ad Constitut. apost. L. V. c. 13. 4) Or. XXV in sanct. Christi nativ. 5) Hom. XXXVIII in diem Christi natalem p. 622; hom. XXXIX in sancta lumina p. 632. T. I. ed. *Morellii*. 6) Or. VII in sancta theophania. 7) Homil. in diem natal. p. 772 D. 773 A; homil. in Christi baptism. p. 800. Paris. 1615; ad Euseb. ep. 1. ap. *Zaccagnium* Collectan. monumentor. veter. eccles. p. 354. 8) Or. II de circumcis. p. 17. Paris. 1644. 9) Homil. in fest. kalendar. ap. *Combefis*. Auctar. nov. biblioth. patr. T. I. col. 68. 10) Homil. *Pauli Emisseni* Alexandriae habita coram Cyrillo an. CDXXXII die XXIX choeac, id est, VIII kal. ianuar. In Concil. T. III. col. 1613 ed. *Coleti*. 11) Ib. 12) Homil. I in die nativ. § 5. 13) Laudat. s. Stephani in Biblioth. max. veter. patrum. T. VIII. p. 494. F Lugdun. 14) Ed. *Fabric*. § 21. 15) L. c. 16) Diss. XX. n. 9. 17) L. V. c. 13. Conf. L. VIII. c. 33. 18) De epist. ss. Ignat. et Polycarp. c. 7.

plurimi faceret, non protulerit, ea se minime invari sensisse dicendus quidem est, non tamen ex hoc consequitur illud caput in libris *Constitutionum* ab Epiphanio non fuisse repertum; nec video, cur Epiphanius *Constitutionum laudator* dici debeat, qui ita de his loquitur: *την των ἀποστολων διαταξιν, οὖσαν μεν τοις πολλοις ἐν ἀμφιλεκτῳ, ἀλλ' οὐκ ἀδοκιμον Apostolorum Constitutionem esse quidem plerisque in controversia, sed non improbandam* [1]).

21 Viderit porro Montfauconius, quam vere et quibus auctoritatibus haec affirmaverit: *Orientales ad usque medium saeculi quarti ritum celebrandi* (*natalem Christi*) XXV *decembris vix noverant, ut videre est in sermone Gregorii Nysseni de die natali*: NUNC PER TOTUM ORBEM HABITATUM, *inquit*, DIEM FESTUM CELEBRANTIUM CONCORS SONUS AUDITUR. *Nunc scilicet, et non antea* [2]). Non modo enim nulla satis est ratio putandi rem sic se habere, ut ipse ait, sed neque quod prior fuerit aut communior in Oriente mos agendi hoc sollemne VIII id., quam VIII kal. januar., quum e contrario plura sint, quaedam vero etiam vetustiora, ex Oriente monumenta, quae hoc alterum credere suadent. Ut plurimum, si aequo iure agere malumus, de Orientalibus dici patiemur non satis manifesto patere, utrum ipsis prius fuerit, utrum posterius. Illud enim vero minime patiar, verba Nysseni tanto viro tam male fuisse intellecta. Particulam *nunc* non usurpat Nyssenus, ut significet *tunc* coeptum fuisse celebrari Christi natalem a. d. VIII kal. ianuar., sed per huius particulae repetitionem ea enumerat bona, quae Christus natus nobis adtulit, nempe quibus *nunc*, id est, post Christum natum fruitur genus humanum. Id ita esse, ut dicimus, Montfauconium minime praeterisset, si ea quoque Nysseni verba retulisset, quae continuo sequuntur, et quibus sententia integra est. En verba Nysseni: NUNC, *ut prophetae testantur etc....* NUNC, *ut cecinit David etc....* NUNC, *per totum orbem habitatum diem festum celebrantium concors sonus auditur: Per hominem mors, et per hominem salus* [3]).

22 Neque ii, qui cum Montfauconio sentiunt, quidquam opis sperare possunt ex illa Ioannis Nicaeni epistola (18), in qua legimus, quid Iulius p. m. responderit Cyrillo episcopo Hierosolymae, qui ipsum consuluerat, qua die celebrandus esset Christi natalis, et quomodo *ex eo coepit celebrare in letitia romana ecclesia diem natalis Salvatoris decembris* XXV, *et tradidit omnibus ecclesiis* [4]). Quam enim exiguam fidem faciat tota illa Ioannis narratiuncula, iam demonstramus, idque eo opportunius, quo saepius non pauci nec parvo nomine scriptores eam produxerunt, ubi de die natali Christi quaestionem habebant. Epistolam hanc typis impressam edidit Combefisius in sua *Historia Monothelitarum*, fassus se nescire, qua aetate vixerit Ioannes; Papebrochius tamen demonstravit vixisse eum inter annos aerae vulgaris DCCCL et DCCCLX [5]).

23 Itaque Iulius p. m. vivere desiit an. aerae vulgar. CCCLII prid. id. apr. [6]), anno, postquam Cyrillus ὁ κατηχητης Hierosolymae episcopus iussus fuerat [7]). At scriptor latinus secundae ex homiliis de evangelio Lucae, Chrysostomi nomine perperam inscriptis (13. 18), quemque incepto iam saeculo V scripsisse comperimus, nam dicit diem festum natalis Christi ubique gentium VIII kalend. ianuar. aetate sua agi solitum, reprehendit tamen Hierosolymitas, quod contra universalem hanc consuetudinem illum adhuc agerent VIII id. ianuar. [8]). Tum nisi centum circiter post annis ab obitu Iulii p. m., hoc est, non multo ante annum aerae vulgaris CDLVIII, quo Iuvenalis episcopus mortuus est [9]), Christi natalis ab eodem ipso Iuvenali celebrari Hierosolymae coepit alio die quam baptismus; in hunc enim sensum accipienda sunt ea, quae de Iuvenali ait Basilius Seleuciensis (19) eius aequalis [10]); nisi sic intelligere malles, quod tamen nemo ferret, neo enim veri simile foret, ante annum illum nondum ullum diem Hierosolymis dictum fuisse huic sollemni agendo, atque eo anno agi id primo coepisse, quo tamen magis ac magis nutaret fides Ioannis Nicaeni. Eum quidem, quem Ioannes *Cyrillum* vocat, alius scriptor, cuius narratio habetur in eodem codice, unde Ioannis epistolam exscripsit Combefisius [11]), vocat *Iuvenalem*, at peius malo remedium arguit immanis μεταχρονισμος. Alii Cyrillum hunc alium esse putant ac τον κατηχητην, ideoque pro *Iulio* substituendum *Liberium*. Et re vera Ioannis verba male a librariis fuisse habita patet vel lippis; sic enim sunt: *Ἐγραψε ποτε Κυριλλος ὁ γραψας την ἐπιστολην Κωνσταντινῳ* (lege *Κωνσταντιῳ*), *ἀλλ' ὁ μετ' ἐκεινον διαδεξαμενος τον θρονον αὐτου, προς Ἰουλιον τον Ῥωμης ἐπισκοπον, ἐγραψε λεγων. κ. τ. λ. Scripsit aliquando Cyrillus, qui scripserat epistolam Constantio, sed qui post illum acceperat thronum eius, ad Iulium episcopum Romae, scripsit dicens etc.*; quae emendavit Combefisius inserto οὐχ *non* post nomen

[1]) Haer. LXX. § 10. [2]) Opp. *Chrysost.* T. II. p. 354. [3]) Homil. in diem natal. p. 784. [4]) L. c. col. 304. [5]) Ep. II. ad Possinum in Paralipom. in Conat. ad catal. Romanor. PP. § 4. p. 21. [6]) *Pagii* Crit. ad ann. 352. n. II. [7]) *Id.* ib. ad ann. 351. nn. VII. VIII; ad ann. 353. nn. VII. VIII. [8]) L. c. col. 1162. [9]) *Pagius* ad ann. 357. n. 13. [10]) *Cotel.* not. ad Constitut. apost. L. V. c. 13. [11]) *Coteler.* not. ad Constitut. ap. L. V. c. 13.

Κυριλλος Cyrillus. Attamen haec *μεταμορφωσις Iulii* in *Liberium* et *Cyrilli* unius in alium malo nondum medetur, octuaginta enim anni a morte Liberii eoque amplius fortasse ad eam usque aetatem supersunt, qua sollemne in alium diem translatum Hierosolymis est [1]). Quid vero quod ipse Ioannes Nicaenus paullo post [2]) dicat Ioannem, qui post Cyrillum *τον κατηχητην* vita functum ecclesiam hierosolymitanam regebat, doctum a Ioanne Chrysostomo Constantinopoleos episcopo morem, qui erat ecclesiae romanae, ut natalis Christi VIII kal. ianuar. celebraretur, quod prius fieri non potuit eo anno, qui duodecimus minimum fuit post obitum ipsius Cyrilli, et sextus supra quadragesimum ab obitu Iulii p. m.? Cyrillus enim vivere desiit anno CCCLXXXVI, Chrysostomus episcopatum Constantinopoleos accepit IV kal. mart. an. CCCXCVIII [3]). Verum haec quoque narratiuncula, tot fere menda habet, quot verba. Narratur enim, ut Honorius Occidentis imperator Arcadium fratrem imperatorem Orientis Constantinopoli inviserit, quod tamen numquam factum est. Dicitur Honorius morem illum Romanorum fratrem docuisse, is vero Chrysostomum, Chrysostomus demum alios Orientis metropolitas Ioannem Hierosolymitanum, Theophilum Alexandrinum, Flavianum Antiochenum, quum tamen Constantinopoli semper (18. 19) aut certe longe ante illum annum, qui esse non potuit prior anno aerae vulgaris CCCXCVIII, quo Chrysostomus episcopatum accepit, mos ille obtinuisset, eumque iam inde ab anno CCCLXXVII Chrysostomus Antiochiae didicisset, quo anno in hanc urbem idem ille mos fuerat inductus (13. 19) antequam Flavianus episcopus crearetur [4]). Dicuntur haec acta fuisse Epiphanio plane consentiente, qui tamen alia omnia sentiebat (14. 20). Denique, quae profert Ioannes noster ex Basilii *Moralibus* et ex Gregorii homilia *in sancta lumina*, neutro in scripto ea comparent. Ex his omnibus coniicias licet, quanti prostet haec nicaena merx, quantique facienda sit Ioannis auctoritas.

24 Ceterum non est dubium circa medium saeculi V Orientales omnes Catholicos illosque ipsos, qui olim natalem et baptismum Christi festum simul agebant VIII id ianuar., morem Occidentalium sequutos esse, et diem festum natalis VIII kal. ianuar. celebrasse. Quod ad Aegyptum (15) id discimus ex homilia a Paulo Emisseno Alexandriae habita (19) anno aerae vulg. CDXXXII. Neque refelli id potest testimonio Cassiani (15); is enim scribere coepit anno CDXXIV, eaque scribebat de Aegypto, quae viginti ante annis eoque amplius in ea regione fieri viderat [5]). Hierosolymis illud ipsum factum fuisse ante annum CDLVIII iam diximus (23). Neque illud obest, quod Cosmas Indicopleustes octuaginta circiter annis post obitum Iuvenalis [6]) haec scriberet: *Soli autem Hierosolymitani in epiphaniis natale agunt* [7]); putandus enim est Cosmas ex vetustiore aliquo auctore haec transcripsisse, non autem longis itineribus, ut erat, distentum accepisse ab aequalibus. Idque eo veri similius fit, quia nescivit illud ipsum fieri olim solitum in sua Aegypto; scribit enim, prioribus aetatibus eodem die VIII kal. ianuar. cum natali Christi baptismum quoque esse celebratum, deinde vero statutum, *ut . . . duodecim dies intercederent, atque tunc epiphaniae solemnitas celebraretur* [8]), quod etiam nil nisi praeposteram Cosmae coniecturam esse patet. Quid vero, quod dicat diem festum natalis Christi esse die XXVIII mensis, qui ab Aegyptiis choeac vocatur, quum tamen sit die XXIX? id tamen, nisi librarii mendum credere malumus, ex eo repetere fortasse licet, quod anno DXXXV, quo Cosmas scribere coepit, quum apud Aegyptios intercalatum esset, dies VIII kal. ianuar. inciderit, non in diem XXIX, sed in XXVIII mensis choeae, sicut fiebat omnibus annis, quibus intercalabatur. Lege Dissertationem XIX. n. 124. Denique in omnium ecclesiarum kalendariis, atque adeo etiam ecclesiae salaminiae (14), circa medium saeculi V natalem Christi iam adscriptum fuisse diei VIII kal. ianuar., testatur auctor secundae ex homiliis latinis de evangelio Lucae, quae sunt inter opera Chrysostomi (23), narrans aetate sua solos Hierosolymitas adhuc superesse, qui natalem hunc festum agerent VIII id. ianuar.

25 Haec de die festo natalis Christi, quibus, ut mihi saltem videtur, abunde demonstratur, quo loco haberi debeat opinio eorum, qui putant, apud plerasque Orientis ecclesias hoc sollemne olim alii diei adscriptum fuisse quam VIII kal. ianuar. Hoc posito iam facile est illud evincere, quod volumus (1), quod ad diem ipsum, quo Christus natus esse fertur.

26 Etenim potissimum argumentum, quod nobis opponi posset, foret mos celebrandi natalem Christi alio die, quam VIII. kal. ianuar., quo eum natum dicimus. Verum iam animadvertimus (2) huic argumento non eam vim inesse, qua sententia nostra refellatur, quum alia quoque anniversariis

---

[1]) *Pagi* Critic. ad ann. 367. n. II. [2]) L. c. col. 305. [3]) *Id.* ib. ad ann. 386 n. V et ad ann. 398. n. XX. [4]) *Baron.* ad ann. 38t. n. LI et *Pagii* Critic. ad ann. 38t n. XII. [5]) *Cave* De scriptorib. eccl. [6]) *Montfaucon.* Praef. ad opp. *Cosmae* c. 1. [7]) De opific. mundi L. V. p. 195 ed. *Montfauc.* [8]) Ib. p. 194.

sollemnibus mos sit celebrare non eo die, quo facta fuerunt, sed alio, quo constat nequaquam facta esse. Cuius rei specimen habes maxime e re nostra ipso die VIII id. ianuar., quo die tum Christi baptismum festum habemus, tum prodigium ab eo Canae in nuptiis patratum, etsi certo constet haec duo eodem anno, proinde non eodem die facta fuisse, quum inter utrumque aliquod temporis spatium intercesserit. Sed insuper neque recentior est, neque unquam minus late patuit minusque communis fuit, saltem, quod fuerit, effici nequit, mos agendi hoc sollemne VIII kal., quam VIII id. ianuar.; quippe haec est complexio eorum, quae huc usque disputavimus. Denique ratio non deest, cur credamus in aliquas illarum ecclesiarum, in quibus agebatur VIII id. ianuar., morem hunc primo inductum quia, quo die Christus natus esset, nescirent. Et quidem de Hierosolymitis constaret, siquidem aut *γνησια* esset epistula Cyrilli, quam refert Ioannes Nicaenus (13), aut fidem faceret illa huius narratiuncula [1]), in qua Hierosolymitae *πεπλανημενοι errantes* illud egisse dicuntur, annuente quidem Iacobo apostolo, sed qui compertum haberet Christum in lucem fuisse editum, non VIII id., sed VIII kal. ianuar. Quae satis profecto sunt, quibus refellamus, quidquid contra nos ex narratis a Ioanne Nicaeno quis proferret. Quod ad Aegyptios illud satis aperte memoriae prodidit Cassianus (15) haec scribens: *Quem (diem epiphaniae) provinciae illius (Aegypti) sacerdotes* VEL *dominici baptismi,* VEL *secundum carnem nativitatis esse definiunt;* cui narrationi magnum momentum adiiciunt ea, quae ex Clemente Alexandrino mox proferemus. Scriptor homiliae de epiphania, quae simul est octava ex decem homiliis latinis inter opera Origenis insertis [2]) et septimus inter sermones Maximi Taurinensis (18), quamvis, ad quam gentem pertineret, ignotum sit, id tamen significavit, quod affirmamus, quum ita aiebat: *Sive hodie natus est Dominus Iesus, sive hodie baptizatus, diversa quippe opinio fertur in mundo, et pro traditionum varietate sententia est nobis.* De ecclesiis autem Orientis in universum illud ipsum credere suadent ea, quae superius (13) transcripsimus ex Chrysostomi homilia. Tum incompertum Orientalibus vulgo fuisse diem, quo Christus natus est, porro arguimus ex ipsa sententiarum de hoc die discrepantia, quam inter illos exstitisse mox ostendemus (28).

27 Communis itaque opinio, quod Christus VIII kal. ianuar. ortus fuerit, nihil detrimenti capere potest ex eo, quod olim eius natalis alio die ab aliquibus Orientalibus festus ageretur. Quid vero, si contendam patrum testimonia longe plura et praeclariora opinioni huic suffragari, quam cuivis alii ceterarum, atque adeo eorum, qui putarunt Christum natum VIII id. ianuar? Atqui sic est.

28 In diversas quidem de illo die sententias itum olim praesertim inter Orientales, historia nos docet. Fuerunt enim, qui Christum non. ianuar. natum putarent, ut memoriae prodidit Hieronymus [3]). Valentiniani, sicut est apud Epiphanium [4]), id factum aiebant XII kal. iun. aut iul. Alii XXV mensis, qui pachon dicitur Aegyptiis, id est, XIII kal. iun., quorum meminit Clemens Alexandrinus [5]). Alii apud eumdem [6]) XXIV aut XXV pharmuthi id est, XIII vel XII kal. mai. Ipse Clemens [7]) ait Commodum obiisse CXCIV annis, uno mense, tredecim diebus ab ortu Christi; quum autem Commodus vivere desierit prid. kal. ianuar. an. U. C. CMXLV, Christus, ut fert sententia Clementis, ortus esset XIII kal. decembr. Verum quid de his, quae apud Clementem leguntur sentire oporteat, in alio loco diximus [8]). Hic autem velim animadvertas, inter anni dies, quibus aetate Clementis Aegyptii Christum natum dicebant, non numerari diem VIII id. ianuar. Inter Occidentales vero auctor *Computi de pascha*, qui saeculo III vivebat, et Cyprianus esse fertur, diem Christi natalem fuisse ait a. d. V kal. april. [9]), attamen scriptori huic *nativitas*, quam dicit, non significat ortum, sed, quod verius videtur, conceptum. Sed de huiusmodi sententiis, non est, cur solliciti simus, quum vel ipsa harum discrepantia non modo evincat, non aliunde eas emersisse, nisi ex eo, quod verum diem Christi natalem, qui eas sequebantur, ignorarent, sed etiam nos iuvet ex ea parte, quatenus argumento est auctoritatem eorum, qui sic senserunt, utpote qui rem ignorarent, sententiae nostrae officere nullo modo posse.

29 Sed nec ulla ratione probabilior, quam nostra, dicenda est sententia illa, quae prioribus aetatibus, in Oriente praesertim, communior fuisse fertur, Christum natum esse VIII id. ianuar. Imo miraberis talem eam existimari a viris ceteroquin eruditissimis, si attendas, ut in tota antiquitate tres solummodo reperire sit, qui illud expresse affirmaverint, Ephraemum [10]), Epiphanium [11]), et Timotheum episcopum, quem Gennadius [12]) commemorat, nec tamen, cuiusnam urbis episcopus esset,

---

[1]) Col. 301. [2]) Opp. P. II. p. 289. Paris. 1604. [3]) In Ezech. I, 3. [4]) Haeres. LI al. XXXI. § 29. [5]) Strom. L. I. § 21. [6]) Ib. [7]) Ib. [8]) Diss. XIX. n. 42. [9]) Opp. *Cypriani* in fine. Oxon. Amstelod. et Bremae. [10]) In natal. Dom. Serm. IV. p. 415 A opp. syr. lat. T. II. Romae 1740. [11]) Haer. LI al. XXXI. §§ 16. 24. 27. [12]) De scriptorib. eccl. c. 58.

nos docet, nisi forte est Timotheus episcopus Arcae vel Archelaidis urbis Palaestinae Cyrillo Alexandrino suppar, nam statim post hunc a Gennadio nominatur, qui interfuit utrique synodo Constantinopoli habitae annis aer. vulg. 448 et 449, quique forte cum Hierosolymitis sentiebat [1]; quibus Hippolytum addendum esse Sanclementius contendit [2]. Ille enim in periodo annorum CXII, quam excogitavit, adscripsit ortum Christi, prout Sanclementio videtur, anno II, obitum vero anno XXXII; quare, quum annis initium faciat a kal. ianuar., si Christum natum putasset VIII kal. ianuar., dicendus foret Christo non longiorem vitam tribuisse, quam annorum XXIX et mensium III, quod tamen factum est etiam in *Fastis consularibus* Idatii Lemicensis nomine inscriptis, in quibus Christus ortus dicitur VIII kal. ianuar. an. U. C. DCCLII, mortuus X kal. apr. an. U. C. DCCLXXXII. Ergo, ut credatur Hippolytus adscripsisse natalem Christi diei VIII id. ianuar., illud magis nos movere deberet, quod ea aetate communis foret opinio Christum natum esse anno U. C. DCCLI a palilibus ducto [3]. Iam vero primus annus periodi ab Hippolyto excogitatae incidit in annum primum Alexandri Severi, qui erat annus U. C. CMLXXV, quo anno hanc periodum edidit Hippolytus; quam ob rem eadem haec προληπτικῶς incepisset cum anno U. C. DCCCLXIII, aliaque prior cum anno DCCLI, et annus II periodi fuisset annus U. C. DCCLII ductus a kal. ianuar., ut fit ab Hippolyto. At si mense decembri huius anni Christum natum dixisset Hippolytus, dissensisset quod ad annum a communi illa opinione suorum aequalium, secus vero si priore mense ianuario, quum eo mense annus U. C. DCCLI a palilibus ductus adhuc iret. Sed haec nihili sunt; non enim animadvertit Sanclementius, ut ratio, cur anno II periodi vox γένεσις adscripta est, non ex eo petenda sit, quod Hippolytus eo anno Christum natum putaverit, sed quod eo anno pascha post Christum natum primum actum fuerit [4]. Itaque, praeter Epiphanium, Ephraemum; et Timotheum, qui expresse se ita de illa quaestione sentire professus sit, dubito an alium sis reperturus. Neque enim, cur secus credam, satis est testimonium Dionysii Bar Salibaei, qui exeunte saeculo XII in Oriente florebat [5].

30 At longe plures horumque nonnullos prioris aut eiusdem, atque illos tres, aetatis vel in ipso Oriente reperias, qui sententiae nostrae expressis verbis calculum suum adiiciunt. Mittam equidem Iacobi apostoli testimonium, utpote quod in unius Ioannis Nicaeni narratiuncula (26) veluti latet. Nec magis urgebo epistolam Evodii Antiochiae secundum Petrum apostolum episcopi; nam haec quoque epistola latuit ad saeculum usque XIV, nec, unde illam eruerit Nicephorus Callistus [6], alicui adhuc innotuit. A quibusdam etiam veluti laciniis *Constitutionum apostolicarum* sive alius operis, quodcumque demum illud fuerit, apostolorum nomine inscripti, quas vel Anastasius Nicaenus, qui esse fertur [7], vel veteres quidam codices [8] exhibent, securi abstinebimus, quum earum γνησιότης merito in dubium revocetur. Sed, quos sequamur in defendenda sententia nostra, auctores habemus ipsos libros *Constitutionum apostolicarum* [9], Eusebium Caesariensem [10], si tamen Eusebii sunt, quae de hac quaestione eius nomine inscripta feruntur, Athanasium [11], utrumque Gregorium Nazianzenum et Nyssenum (19), Amphilochium [12], Chrysostomum (13), Anianum [13], auctorem homiliae cuiusdam de natali Ioannis Baptistae, quae dici solet *De solstitiis et aequinoctiis* [14], si tamen hic Orientalibus adnumerandus est, Asterium Amasenum [15], Proclum [16] et Nicephorum [17] Constantinopolitanos. Missos facio, qui sequioribus aetatibus in Oriente exstiterunt, sicut et Latinos omnes, quos inter scriptorem quoque *Operis imperfecti in Matthaeum* [18], et quorum nemo est, qui alio die quam VIII kal. ianuar. Christum in lucem editum fuisse certo narret.

31 Patribus modo enumeratis addendus foret Ephraemus, quantum sonat latina eius verborum translatio, in qua dicitur Christus conceptus mense *martio*, natus mense *decembre* [19], quae mensium nomina reddita sunt pro graecis ξανθικῷ et ἀπελλαίῳ [20], haec autem graeca pro syriacis. Ipsa Ephraemi verba syriaca, pro quibus graeca haec reddita sunt, non supersunt, supersunt tamen alia,

---

[1]) *Lequien* Oriens Christianus. T. III. col. 675. [2]) De vulgaris aerae emendat. L. IV. c. 9. p. 474. [3]) Diss. XX. n. 5. [4]) Diss. XIX. n. 55. [5]) Ap. *Asseman.* Biblioth. orient. T. I. c. 32. pp. 163. 164. [6]) H. E. L. II. c. 3. [7]) Quaest. XCIII ed. *Gentiani Herveti* in Biblioth. patr. ed. 2. *De la Bigne* T. I. col. 138. [8]) Codd. 1067. 1789 thesauri reg. ap. *Coteler.* Patr. apostol. T. I. pp. 196. 197. [9]) L. V. c. 13. coll. L. VIII. c. 33. [10]) Ap. *Combefis.* Hist. Monothelit. p. 415. et *Anastas. Nicaen.* Quaest. XCIII. et *Isaac. Armen.* Invect. I. c. 2. in Armen. [11]) Ap. *Euthym.* Panopl. L. II. c. 7 et *Isaac. Armen.* l. c. Lege Diss. XIX. n. 76. [12]) Or. II de circumcisione p. 17. Paris. 1644. [13]) Ap. *Syncell.* Chronograph. pp. 35 A. 315 D. [14]) Opp. latin. *Chrysost.* T. II. columm. 1157. 1159. Paris. 1581. [15]) Homil. in fest. kalendar. ap. *Combefis.* Auctar. nov. biblioth. patr. T. I. col. 68 et Laudat. s. Steph. ib. col. 283. [16]) Or. IV in diem natal. ap. *Combefis.* ib. col. 337 coll. Or. VII in sancta theophan. ib. col. 381. [17]) Chronograph. p. 399. Paris. 1652. [18]) Hom. XLIX in Matth. XXIV, 22. p. CCVII opp. *Chrysost.* T. VI ed. *Montfauc.* [19]) Ap. *Corder.* Catena patrum in Luc. II, 6. [20]) Opp. graec. latin. T. II. p. 427. Romae 1743.

quibus narrat Christum conceptum fuisse mense ܢܝܣܢ *nison* [1]), natum mense ܟܢܘܢ *conun* [2]). Syris duo menses hoc altero nomine vocantur, *conun prior*, et *conun posterior*. Hunc alterum, qui magnam partem ianuario respondet, mensem Christi natalem ab Ephraemo habitum esse apparet ex ipsis eius verbis, quae sic sunt: *Vicit sol, et quibus ascendit gradibus*, a bruma videlicet, *signavit mysterium.* DUODECIM *interfluxere dies, ex quo ascendit; hic, qui agitur*, TERTIUS DECIMUS *est, qui nativitatem Christi repraesentat* [3]). Lego Dionysii Bar Salibaei *Expositionem in evangelia*, et quae in huius margine ἀνώνυμος quidam scriptor syrus adnotavit [4]). Emendanda igitur est translatio Petri Benedicti, qui in splendidissima editione operum Ephraemi, quae syriace supersunt, typis vaticanis ab ipso inchoata atque a Stephano Evodio Assemano absoluta, illud *conun* vertit *decembre*, quum vertere debuisset *ianuario*.

32 Indictam praeterire non oportet sententiam, quam post Scaligerum aliosque Protestantes, quorum agmen ducit Matthaeus Beroaldus Calvinista [5]), defendit Harduinus [6]), Christum ortum esse mense septembre. Cur ita sentiant, ratio ipsis est, quia nocte illa, dum Christus oriebatur, *pastores erant in regione eadem vigilantes* [7]), sive, ut sonat graecum Lucae verbum ἀγραυλοῦντες, *pernoctantes in agro*; at media hieme pastores in agris non pernoctant. Ex quo Harduinus praeterea concludit, in prisca ecclesia adscriptum fuisse diem festum natalis Christi diei VIII kal. ianuar., ut Christiani adversarentur Ethnicis, qui eodem hoc die *natalem invicti Mithrae* celebrabant. Quod adtinet ad alteram hanc conclusionem, quum purum putum Harduini commentum ea sit, in eadem refutanda non immorabor; refutatam tamen illam habet Philippus a Turre [8]). Quod ad conclusionem priorem, animadvertam pastores per hiemem non secus ac per aestatem in Latio inque aliis Italiae regionibus ἀγραυλεῖν *in agris excubare*. Cur igitur id minime faciant in mitioris caeli regionibus, ut est Palaestina? Quid, quod in Anglia quoque sua id fieri testatur Casaubonus [9])? Quid, quod idem de sua Dania testatur Langius [10])? E testimoniis autem Talmudistarum, quae ex *Horis hebraicis* Ioannis Lightfooti transcripsit Harduinus, inque suam sententiam eodem ipso Lightfooto duce interpretatus est, contraria prorsus eorum, quae is vellet, consequuntur, idque etiam demonstravit Philippus a Turre. Ceterum vel inter ipsos Protestantes eruditione clariores non defuerunt, qui communem Christianorum sententiam defenderent, ut Langius [11]), Montacutius [12]), Vossius [13]), Casaubonus [14]), qui ita pronuntiat: *Vetusta traditio ecclesiae ad* XXV *decembris nativitatem recolentis non temere nobis reiicienda.* De ipsa vero Beroaldi opinione ita alius Protestans Henricus Buntingus [15]): *Non satisfacit nobis Beroaldi demonstratio. Plus enim tribuendum est tot sanctorum patrum traditionibus ab universa ecclesia Dei receptis et approbatis, quam unius Beroaldi coniecturae, quae sacris litteris non satis probari potest; praesertim cum sanctorum patrum traditiones cum sacris bibliis et mathematicis observationibus conveniant, a quibus Beroaldus interdum satis procul aberrat.*

33 Itaque, quum ex iis, quae hactenus disputavimus compertum cuique fiat, non esse cur minus vera credatur sententia communis Christianorum de die natali Christi, quin imo in superiore dissertatione [16]) demonstraverimus, quomodo ipse dissensus eorum, qui aiunt Christum natum VIII kal. quique VIII id. ianuar. argumento sit utique VIII kal. natum esse, quaestionem hanc tandem concludo, atque aio, Christum natum esse.

Anno

Aerae constantinopolitanae	$\overline{\text{V}}$DIII
Aerae Hippolyti episcopi	$\overline{\text{V}}$ CDXCVII
Aerae Iulii Africani	$\overline{\text{V}}$ CDXCVI
Aerae Alexandrinae	$\overline{\text{V}}$ CDXXCVI
Aerae Eusebii Pamphili	$\overline{\text{V}}$ CXCV
Periodi iulianae litera D	$\overline{\text{IV}}$ DCCVII
Mundi secundum biblia	$\overline{\text{III}}$ CMLXXVII

[1]) Serm. III in natal. Dom. Opp. syriac. latin. T. II. p. 407 A. Romae 1740. [2]) Ib. et p. 410 C. D. [3]) Serm. IV in natal. Dom. p. 415 A. [4]) Ap. *Asseman.* Biblioth. orient. T. II. c. 32. pp. 163. 165. [5]) Apud *Tirinum* Chronic. sacr. c. 48. [6]) Antirrhet. de numm. veter. populor. p. 65. [7]) Luc. II, 8. [8]) Monumenta veteris Antii P. II. c. 6. [9]) Exercit. II in Baron. n. 14. [10]) De annis Christi L. II. c. 2. [11]) L. c. [12]) Origin. eccles. P. I. p. 47. [13]) De temp. nat. Christi P. II. c. ult. [14]) L. c. [15]) In Chronolog. ap. *Tirin.* l. c. [16]) Diss. XX. n. 9.

Mundi secundum Iudaeos recentiores	$\overline{III}$ DCCLV
Abrahami secundum Eusebium	$\overline{II}$ XI
Olympiadis CXCIII II, hoc est, anno olympiaco	DCCLXX
Ab Urbe condita secundum Varronem	DCCXLVII
Nabonassari	DCCXLII
Philippi et a morte Alexandri	CCCXVIII
Seleucidarum secundum Syromacedonas	CCCVI
Seleucidarum secundum Chaldaeos	CCCV
Aerae iulianae Antiochenorum	XLIII
Iuliano	XXXIX
Aerae hispanicae	XXXII
Actiaco a kalend. ianuar.	XXV
Actiaco ab ipso proelio	XXV
Aerae augustanae Antiochenorum	XXV
Aerae augustanae Aegyptiorum	XXIV
Augustorum	XXI
Ante aeram dionysianam et vulgarem	VII
Imperii Caesaris Augusti	XXXVII
Periodi V callippicae	XX
Periodi Hippolyti	CIX
Periodi Cypriani	LXXXIX
Supputationis romanae	XXXIII
Periodi Victorii	CDXCIX
Cycli solaris	III
Cycli lunaris	XIV
Indictionis constantinopolitanae *προληπτικως*	XIII
Indictionis romanae *προληπτικως*	XII
Q. Fufio Caleno P. Vatinio coss.	
Dio autem	
Decembris iuliani	XXV
Decembris gregoriani	XXII
Tybi veterum Aegyptiorum	III
Tebeth Iudaeorum a solis occasu	VI
Gamelionis veterum Atticorum	IV
Ante kal. ianuar. Romanorum ex pravis intercalationibus	XI
Ante kal. ianuar. Romanorum ex recta intercalatione	VIII
Peritii veterum Chaldaeorum	V
Audynaei veterum Syromacedonum	V
Choeac fixi Aegyptiorum	XXIX
Peritii iuliani Asianorum	II
Apellaei iuliani Antiochenorum	XXV
Apellaei iuliani Tyriorum	VIII
Apellaei fixi Gazensium	XXIX
Hebdomadae	VI

DISSERTATIO XXII

De loco, ubi Christus in lucem editus fuit

1 Etsi Bethlehemum Christi patriam esse nemo contra scriptorum sacrorum testimonia in dubium revocare ansas sit, discordes tamen sunt sententiae, num Maria illum pepererit in ipso praesepi, ubi natum deposuit, an alibi, num praesepe intra urbem ipsam, an extra, situm fuerit.

2 Qui sentiunt Christum, non extra, sed intra urbem in lucem editum, his momentis ducuntur.

Quod Michaeas expressis verbis Christum Bethlehemi oriturum praedixerit [1]. Quod Matthaeus Bethlehemi ortum narraverit [2]. Quod id ipsum clare significetur adverbio *ἐκεῖ ibi* apud Lucam [3]. Quod in verbis *ἐν τῇ φάτνῃ* articulus *τῇ* credere suadeat ipsius diversorii praesepe esse, in quo divinus infans iacuisse narratur, diversoria vero, non extra, sed intra moenia haberi solent. Quod Angelus pastoribus nuntiaverit Christum natum esse *in civitate David* [4]. Quod pastores, qui *erant in regione eadem* [5], id est, in agro suburbano, dicantur ivisse *usque Bethlehem* [6], scilicet urbem esse ingressos, ut, quae audierant, conspicerent. Quod denique patres hosque inter Iustinus [7], cui utpote Palaestino ea loca probe cognita fuerint oportet, et Hieronymus [8] triginta quatuor annis Bethlehemi incola intra urbem et Christum natum et praesepe situm esse memoriae tradiderint [9].

3 Verum neque Iustini neque Hieronymi verba multum conferunt huic sententiae. Iustinus enim obscure omnino loquitur: *Nato autem*, inquit, *tunc puero Bethlehemi, quoniam Ioseph non habebat in pago illo, ubi diverteret, in spelunca quadam prope pagum divertit; et tunc, quum essent ibi, pepererat Maria Christum, et in praesepi ipsum posuerat, ubi, quum venissent ex Arabia, Magi invenerunt ipsum.* Hieronymus iter Paulae per loca Palaestinae presse describens, seu verius indicans, paucis narrat, quomodo illa Hierosolymis profecta ad sepulcrum Rachuelis advenerit, *inde Bethlehem ingressa* ET *in specum salvatoris introiens*, post expleta illic religionis officia, Gazam versus perrexerit; ex quibus nullo modo concludere cogimur intra Bethlehemum vel specum situm, vel Christum natum esse. Reliqua vero argumenta hac una ratione convelluntur, quod, quae in suburbiis fiunt, fieri existimentur in ipsa urbe. Neque enim Christi vaticinium, quo praedixit se Hierosolymis cruci figendam [10], fallax dicemus eo, quod in Golgotha, qui tunc erat extra urbem, id factum fuerit [11]. Ita et in martyrum fastis loca quaedam Romae esse dicuntur, quae ad tertium et quartum ab Urbe milliarium et ulterius quoque sita sunt. Quod adtinet ad *ἐν τῇ φάτνῃ*, primo animadverte codices aliquot ex praecipuis, ut vaticanum, alexandrinam, cantabrigensem, octavum e stephanicis, aliosque, articulum *τῇ* neque in septimo versu exhibere neque in duodecimo, ex quo illum expunxit Griesbachius, etsi ex septimo expungere non fuerit ausus. Sed, quidquid sit de hoc articulo indicandum, nihil inde sive ob rem, sive ab re; cur enim diversoria minime sint extra urbes? praesertim quum hic, ut sentit ipse Rosenmuellerus, qui hunc articulum urget, non agatur de diversorio aliquo publico, sed de *domo, in quam venerant hospitii quaerendi caussa* [12].

4 Alii extra Bethlehemum Christum ortum existimant ex situ ipsius speluncae, qui nunc est [13], idque eo effici, quod pastores, qui ad Christum venere, dicuntur vigilasse *in regione* EADEM [14], scilicet in qua Christus tunc natus erat, atque hanc addunt ratiunculam, quod isti in urbem, quam noctu clausam esse oportebat, ingredi non potuissent; suae demum sententiae patres suffragari aiunt, Iustinum [15] potissimum et Eusebium, qui scripsit Bethlehemitas, *tamquam a patribus ad ipsos profecta traditione,* rei veritatem testari *per τοῦ ἀγροῦ* AGRI *demonstrationem, in quo enixa virgo deposuit infantem* [16].

5 Neque tamen urgumenta haec tantum habent ponderis, ut in alteram hanc sententiam nos discedere compellant. Nam aetate Christi locum circa speluncam alia forma fuisse, ac nunc est, vel ideo credibile fit, quia iumentis aditus in eam pateret, hodie vero ad eam sub terra defossam descendunt, idque aedificiorum ruinis ex parte saltem deberi, proinde urbem alio fortasse olim situ, aut ampliore, quam modo est [17], ambitu ipsum antrum complexam esse. *Pastores erant in regione eadem*, id est, in agro prope Bethlehemum; nam illud *τῇ αὐτῇ eadem* respondet adverbio *ἐκεῖ ibi*, quod Bethlehemum designat (2). Bethlehemum alias Ephrata [18] ab ipsis primordiis reipublicae israeliticae inter urbes Iudae habita [19], omnium tamen minima [20], et posteriore aetate a rege Roboamo munimentis cincta [21], quando Christus natus est, quamvis urbis nomen et dignitatem conservaret [22], formam tamen urbis iam amisisse videtur, quippe apud Ioannem *τῆς κώμης pagi* seu, ut interpres latinus vertit, *castelli* appellatione distinguitur [23]; quare noctu quoque cuique pervia patebat. Sed, esto, moenibus adhuc cincta foret, num oppida omnia moenibus septa noctu clauduntur? Quod si claudebatur, num noctu nemini portae reserabantur, illis adeo diebus, quibus homines

---

[1] Mich. V, 2. [2] Matth. II, 1. [3] Luc. II, 6 coll. 4. [4] Ib. 11. [5] Ib. 8. [6] Ib. 15. [7] Dial. cum Tryph. § 78. [8] Ad Eustoch. ep. CVIII al. XXVII et LXXXVI. § 10. [9] *Sandinus* Hist. famil. sacrae. De Christo D. c. I. § 7. [10] Luc. IX, 31; XVIII. 33 coll. XIII. 33. [11] Io. XIX, 20; Hebr. XIII, 12. Conf. Ios. V, 13 hebr.; X, 10. [12] Schol. in h. l. [13] Lege *Quaresmii* Terrae sanctae elucidat. L. VI. Peregrinat. 2. c. 4. [14] Luc. II, 8. [15] L. c. [16] Dem. ev. L. VII. c. 12. p. 343 Parisiis 1628. [17] *Quaresmius* l. c. Peregr. 1. c. 13. [18] Gen. XXXV, 19; XLVIII, 7. [19] Iud. XVII, 7. [20] Mich. V, 2. [21] II Par. XI, 6. [22] Luc. II, 4. 11. [23] Io. VII, 42.

magna frequentia ad censum deferendum illuc ex aliis Iudaeae regionibus commeabant? Quid valeant Iustini verba, iam vidimus (3). Eusebius commemorans *agrum in quo enixa virgo deposuit infantem*, loquitur de ea regione, qualis aetate sua visebatur, et nostra adhuc visitur, verique maxime simile illud est, quod coniectat Casaubonus [1]), Eusebium non *τοῦ ἀγροῦ agri* scripsisse, sed, pro eo ac res, quam narrat, flagitare omnino videtur, *τοῦ ἄντρου antri*, ut ipse Eusebius alias agens de loco, in quo Christus natus est, constanter scripsit [2]), utque locum hunc vocaverunt Caesarius Gregorii Nazianzeni frater [3]) et Isidorus Pelusiotes [4]); quin idem ipse Eusebius in eodem illo opere eamdem rem narrans sic scripsit: *Incolae eius loci σπήλαιον* SPELUNCAM *ibidem monstrant etc.* [5]).

6 His autem, quae utrique sententiae opposuimus, eos quoque refellas, qui, ut simul componant locum, qua nunc spelunca extra Bethlehemum visitur, cum sensu, qui maxime proprius est verbis Michaeae, Matthaei, et Lucae, aiunt, Christum intra urbem ortum quidem esse, mox vero ab ipsa matre in speluncam seu praesepe gestatum ibique depositum; atque in hunc sensum accipiunt verba Iustini superius relata (3). Verum quid virgo non illic filium posuisset, ubi pepererat? Nam, cur in praesepi, caussam Lucas nos docuit, *quia non erat eis locus in diversorio*, idque nimirum etiam ante partum; neque enim hospes puerperam, quam ante partum domi exceperat, continuo post partum domo expulisset, quam expulsionem, non modo Lucae narratio non prodit, sed potius explodit. Ergo etiam ante partum praesepe pro diversorio illis fuit.

7 Quid itaque concludendum? Scilicet incertum adhuc esse, utrum spelunca, quam Christi natalibus consecrata est, intra urbem sita fuerit, an extra. Illud tamen veri similius esse, tum quia nullis argumentis queat revinci, tum quia is sensus sit magis proprius et vaticinii Michaeae, et narrationis Matthaei ac Lucae; nec mirum magis, quod spelunca, quae olim intra urbem fuerat, nunc extra sit, quam quod hodie intra Hierosolymam sit Golgotha, qui olim extra fuerat.

8 At spelunca, quae nunc prope Bethlehemum visitur, num ea ipsa re vera habenda est, in qua Christus natus est? Id quidem negat Rosenmuellerus, *quae enim*, inquit, *de* LOCIS SANCTIS *narrantur, ea sunt ficta lucri caussa* [6]). Nasute! Nobis tamen ingenio hebetioribus liceat fidere *πατροπαραδόσει*, quae ab ipsa Christi aetate per omnes insequentes ad nostram usque perpetua testimoniorum serie Rosenmuellerum refellit, arguitque in hac quaestione veterum scripta consulere neglexisse. Vix enim aliud inter prisca rerum christianarum monumenta reperias, de quo minus dubitare liceat, quam de *locis sanctis*, quippe quae cognita semper fuisse summaque religione culta testibus ex unoquoque superiorum saeculorum productis plane ostenditur, qui vel loca ipsa inviserunt, ac venerati sunt, vel alioquin dictis fidem faciunt. En itaque tibi, quod nostra nunc refert, brevem illius speluncae chronologiam, sive seriem testimoniorum a primo saeculo ad decimum tertium perductam, quorum posteriora manifestum est non de alia spelunca dicta esse, nisi de qua priora sunt.

Saeculo I. Christus nascitur in illa spelunca, in illa ipsa, inquam, quae nunc prope Bethlehemum visitur, idque efficitur iis testimoniis, quae infra sunt.

Saeculo II. Christianos maxima religione illam speluncam prosequutos esse constat, nam anno XVIII imperii Hadriani [7]), aer. vulg. CXXXVII, deletis funditus Hierosolymae reliquiis ac Iudaeis exterminatis, Hadrianus, quo etiam christiana sacra in illis regionibus sustolleret, Calvariae clivum, Christi sepulcrum, et speluncam Bethlehemi, polluit, locis hisce omnibus cultui suorum numinum addictis. *Ab Hadriani temporibus*, scribit Hieronymus, *usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, . . . Bethlehem nunc nostrum . . . lucus inumbrabat Thamuz, et in specu, ubi quondam Christus vagiit, Veneris amasius plangebatur* [8]). Eadem narrat Paulinus Nolanus [9]). Non tamen ideo praesepis, *ubi quondam Christus vagiit*, situs oblivione pressus, imo eius celebritas, irritis Hadriani conatibus, nec apud Christianos modo, sed et apud alios, integra mansit.

Saeculo III. Nam Origines, qui anno aerae vulg. CCXIII [10]) in Palaestinam secesserat, ideoque illa loca probe noverat, contra Celsum circa annum CCXLVII scribebat *ostendi Bethlehemi speluncam, in qua (Christus) natus est, et in spelunca praesepe, in quo fasciis est involutus; et, quod ostenditur, pervulgatum esse in locis illis* ETIAM APUD ALIENOS A FIDE, *ut in spelunca hac, quem Christiani adorant, et mirantur, natus sit Iesus* [11]).

Saeculo IV. Anno CCCXXVI [12]) expiata sunt a Constantino eiusque matre Helena loca illa,

---

[1]) In Baron. exercitat. II. § I. [2]) De vita Constant. L. III. cc. 41. 43. [3]) Dial. II. interr. 107. [4]) L. I. ep. 378. [5]) Dem. evang. L. III. § 2. p. 97. [6]) Schol. in Luc. II, 7. [7]) *Euseb.* H. E. L. IV. c. 6. [8]) Ad Paulin. ep. LVIII al. XIII seu XLIX. § 3 scripta circa an. CCCXCV. Conf. *Euseb.* de vita Constant. L. III. c. 26. [9]) Ad Sever. ep. XXXI al. XI. §§ 3. 4 scripta an. CDIII. [10]) *Cave* de scriptorib. eccl. [11]) Cont. Cels. L. I. § 51. [12]) *Baron.* ad ann. 326. n. XXXVII, et *Pagius* ad ann. 326. n. XIII.

sacraeque aedes magno samptu ibidem exstructae, quas describit Eusebius [1]). Anno CCCLXXXVI Hieronymas sedem Bethlehemi fixit [2]) prope Christi praesepe.

Saeculo V. Huius saeculi initio Hieronymus iam quartum sapra decimum annum Bethlehemi agebat, deqae praesepi scribebat ad Eustochium anno CDIV [3]), ibique tandem diem vixit supremum anno CDXX [4]). Aactor secundae ex sex homiliis de evangelio Lucae Chrysostomo olim affictis [5]), qui ante huius saeculi medium eam scribebat, praesepe Christi veluti omnibus aetate sna notum commemorat [6]). Leo p. m. anno CDLIV haec scripsit ad Iuvenalem Hierosolymitanum: *Quilibet Hierosolymis habitans Christianus ipsorum locorum testimoniis eruditur; et, quod alibi non licet non credi, ibi* NON POTEST NON VIDERI. . . . *Utere igitur, frater carissime, invictissimis catholicae fidei documentis, et evangelistarum praedicationem* SANCTORUM LOCORUM TESTIFICATIONE *defende. Apud te est Bethlehem, in qua salutifer davidicae virginis partus illuxit, quem involutum pannis inter angustias diversorii praesepe suscepit* [7]).

Saeculo VI. Theodosius coenobiarcha ab anno DXVIII Bethlehemum oratum ire solebat [8]). Anno circiter DXXX Iustiniaans Hierosolymae aliisque Iudaeae et Samariae locis aedificia sacra vel extruxit, vel restauravit, murosque Bethlehemi refecit, ac coenobium [9]), imo et ecclesiam in hac urbe aedificavit [10]). Ex qao nobile adhuc Christi praesepe aetate illa fuisse comperimus.

Saeculo VII. Arculfus episcopus gallus anno DCXXX speluncam vidit, descripsitqne in libris, qnos Adamanno dictavit [11]). Sophronius Hierosolymitanus anno DCXXXVI concionem habens die Christi natali conquerebatur se illo anno illaque die sacrum praesepe adire non posse, quod copiae Omari Saraceni regionem Hierosolymam inter et Bethlehemum obsiderent [12]).

Saecalo VIII. Sub hnius saeculi initium eadem celebritate erat haec spelunca, ac prius semper faerat, nt testatur Beda, qui per illud tempus de ea scripsit [13]). Vilibaldus episcopus germanus anno DCCXXV [14]) sacrum praesepe Bethlehemi veneratus est [15]).

Saeculo IX. Salome virgo ex stirpe regum Angliae circa ann. DCCCL in Palaestinam usque peregrinata sacra Hierosolymae et Bethlehemi loca ipsamque speluncam adivit [16]). Eamdem hanc speluncam anao DCCCLXX illuc missus a pontifice maximo invisit et descripsit Bernardus monachus benedictinus [17]).

Saeculo X. Eutychius Alexandrinas, vita functus anno CMXL, narrat etiam Mohammedanos ipsius aetate in templo Bethlehemi orare solitos, etsi id lege lata eos vetuisset Omarus anno DCXXXVII [18]). Macarius Antiochenus, antequam Gandavum secederet, Bethlehemum ad Christi praesepe iter habuit [19]); id vero, etsi fieri non potait post annum CMLXIX, quo necatus est Ioannes Hierosolymitanus, qni Macarium Hierosolymae excepit [20]), factum tamea esse oportet longe post annum CMXXXVIII; nam Ioaanes successerat Agathono, hic vero Christodoro seu Christophoro, patriarchae munus adepto anno IV chalifae Alradis [21]), qui annus fuit aerae vulg. CMXXXVIII [22]). Heimeradus presbyter suevus ad sacrum illad antrum est peregrinatus sub finem huius saeculi aat certe non serias qaam initiam insequentis [23]).

Saeculo XI. Christi praesepe venerati sant Richardus abbas Verodunensis anno MXXIII [24]) et Udalricus monachus benedictinus circa medium saeculi huius [25]). Eiasdem haius praesepis meminit situmque descripsit Eugesippus circa annum MXL in libro *De distantiis* seu *De situ locorum* [26]). Circa medium huius saeculi curam sacrae aedis bethlehemiticae et praesepis Canonicis Regularibus

---

[1]) De vita Constant. L. III. cc. 41. 43. [2]) Paulae et Eustochii ad Marcellam ep. XLVI al. XVII, § 10. V. *Vallars.* Vit. Hieron c. 17. § 5 in opp. *Hieron.* T. XI. [3]) Ep. CVIII al. XXVII seu LXXXVI. § 10. [4]) *Vallars.* l. c. c. 36. § 11. [5]) Diss. XXI. nn. 13. 18. 23. [6]) Opp. *Chrysost.* T. II. col. 1161. A. Paris. 1581. [7]) Ep. ad Iuvenal. Hieros. cc. 1. 2. [8]) In vita scripta a coetan. c. 14. § 61 ap. *Metaphrast.* et ap. *Bolland.* Acta sanctor. XI ianuar. p. 696. [9]) *Procop.* de aedificiis Iustiniani L. V. c. 9. V. *Baron.* ad ann. 530. n. XL. [10]) *Eutych. Alexandr.* Annal. T. II. pp. 159. 160. Oxon. 1659. [11]) *Mabillon* Saec. III benedictin. P. II. p. 512. [12]) In Biblioth. patr. lugdun. T. XII. p. 207. [13]) De locis sanct. c. 8. [14]) *Bolland.* ad diem 7 iul. n. 31. [15]) In vita scripta a virgine eius consanguinea et coetanea c. 3. n. 26 ap. *Bolland.* l. c. p. 507. [16]) *Bolland.* ad diem 29 iun. n. 3. p. 493. B. Salomae vita scripta ab auctore fere coaevo c. 2. n. 13. ap. *eund.* ib. p. 496. [17]) *Mabillon* l. c. p. 523. [18]) Annal. T. II. p. 291. [19]) Vitae anno 1067 conscriptae c. 2. § 13 ap. *Bolland.* ad diem 10. april. p. 880. [20]) Conf. ib. § 14 cum Patriarchar. hierosolymit. histor. chronolog., quae est in T. III maii. [21]) *Pocock.* Chronol. patriarchar. hierosolym. post. *Eutychii Alexandrini* Annales. [22]) Conf. *Pocock.* Chronolog. chalifarum ib. [23]) Vitae minus quam an. 60 ab eius morte conscriptae c. I. § 5 ap. *Bolland.* ad diem 28 iun. p. 388 collat. § 7 et not. d et p. 385. n. 1. [24]) Vitae ab eius discipulo conscriptae § 54 ap. *Bolland.* ad diem 14. iun. p. 990. [25]) Vitae intra decennium ab eius morte conscriptae c. 2. § 16 ap. *Bolland.* ad diem 10 iul. p. 157 collat. p. 152 n. 17. [26]) Ap. *Allatium* Symmict. p. 5 C Venet. 1733 et ap. *Schelestrate* Antiquit. eccles. T. II. append. p. 552.

iam fuisse demandatam colligimus ex eo, quod, ut refert Augustinus Ticinus, illos *Urbanus* II *ad regularem eiusdem ordinis observantiam reduxerat* [1]), pontificatum autem gessit Urbanus ab anno MLXXXVIII ad annum MIC. Saeculo hoc saltem exeunte et inde deinceps creberrimae esse coeperunt peregrinationes Bethlehemum, teste Glabro Rodulpho, qui saeculo insequenti scribebat [2]).

Saeculo XII. Anno MCX curante Balduino rege Hierosolymae sedes episcopalis Bethlehemi a Paschali II p. m. erecta est [3]), cuius sedis mentio non semel fit in Decretalibus ab Innocentio III [4]). Sacram speluncam inviserunt Theotonius praeses monasterii Sanctae Crucis conimbricensis paullo ante annum MCXXXIV [5]), Raymundus Palmarius anno MCLV [6]) Ioannes Phocas anno MCLXXXV [7]), qui etiam locum descripsit [8]).

Saeculo XIII. Anno MCCXXIII Regnerius episcopus Bethlehemiticus sua sede pulsus est a Turcis [9]), nihil tamen in sacra illius regionis loca admissum. Nam Bruchardus Dominicanus hoc saeculo iam affecto in ea regione decennio moratus [10]) speluncae descriptionem nobis transmisit [11]).

9 Brevis ista narratio cultus praesepi bethlehemitico a prima Christianorum aetate perpetuo exhibiti crebrarumque illuc peregrinationum, aeque ac series patriarcharum hierosolymitanorum, quibus Bethlehemum subditum erat, proinde praesepis quoque cura demandata, quam seriem a Iacobo illorum primo ad Dositheum usque, qui Concilium contra Calvinianos coegit anno MDCLXXII, exhibuit Papebrochius in *Actis Sanctorum* [12]), suspicionem omnem depellere cogunt, ne forte, quae nunc visitur, non ea ipsa spelunca sit, quam Constantinus sacris aedibus superstructis decoravit, in qua aetate Origenis *etiam apud alienos a fide* pervulgatum erat Christum natum esse, quam Hadrianus Adonidi sacram esse iussit, quam denique Christus natalibus suis adeo, ut modo est, nobilem ac sanctam effecit.

10 Unum praeterea addere liceat. Non de praesepi Christi solummodo, sed et de sacris Hierosolymae locis nostraeque religionis monumentis, quae illic habentur, id a Rosenmuellero prolatum est, quod hactenus refellimus, *quae de* LOCIS SANCTIS *narrantur, ea esse ficta lucri caussa*; quam sententiam Rosenmuelleri quoque gregalibus inesse non iniuria putamus. Attamen Io. Martinus Augustinus Scholz, quum triginta ab hinc annis loca attente diligenterque perlustrasset, atque examinasset, conclusit omnem esse rationem cur credantur non alia, quam quae in evangeliis commemorata sunt [13]). Ex qua Scholzii conclusione satis est caussae, ut ita rursus concludamus: Rosenmuellerum ac socios, ut in iudicio de Hierosolymae locis ferendo teste Scholzio vehementer falsi sunt, sic quoque iure meritoque falsos credi in ferendo iudicio de spelunca Bethlehemi, quum non potior ratio iis fuerit, cur de spelunca hac, quam de illis locis, tale iudicium proferrent.

DISSERTATIO XXIII

De quibusdam rebus peculiari notatione dignis in historia ortus Christi

1 In historia de Christi ortu, quam paucis Lucas perstrinxit, quaedam sunt, quae praeterire non oportet, quin in ea considerationem aliquam intendamus. Dicendum etiam est de muliere una aut altera, quae in praesepio, in quo Christus natus est, fuisse feruntur; item de bove et asino, atque videndum quid huc pertineret, ut vulgo putant, quoddam Isaiae vaticinium.

2 *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret* [14]). Quum Lucas ita scripserit, non vero: *cum pervenissent illuc*, liquet, non continuo postquam Bethlehemum advenerant, sed, quum iam *essent ibi*, id est, quum illic iam morarentur, post aliquot dies ab adventu, Mariam peperisse (5).

3 *Et pannis eum involvit* [15]). Graecum *ἐσπαργάνωσεν* est *fasciis involvere* infantem, *σπάργανα* enim sunt fasciae sive panni oblongi, quibus infantes involvuntur. Interpres latinus pro uno verbo

---

1) Propugnacul. canonici ordin. P. III. c. 5. Conf. *Iacob. de Vitriaco* Hist. orientaL. c. 57. 2) Historiar. sui tempor. L. III. c. 7; L. IV. c. 6. 3) *Iacob. de Vitriaco* l. c.; *Gulielmus Tyrius* Hist. belli sacri L. XI. c. 12. 4) C. Cum super De caussa possession., et c. Cum super De confessis. 5) Vitae ab eius discipulo conscriptae c. 3. § 14 ap. *Bolland.* ad diem 18 febr. p. 112 collat. p. 107. no. 13. 14. 6) Vitae anno 1212 conscriptae § 11 ap. *Bolland.* ad diem 28 iul. p. 647 coll. not. a. 7) *Leo Allatius* ap. *Bolland.* T. II maii p. II. 8) De locis sanctis § 27 ap. *Bolland.* ib. p. VIII. 9) *Scaevol.* et *Ludov. Sammarthan.* Gallia christiana T. II. p. 297. Paris 1656. 10) Descript. terrae sanctae sub fin. prologi. 11) Ib. c. 7. § 56. 12) T. III maii. 13) Commentat. de Golgothae et sanctissimi D. N. I. C. sepulcri situ. Bonnae 1825. 14) Luc. II, 6. 15) Luc. II, 7.

graeco duo verba latina reddidit, *pannis involvit*, etsi verbum *fasciare* scriptoribus latinis, saltem saeculo tertio, ignotum non esset [1]).

4 *Et reclinavit eum in praesepio* [2]). Latinis *praesepium* proprie significat ipsum stabulum septis clausum, per synecdochen vero locum, in quo pabulum jumentis apponitur (*mangiatoia*); eoatra ea graeco φάτνῃ, quod Lucas usurpavit, posterior significatio propria est, prior συνεκδοχικῶς. Quaeritur, utra in hoc loco praeferenda. Sunt, quibus prior magis placeat; caussa enim, cur Christus in *praesepio* positus fuit, haec uffertur: *quia non erat eis locus in diversorio*, ex quo consequitur compulsos fuisse, non εἰς τὴν φάτνην, sed in stabulum sese recipere. Attamen communis priorum aetatum opinio, effigies vetustissimae a priscis Christianis elaboratae, atque ipsa vox φάτνῃ usurpata a Luca, cui aliae graecae voces praesto erant, si praesepium proprie dictum aut stabulum dicere voluisset, alteram duarum significationum, a qua prior nequit dividi, illa, quae opponitur, ratiuncula nihil pensi habita, praeferre suadent.

5 *Quia non erat eis locus in diversorio* [3]). Ex his facile apparet Christum fuisse in lucem editum haud multo post, quam eius mater Bethlehemum advenerat (2); ideo enim *non erat eis locus in diversorio*, quia ingens erat frequentia illuc confluentium ad censum deferendum, quae frequentia, sicut alias animadvertimus [4]), non nimis diu perdurasse credenda est. Publica diversoria in Iudaeorum regionibus illa aetate non erant, quum hospitalitas illic obtineret, quo iure in hospitum domos diverterent, qui iter faciebant. Ipsa vox non magis publicum hospitium ac meritorium, quam privatum significat, ut ostendit ipsa utriusque tum latini *diversorium*, tum graeci κατάλυμα notatio, deducta enim sunt a *diverto* et καταλύω, quorum utrumque idem valet ac *hospitari*; idemque illud nomen a Marco atque adeo a Luca alias ita usurpatur, ut aliud nequeat significare, quam conclave aut partem aedium, qua quis hospitio excipitur [5]). Hoc autem posito, sensus illorum verborum foret Mariam et Iosephum hospitem, apud quem diverterent, nullum reperisse.

6 Gelasii p. m. decreto inter ἀπόκρυφα reiectus fuit *Liber de Maria et obstetrice*, qui hodie non reperitur, nisi forte ille sit, quem hoc titulo inscriptum: *Liber de nativitate Christi et obstetricibus a Iosepho adductis etc.*, inter codices bibliothecae Academiae lipsiensis asservari ait Ioannes Carolus Thilo [6]). Historia tamen ipsa legitur etiam in *Protevangelio Iacobi* [7]), in *Historia* de nativitate Mariae et de infantia Salvatoris [8]), et in *Evangelio infantiae*, quod scriptum arabico sermone et ex eo latine versum est [9]). Eiusdem huius historiae meminit Clemens Alexandrinus [10]), idque, quod in ea narratur, Zeno Veronensis pro re vere gesta habet [11]), idemque Prudentius [12]). Saeculo VII et inde deinceps huius narrationis fidem obtinuisse apud Graecos testantur anaglypta et picturae graecorum artificum atque adeo italorum, qui artem a graecis per illas aetates didicere. Aliquot ex huiusmodi anaglyptis et picturis Christi ortum referentibus infra recensemus.

I. Parvum anaglyptum eburneum Bononiae asservatum in pinacotheca Cospiorum, saec. VII aut VIII [13]).

II. Aliud in Musaeo christiano aedium vaticanarum, saec. IX [14]).

III. Opus incisum aereis valvis, quae dudum erant in aede Pauli apostoli via Ostiensi, saec. XI [15]).

IV. Anaglyptum aeneum in valvis principis templi Beneventi, saec. XI aut XII ineunt. [16]).

V. Anaglyptum argenteum in fronte altaris principis templi Tiferni Tiberini, saec. XII [17]).

VI. Pictura in menologio graeco bibliothecae vaticanae, saec. IX aut X [18]).

VII. Pictura in evangeliario graeco bibliothecae olim urbinatensis nunc vaticanae, saec. XII [19]).

VIII. Pictura in divi Urbani ad vallem Aegeriae [20]), saec. XI [21]).

IX. Pictura Stammatici in parte subterranea templi ad *Sacrum specum* Sublaquei, saec. XIV [22]).

Hieronymus quidem contra Helvidium agens de partu Mariae haec scripsit: *Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit. Ipsa pannis involvit infantem, ipsa et mater et obstetrix fuit. Et collocavit eum, inquit, in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio. Quae sententia et apocryphorum deliramenta convincit dum Maria ipsa pannis involvit infantem* [23]). Verum in illa

---

1) *Forcellini* Lexic. 2) Luc. II, 7. 3) Luc. II, 7. 4) Diss. XVIII. n. 27. 5) Marc. XIV, 14; Luc. XXII, 11. 6) Cod. apocr. N. T. Prolegg. § 7. not. 116. Cf. tamen § 6. pp. XCIII; XCIV. 7) §§ 18—20. 8) Cap. 13 in *Thilo* Cod. apocr. N. T. 9) § 2. 10) Strom. L. VII. § 16. p. 756. Paris 11) L. II. tract. 8 ed. Ballerin. 12) Cathemeria. XI. v. 97, ubi lege adnotata ab *Arevalo*. 13) Ap. *Gorium* Thesaur. veter. dyptichor. T. III. p. 272 et ap. *D'Agincourt* Storia dell' arte, Scultura Tav. XII. n. 13. 14) Ap. *D'Agincourt* ib. n. 14. 15) Ap. *Eumd* ib. Tav. XIV. 16) In *Ciampini* Vetera monum. P. II. p. 26. Tav. IX. n. 3. 17) *D'Agincourt* ib. Tav. XXI. n. 13. 18) Cod. no. 1613. Menelog. Graecor. P. III. p. 56. Tav. 271. Urbini 1727, et apud *D'Agincourt* Pittura Tav. XXX. n. 4. 19) Cod. no. 2, et ap. *D'Agincourt* ib. Tav. LIX. n. 3. 20) *La Caffarella*. 21) Ap. *Eumd.* ib. Tav. XCV. 22) Ap. *Eumd.* ib. Tav. CXXVI. n. 3. 23) Adv. Helvid. § 8.

historia haudquaquam dicitur obstetrix Mariae parienti adfuisse, sed advocata a Iosepho, ut id praestaret, ipsa aliaque mulier nomine Salome in speluncam ingressae Christum iam in lucem editum reperisse; licet in nonnullis huius historiae adiunctis referendis discrepent scriptores artificesque praedicti. Lege, quae adnotarunt duo Ballerinii in libro Zenonis Veronensis [1]).

7 Erantne in praesepio, ut vulgo creditur, bos et asinus? Appertissime id affirmavit Petrus Chrysologus [2]), et, nisi ἀλληγορῆσαι putandi sint, Hieronymus [3]), et Paulinus Nolanus [4]), fortasse etiam Prudentius [5]), imo alii quoque christiani poetae illud expresse cecinerunt [6]). Iis, qui sic sentiunt adnumerari forte possunt, Gregorius Nyssenus [7]), scriptor secundae ex homiliis de evangelio Lucae olim Chrysostomi nomine inscriptis [8]), et Titus Bostrensis [9]), qui illud Isaiae: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui* [10]), aiunt praedictum esse de Christo nascente deque loco, in quo natus est, quod et Theodoto Ancyrano [11]) minime displicet. Origenes quoque [12]) et Gregorius Nazianzenus [13]) verba Isaiae tamquam de Christi praesepio dicta acceperunt, sed ἀλληγορικῶς interpretantes. Recentiores, qui hanc πατροπαράδοτον defenderunt, enumeravit Benedictus XIV p. m. [14]). Ceterum quid magis veri simile, quam in praesepio asinum bovemque reperiri? eo praesertim adveoarum frequentia, quae Bethlehemi erat, quum Christus natus est? Id priscis Christianis fuisse creditum ea testantur, quae insculpta pictaque exhibent ipsorum monumenta, vascula, cryptae, et coemeteria [15]), nedum ea, quae iis aetate posteriora superius (6) attulimus, aut afferri possent. Quodque mireris, Mariam et Iosephum interdum a praesepi abesse videas, non tamen bovem et asinum [16]). Nullamque harum effigierum priorem saeculo XI hactenus reperire potui, a qua haec duo animalia abessent; vetustissima enim omnium, a quibus absunt, si tamen eam accurate expressam nobis exhibuit Ciampinius [17]), reperitur inter effigies sculptas in valvis aeneis principis templi Pisanorum, quas ipse Ciampinius illustravit, et saeculo XI conflatas esse scripsit.

8 An autem huc re vera spectet illud Isaiae effatum, non levis est dubitandi caussa. Si patres modo nominatos demas, ceteri plerique omnes secus prorsus illud interpretantur, interque hos ipse Hieronymus, ubi Isaiam explanat [18]). Profecto id unum sibi velle videtur Isaias, ut Israelitis ingrati in Deum animi vitium exprobret, proposito exemplo iumentorum, qui illis gratiores in dominum se praebent. Ipsae hebraicae voces illam interpretationem respuunt. Nam vocabulo קֹנֵהוּ, quod *possessorem* vertit latinus interpres, quum de bove hic agatur, videtur omnino subiecta notio esse, quae maxime propria huic vocabulo est, possessio ex adquisitione rei praesertim agrariae et pecuariae. Nomen autem בְּעָלָיו, pro quo *dominum* latine redditum legimus, significat utique eum, qui rei dominium habet, sed numquam Deum scriptores bibliorum hoc nomine vocarunt, quod quum Palaestini multis suorum numinum indidissent, non minus religioni sibi duxissent Israelitae Deum eo nominare, quam hunc *Melchomum* vocare, *Phegorum*, *Chamosum*, aliave fictorum numinum ei nomina indere.

9 De altero autem vaticinio, quod legitur in graecis exemplaribus Habacuci: *In medio duorum animalium innotesceris* [19]), consulendi sunt Lambertus Bos [20]) et Antonius Augustinus Touttée [21]).

DISSERTATIO XXIV

De pastoribus qui ad Christum in praesepio iacentem venerunt

1 Quae de pastoribus a Luca narrantur [22]), nocte contigisse, adeoque illa, qua Christus natus est, ipsa narratio prodit [23]). Eos excubuisse prope Turrim *Ader*, id est, *gregis*, scribit Hieronymus [24]); distabat autem haec a Bethlehemo mille passuum, orientem versus, in agro compascuo [25]), ubi, ut omnium primus refert Beda, *segregata est ecclesia trium pastorum divinae nativitatis consciorum*

[1]) L. c. [2]) Sermon. CLVI. CLIX. [3]) Ad Eustoch. ep. CVIII al. XXVII seu LXXXVI. § 10. [4]) Ad Sever. ep. XXXI al. XI. § 3. [5]) Cathemer. XI. v. 80. [6]) *Arevalo* ad *Prudent.* l. c. [7]) Testimon. adv. Iudaeos III; Or. in diem nat. Chr. [8]) Opp. *Chrysost.* veter. edit. T. II. [9]) Contra Manich. L. III. § 6. [10]) Is. I, 3. [11]) Homil. in die nativit. § 8. [12]) Hom. XIII in Luc. interprete *Hieronymo.* [13]) Orat. XXXVIII in sancta theophan. p. 623. Paris. 1630. [14]) De festis. L. I. c. 17. nn. 36. 37. [15]) *Bottari* Roma sotterranea Tabul. XXII. LXXXV. LXXXVI. CXCIII. *Gori* Praef. ad *Sannazar.* De partu Virgin. *Benedictus XIV* De festis. L. I. c. 17. n. 38. *Arevalo* not. ad *Prudent.* Cathemer. XI. v. 80. [16]) *Bottari* ib. Tab. LXXXV. CXCIII. [17]) Vetera monum. T. I. Tav. XX C. [18]) In Is. I, 3. [19]) Hab. III, 2. [20]) Adnot. ad h. l. [21]) Adnot. ad *Cyrill. Hierosol.* Catech. XII. § 20. [22]) Luc. II, 8. [23]) Luc. II, 8. 11. [24]) Ad Eustoch. ep. CVIII al. XXVII seu LXXXVI. § 10. [25]) Conf. Genes. XXXV, 21.

monumenta continens [1]). Tresne vero fuerint hi pastores, an, ut alii aiunt, quatuor, eumque ea horum nomina, quae esse feruntur [2]), nulla vetustiorum aetatum auctoritas superest, quae certo nos doceat.

2 Novas adhuc personas angelis adiicere pergit Rosenmuellerus [3]). De angelo enim ad pastores legato [4]) ita scripsit: *Ipse splendor, qui eos circumfulsit, videtur vocari* ANGELUS DEI [5]). Optimum! Sed quaerimus, qui fieri potuerit, ut splendor iste vocalis foret, pastoresque ortum Christi, nec brevi oratione, doceret? Hac se quaestione ad incitas redigi probe ille sensit, et quoddam sibi comparavit diverticulum, dicens ea, *quae hoc loco de angelorum apparitione leguntur, non nimis urgenda, sed ex Hebraeorum cogitandi et loquendi consuetudine esse interpretanda; neque tam quaerendum, quid viderint pastores, quam potius, quid audiverint.* Esto tantisper, dum res nobis cum ipso est. Putares itaque eum utique credere aliquid a pastoribus fuisse auditum, neque aliud hoc esse, quam quod Lucas angelum loquentem et pastoribus nuntiantem induxit, nempe Christum in lucem editum. Attamen videas continuo ipsum contra, ac fieri praeceperat, agere, multaque coniectare circa id, quod a pastoribus visum fuerit, quod vero ad ea, quae hi audierunt, hoc unum concludere: *De modo, quo . . . pastoribus haec res patefacta fuerit, nihil certi definiri potest* [6]). Quo tamen vergat hominis opinio, non difficile est deprehendere; statim enim haec addit: *Certum est autem, eo ipso tempore, quo Iesus natus est, omnes Iudaeos expectasse Messiae apparitionem*; paullo prius haec scripserat: *Videtur Deus aliquo naturae phaenomeno usus esse ad excitandas mentes pastorum.* Quam ob rem putandi forent pastores, quum tali exspectatione tenerentur Christi mox adventuri, eo phaenomeno perculsi idem hoc ipsum habuisse pro nuntio de ortu Christi. Quid igitur audierunt? Nibil omnino; sed nil nisi merus phantasiae lusus fuit tota illa angeli oratio. Quid ergo quaerere nos iubet Rosenmuellerus, quid pastores audierint, idque potius, quam quid viderint, siquidem aliquid re vera viderunt, nihil autem audierunt?

3 Sed et gravior Rosenmuellero est ab ipsa sua sententia difficultas. Si enim sermo, quem, ut iste ait, angelo Lucas affinxit, re vera nil fuit, nisi quoddam veluti phantasma in mente pastorum ab exspectatione, qua tenebantur, et ab illo phaenomeno excitatum, quo pacto tale phantasma, non modo Christi ortum, sed et adiuncta quaeque huius rei tam vere pastores docere potuit, Christum ortum esse *in civitate David*, eosque illum reperturos *pannis involutum et positum in praesepio* [7])? Horum primum potuerunt quidem praenosse ex vaticinio Michaeae [8]); at caveat Rosenmuellerus, id respondeat, ne et vaticinia vere ac proprie edita de Christo et verum se proprium vaticiniorum πληρωμα in Christo agnoscere cogatur. Duorum autem posteriorum neutrum unquam in mentem pastoribus venisset, quum Iudaei vulgo promissum Christum non aliter futurum sibi effingerent, nisi tota regis omnium maximi maiestate praefulgentem.

4 Quo igitur confugiat, Rosenmuellero nostro superest illud unum, quod alias dixerat, totam *hanc narrationem inter eas referendam esse, . . . quas Lucas . . . artificio quodam ornatusque caussa scripserit* [9]). At, si sic res se habeat, frustra ipse praeciperet, non *tam quaerendum, quid viderint pastores, quam potius, quid audiverint*, frustra, quid angelus ille fuerit, quid *gloria Domini*, ipse quaereret; Lucaeque succenseremus oporteret, qui, ut fabellam nobis narraret, modum nescire nos compulerit, quo pastores Christum natum esse didicerint, eumque reperire atque agnoscere quiverint. Rem tamen haudquaquam sic se habere iam alias demonstravimus [10]).

5 *Claritas Dei*, graece δοξα κυριου *gloria Domini*, ea videlicet, quae Hebraeis כבוד יהוה, et cuius frequens mentio est apud scriptores sacros, praesertim in exodo, frequentior autem apud Ezechielem, subinde illud est, quod significat ipsa vox latina *gloria* [11]), non ferme tamen, nisi splendor, quo Deus praesens manifestabatur [12]). Hunc alterum significatum subesse verbis Lucae aperte prodit verbum *circumfulsit*, quod continuo secundum illa legitur.

6 *Multitudo militiae coelestis* πληθος στρατιας ουρανιου [13]) loquutio est gemina illius *στρατια του ουρανου exercitus caeli*, qua in libris veteris foederis versum est hebraicum צבא השמים, hoc autem plerumque *numerum stellarum* [14]), interdum *angelorum copias* [15]) significat, quam significationis amphiboliam contextus seriesque orationis, ubi opus est, dirimit [16]). Hic posteriorem signifi-

---

1) De locis sanct. c. 8. 2) *Casaubon.* Exercit. II in Baron. § 10. 3) Lege Diss. IV. nn. 1—6; Diss. XV. c. V. 4) Luc. II, 9. 5) Schol. in h. l. 6) Schol. in Luc. II, 10. 7) Luc. II, 11. 12. 8) Mich. V, 2. 9) Schol. in Luc. I, 10. 10) Diss. IV. nn. 2—6. 11) Ps. CIII, 31; CXXXVII, 5; Is. XL, 5; Hab. II, 14. 12) Ex. XVI, 7. 10; XXIV, 16. 17; XXXIII, 18. 22; Ezech. III, 23 coll. I, 3. 27. 28. hebr.; VIII, 4 coll. III, 23; XLIII, 2 coll. 3. V. etiam II Cor. III, 18. 13) Luc. II, 13. 14) Deut. IV, 19; XVII, 3 etc. 15) II. Reg. XXII, 19; II Esd. IX, 6. 16) *Vorst.* De hebraismis N. T. c. 23. n. 1.

cationem huic loquutioni subesse pro comperto est. Rosenmuellero *non est credibile copiam geniorum coelestium a pastoribus esse visam*, utque hanc partem narrationis in suam sententiam explicet, insipidam veluti fabellam comminiscitur, quam piget referre; id tamen adnotasse placet, quo magis ac magis palam fiat, quatenus Rationalistarum impudentia protendatur, dum sibi primas arrogare in interpretatione scripturarum sacrarum non verentur.

7 Haec etiam in hac historia notare iuvat. Illa *Pastores loquebantur ad invicem* [1]) graece sunt οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες κ. τ. λ. *homines pastores etc.*, quem pleonasmum neglexit interpres latinus [2]). Quae idem hic ex graeco vertit *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc* [3]), magis ad verbum vertenda forent *Videntes autem notum fecerunt de verbo etc.*, scilicet narrasse pastores Mariae, Iosepho, aliisque, qui forte illic aderant, ea, quae de puero dicta ipsis fuerant ab angelo. Nam si dicas, pastores illud *cognovisse*, nihil aliud significes, nisi eos reperisse et vidisse rem ita esse, ut eam angelus ipsis nuntiaverat. Verum id iam dixerat Lucas [4]), aut certe ex iis, quae iam dixerat, necessario sequebatur, ut, quicumque ea legeret, illud per se necessario intelligeret, quin Lucas expresse narrationi suae adiungeret; imo etiam prius quam viderent, rem plane *cognoverant*, utpote angeli testimonio comprobatam, deque ea certi omnino erant, ut apparet ex ipsorum verbis: *Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis* [5]). Haec quoque, quae statim Lucas subiungit, comprobant, quod affirmamus: *Et omnes, qui audierunt, mirati sunt, et de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos* [6]); particulam et ante *de his* non habet graecum ἀρχέτυπον. Imo et illa, quae sequuntur: *Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo* [7]), non alia de re videntur dicta esse, nisi de iis, quae pastores sibi contigisse nuntiataque fuisse retulerant, continentque Mariae testimonium, ut quae a pastoribus ea didicisset. Denique verbum διεγνώρισαν, etsi alias non compareat apud scriptores sacros, apud alios vero, aeque ac simplex γνωρίζω, neutram frequentius, quam activam significationem habeat, attamen hic in significationem activam potius, quam in neutram accipiendum videtur, praeter rationes allatas, etiam quia ipsum verbum simplex γνωρίζω, quod non omnino rarum est in novo testamento, semper, si locum unum excipias [8]), in activam significationem est usurpatum.

8 *Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo* [9]). Horum gemina legere est inferius in hoc ipso capite evangelii [10]); quorsum autem haec a Luca addita fuerint, merito exquiritur. Quidam, ut id assequantur, haec conferunt cum illis, quae Moyses post narrata Iosephi somnia subiunxit: *Pater vero rem tacitus considerabat* [11]), vel, si ad verbum ex hebraeo ea vertas: *Et pater eius conservabat verbum.* Sed ratio, cur Moyses id adnotaverit, manifesta est, ut memoriae videlicet mandaret, etsi fratres Iosephi ob somnia illa fratri succenserent, patrem tamen suspicari coepisse ac praesensisse magnum quid de filio per ea portendi. Verum nil tale significare illa queunt, quae Lucas dicit de Maria, ut quae, non suspicaretur modo, sed certe teneret, neque ex pastorum, sed ex Gabrielis testimonio, quantus foret, ac semper esset futurus puer, quem pepererat. Quare secus de his, ac de illis, quae sunt in genesi, est iudicandum. Primum, velim adtendas, ut haec, quae in animo virgo versabat, nemo praeter ipsam narrare potuerit. Tum adverte, quaecumque de Ioanne, de Maria, de Christo adhuc puero, Lucas literis consignavit, consignavit autem ipse unus ex omnibus evangelii scriptoribus, ea neminem, aut certe non verius ac plenius alium quemvis, referre ac testari quivisse, quam virginem ipsam. His autem rationibus equidem eo adducor, ut credam, ideo a Luca in priore hac historiae suae parte, quam ad tricesimum annum Christi perduxit, bis Mariae mentionem eo modo iniectam esse, ut ipsam Christi parentem veluti testem rerum ab ipso narratarum testaretur, nosque doceret, unde eas ipse didicisset.

9 *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo* [12]), hoc est, populo israelitico, graeca enim sic sunt: παντὶ τῷ λαῷ. Quae ad Israelitas pertinere aiunt scriptores sacri, quum de Christo loquuntur, ea ad ceteras aeque gentes pertinere probe norunt, qui veram germanamque scripturarum explanandarum rationem callent. Solent tamen illi unos Israelitas commemorare, utpote *quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem* [13]); imo saepe Israelitarum appellatione designantur homines omnes, qui in Christum religione censentur, in quantum hi per illum populum τυπικῶς praesignificabantur [14]).

---

[1]) Luc. II, 15. [2]) Conf. Gen. XLVI, 32. 34. [3]) Luc. II, 17. [4]) Ib. 16. [5]) Ib. 15. [6]) Ib. 18. [7]) Ib. 19. [8]) Phil. I, 22. [9]) Luc. II, 19. [10]) Ib. 51. [11]) Gen. XXXVII, 11. [12]) Luc. II, 10. [13]) Rom. IX, 4. 5. [14]) *Patrit. De* interpretat. scriptur. sacrar. Lib. I. nn. 84 seqq. 224. 326.

10 *Quia natus est vobis hodie salvator* [1]). Quod latine *salvator* versum est, graece est *σωτηρ*, de qua tum graeca tum latina Christi appellatione transcribere placet, quae adnotavit Alexius Symmachus Mazochius: *Angelus lingua hierosolymitana* ישע, aut verius ישוע, *dixerat, quod et Iesu κυριον ὀνομα et appellativum* SALVATORIS *aeque notabat. Lucae autem, qui graece scriberet, liberum fuit sive Ἰησους sive σωτηρ in evangelio suo ponere. At hoc posterius maluit, quod et appellative accipi, et tamquam κυριον ὀνομα (non enim novum Graecis erat peregrinorum nominum propriorum interpretationes usurpare . . .) posset. Venio ad latinum* SALVATOR, *quod ex vetere interpretatione Hieronymus retinuit. A quo nihil est, cur delicatiores critici abhorreant, cum sub Traiano apud Gruterum* [2]) *reperiatur:* IOVI. CVSTODI. QVIRINO. SALVATORI. PRO. SALVTE. CAESARIS. NERVAE. TRAIANI. AVG. *etc. . . . Ceterum vox* SERVATORIS, *quam critici usurpare malunt, non omnino vim graecae σωτηρος exprimit. Cicero* [3]) *σωτηρα verbo uno exprimi posse negat; itaque circuitionem hanc affert:* QUI SALUTEM DEDIT. *Hinc Tertullianus, qui* SERVATORIS *vocem parum idoneam esse intelligeret,* SALUTIFICATORIS *vocabulum ter usurpavit* [4]). Hanc *σωτηρος* appellationem Wetstenius [5]) eumque sequutus Rosenmuellerus [6]) autumant simplici meroque homini minime tribui posse, quod equidem cuperem posse ita certo confirmari, ut graeci scriptores nihil suggererent contrarium eorum, quae Wetstenius magno numero ex illis protulit ad eam sententiam nobis probandam.

11 *Qui est Christus Dominus ὁς ἐστι Χριστος κυριος* [7]). Quae dicturus sum de *Domini* appellatione, quam Christo angelus fecit, etsi vereor, ut omnibus sim probaturus, indicta tamen praeterire nolo, praesertim quum cuivis facile quidem sit ea negare, non tamen me ratione ulla refellere. Illud positum habeo, angelum, haudquaquam graece, sed vernacula eorum lingua, quae syrochaldaica erat, pastores esse alloquutum, ideoque ex linguarum syriacae et chaldaicae indole ac natura iudicium de illa appellatione ferendum esse. Primum itaque aio, nomen *κυριος Dominus κατ᾽ ἐξοχην* aut *ἐμφατικως* in hoc loco minime esse usurpatum, tum quia cum articulo fuisset construendum dicendumque *ὁ κυριος*, tum quia nomina chaldaica et syriaca, quae *dominum* significant, talem usum non habent. Sed neque mera honoris ac reverentiae appellatio ea esse potest. Si enim talis ea foret, dicendum fuisset *ὁ κυριος Χριστος*, nam, ut fert usus illarum linguarum et hebraicae, imo et sermonis, quo novum foedus scriptum est, appellatio haec semper usurpanda est ante nomen eius, quem *Dominum* vocamus, numquam vero post illud [8]); idque vel ex hoc ipso loco efficitur. Nam interpres syrus cui nomen *κυριος* appellatio reverentiam praeferens esse visum est, graecas voces transposuit, et *Χριστος κυριος* vertit ܡܪܝܐ ܡܫܝܚܐ *ὁ κυριος Χριστος Dominus Christus.* Simile quid is fecit, quum vertendum fuit illud psaltae *Deus Dominus, et illuxit nobis* [9]), in quo latine *Dominus* et graece *κυριος* positum est, ut solet, pro nomine Dei ineffabili יהוה; syrus enim interpres, qui solet et ipse nomen hoc vertere ܡܪܝܐ *Dominum*, hic quoque verbis transpositis scripsit: ܡܪܝܐ ܐܠܗܢ *Dominus Deus noster*, quod et alias fecit [10]), imo graecus quoque et latinus fecerunt [11]). Ut in pauca conferam, aio, neque ipsa sive veteris sive novi foederis *ἀρχετυπα*, neque horum translationes sive orientales, sive graecas, sive latinas, nomen ullum appellativum, quod latino *domino* respondeat, ubi quis ita honoris solum caussa appellatur, usurpatum exhibere post ipsum illius nomen, nam talis *συνταξις* illarum omnium linguarum usui foret contraria. Contra vero, quum nomen Dei יהוה, ubi pro eo legendum est אדני *Domini mei*, a graecis interpretibus *κυριος*, a latinis *Dominus* verti soleat, si post aliud quod Dei nomen sit positum, nisi etiam prius *Dominus* vertendum sit [12]), nomina *κυριος* et *Dominus* secundo loco iidem illi interpretes ipsi quoque posuerunt [13]), imo aliquando etiamsi prius nomen *dominum* significet [14]). Quae quum ita sint, quumque in hac angeli oratione, quam Lucas graecam fecit, sit nomen *κυριος Dominus* positum post nomen *Χριστος Christus*, angelus ipse putandus est Christum nomine Dei ineffabili יהוה appellasse, dixisseque משיח יהוה aut משיחא יהוה.

12 Quae angeli cecinerunt [15]), perspicua omnino sunt, ut leguntur in vulgata interpretatione. Verba *in altissimis ἐν ὑψιστοις*, quae dicta sunt pro *in caelo*, ipsum etymon referunt nominis שמים, quod *caelum* transferri solet, propria tamen notio ipsi subiecta est *celsitudo*, qua de re, praeclare

---

1) Luc. II, 11. 2) Pag. XIX, 5. 3) Verr. IV. 36. 4) Spicileg. bibl. in Luc. II, 11. 5) In Luc. h. l. 6) Schol. in Luc. h. l. 7) Luc. II, 11. 8) V. gr. Ex. XXIII, 17; XXXIV. 23; Is. I, 24; III, 1; X. 33; XIX, 4 hebr. graec. et syr. 9) Ps. CXVII, 27. 10) Ps. LXXXIV, 9. 11) Ib. 12) Ex. XXIII, 17; Is. I, 24; XIX, 4; Ps. LXXII, 28; Aq. Symm. Theod. Ps. LXVIII, 7. 13) Ps. XLIX, 1; XCIII, 1; XCIV, 3; CXVII, 27. 14) Ps. LXVIII, 7; LXX, 5; Is. III, 1; X, 33. 15) Luc. II, 14.

disseruit Mazochius [1]). *Hominibus bonae voluntatis* loquutionem admodum latinam esse demonstravit Henricus Velesius [2]), eaque, ut latina est, significat homines ad bene agendum propensos. Graecum tamen vocabulum *εὐδοκια*, pro quo illud *bonae voluntatis* redditum est, tantumdem valet ac *animus benevolus, propensa in aliquem animi affectio*, sive, ut illud alias translatum est a latino interprete, *beneplacitum* [3]), etsi translatum subinde etiam fuerit *bona voluntas* [4]). Quere *bona* illa *voluntas*, quam dixit angelus, Dei potius, quem hominum ipsorum esse videtur, eo prorsus pacto, quo, inversa tamen syntaxi, illud psaltae: *Memento nostri, Domine, ἐν εὐδοκιᾳ* IN BENEPLACITO POPULI TUI [5]), id est, pro *beneplacito*, quo es erga populum tuum; *homines* autem *bonae voluntatis* sunt, quibus Deus *bene vult*, sicut Christus dicitur *filius dilectionis* [6]), quem videlicet Deus diligit. Ipse vero graeca verba, ut ea exhibent codices plerique omnes, in huno sensum, quem dicimus, accipere necesse omnino est; non enim in his legimus *ἀνθρωποις εὐδοκιας hominibus bonae voluntatis*, ut legimus in omnibus latinis codicibus et apud latinos scriptores omnes, sed *ἐν ἀνθρωποις εὐδοκια in hominibus bona voluntas*. Codices tamen alexandrinus et cantabrigensis habent *εὐδοκιας bonae voluntatis*, casu patrio, sicut habent etiam interpretationes gothice et saxonica. Quumque latinus Irenaei interpres scripserit *bonae voluntatis*, et ipsum Irenaeum *εὐδοκιας* scripsisse quidam autumant, tametsi re vera ex iis, quae paullo post leguntur, coniicimus potius casum rectum *εὐδοκια* fuisse ab eo adhibitum; illa autem sic sunt: *Qui suo plasmati, hoc est, hominibus* SUAM BENIGNITATEM *salutis de coelo misit* [7]). Ceterum casus ille rectus *εὐδοκια* incertam facit interpunctionem totius versiculi. Moshemius [8]) sic interpunxit: *Δοξα ἐν ὑψιστοις Θεῳ και ἐπι γης, εἰρηνη ἐν ἀνθρωποις εὐδοκια, atque hanc posteriorem phrasin ita convertit:* PAX INTER HOMINES BONA VOLUNTAS DEI EST, *hoc est, placet Numini, ut Iudaei gentesque per Christum in unum corpus coalescant* [9]). Alias horum verborum interpunctiones lege sis apud Polum [10]) et Wolfium [11]). Mihi vero haec ita, ut sensus maxime obvius fert, interpungenda videntur: *Δοξα ἐν ὑψιστοις Θεῳ, και ἐπι γης εἰρηνη, ἐν ἀνθρωποις εὐδοκια Gloria in altissimis Deo, et in terram pax, in hominibus propensa (Dei) voluntas.* Illud *ἐπι γης* verto *in terram*, non autem *in terra*, ut exprimam vim graecae praepositionis *ἐπι* cum casu patrio constructae, quae motum significat, qui aliquo versus est, ut huius incisi sensus sit *pacem in terram* advenisse [12]). Illud *ἐν ἀνθρωποις in hominibus* idem valet ac *inter homines*, cuius simillimam loquutionem reperies in libro Proverbiorum: ובין ישרים רצון *et inter probos propensa (Dei) voluntas* [13]), hebraeum enim רצון est ipsum graecum *εὐδοκια*.

DISSERTATIO XXV

De Christi circumcisione deque Mariae purificatione

1 Caussas easque multas, cur Christus circumcidi voluerit, te docebunt Salmeron [14]) et Toletus [15]). Locum, ubi circumcisus est, fuisse ipsam speluncam, in qua natus erat, narrat Epiphanius dicens Christum *natum Bethlehemi, circumcisum in spelunca* [16]). Quid factum sit de parte exsecta corporis Christi, quaerere poteris apud scriptorem commentariorum de evangelio Lucae, qui Tito Bostrensi perperam tribuuntur [17]), sed et ea legere, quae Toletus retulit [18]). Lege etiam Angelum Roccam [19]). Nos vero, quae in ipsa narratione declarari opus est, paucis persequemur.

2 *Et postquam consummati sunt dies octo.* Horum sensus est, quum iam adesset dies octavus ab ortu Christi, vel simpliciter, *octava die*, non secus ac illa ipsius Christi: *Post tres dies resurgam* [20]), idem valent ac *tertia die*. Nam, ut Wolfius adnotavit, *το πληρωθηναι*, *sicut et hebraicum* מלא, *non semper infert complementum temporis quasi praeterlapsi, sed eius appropinquationem* [21]).

---

1) Spicileg. bibl. ad Gen. I, 1; VI, 4 Diss. III de gigantib.; XI, 4. Conf. *Michaelis* Adnotat. ad *Castelli* Lexic. syriac. de v. ܨܒܝܢܐ. 2) In not. ad Excerpta quae edidit post. Histor. *Ammiani Marcell.* p. 665. Paris. 1681. 3) Ps. LXVIII, 14; LXXXVIII, 18; CV, 4; Eph. I, 9. 4) Ps. V, 13; L, 20; Philipp. I, 15. 5) Ps. CV, 4. 6) Coloss. I, 13. 7) Haer. L. III. c. 10 al. 11. § 4. 8) Observat. sacr. L. I. c. 2. p. 106. 9) Ap. *Wolf.* Cur. crit. in h. l. 10) Synops. Criticor. sacr. in h. l. 11) L. c. 12) *Viger.* De praecipuis graecae diction. idiotism. c. 9. sect. 4. reg. 9. 13) Prov. XIV, 9. *Rosenmuelleri* Schol. in Prov. h. l. 14) Commentar. in evangelic. histor. L. III. c. 36. 15) Comment. in Luc. II. annot. 30. 16) Haeres. Lib. I. T. I. post haer. ordine XX ed. *Petav.* p. 47 D. 17) In Biblioth. PP. Lugd. T. IV. 18) L. c. annot. 31. 19) Thesaur. pontificiar. sacrarumq. antiq. T. I. opusc. XXI. 20) Matth. XXVII, 63. 21) Cur. crit. in h. l.

Graecum Lucae exemplar habet ὅτε, quod, non *postquam*, sed *quando* significat. Aoristo ἐπλησθησαν cum hac particula constructo eadem prorsus vis est, ac si dictum esset ἐν τῳ πλησθηναι, sicut in illis: ἐν τῳ συμπληρουσθαι την ἡμεραν της πεντηκοστης [1]), quae latinus interpres sic vertit: *Cum complerentur dies pentecostes* [2]). Nam et post narrationem hanc Lucas (5) continuo refert, quomodo Maria virgo, ubi aderat dies quadragesimus a partu, ea praestiterit, quae lex iubebat, atque exorditur ab iisdem verbis: και ὅτε ἐπλησθησαν αἱ ἡμεραι του καθαρισμου αὐτων, vel, ut in aliis exemplaribus legitur, αὐτης, haec autem omnino idem valere ac ἐν τῳ συμπληρουσθαι apparet manifesto ex verbis, quibus lex illa concepta erat: ובמלאת ימי טהרה וגו׳ *Et* ἐν τῳ συμπληρουσθαι *quum complebuntur* (vel compirsi) *dies purgationis eius* [3]), et quorum ipsissimam interpretationem referunt graeca verba Lucae [4]).

3 *Ut circumcideretur puer* του περιτεμειν το παιδιον, vel, ut Griesbachius rescribendum putat, του περιτεμειν αὐτον (*del circumciderlo*). Notandus est hic narrationis modus, quo Lucas rem factam refert, quin tamen factam expresse dicat; nec enim scripsit Christum fuisse circumcisum, sed Christo nomen Iesus impositum, ubi tempus circumcisionis advenerat. Similia reperies apud alios quoque bibliorum scriptores [5]).

4 *Quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.* Quibus nomen ante ortum divinitus impositum fuit, ut alii iam animadverterunt, hi sunt; Ismael [6]), Isaac [7]), Salomon [8]), Isaias fortasse [9]), Iosias [10]), Cyrus [11]), Ioannes Baptista [12]), et Christus [13]). Toletus de his verbis ita loquitur: *Titus Bostrenus* (1) *ex hoc loco efficax argumentum deducit contra illos, qui ad prolationem verborum angeli*: Dominus tecum, *Christum conceptum dixerunt, quorum illic meminimus, et eorum sententiam plane refutavimus* [14]).

5 *Postquam impleti sunt dies purgationis eius* [15]), ὅτε ἐπλησθησαν, id est, *quum complerentur*, quum iam adesset dies quadragesimus a partu, ipso, inquam, quadragesimo die (2). Si Christus ortus fuerat die VIII kal. ianuar. anni U. C. DCCXLVII, dies hic fuit ante diem IV non. febr. insequentis anni, qui dies quadragesimus erat ab eius ortu. Lex enim sic iubebat: *Mulier, si . . . pepererit masculum, immunda erit septem diebus, . . . et . . . triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suae, . . . nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur* עד מלאת (*fino a compirsi*) *dies purificationis suae. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, . . . et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suae. Cumque expleti fuerint* במלאת (*nel compirsi*) *dies purificationis suae pro filio sive pro filia deferet agnum etc.* [16]). Quare postremo dierum quadraginta ab ipso partu puerpera, quae marem peperisset, purificabatur.

6 Illud *purgationis eius* dictumne de Christo est, an de eius matre? Etsi quaedam graeca exemplaria habeant αὐτης, ubi latina habent *eius*, pleraque tamen et optima ac vetustissima quaeque habent αὐτων *eorum*; quod cur reiciamus, non sane est. Quum enim Moyses lege sanciverit, ut is quoque pollui censeretur et purgatione indigere, qui pollutum tangeret [17]); pueri nascentes polluerentur necesse erat, contactu matris ipso partu pollutae. Et re vera pronomen *eius* in hac narratione, quantum fert verborum syntaxis, ad Christum potius, quam ad Mariam, pertinere videtur. Attamen, quum de pollutione ex contactu Moyses praeceperit solummodo sacrificia ac ritus, quibus, qui ea caussa pollutus esset, expiaretur, nec quidquam edixerit peculiare de infantibus eo modo contaminatis, vel de tempore, quo expiari eos oporteret, Lucas vero expresse dicat *dies purgationis* impletos fuisse *secundum legem Moysis*, verius omnino videtur eum loqui de purgatione Mariae, ideoque latinam interpretationem horum verborum graecis ipsis, ut ea nunc sunt, hac re praestare.

7 *Tulerunt illum in Ierusalem.* Graecum ἀναγειν, quod hic usurpatur, proprie significat *sursum agere*; cur vero hic usurpetur, comperies ex iis, quae de verbo ἀναβαινω alias dicta sunt [18]). Quidam hanc loqutionem conferunt cum illa ἀναγειν θυσιαν *afferre sacrificium*, quae legitur in Actis apostolorum [19]) et apud interpretes bibliorum alexandrinos [20]); quod minime displiceret, nisi obesset illud *in Ierusalem*, quod priorem significatum huic verbo adserit in hoc versiculo. De nominibus *Ierusalem* et *Ierosolyma* dabitur opportunior agendi locus [21]).

8 Duplicem huius itineris caussam, utramque ex lege mosaica petitam, Lucas commemorat,

---

[1]) Act. II, 1. [2]) Conf. Luc. IX, 51. [3]) Lev. XII, 6. [4]) Luc. II, 22. [5]) Matth. I, 25; etc. *Glassii* Philolog. sacr. ed. *Dathe* Append. grammat. Tract. II. observ. 4. n. 2. [6]) Gen. XVI, 11. [7]) Ib. XVII, 19. [8]) I Par. XXII, 9. [9]) Is. XLIX, 1. [10]) III Reg. XIII, 2. [11]) Is. XLV. 3. 4 coll. 1 et XLIV, 28. [12]) Luc. I, 13. [13]) Ib. I, 31; Matth. I, 21. [14]) In h. l. annot. 33. [15]) Luc. II, 22. [16]) Lev. XII, 2—6. [17]) Lev. V, 2. 3. [18]) Diss. XVIII. n. 7. [19]) Act. VII, 41. [20]) II Par. XXIX, 21. [21]) Diss. XXVII. c. VII. nn. 11—14.

quarum altera [1]) ad Christum, altera [2]) ad eius matrem spectabat. Prima continetur verbis *ut sisterent eum Domino.* Deus enim sibi devotum esse iusserat, quidquid primo genitum esset tum hominum, tum animalium quorumdam, masculo genere [3]), quo Israelitae gratos sese praeberent Deo, qui ipsos interfectis Aegyptiorum filiis maioribus natu in libertatem vindicaverat [4]). Primae animalium mundorum feturae fuso earum sanguine super altare sacerdotibus cedebant [5]), immundorum vero pretio redimebantur [6]), exceptis asinorum pullis, qui vel ove redimendi, vel interficiendi erant [7]). Pro filiis Israelitarum primo genitis Dei iussu substituta fuerat tribus Levis [8]), ita tamen ut illi redimerentur [9]) post unum mensem ab ortu quinque siclis argenti [10]), non sine dono dato [11]). Lucas nihil dixit de hac redemptione eiusque pretio, tametsi non omisit, quae Maria obtulit pro purificatione, forte quia haec alia erant pro aliis atque aliis puerperarum facultatibus, illud omnibus, qui primi geniti essent, redimendis unum idemque indictum. In alio loco exposuimus, quid hic valeant illud *aperiens vulvam ἀνοῖγον τὴν μήτραν* [12]) illudque *vocabitur* [13]).

9 Alteram itineris caussam nos docent verba *et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini* [14]), quae lex erat de puerperis purificandis, eamque integre descriptam legere est in levitico [15]). Cave autem putes verba legis *pro filio sive pro filia* iungenda esse his, quae continue sequuntur: *deferet agnum anniculum in holocaustum etc.,* quasi si faciendum esset pro puero primo genito, cum contra pro matre ipsa purificanda fieret; ideoque verba *pro filio sive pro filia* coniunges prioribus, quae sunt *dies purgationis suae.* Lucas ipsam legem transcribens ex parte, qua praecipiebatur, quid puerperae pauperiores efferre pro purificatione deberent, incertos nos reliquit, utrum par turturum, an duos pullos columbarum Maria obtulerit.

10 Quaeritur, an Christus eiusque mater his legibus tenerentur. Quod ad Christum adtinet, tenebatur is quidem in universum lege mosaica [16]), tametsi, utpote Deus, non alia de caussa, nisi quia ipse sic voluit, attamen animadverte lege de filiis primo genitis duo praecipi, primum, ut, non parentum, sed Dei illi forent, alterum, ut eos parentes, nisi Deo concedere mallent [17]), sibi pretio redimerent. At quis non sentiat locum his, non modo non esse, sed neque esse posse, ubi agitur de filio ipsius Dei primo genito? An autem labem aliquam *legalem*, ut vocant, Christus ortu suo contraxerit, negandum omnino esse arbitramur. Etenim, quod nihil quidem in eius ortu acciderit, ex quo talem labem contraheret, ea evincent, quae mox dicemus de ipsius matre (11). Interea tamen memineris, quamvis huiusmodi labes, quae sine ulla culpa contrahebantur, cum Christi dignitate ac sanctitate simul componi fortasse possent, utpote qui longe his humiliora perpessus sponte sua fuerit, aliaque de eo in evangelio narrentur, ex quibus secundum legem immundus fieri debuisset, ut cum puellae vita functae manum tenuit [18]), aut cum mulier sanguinis fluxu laborans eum tetigit [19]), videri nihilominus veri minus simile legibus de huius modi pollutionibus, potissimum quod, etsi citra culpam, quamdam tamen poenae speciem prae se ferrent, Christum, ipsum inquam legislatorem, subditum esse voluisse; nec sane ullam purgationem ab eo adhibitam legimus post illa, quae modo commemoravi.

11 Quod ad Mariam, non eos moramur, qui hanc lege de purificatione puerperae adstrictam dicunt, quia intemerata virginitate eam concepisse infitiantur. Alii tamen sunt, qui autumant ipsam, sicut ceteras puerperas, purificari debuisse, quia puerperae non ex viri semine excepto, sed simpliciter ex conceptu partuque labem contraherent, qua purgarentur oportebat; etsi enim latinus interpres verbo passive *suscepto semine* legem hanc retulerit, aeque ac graecus et samaritanus, hebraicum tamen verbum תזריע vertendum est *seminaverit.* Verum huic sententiae album calculum minime adiicimus. Nam primo forma *hiphil* hebraici verbi non obstat, quominus illud vertatur *semine suscepto concipiet*, ut vertendum docent inter ceteros Rosenmuellerus [20]) et Gesenius [21]), utque verterunt interpretes illi omnes; sique ita vertatur, iam liquet eam legem ad Mariam pertinere nequaquam posse. Tum, si ipso conceptu mulier labem contrahebat, adeo incompertum est, cur ob proprium, non autem ob viri semen exceptum, id fieret, ut contrarium potius credere suadeat tum rei natura, tum ratio ipsa huiusmodi *legalium* macularum, quare ex hac quoque parte intaminata prorsus dicenda est Christi parens. Denique caussa, cur puerperae immundae haberentur, erant sordes, quae

---

[1]) Luc. II, 22. 23. [2]) Ib. 24. [3]) Ex. XIII, 2. 12; XXXIV, 19; Num. VIII, 17. [4]) Ex. XIII, 14—16; Num. III, 13; VIII, 17. [5]) Num. XVIII, 17. 18. [6]) Ib. 15. [7]) Ex. XIII, 13; XXXIV, 20. [8]) Num. III, 12. 39—51; VIII, 15—18. [9]) Ex. XIII, 13; XXXIV, 20; Num. XVIII, 15. [10]) Num. XVIII, 16. Conf. Num. III, 46. 47. [11]) Ex. XXXIV, 20. [12]) Diss. XV. n. 16. [13]) Diss. VII. n. 7. [14]) Luc. II, 24. [15]) Lev. XII, 6—8. [16]) Gal. IV, 4. [17]) Conf. I Reg. I, 11. 24. 28. [18]) Matth. IX, 25 coll. Lev. V, 3. [19]) Matth. IX, 20 coll. Lev. V, 3. [20]) Schol. in Lev. XII, 2. [21]) Thesaur. philolog. crit. ling. hebr. ad h. v.

partum comitari ac consequi solent, quarum quum Mariae partus, quidquid secus sensisse ferantur Tertullianus [1]), Origenes [2]), et Ambrosius [3]), expers fuisse credendus sit [4]), nullam ex partu, neque legalem, labem virgini purissimae adhaesisse liquet. Hinc simul ex ipsa re comperimus Christum quoque huiusmodi maculae prorsus fuisse expertem.

12 Quae quum ita sint, neque Christum neque eius matrem illis legibus fuisse obstrictos certissime putandum est. Quod autem Wolfius [5]) contra contendit, Lucam haec ita referre, ut quae gesta fuerint *ex praescripto legis*, eumdemque hoc modo affirmare, quod ipsi infitiamur, merum est ipsius Wolfii interpretamentum. Illa enim *ex praescripto legis*, sive, ut magis ad verbum vertit latinus interpres *secundum legem* [6]), non idem necessario valent, ac *quia ita lex praescribebat*, sed tantumdem valere possunt ac *sicut lex praescribebat*, ut non caussam, sed modum rei significent; nec aliter intelligere oportet ipsa graeca verba *κατα τον νομον* [7]), *καθως γεγραπται ἐν νομῳ* [8]), *κατα το εἰρημενον ἐν νομῳ* [9]), *κατα το εἰθισμενον του νομου* [10]).

13 De Simeone, de Anna, de utriusque verbis, peculiares quaestiones infra habebimus. De ea, quae videtur esse, repugnantia inter postrema narrationis huius verba [11]) interque ea, quae narrat Matthaeus de Magis deque iis, quae deinceps facta sunt [12]), alias opportunius agemus [13]).

DISSERTATIO XXVI

De Simeone et Anna

1 Simeon, qui Christum puerum in templo Hierosolymae brachiis excepit [14]), is fuisse creditur, qui synedrio praefuit post Hillelem patrem, virum Iudaeorum ea aetate sapientissimum, filiumque habuit Gamalielem magna eum quoque doctrina atque auctoritate virum [15]), et Pauli apostoli praeceptorem [16]). In Evangelio Nicodemi [17]) Simeon dicitur *μεγας διδασκαλος;* proditum autem memoriae est Simeonem Hillelis filium nomine רבן omnium primum fuisse insignitum [18]). Temporum ratio plane constat, quum Sameas vel, ut Iudaei vocant, Schammai, qui, utpote Hillelis discipulus [19]), potuit aetate aequalis esse Simeonis aut non multo senior, sederet in synedrio atque auctoritate polleret iam ab anno U. C. DCCVII aut DCCVIII [20]), Gamaliel vero Simeonis filius obierit octodecim annis ante templum a Romanis incensum [21]), qui sunt fere anni sexaginta post natum Christum.

2 Neque dubitare est, quin Sameas, quem Iosephus ait praedicto anno in synedrio sedisse, idem sit, ac Schammai Hillelis discipulus. Sameam enim ex primis Pharisaeorum maximoque in honore apud Herodem fuisse scripsit Iosephus [22]), eademque de Schammai narrantur a rabbinis [23]). Iosephus quidem Sameam non Hillelis discipulum, *sed Pollionis*, fuisse dicit [24]), cumque magistro suo primas inter Pharisaeos egisse; at, praeterquam quod Hilleli duo nomina esse potuerint [25]), ea ipsa de Pollione commemorata sunt apud Iosephum, quae de Hillele apud Iudaeos ceteros, Sameam huius discipulum esse, multos eidem huic sectatores addictos [26]), eumdem ab Herode plurimi factum, atque nulla Hillelis mentio apud Iosephum, ita nulla Pollionis apud ceteros.

3 Rationes vero alias, quibus fit verisimile Simeonem, qui est in hoc evangelii capite, eum esse, quem dicimus, collegit Polus [27]), sunt autem hae. *Quod Iudaei hunc spiritu prophetico praeditum fuisse affirmant. . . . Quod ille tunc vixit, idque Hierosolymis. . . . Quod historia Iudaica huius laudes praeterit, quas alioqui in Hillelis maioribus et tota posteritate diligentissime prosecuta est; . . . forsan hic sanius sapuit circa traditiones, et altius spectavit. Quod Simeon iste, perinde ut pater eius Hillel, ab officio suo remotus scribitur, quod communi Iudaeorum opinioni de regno Messiae temporali non suffragarentur.*

4 Neque illud obstat, quod Lucas de eo scripserit, veluti de homine ignoto, non enim Iudaeis

---

[1]) De carne Christi c. 23. [2]) In Luc. hom. XIV. [3]) In Luc. Lib. II. § 57. [4]) *Petav.* De incarn. L. XIV. cc. 5—7. [5]) Curae crit. in h. l. [6]) Luc. II, 22. 39. [7]) Ib. 22. 39. [8]) Ib. 23. [9]) Ib. 24. [10]) Ib. 27. [11]) Ib. 39. [12]) Matth. II. [13]) Diss. XXVII. c. III. [14]) Luc. II, 25—28. [15]) Act. V, 34. [16]) Ib. XXII, 3. [17]) In *Thilo.* Cod. apocr. N. T. c. 16. [18]) *Lightfoot* Harmon. quat. evang. P. I. sect. VI. [19]) *Ios. Ben. Gorion.* Lib. V. c. 4. ap. *Noldium* de vit. et gest. Herodum. p. 423. [20]) *Ioseph.* Antiq. L. XIV. c. 9. § 4 coll. § 1 et c. 10. § 1. [21]) Iuchasin fo. 57. 1 ap. *Lightfoot.* Hor. hebr. Centur. chorogr. Matthaeo praef. c. 15. [22]) Antiq. ll. cc. et L. XIV. c. 10. § 4; L. XV. c. 1. § 1. [23]) *Abrah. Ben-Diior* de gest. regum stante templo secundo fo. 54. 2 ap. *Nold.* l. c. [24]) Ib. L. XV. c. 1. § 1. [25]) Diss. IX. c. III. n. 3. [26]) *Ioseph.* op. cit. L. XV. c. 10. § 4; *Geier.* Comment. de Hill. et Scham. in *Ugolini* Thesauro T. XXI. [27]) Synops. criticor. sacr. ad Luc. II, 25.

is scribebat. Neque, quod Simeon Hillelis filius diutissime post Christum vixisse feratur; etsi enim *responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini* [1]), non tamen se continuo aut brevi post visum Christum interiturum; et, licet propterea sit, cur senex iam fuisse credatur, quum Christum vidit, non tamen decrepitus, ut plures ultra annos vivere nequiverit.

5 Qui Simeonem sacerdotem fuisse autumant [2]), exiguis sane argumentis ducuntur, eaque collegit Toletus [3]), qui tamen sentire se eorum exiguitatem satis prodidit. Hoc autem potissimum illos movet, veluti si Simeon sacerdotis munia gesserit in ea caerimonia, quam Lucas descripsit. Verum id neque ipse Lucas ait, neque ex huius narratione ulla probabili ratione colligimus, refutat imo ipse modus, qua res narratur. De sacerdote enim in templo illud ipsum munus gerente, quod ad rem pertineret, quae narratur, quam inconcinne quis ita loqueretur: *Homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste etc.* Quid vero, quod is aperte dicatur venisse ad templum *in spiritu* [4]), id est, instinctu quodam impulsuque divino, quo videtur negari illac venisse, ut officium sacerdotis expleret in Mariae purificatione? Multo itaque minus credes scriptori Protoevangelii Iacobi [5]) Simeonem fuisse pontificem maximum, ut is narrare videtur, utque aperte narrat interpres latinus Evangelii Nicodemi [6]).

6 Simeon a Luca *εὐλαβὴς* vocatur. Hanc vocem unus Lucas usurpavit in novo testamento, semel in evangelio, iterum ac tertio in Actis apostolorum [7]); pro qua latinus interpres primo loco ac tertio reddidit *timoratum*, secundo *religiosum*. Bis vetus testamentum eum exhibet; primo in levitico [8]), ubi Moyses et Aaron iubentur absterrere Israelitas ab iis, ob quae polluti habendi lege erant, verbaque והזרתם את בני ישראל מטמאתם *et separabitis*, vel *cavere facietis filios Israel a pollutione eorum* graece versa sunt *καὶ εὐλαβεῖς ποιήσετε τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ἀπὸ τῶν ἀκαθαρσιῶν αὐτῶν*, rursus apud Michaeam [9]) pro חסיד, quod eumdem usum habet ac latinum *pius*, pietatem autem neque, ac virtutes ceteras, in *timore* Dei reponere mos est scriptoribus sacris. Secundum ipsum etymon *εὐλαβὴς* eum significat, qui *bene* aliquid *capit*, hinc transfertur ad eum significandum, qui caute agit, ut timidi praesertim solent utque ii, qui religione aliqua sollicitantur. Quae omnia evincunt admodum concinne pro graeco *εὐλαβὴς* latinum *timoratus* redditum esse.

7 *Expectans consolationem Israel.* Christum per illam aetatem a Iudaeis fuisse exspectatum discimus etiam ex his Iosephi verbis: *Quod maxime eos ad bellum excitaverat, vaticinium erat ambiguum in sacris libris repertum, illis circiter temporibus quemdam ex ipsorum finibus profectum orbis terrarum imperio potiturum* [10]). Imo, et inter ceteras gentes exspectationis huius famam permeasse, testes locupletissimos habemus Tacitum [11]) et Suetonium [12]).

8 *Consolationem Israel* ea bona, quae Christus erat allaturus, vocare solebant veteres Iudaei. Ionathan Ben Uziel quaedam Isaiae verba sic *παραφράζει*: *Omnis, qui scriptus fuerit ad vitam aeternam, videbit consolationem Ierusalem* [13]); quaedam vero Ieremiae sic: *Qui desiderant annos consolationis venturos* [14]). Hinc illa iurisiurandi formula apud Iudaeos: *Sic videam consolationem Israel* [15]). Hinc nomen מנחם *consolator* Messiae factum in talmude [16]). Hinc denique non semel in vetere testamento Christi adventus sub consolationis imagine praenuntiatus [17]). Similes huic sunt aliae Christi appellationes הישועה העתידה SALUS FUTURA, הגאלה העתידה *redemptio futura*, Iudaeis usitatae [18]), quarum utraque in hac ipsa historia reperitur [19]).

9 Illa *ἰδεῖν θάνατον videre mortem*, quae Paulus quoque usurpavit [20]), item *θεωρεῖν θάνατον spectare mortem* [21]), *γεύσασθαι θανάτου gustare mortem* [22]), horumque contraria *ὄψεσθαι ζωὴν videre vitam* [23]), hebraica loquutio est [24]).

10 In illis *ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo* [25]), verbum *facere τοῦ ποιῆσαι* non significat *sacrificium*, ut quidam putant, nihil enim de huiusmodi sacrificio pro filiis recens natis faciendo lex mosaica habet, sed *exsequi*, ea videlicet, quae lex de filiis primo genitis praecipiebat, *ut sisterent eum Domino* [26]), et exsoluto pretio redimerent [27]).

11 Quid valeat *benedicere Deum* in sermone scriptorum sacrorum, alias explicuimus [28]).

---

[1]) Luc. II, 26. [2]) Ap. *Allat.* Diatr. de Simeonib. pp. 3 seqq. [3]) Comment. in h. l. [4]) Luc. II, 27. [5]) Cap. 24. [6]) Capp. 16. 17 in *Fabric.* Cod. apocr. N. T. [7]) Act. II, 5; VIII, 2. [8]) Lev. XV, 31. [9]) Mich. VII, 2 cod. alexandrin. [10]) De bello L. VI. c. 5. § 4. [11]) Hist. L. V. § 13. [12]) Vespas. § 4. [13]) Is. IV, 3. [14]) Ier. XXXI, 6. [15]) *Lightfoot.* Hor. hebr. in h. l. [16]) *Buxtorf.* Lexic. ad h. v. [17]) Is. LII, 9; Ier. XXXI, 13; etc. [18]) *Abarbanel* Praef. in Isaiam. [19]) Luc. II, 30. 38. [20]) Hebr. XI, 5. [21]) Io. VIII, 51. [22]) Matth. XVI, 28; Marc. IX, 1 graec.; Luc. IX, 27; Hebr. II, 9. [23]) Io. III, 36. [24]) Conf. Ps. LXXXIX, 49. *Buxtorf.* Lex. hebr. talmud. ad. voc. ראה. [25]) Luc. II, 27. [26]) Ib. 22. [27]) Diss. XXV. n. 8. [28]) De interpr. scriptur. sacr. L. II. quaest. V. n. 4.

12 Quod canticum vulgo esse fertur, verius, simplicem precationem diceres, qua Simeon animi affectus expressit; ut enim una sola sententia his verbis continetur, qua ille se morti paratum professus est, ita nihil, quod nequeat non poeticum videri.

13 *Nunc dimittis servum tuum . . . in pace* [1]). His ipsum precationis argumentum exprimitur, quod est vel Simeonis votum exoptantis, ut iam e vita educatur, vel declaratio affectus, quo ipse agitur, et ex quo libentem se gaudentemque moriturum profitetur. Videtur tamen hic alter esse sensus illorum verborum, quantum colligi potest ex graeco verbo, quod Lucas adhibuit; est enim verbum tempore praesente. Iudaeorum lingua sic ea proferrentur: עתה נפטיר את *nunc dimittens tu*, id est, *nunc utique dimittes*, seu, *nunc dimittas licet*. Notanda vis verbi graeci ἀπολύειν, pro quo latinum *dimittere* quam aptissime redditum est, utrumque vero apprime respondet verbo פטר, quo usus putandus est Simeon [2]). Nam, ut Grotius dixit, *est . . . in hoc loquendi genere manifesta professio speratae vitae alterius, quum corpus habeatur pro animi vinculo, unde dictum δέμας volunt Graeci* [3]); scilicet Themistius [4]) ita scripsit: *Morientem ἀπολύεσθαι* DISSOLVI *et mortem ἀπόλυσιν* DISSOLUTIONEM *vocant; corpus enim δέμας* VINCULUM *appellant*. Addit Simeon *Secundum verbum tuum*, rationem videlicet, cur Deus eum ipsum e vita educat, eaque est ipsius Dei pollicitatio, de qua Lucas prius loquutus est [5]). Attende verborum traiectionem Lucae usitatam, dicta enim haec sunt pro *Nunc dimittis servum tuum in pace secundum verbum tuum* [6]).

14 *Quia viderunt oculi mei salutare tuum* [7]). Voti sui caussam Simeon exponit, quod ipsi Deus promissa iam praestiterit. Emphasin affectu praegrandi habet illud *oculi mei*. Mazochius [8]) vult verba *το σωτήριον σου salutare tuum* iungi cum nomine *φως lumen* ita, ut illud prius sit huius posterioris appositum, additque haec: *Cur sic iungam, facit, quod nemo, quod sciam, scriptorum novi foederis σωτήριον substantive usurpavit (nisi sicubi ex vetere testamento aliquid affertur, ut Luc.* III, 6*), multo minus Lucas ceteris elegantior*. Atqui usurparunt [9]), atque adeo ipse Lucas [10]). Tum si Lucas illud sic usurpare non reformidavit, *sicubi ex vetere testamento aliquid affertur*, cur reformidasset, ubi aliorum verba refert? Nec propria linguae, qua Simeon loquebatur, foret loquutio *salutare tuum lumen*, ut non uno ex capite grammaticae apparet. Quid autem sit *salutare Dei*, per se patet, sed plenius intelliges, si legas Isaiam [11]).

15 *Lumen ad revelationem gentium* [12]). Appositio est, qua haec cum nomine *salutare* iunguntur, non veluti substantivum nomen cum adiectivo, ut censuit Mazochius, sed e contrario potius, atque ita ut sensus sit, *salutare* hoc, Christum videlicet, futurum esse tamquam lumen omnibus gentibus. Quum non tam proprie dicantur gentes revelandae, quam gentibus veritas, quumque lux nequaquam revelet gentes, sed potius gentibus aut ipsa reveletur, aut veritatem revelet, traiectio esse dicenda est in his Lucae verbis, eaque ita sunt ordinanda: *lumen gentium ad revelationem* [13]). Nisi tamen censeas *gentium* ita iungi cum nomine *revelationem*, ut, non quod, sed quibus revelandum quid erat, significet, huiusque incisi sensus sit: *lumen gentibus revelandum*.

16 *Et gloriam plebis tuae Israel* [14]). Haec non dependent a particula *ad*, veluti si dictum foret: *lumen ad revelationem et ad gloriam*, sed et ipsa simul cum nomine *lumen* nomini *salutare* per appositionem iungenda sunt, nam haec quoque Israelitarum *gloria* non alia est, quam ipse Christus.

17 Ceterum tota haec Simeonis extemporalis atque aureola oratiuncula hominem prodit prophetis legendis adsuetum, quum gemina eorum, quae is protulit, apud illos reperiantur [15]).

18 *Et erat pater eius et mater mirantes super his, quae dicebantur de illo* [16]); non quasi haec Mariae ignota essent, sed quia, ut vetustus quidam scriptor adnotavit, *transcendentium rerum notitia, quoties in memoriam venerit, toties renovat in mente miraculum* [17]). Ratio, cur Lucas huius admirationis meminerit, fortasse ea ipsa est, ob quam non semel haec dixit: *Maria autem conservabat omnia verba haec . . . in corde suo* [18]).

19 *Et benedixit illis Simeon* [19]). Quaeritur, an etiam Christo benedixerit. Id credere nonnulli religioni sibi ducunt; non tamen ii, qui probe norunt, quid hoc verbum valeat in sacris scripturis [20]). Imo id facere non ipse Simeon religioni sibi duxisse videtur, qui paullo prius Deo benedixisse

---

[1]) Luc. II, 29. [2]) *Buxtorf.* Lexic. talmud. ad h. v. [3]) In h. l. [4]) Ap. *Stobaeum* serm. 119. [5]) Luc. II, 26. [6]) V. gr. hoc ipso in cap. II, 19. 25. 30—32. 35. 36 graec. [7]) Luc. II, 30. [8]) Spicil. bibl. ad h. l. [9]) Eph. VI, 17. [10]) Act. XXVIII, 28. [11]) Is. XLVI, 13; XLIX, 6; LII, 10. [12]) Luc. II, 32. [13]) Conf. Is. XLIX, 6. [14]) Luc. II, 32. [15]) Conf. Is. ll. cc. et IX, 2; XLII, 6; etc. [16]) Luc. II, 33. [17]) Ap. *A lapide* in h. l. [18]) Luc. II, 19. 51. Diss. XXIV. n. 8. [19]) Luc. II, 34. [20]) *Patrit.* De interpr. script. sacr. L. II. quaest. V. nn. 3—6.

narratur [1]), neque Elisabeth dum Mariam ita compellabat: *et benedicta tu, . . . et benedictus fructus ventris tui* [2]). Non tamen negaverim alia ratione Mariae et Iosepho, alia ipsi Christo Simeonem benedixisse.

20 Sequitur Simeonis vaticinium, quod quibusdam obscurius videri solet, non tamen iis, qui ex hoc quoque hominem agnoscunt Isaiae lectitando adsuetum, quique a Petro et a Paulo didicere, quid ea significent, quae gemina verborum Simeonis in Isaia leguntur.

21 *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel* [3]), graece, *εἰς πτωσιν και ἀναστασιν;* quarum vocum manifesta apparet oppositio, ut, quum *πτωσις* sit *casus*, *ἀναστασις* sit actus eius, qui *post casum resurgit*, summamque eae exhibent duorum Isaiae vaticiniorum. Horum prius, cui illud *εἰς πτωσιν* respondet, sic est: *Erit . . . in lapidem . . . offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem, et offendent ex eis plurimi, et cadent etc.* [4]); Christus namque, ut Petrus Isaiam interpretatur, fuit Israelitis *non credentibus . . . et lapis offensionis et petra scandali* [5]), atque interpretatur Paulus, *Israel . . . sectando legem iustitiae in legem iustitiae non pervenit, . . . offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est etc.* [6]), nam Christus *Iudaeis . . . scandalum* [7]). Posterius Isaiae vaticinium, cui respondent verba *εἰς ἀναστασιν*, haec habet: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, lapidem angularem, pretiosum, in fundamento fundatum; qui crediderit, non festinet* [8]). Hebraicum לא יחיש verti potest *non festinabit*, ex trepidatione scilicet, vel ut trepidi solent, idque *συνεκδοχικως* dictum est pro *non trepidabit*, imo ipsam *trepidationem* hoc verbo significari quidam sentiunt [9]); interpretes vero alexandrini, quos Petrus et Paulus sequuntur [10]), pro eo reddiderunt *οὐ μη καταισχυνϑῃ non afficietur pudore.* Quae tamen omnes verbi huius significationes facile componuntur. Christus enim iis, qui ipsi adhaerent, petra est posita *εἰς ἀναστασιν*, in qua firmi ac tuti ipsi *consistant*, eorumque animus *erigat se*, atque *assurgat*, procul pulsis *trepidatione* ac *rubore*; atque ad hanc revocatur interpretatio verborum Isaiae, quam fecere Petrus et Paulus [11]).

22 *Et in signum cui contradicetur* [12]), non verbis tantummodo, sed re et facto, haec enim alias quoque vis est verbo *ἀντιλεγειν* [13]). Recte haec explicuit Rosenmuellerus: *Dicitur autem Christus etiam σημειον ἀντιλεγομενον, id est,* EXEMPLUM *seu* MONUMENTUM HOMINIS REIECTI REPUDIATIQUE, *e cuius vita insigni modo disci possit, quid sit respui et repudiari. Si enim ab Hebraeis, unde hic modus loquendi repetendus est,* HOMO *aliquis dicitur εἰναι εἰς σημειον, intelligitur illum hominem esse exemplo, documento, unde aliquid cognoscatur, aut quo aliquid confirmetur* [14]). Christum futurum *in* SIGNUM praedixerat iam Isaias [15]), et, qualem ille longa post aetate *sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum* CONTRADICTIONEM [16]), vaticino carmine narraverat [17]).

23 *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* [18]), quando filium *εἰς σημειον ἀντιλεγομενον* positum conspicies. Haec *παρενϑετα* sunt, quae enim secundum haec leguntur, superioribus sunt iungenda. Similem loquutionem habes, ubi de Iosepho Israelis filio haec cecinit psaltes: *Ferrum pertransiit animam eius* [19]); inde intelligimus, quam parum Lucae verbis inventur, qui ex his effici putant *beatissimam Virginem subituram martyrium* [20]); Epiphanius autem, quem opinioni suae suffragantem inducunt, nihil pro certo affirmat, sed solum ait posse verba Lucae in hunc sensum accipi [21]).

24 *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes* [22]). Horum significatio perspicua est, si ea per se ipsa spectes, at non item, si cum prioribus, ut debent, ea coniungantur. Neque putanda sunt pertinere ad illa: *et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, quibus ea Simeon continuo subiunxit, sed ad superius de Christo vaticinium; alioquin nullam inde sententiam extricares. Aliis itaque interpretationibus omissis, dicam, quod sentio. Particula *ut* non videtur in hoc loco habere sensum *αἰτιατικον*, ac si valeret *ideo ut*, neque enim ea, quae de Christo praedicebat Simeon, *ideo* eventura erant, *ut* revelarentur *ex multis cordibus cogitationes*, sed in *ἐκβατικον* sensum usurpari dicenda est, idemque valere ac *ita ut*, maxime quum graecum *ὁπως ἀν*, pro quo illud *ut* redditum est, ubicumque a scriptoribus novi testamenti adhibetur, commodissime verti queat *ita ut.* Talis autem sensus inde exsistet: Fore, ut ea, quae a Christo, ut Simeon praedicebat, praestanda erant ac toleranda,

---

[1]) Luc. II, 28. [2]) Luc. I, 42. [3]) Luc. II, 34. [4]) Is. VIII, 14. 15. [5]) I Pet. II, 7. 8. [6]) Rom. IX, 31—33. [7]) I Cor. I, 23. [8]) Is. XXVIII, 16. [9]) *Rosenmuell.* Schol. in Is. l. c. [10]) Ll. cc. [11]) Conf. Is. LIII, 11. [12]) Luc. II, 34. [13]) Io. XIX, 12; Act. XXVIII, 22; Tit. II, 9. [14]) Schol. in h. l. Conf. Is. VIII, 18; Ezech. XIV, 8; etc. [15]) Is. XI, 10. [16]) Hebr. XII, 3. [17]) Is. LIII, 1—3 seqq. [18]) Luc. II, 35. [19]) Ps. CIV, 18. [20]) *Lightfoot.* Hor. hebr. talmud. in h. l. [21]) Haer. LXXVIII al. LVIII. § 23. [22]) Luc. II, 35

occasionem praeberent Iudaeis prodendi, qua mente, quove animo essent in Christum, quid de eo cogitarent, quid sentirent, qualem Christum sibi effingerent, atque exspectarent. Quippe noverat Simeon non paucos e popularibus suis prave ac praepostere intelligere atque interpretari, quae a sacris vatibus de Christo fuerant praenuntiata, quos obiter redarguere velle videtur; idque magis fiet verisimile, siquidem iste Simeon fuerit ille Hillelis filius, qui, aeque ac ipsius pater, quum synedrio praeesset, loco motus fuisse fertur, quod saniora quam ceteri de Messia opinaretur (3).

25 *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser* [1]. Utrum *prophetissa* appellaretur Anna, propterea quia futura praediceret, au potius ob aliud quid ex iis, quae *prophetiae* nomine scriptores sacri solent designare [2], nisi coniectando, dici certo nequit. Nobilem ex hac re Hierosolymae fuisse mulierem hoc ipso coniicimus, quod appellatione *prophetissae* ea vulgo honestaretur. Ceterum nihil prohibet credere ita fuisse appellatam, quia futura praediceret; falso enim fertur Iosephus negare tales prophetas per illam aetatem in populo iudaico exstitisse, quum solum narret libris post eos, quos *protocanonicos* nominamus, conscriptis non tantam auctoritatem, quantam prioribus, esse, *propterea quod minus explorata fuerit successio prophetarum* [3].

26 *De tribu Aser.* Etsi decem Israelitarum tribus captivae abductae fuerant a Salmanasare rege Assyriorum centum et viginti annis antequam Nabuchodonosor rex Chaldaeorum captivas abduceret tribus Iudae et Beniamini [4], post finem autem captivitatis ii solum reversi dicuntur, quos *transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem* [5], qui erant ex tribubus Iudae, Beniamini, et Levis [6], constat tamen his alios ex aliis tribubus immixtos iam ab ea aetate, qua facta est regnorum Iudae et Israelis separatio [7]; tum Cyri decreto, non Iudaei modo ac Beniamitae, sed universa Israelitarum gens in libertatem adserebatur [8], ut cumque factum sit, ut maxima ceterarum tribuum pars ibi mansit, quo duceutis ferme ante annis abductae fuerant, proinde in pristinam πολιτικὴν formam numquam fuerint restitutae [9].

27 *Vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.* Duplex est interpretatio verborum *a virginitate sua.* Quidam autumant his significari aetatem, qua puellae incipiunt iam virgines haberi, quod contingit, quum ad pubertatem perveniunt, aetatis anno duodecimo. Mos enim fuit Israelitarum, ut filias nondum nubiles aut vix puberes viris locarent, hi tamen aliquot annis a concubitu abstinerent [10]. Alii verius fortasse haec verba in eum sensum accipiunt, ut Anna ex illo, quo coniunctis nuptiis virgo esse desiit, septem annis cum viro convixerit, eius autem virginitatis mentio fiat, quo duplex ipsius laus memoriae tradatur, integra adhuc virginitate eam nupsisse, ac fuisse univiram, uam Lucas statim narrat, ut Anna post viri obitum vidua permanserit [11]; ex quibus consequitur apud Iudaeos quoque laudi datum id, quod de nuptiis non iterandis Paulus priscis Christianis suadebat [12].

28 *Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor* [13]. Graeca ita sunt: ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, quae a quibusdam vertuntur *quasi annis octuaginta quatuor*, ut sensus sit, Annam eo tempore annum a viri obitu iam numerasse octuagesimum quartum, quo dicenda foret ad quartum saltem supra centesimum aetatis annum pervenisse. Sed non est, cur annos viduitatis potius, quam aetatis, commemorari credamus.

29 *Quae non discedebat de templo ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die* [14]. Wolfius Casaubonum sequutus ita scribit: *Ex verbis his male intellectis nonnulli post Baronium efficere conati sunt Annam inter moniales numerandam esse* [15]. At contra *ex verbis Baronii male intellectis*, ne quid gravius proferam, Wolfius et Casaubonus fabellam hanc sapientissimo viro affinxisse dicendi sunt. Etenim longe aliud est *merito appellari monialem*, ac *esse monialem;* prius dixit Baronius, idque ob similem vitae rationem dumtaxat, non alterum. En Baronii verba: *Quomodo autem Anna numquam e templo discessisse dicatur, ut merito eamdem s. Cyrillus Hierosolymitanus* RELIGIOSISSIMAM MONIALEM *appellet, consule, quae superius dicta sunt de praesentatione Dei genitricis in templo* [16], eaque sunt in *Apparatu* [17], neque ulla ratione ex iis coniicere est Annam monialem a Baronio habitam esse. Illud solummodo notare oportet, quod, etsi eae, quas *moniales* dicimus, a patribus graecis ἀσκήτριαι appellarentur [18], quo nomine Annam appellavit Cyrillus [19], non ideo, quoties nomen hoc apud illos reperitur, *moniales* eo significari necesse sit, sed feminas deditas

---

[1] Luc. II, 36. [2] Diss. XIII. nn. 4—5. [3] Cont. Apion. L. I. § 8. [4] IV Reg. XVII, 6. 23; XXIV, 11—16. [5] 1 Esd. II, 1. [6] Ib. 1, 5; etc. [7] II Par. XI, 16. 17; XXXI, 6. [8] 1 Esd. 1, 3. [9] *Patrit.* De interpret. scripturar. sacrar. L. II. quaest. VI. nn. 12. 13. [10] *Majmon.* Iad chazaka Tract. de coniugio c. 2. § 1; Tract. de illic congressu c. 17. § 2 ap. *Wolf.* Cur. crit. in h. l. [11] Luc. II. 37. [12] 1 Cor. VII, 8. 39. 40. [13] Luc. II, 37. [14] Luc. II, 37. [15] Cur. crit. in. h. l. [16] Annal. an. 1. n. XLI. [17] Appar. ad Annal. nn. XLVII—LIII. [18] *Suicer.* Thes. eccles. ad v. ἀσκέω. [19] Catech. X. § 19.

divinis rebus contemplandis. Ceterum illa ***non discedebat de templo***, patet dicta esse ὑπερβολικῶς, quo Annae assiduitas in templo, in precibus, inque aliis rebus ad Dei cultum pertinentibus extollatur [1]; tametsi, quum mulieres quoque certis quibusdam officiis in templi ministerio fungerentur [2], improbabile haud est, quod Baronius multiplici argumento defendit, partem aliquam aedificiorum, quae templi nomine comprehendebantur, assignatam ad habitandum hisce mulieribus [3], harumque de numero unam fuisse Annam [4].

30 ***Confitebatur Domino*** [5]. Verbum ἀνθομολογεῖσθαι, quod hic usurpatur, in graeca translatione veteris testamenti respondet hebraeo הוֹדוֹת [6], quod proprie significat ***monstrare*** seu ***manifestare***, ea, quae in animo sunt, ut peccata, quae admisimus, gratitudinem, qua pro acceptis beneficiis tenemur, admirationem et reverentiam, qua erga aliquem afficimur, horumque similia, atque adeo haec omnia verbis exprimere, ex quo interdum tantumdem valet, ac ***gratias agere***, ***laudare***, ***celebrare***. Hinc apparet, quid in hac narratione valeat illud ἀνθωμολογεῖτο.

31 ***Omnibus, qui expectabant redemptionem Israel*** [7]. Recole, quae superius (7) diximus de illis ***expectans consolationem Israel*** [8]. Codices graeci pro ***Israel*** habent ἐν Ἱερουσαλὴμ, quod vel construendum est cum nomine ***redemptionem***, ut simul significent ***redemptionem*** in urbe ***Hierosolyma faciendam***, vel traiectionem verborum haberi dicendum est, atque ita ea esse ordinanda: ***qui expectabant in Ierusalem redemptionem***; neque enim videtur illud ***in Ierusalem*** iungendum verbo ***loquebatur***, quum ea nunc narrentur, quae illa ***ipsa hora***, non in urbe, sed in templo ab Anna gesta sunt.

DISSERTATIO XXVII

De Magis, qui Christum inviserunt.

Nunc in quaestionem veniunt ii Magi, quos apud Matthaeum legimus ab Oriente ad Christum recens in lucem editum advenisse. De quibus quum plura sunt disputanda, tum illud minime praetereundum, quid tandem hominum fuerint id genus Magi. Deinde deinceps agemus de his Magis, qui puerum Christum inviserunt, de tempore, quo id contigit, de stella, qua indice ac duce iter ingressi et ad Christum perducti sunt, de loco, in quo Christum invenerunt, denique de iis, quae in Matthaei narratione praeterea illustrari amant, nonnullis exceptis, quae peculiaribus dissertationibus reservamus.

CAPUT I

De Magis in universum

1 Quod ad Magos in universum, primo in quaestionem vocatur nomen ipsum, deinde Magorum auctor, tum religiones atque instituta, denique patriae regiones, ad haec, quinam populus ille vetustus, cui nomen Magi, postremo, utrum secta a populo, an populus a secta nomen acceperit. Quae singula singulis disputationibus persequemur. Qui plura de Magis scire avet, praesto est, qui ipsius studiis faciat satis, praeter eos, quos inter agendum nominabimus, Thomas Hyde [9].

PARS I

De nomine Mago

2 Nominis origo trans Tigrim flumen posita procul dubio; eam enim in linguis semiticis, nedum in graeca, vel latina, aut aegyptiaca, frustra perquiras. De רב־מג vero, qui est apud Ieremiam [10], in alio loco (19). Contra ea veteres scriptores, quotquot nomen hoc sunt interpretati, persicum dixerunt [11], atque etiamnum persica lingua مغ ***mogh***, pluraliter مغان ***moghan***, appellantur sacerdotes Persarum ignem religiose colentes, sicut olim coluerunt gentium illarum Magi, quorum veluti

[1]) Conf. Luc. XXIV, 53. [2]) Conf. Ex. XXXVIII, 8 de quo *Rosenmuell.* Schol., et I Reg. II, 22. [3]) Apparat. l. c. [4]) Annal. l. c. [5]) Luc. II, 38. [6]) Ps. LXXVIII, 13; Eccli. XX, 1. Conf. I Esd. III, 11; Eccli. XVII, 27. [7]) Luc. II, 38. [8]) Luc. II, 25. [9]) Veter. Persar. religionis hist. c. 31. [10]) Ierem. XXXIX, 3. 13. [11]) *Dio Chrysost.* Or. XXXVI. p. 449 et Or. XLIX. p. 538. Lutet. 1604; *Porphyr.* de abstin. animal. l. IV. p. 92. Venet. 1547; *Apollon. Tyan.* ep. 17; *Apulei.* Apol. L. I. p. 290. Francof. 1621; *Theodoret.* H. E. L. V. c. 39; *Hesych.* Lexic.; *Suidas* Lexic.

reliquiae adhuc supersunt, praesertim in ea regione, quae nunc Kerman, olim Caramania nomen habuit [1]), atque etiam in ea, quae Aderbaigiana Persis vocata, Graecis vero Atropatene, Mediae prius contributa erat (20). Trans Tigrim nominis *Magi* quaerendam originem esse ex eo etiam apparet, quod illic Magi ipsi ortum, incrementa, propriamque sedem habuere, ut infra demonstrabimus.

3 Nomen quoque *Magusaeum* usurpatum reperimus, etsi rarius, haud tamen dubium, quin una eademque origine cum *Mago*. Nam hodie apud Persas مغوشا *Maghusha* est quoddam Magorum genus seu secta, quod nomen coaluisse videtur ex مغ *mogh* et ex particulis وش *vash* et سا *sa*, quarum illa addita nominibus, haec posita post nomina, similitudinem significant; aut forte huc pertinet, quod profecto satis obscure scripsit Herodotus: *Quaecumque apud illos (Persas) nomina corporibus vel magnificentiae sunt similia, ea omnia in eadem terminare litera, quam Dores* SAN *appellant, Iones* SIGMA [2]).

4 Habent utique Arabes verba et nomina deducta مجس, quibus magia notio est, sed deteriore illo sensu, in quem vulgo magia accipi solet; tum baec vox arabica nullam literam, si primam demas, habet eamdem prorsus cum eo nomine persico, hoc enim *maghusha* illa *megesa* effertur. Quare neque suspicio esse debet, Persas hoc nomen ab Arabibus esse mutuatos, tametsi Arabes nomine ab illa voce deducto vocent etiam Magos Persarum [3]).

5 Chaldaei quoque dicunt מגוש, Syri autem ܡܓܘܫܐ, pro *mago*, sed item deteriore sensu, id est, INCANTATOREM, PRAESTIGIATOREM [4]), ܡܓܘܫܘܬܐ hi vocant *magiam*, *cultum et studium rerum caelestium* seu, ut aliis placet, *elementorum*, quod postremum sane respondet magiae, quae olim trans Tigrim obtinuit. At neque in chaldaica neque in syriaca lingua horum nominum etymon invenias; vix enim non ridendus David de Pomis, dum מגוש deducit a מגש, quod est *innuere*. Num vero a Persis, an ab Arabibus, haec acceperint Chaldaei et Syri, aut potius graecum μαγος effinxerint, affirmare non ausim.

6) Adseritur porro nomen *Magusaeus* uni eidemque origini, ac nomen *Magus*, eo etiam, quia ipsis Magusaeis patriam regionem aliam a veteribus adtributam non reperimus, nisi unam e Magorum regionibus, Persidem videlicet [5]) quin imo Magusaeos alios non esse, quam ipsos Persas sensere Suidas [6]), et post hunc Cedrenus [7]). Illud indubium est, quod Magusaei iidem, qui Magi, habiti semper fuerint. Non enim modo eadem utrisque patria, sed et idem auctor [8]), eadem religio [9]), eadem instituta doctrinae [10]), utrorumque nomen utriusque promiscuum [11]), quo modo Basilius Seleuciensis Smerdim Magum Persarum regem vocat *Smerdin Magusaeum* [12]).

7 Quare nomen utrumque *Magum* et *Magusaeum* pro uno atque eodem habebimus. Cur vero persica potius nomina baec, quam propria aliuscuius trans Tigrim sermonis, dicta atque habita fuerint, inferius patebit (22). De etymo autem nominis *Magi* opportunius in alio loco (28 seqq.), nunc de ipsis Magis, ac primum de horum auctore.

PARS II

De Magorum auctore

8 Una omnium vetustiorum sententia est, Magorum auctorem fuisse Zoroastrem [13]), quem *Magum* κατ' ἐξοχὴν adpellatum legimus [14]); quare non erat, cuc Clericus [15]) Salmasium reprehenderet, veluti si coniectasset, quum Zoroastri nomen *Mog* fuisse narravit [16]).

9 Nomen ipsum, quod vulgo *Zoroastres* efferri solet iis casibus obnoxium fuit, quibus cetera

---

1) *Prideaux.* Hist. des Juifs. T. I. pp. 404. 419. 2) Hist. L. I. c. 139. 3) V. gr. *Eutych. Alexandr.* Annal. T. I. p. 262; *Abulfarag.* Hist. dynast. V. p. 83. 4) *Castell.* Lex. hept. 5) *Bardesanes* De Fato ap. *Euseb.* Demonstr. evang. L. VI. c. 10. p. 275; *Auctor* Recognition. XI. § 21; *Epiphan.* Exposit. fid. §§ 12. 13; *Auctor* Vitae Epiphan. nn. 15. 16. 6) Lex. ad voc. γοητεια, μαγεια, περσαι. 7) Compend. historiar. p. 30. 8) *Basil.* ep. CCLVIII al. CCCXXV. n. 4. Conf. *Coteler.* in Recognition. L. IV. § 27. not. 4. 9) *Epiphan.* et *Basil.* ll. cc. 10) *Suid.* et *Cedren.* ll. cc. 11) *Basil.* et *Auctor.* Vitae Epiphan. ll. cc. 12) Orat. XXXVIII. p. 302. Paris. 1622. 13) *Plato* Alcibiad. L. I. p. 122 ed. Steph. 1578; *Laert.* Prooem. n. 2; *Plin.* H. N. L. XXX. § 2; *Iustin.* Hist. L. I. c. 7; *Apuleius* l. c.; *Basilius* l. c.; *Augustinus* De Civ. D. L. XXI. c. 14; *Orosius* Hist. L. I. c. 4; *Agathias* De reb. Iustin. L. II. p. 62; *Suidas* Lex. in v. Ζωροαστ. ὁ Περσ.; *Eutych. Alexandr.* l. c. et p. 63; *Abulfarag.* l. c. 14) *Cephal.* et *Syncell.* p. 167 et in *Eusebii* Chron. graeco arm. lat. P. I. p. 44. Venet. 1818; *Plutarch.* De Is. et Osir. § 46 seu T. II. § 369. Paris. 1624; *Clem. Alex.* Strom. L. I. § 15. p. 131 al. 304; *Arnob.* Adv. gent. L. I. § 18; *Euseb.* Praep. ev. L. I. § 10 fin.; L. X. § 9; Chron. an. VII Abr.; *Suid.* Lex. in v. Ἀστααθεης. 15) Ind. VII ad *Stanleyi* Hist. philos. sub. v. Zoroastres. 16) De Hellenist. p. 368.

nomina orientalium linguarum, quum in linguam graecam transferebantur, adeo autem varia est eius scriptio, ut saepe, nisi ex adiunctis, nequeat agnosci [1]).

10 Quod ad patriam adtinet Zoroastris Magorum auctoris, etsi non eamdem, eam tamen non alibi nisi trans Tigrim sitam esse tota antiquitas testatur. Hunc enim Laertius, Clemens Alexandrinus [2]), Origenes [3]), Eutychius Alexandrinus, qui tamen duos Zoroastres utrumque Magorum auctorem, sed alium alia aetate, distinguit [4]), Persam, idem ipse Clemens Alexandrinus in alio loco [5]) et Abulfaragius [6]) Medum, Suidas [7]) Persomedum, Arnobius [8]) et Ammianus [9]) Bactrianum, imo Bactrianorum regem, Cephalion, Iustinus, Eusebius, Augustinus [10]) fuisse aiunt; quem Zoroastrem Bactrianum alium non esse Magiae parente et Iustinus et Augustinus aperte dicunt, et Cephalion, Arnobius, atque Eusebius confirmant, quum illum vocant *Zoroastrem Magum*, proinde, qui sentiunt unum esse atque eumdem cum Persomedo, ratione faciunt. Zoroastrem in Assyria commemorat Suidas [11]) eadem aetate ac Bactrianum, imo verius unum atque eumdem cum Bactriano et cum Persomedo, nam Abulfaragius Zoroastrem ex Media (20) aut ex Assyria oriundum [12]) dicit, eosque, quibus hunc Zoroastrem suorum cinerum curam mandasse narrant Suidas eumque sequutus Cedrenus [13]), ille Assyros, hic Persas fuisse aiunt. Alium Zoroastrem Pamphylium legimus apud Clementem Alexandrinum [14]), qui longe ante Platonem vixisset, siquidem, ut Clemens affirmat, ait ille Her, cuius meminit Plato [15]), quod tamen Plutarchus [16]) et Origenes [17]), qui eadem ac Plato referunt de Here, ignorasse videntur; magum tamen hunc Clemens non dicit, imo credendus est alium putasse quam magiae auctorem, quem Persum aut Medum fuisse affirmat, et Ζωροαστρην vocat, hunc vero Pamphylium Ζοροαστρην. Alium Zoroastrem Proconesium memorat Plinius [18]) paullo vetustiorem Xerxe rege Persarum, proinde seriorem, quam ut Magorum parens esse potuerit. Alium denique recentiorem Apuleius [19]) nominat Zoroastrem inter Persarum Magos, quos ait Pythagoram doctores habuisse, quum captivus abduceretur a Cambyse; non itaque video, cur Zoroastrem hunc Babylone vixisse putet Stanleyus [20]); tum historiae huius fides penes unum Apuleium est [21]).

11 Quem vero Zoroastrem *Chaldaeum* dicunt Stanleyus [22]) et Bruckerus [23]), Assyrum dicere voluerunt. Hoc enim Stanleyus quidem expresse profitetur, Bruckerus vero prodit in tota illa disputatione, uterque autem illud pro certo habet, quod hic Zoroastres AB OMNIBUS *artium et scientiarum inventor fuisse praedicatur*, quum tamen ne unum quidem invenerim inter veteres, qui haec Zoroastri Chaldaeo adtribuerit, imo neque unum, qui huius meminerit. Tum nemini non compertum est, ut nomina *Assyrus* et *Chaldaeus* apud graecos latinosque scriptores, sicut et alia aliarum gentium nomina, alterum pro altero posita sint.

12 Qua autem aetate Zoroastres Magorum auctor vixerit, incerta omnino ea sunt, plerque etiam fabulosa, quae maiores nostri memoriae prodiderunt [24]).

13 Quibus positis habes, ni fallor, quid sentiendum de Zoroastre, unusne fuerit, an plures, quae res in magna quaestione est, et de qua, sicut etiam de quibusdam verbis Arnobii [25]), quibus plures Zoroastres enumerari putarunt nonnulli, legere iuverit, quae scripserunt Stanleyus [26]), Lenourryus [27]), et Cotelerius [28]). Atque haec de Magorum auctore, de quo si plura, tametsi, saltem ex parte, alia his, discere libet, lege, quae de eo scripsit Humfridus Prideaux [29]).

PARS III

De Magorum religionibus atque institutis

14 Magorum Sectae multae fuere [30]), commune autem omnibus erat elementa [31]), solem praesertim atque ignem, religioso cultu prosequi [32]), sacris praeesse [33]), scientiam rerum divinarum [34]) patriamque

---

[1]) *Stanley* Hist. philos. P. XIII. sect. 1. c. 2; P. XIV. c. 1; *Coteler.* ad. Recognit. L. IV. § 27. not. 4. [2]) LL. cc. [3]) Cont. Cels. L. I. § 16. [4]) Annal. l. c. [5]) Strom. L. I. § 21. p. 144 al. 334. [6]) L. c. [7]) Lex. in *Ζωροαστ. ό Περσ.* [8]) L. c. coll. § 4. [9]) Hist. L. XXIII. c. 6. [10]) LL. cc. [11]) Lex. ad h. v. [12]) L. c. [13]) Op. cit. p. 16. [14]) Strom. L. V. § 14. p. 255 al. 598. [15]) De Rep. L. X. p. 614. [16]) Sympos. L. IX. q. 5. [17]) Cont. Cels. L. II. § 16. [18]) H. N. L. XXX. § 2. [19]) Floridor. L. IV sub. fin. al. § 15. [20]) Op. cit. P. XIII. sect. 1. r. 2. [21]) *Prideaux* op. cit. pp. 414 415. [22]). L. c. et c. 3. [23]) Hist. crit. philos. P. I. L. II. c. 5. §§ 9—13. [24]) *Bochart* Phaleg. Lib. IV c. 1; *Marsham* Canon. chron. saec. IX. p. 144. [25]) L. c. [26]) L. c. [27]) Apparat. ad Biblioth. max. veter. patr. T. II. in Arnob. Dissert. II. c. 26. art. 1. [28]) In Recognition. L. IV. § 27. not. 4. [29]) Opp. cit. pp. 383 seqq. [30]) *Laert.* Prooem. n. 2; *Strabo* L. XIV. p. 762 al. 1106. [31]) *Clearch.* ap. *Laert.* Prooem. n. 6; *Theodoret.* l. c. et not. *Valesii.* [32]) *Laert.* Prooem. n. 9; *Strabo* L. XV. p. 733 al. 1065; *Bardesan.* l. c.; *Iulius Firmic.* De error. prof. relig. c. 5; *Ammian.* l. c.; *Epiphan.* Exposit. fid. cathol. § 13; *Basil.* l. c. [33]) *Herodot.* L. I. c. 40; *Xenophon.* Cyrop. L. VII c. 5. nn. 35. 57; L. VIII. c. 1. n. 23; *Clitarch.* ap. *Laert.* Prooem. n. 6; *Dio Chrysost.* Or. XXXVI. p. 449; *Apollon. Tyan.* l. c.; *Bardesan.* l. c.; *Philostr.* Vit. Apollon. Tyan. l. I. c. 29; *Ammian.* l. c.; *Apul.* Apolog. L. I. p. 290; *Hesych.* Lex. ad v. *μαγος.* [34]) *Clitarch.*, *Bardes.*, *Hesych.* ll. cc.; *Suid.* Lex. ad v. *μαγοι.*

philosophiam [1]) profiteri, exercere divinationem atque astrologiam [2]). An autem veneficiis quoque et incantamentis operam dederint Magi [3]), non satis liquet.

15 Illud Magorum sectae summe honorificum, quod scribit Plinius: *Magia in Oriente regum regibus imperat* [4]), hnc est, regibus Persarum, talis enim his erat appellatio [5]), eaque legitur in decreto Artaxerxis apud Esdram: *Artaxerxes rex regum* [6]), et legebatur in Cyri sepulcro, teste Onesicrito: *Ἐνθαδ' ἐγω κειμαι Κυρος βασιλευς βασιλεων* [7]); quae appellatio regibus Assyriorum olim fuerat, quum adhuc staret horum imperium [8]). Narrat Plato in Perside regios pueros anno aetatis decimoquarto institui coepisse magiu Zoroastri Oromasdis filii [9]). Huc spectat illud Tertulliani: *Magos reges fere habuit Oriens* [10]), nec quis rex Persarum poterat esse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque percepisset; id tradiderunt Tullius [11]), Philo [12]) et Apuleius [13]). Lege Plutarchi Artaxerxem [14]).

16 Ut in pauca conferam, Magi in suis regionibus id genus homines ferme fuere, qui Indorum Gymnosophistae et Brachmanes, Babyloniorum Chaldaei, Aegyptiorum Sacerdotes, Celtarum Druidae; ex quo una cum his saepe nominantur [15]), quodque notatione dignum est, cum nullis saepius, quam cum Chaldaeis, idque ita, ut si quid unum utrique forent, atque alterum nomen pro altero poneretur, non tamen alias, nisi ubi eorum temporum res narrantur, quibus Persae iam citra Tigrim, imo et citra Euphratem, imperium obtinebant, uti ubi Laertius ait Democritum Magis quibusdam atque Chaldaeis praeceptoribus usum esse, quos Xerxes rex Persarum apud eius patrem reliquerat [16]), eumque *contendisse in Persidem ad Chaldaeos* [17]), ubi Suidas eumdem Democritum dicit *discipulum Magorum et Chaldaeorum Persarum* [18]), ubi Curtius divinos Persarum Chaldaeos vocat [19]), contra ea vero Magos Babylone cum Chaldaeis consociat [20]). Utrorumque tamen fuisse discrimen Origenes affirmat [21]), et, quodnam illud fuerit praeter diversam gentem, nam Chaldaeis patria regio erat Chaldaea ipsa (32), exposuit ex parte Plutarchus [22]), plenius autem Clitarchus [23]).

17 Ceterum de Magorum religionibus atque institutis lege ea, quae scripserunt Laertius [24]), Plinius [25]), Brissonius [26]), Stanleyus [27]), Prideaux (13) et Bruckerus [28]).

PARS IV

De patriis Magorum regionibus

18 Sectae Magorum patria, de hac enim iam quaerimus, non alia, nisi quam Magorum auctori Zoroastri ipsique nomini *Mago* fuisse diximus, regiones, inquam, trans Tigrim positas; quod uno ore veteres scriptores nos docuerunt.

19 Primi, quorum mentio est in historia, nobis occurrunt Magi Assyrii. Etenim, Assyriis iam ab octoginta annis Babylone denuo potitis, quam regni sedem fecerant, atque utroque regno in unum, ut olim, redacto, quum rex Nabuchodonosor, ut Ieremias scripsit, Hierosolymam expugnasset, inter duces copiarum, qui in eam urbem ingressi sunt, unus fuit *Nergalsarezer* רב־מג *princeps Magus* [29]), id est, Magorum. Interpretes quidem omnes vocabulum רב־מג habuerunt pro nomine proprio; verum haec, velim consideres. In tertio versu illius capitis duo sunt, quibus Nergalsarezer nomen est; ut itaque alter ab altero distingueretur, posterioris nomini additum est illud vocabulum, quo eius munus significaretur. Haec res facile fugit Hieronymum, utpote qui putaverit *Nergalsarezer* esse duo nomina, ideoque, quum duos legeret, quibus *Neregel*, duosque, quibus *Sereser* nomen foret,

---

[1]) *Laert.* Prooem. n. 1; *Strabo* L. I. pp. 23. 24; *Appian.* De bellis civil. L. II. p. 526 ed. *Steph.*; *Bardesan.* l. c.; *Clem. Alex.* Strom. L. I. § 15. p. 131 al. 305; *Ammian.* l. c.; *Cyrill. Alex.* Cont. Iulian. L. IV. Opp. T. VI. P. II. p 133. Paris. 1638; *Suid.* l. c. [2]) *Sotion.* ap. *Laert.* Prooem. n. 7; *Cicer.* De divinat. L. I. § 41; *Strab.* L. XVI. p. 762; *Suid.* Lex. ad vv. *γοητεια, μαγεια, περσαι; Cedren.* Op. cit. p. 30. [3]) *Tertull.* De idolatr. c. 9; *Hesych.* l. c. [4]) H. N. L. XXX. c. 1. [5]) *Brisson.* De regio Persarum princip. L. I. p. 2 seq. [6]) I Esd. VII, 12. [7]) Ap. *Strab.* L. 15. p. 730. [8]) Dan. II, 37. [9]) Alcib. L. I. pp. 121. 122. [10]) Adv. Iud. c. 9 et adv. Marc. L. III. c. 13. [11]) L. c. [12]) De specialib. leg. p. 792 C. Francof. 1691. [13]) Apol. L. I. p. 290. [14]) Artax. sub init. seu § 3. [15]) *Laert.* Prooem. n. 1; L. VIII. n. 3; L. IX. n. 35; *Cic.* l. c.; *Strab.* L. I. pp. 23. 24; L. XVI. p. 1762; *Curt.* L. V. c. 1, *Dio Chrysost.* Or. XLIX. p. 538, *Aelian.* Var. hist. L. IV. c. 20; *Clem. Alex.* l. c.; *Philostr.* Op. cit. L. I. c. 2; *Epiphan.* Exposit. fid. cath. § 12; *Cyrill. Alex.* l. c.; *Suid.* Lex. ad. v. *Δημοκριτος.* [16]) *Laert.* L. IX. § 34. [17]) Ib. § 35. [18]) Lex. ad. v. *Δημοκριτος.* [19]) Hist. L. III. c. 3. [20]) Ib. L. V. c. 1. [21]) Cont. L. I. § 58. [22]) De Is. et Osir. § 47 seu pag. 370. T. II. Paris. 1624. [23]) Ap. *Laert.* Prooem. n. 6. [24]) Prooem. nn. 1—9. [25]) H. N. L. XXX. §§ 1—6. [26]) De regio Persar. principatu L. II. pp. 177 seqq. [27]) Op. cit. P. XIV. c. 7. [28]) L. c. c. 3. [29]) Ierem. XXXIX, 3. 13.

nulloqoe adiuncto doos priores distiugui videret, neque de duorum posteriorum distinctione cogitavit, et pro רב-מג reddit *Rebmag.* Insuper in eodem illo versicnlo tertio post nomeu *Sarsachim* et in versicnlo decimo tertio post nomeu *Nabusezban* legitur רב-סריס, quod interpretes graecus et latinus nomeu proprium esse putarunt, attamen syrus utrobique arabs vero, secundum codicem oxoniensem, in versu decimo tertio verterunt ot nomeo muneris, quod Sarsachim et Nebusezhao gerebant, significat enim *principem eunnchum*, hoo est, ut scripsit interpres syrus, eunuchorum, cuius muneris iu regia Nabuchodonosoris frequens meutio apud Danielem, ubi Asphenez רב-סריסים [1]) appellatur, vel שר-סריסים [2]), quod Hieronymus atque interprutes ceteri *praepositum* aut *principem eunochorum* semper transtulerunt. Praeterea in eodem versu decimotertio inque aliis quoque [3]), Nabuzardan dicitur רב-טבחים, quo Nabuzardanis munus significari et Hieronymus et interpretes graecus, chaldaeus, ac syrus probe senserunt; atqoi par est ratio vocum רב-מג. Sed res prorsus oonficitur ex verso decimotertio, ubi haeo leguntur: *Et misit Nabuzardan* רב-טבחים, ET *Nabusezban* רב-סריס, ET *Nergalsarezer* רב-מג; nonne enim ex ipsa una sula borum lectione illico intelligis, baeo bebraica vocabola noo esse uomina propria, sed significare diversa illorum trium munia? nonne perspicuum id fit eo praesertim, quod particula coniunctiva *et* posita utique sit ante nomina *Nabusezban* et *Nergalsarezer*, non autem ante illa vocabula? Nullus ergo dubites רב-מג esse eum, qoi Persis dicebatur موبذ *mubad, Magorum praeses* [4]), ideoque Magos in Assyria olim fuisse.

20 Florentibus rebus Medorum apud hos multum auctoritate Magos, eosque indigenas, valuisse narrat Herodotus [5]), inque ea regione primis ecclesiae aetatibus illos adhuo mansisse testis est Bardesanes [6]); imo etiamnom eorum reliquias illic reperiri iam diximus (2), in ea, inquam, regione, quae nunc a Persis Aderbaigian vocatur, olim Media minor, qua Abulfaragios Zoroastrem ortum dicit (10), et cuius nomen aeque ao priscum lingua peblvica atque etiam in zendica, in graeco Ἀτροπατια atque Ἀτροπατηνή superstes, *ignis dictionem* signiticat, itaque dicta est, ait Wahlius, *quia in eam celebris ille ignis cultus primum inductus fuit* [7]).

21 In Bactriana Magos fuisse dubitare non est, quum in ea regnaverit Zoroastres κατ᾽ ἐξοχὴν cognomine ὁ Μάγος (8). Partorum Magos memorat Plinius [8]), aliarum vero gentium trans Tigrim Lucianus [9]).

22 Sed nulla apud veteres frequentior Magorum mentio, quam Persarum [10]), atque ita, oti si tale foret Magorum genus [11]), ipsaque Magia in Perside orta [12]). Cuius rei caussa profecto ea fuit, quod, quicumque aliquid de Magis literis consignarunt, post illam aetatem vixere, qua regiones omnes trans Tigrim, ex quibus eraot Magi, sicut et plures aliae citra Tigrim, a Persis subactae horum regno fuerant contributae, et communi nomine Persia vocatae [13]), non secus ac Mesopotamia, Assyriorum regno adhuc stante, cui non contributa erat, etiam ipsa vocata est *Assyria* [14]).

23 Quod autem etiam Babylone, etsi citra Tigrim sita, Magos fuisse aiunt Ieremias (19), Curtius [15]), Philostratus [16]), Basilios [17]), et Nisibi, superioris Mesopotamiae urbe, Maria Persa [18]), non hoc cuiquam dubitatio suborietur circa ea, quae hactenus dicta sunt, dummodo animadvertat Babyloniis seu Mesopotamiae ante Alexandrum alios numqnam imperitasse nisi Assyrios primum, deinde Medos, ao Persas postremo. Et ru vera Magorum in Cappadocia, qoo eos Babylone commeasse narrat Basilius [19]), persicam originem Strabo manifeste prodidit [20]).

24 Sunt quidem, qui Magos aliqoarum quoque gentium citra Tigrim commemurant, sed vel e regionibus ultra illud flumen aut Babylone (23) profectos [21]), vel ob aliquam cum Magis vere ao proprie dictis similitudinem ita vocatos [22]). Sed satis multa iam de propriis illius sectae regionibus.

---

[1]) Dan. I, 3. [2]) Ib. 7. 8. 9. 10. 11. 18. [3]) Ierem. XXXIX, 9. 10. 11. [4]) *Hyde* Veter. Persar. religion. hist. c. 30. p. 369 ap. *Rosenmüller.* Handb. der bibl. Alterthumsk. I B. VIII Hauptst. not. 100. [5]) L. I. cc. 108. 114. 120. [6]) L. c. [7]) Asien S. 533 ap. *Rosenmüll.* Op. cit. I B. V Hauptst. not. 3. [8]) H. N. L. XXXVII. § 51. [9]) Macrob. § 4. [10]) *Herodot.* L. I. cc. 132. 140; L. III. cc. 71. 79; *Xenoph* II. cc.; Cicer. De Finib. L. V. § 29; *Plutarch.* II. cc.; De invid. et od. sub init. § 3; *Aelian.* l. c. et L. II. c. 17; *Philostr.* Op. cit. L. I. c. 29; *Auctor.* vitae Epiphan. §§ 15. 16; etc. [11]) *Cic.* l. c.; *Laert.* Prooem. n. 1; *Strab.* L. XVI. p. 762; *Philo* Quod omn. prob. lib. p. 876. C; *Dio Chrysost.* II. cc.; *Bardesan., Appian., Clem. Alex., Ammian., Apulei.* II. cc.; *Epiphan.* II. cc.; *Cyrill. Alex., Theodoret., Hesych.* II. cc.; *Suid.* II. cc.; *Cedren.* l. c. [12]) *Plin.* H. N. L. XXX. § 2; *Suid* II. cc. [13]) *Ammian.* l. c. [14]) *Gesenius* Thesaur. philol. crit. ad. v. אשור. [15]) L. V. c. 1. [16]) Op. cit. L. I. c. 2. [17]) L. c. [18]) Adv. Magos Nisiben. ap. *Ebediesum* Catalog. scriptorum Chaldaeor. p. 79. Romae 1653. [19]) L. c. [20]) L. XV. p. 733. [21]) *Strab., Bardesan., Basil.* II. cc. [22]) *Strab.* l. c.; *Plin.* L. XVI. § 95 et L. XXV. § 5 coll. L. XXX. § 2; *Euseb.* H. E. L. VII. c. 10 et not. *Valesii* coll. *Dio. Chrysost.* Or. XLIX. p. 538; *Ptolem.* Geograph. L. VII. c. 1 coll. *Appian.* l. c.

PARS V

De populo, cui nomen Magi

25 Praeterire minime oportet populum nomine Magos. In Mesopotamia quidem et Magorum gens [1]) et urbs Maguda (מגודא) iuxta Euphratem [2]) olim erat, in Adiabene oppidum Magorum [3]), in Susiana urbs Magoa iuxta Eulaeum [4]), in Armenia urbs Magustan [5]), in Margiana oppidum Magorum [6]), in Bactriana Maei [7]), idem fortasse nomen ac *Magi*, nam in مغ litera غ profertur a Persis ut *K* [8]). Sed haec argumento ἀποδεικτικῷ esse nequeunt, quo demonstremus fuisse olim populum trans Tigrim *Magos* vocatum; tum etiam in Arabia loca nomine illorum simili reperias, puta, Macas ad sinum persicum [9]), Maghiun [10]), *Μαγειτας* [11]), Magodiam [12]), Magusam [13]), Maguzam [14]), imo et Magorum sinum [15]), et Magorum insulam [16]); in Aegypto autem Macum, Magasen, Magoram, Magusam [17]).

26 An in Perside hic populus olim fuerit, non satis certo constat. Nam Passagardas [18]), seu Passargadas [19]), aut Parsagadas [20]), castellum in Perside situm, Magi, ut Plinius scripsit [21]), obtinuere, gentem agrosque Magorum Ammianus [22]), Magorum regionem Clemens Alexandrinus [23]), Persidi attribuunt, Suidas [24]) et post hunc Cedrenus [25]) haec scripsere: *Persae ab indigenis Magog vocantur, et Magusaei sunt iidem.* Verum Ammianus, fortasse etiam Plinius et Clemens, non de populo, sed de secta loquuntur, et, sicut in regionibus Israelitarum Levitis, qui sacra religionesque curabant, propriae urbes propriique agri assignati fuerunt, ita etiam in Perside, atque adeo in aliis regionibus trans Tigrim modo (25) commemoratis, suas sibi urbes atque agros Magi habuisse credendi sunt [26]); Suidae autem et Cedreni testimonium in praesens nimium conficeret.

27 At non est dubium inter Mediae populos unum fuisse, cui nomen Magi, quum id expresse dixerint Herodotus [27]) et Stephanus [28]); hodieque in illa Persidos regione superius commemorata (2. 20), quae olim Media minor et Atropatene vocabatur, superest populus, cui Persae مغان *Mogan*, id est, Magis (2) fecere nomen.

PARS VI

Utrum secta a populo, an populus a secta nomen acceperit

28 Hic vero illud in quaestionem vocatur, utrum secta a populo nomen invenerit, an populus a secta, seu utrum Magorum secta sic nuncupata fuerit, quia a populo cognomine originem duxerit, an contra sic nominatus fuerit populus, ut qui ex sectae incrementis coaluerit. Haud facile iudicium hac de re feras.

29 Ammianus [29]) tradit eos, qui magiae institutis muniisque censebantur, in populi formam excrevisse. Nec mirum; id enim ad exemplum ferme factum esset Levitarum, qui simul et sacrorum ministerio fungebantur, et una erat de tribubus, quibus Israelitarum gens tota constabat. Potuit tamen et contra fieri, ut secta a gente originem ducens huic nomen acceptum referret, quod luculenter explicari potest exemplo Chaldaeorum.

30 Chaldaei enim, non modo gens, sed et genus quoddam philosophorum fuere, Magorum sectae multimodis simile, adeo ut una cum Magis frequentissime coniungantur, alterumque nomen, ut in alio loco (16) animadvertimus, pro altero usurpatum interdum videatur. Chaldaei enim isti et ipsi caelestes globos atque elementa colebant [30]), sacris praeerant [31]), philosophiam [32]), praesertim astrorum

---

[1]) *Basil.* l. c. [2]) *Ptolem.* Op. cit. L. V. c. 18. [3]) *Iesuiabus Adiabenus* patriarcha Nestorianor. ep. ad Maremem ap. *Asseman.* Biblioth. orient. T. III. P. I. p. 142. [4]) *Plin.* H. N. L. VI. § 31. [5]) *Ptolem.* ib. c. 13. [6]) *Thom. Margens.* Hist. monast. ap. *Assemann.* l. c. p. 497. [7]) *Plin.* ib. § 25. [8]) *Castell.* Lex. heptagl. ad h. v. [9]) *Strab.* L. XVI. p. 765–767; *Plin.* ib. § 26; *Pompon. Mela* L. III. c. 8.; *Ammian.* L. XXIII. c. 18; *Ptolem.* L. VI. c. 7; *Stephan.* De urbib. ad v. *Μακαι.* [10]) *Abulfed.* Descript. Arab. felic. [11]) *Ptolem.* ib. [12]) *Epiphan.* Expos. fid. cathol. § 8. [13]) *Plin.* ib. § 32. [14]) *Ptolem.* L. V. c. 17. [15]) Id. L. VI c. 7. [16]) *Plin.* L. IV. § 8. [17]) Id. L. VI. § 30. [18]) *Plin.* ib. § 29. [19]) *Strab.* L. XV. p. 729; *Arrhian.* De expedit. Alex. L. VI. c. 29; *Plutarch.* Artaxerx. l. c.; *Steph.* De urbib. [20]) *Rosenmüll.* Op. cit. I B. VII Hauptst. p. 316 coll. 365 not. 10. Conf. *Steph.* l. c. [21]) L. c. [22]) L. c. [23]) Strom. L. VI. § 3. p. 268 al. 632. [24]) Lex. ad vv. γοητεια, μαγεια, περσαι. [25]) L. c. [26]) *Ammian.* l. c. p. 375. Paris. 1681. [27]) L. I. c. 101. [28]) De urbib. ad v. *Μαγοι.* [29]) L. c. [30]) *Stanley* Op. cit. P. XIII. sect. II. cc. 34–39. [31]) *Herodot.* L. I. c. 183; *Diodor. sicul.* L. II. p. 81. [32]) *Laert.* Prooem. n. 1; *Strab.* L. XVI. p. 739.

scientiam [1]), astrologiam quoque, et divinationem [2]) profitebantur, ita ut, non secus ac Magi (16), una cum aliarum gentium philosophis apud veteres scriptores enumerentur, ac comparentur [3]). De horum philosophorum doctrinis, lege, quae scripsit *Stanleyus* [4]).

31 His vero Chaldaeis nomen tamquam ipsius sectae proprium inditum fuisse eo argumento efficitur, quod, sicut a Magis magia, ita a Chaldaeis istis ea nomen invenerit, quam Graeci χαλδαϊκὴν vocarunt, uti Alexander Polyhistor narrans auctore Eupolemo, ut Abrahamus in patria adhuc degens *astrologiam et* CHALDAICAM *invenerit* [5]). Quid vero, quod tum in ipsa Babyloniorum regione [6]), in Chaldaea ipsa videlicet, tum in Assyria [7]), nam Babylonem Chaldaeamque a principio Assyrii longa aetate tenuere, eo nomine illi vocarentur? Qua de re luculentissima testimonia suppeditat liber Danielis. Saepius enim in eo commemorantur *sapientes Babylonis*, simulque traditur, quinam hi fuerint, scilicet *arioli, et magi, et malefici, et* CHALDAEI, *et aruspices* [8]); ipseque rex Nabuchodonosor narrat, ut Danielem constituerit *principem . . . super cunctos sapientes Babylonis* [9]), eumque *principem ariolorum* [10]) appellat, paullo autem post legimus haec: *Rex Nabuchodonosor . . . principem magorum, incantatorum,* CHALDAEORUM, *et aruspicum constituit eum* [11]).

32 Sine ulla tamen dubitatione illud quoque affirmo, homines istos, non nomine tantum, sed et genere Chaldaeos fuisse [12]). Itaque non est, cur suspicemur hos aliunde, quam a gente, ex qua erant, nomen invenisse. Profecto Tullius eos *non ex artis, sed ex gentis vocabulo* nominatos fuisse, scriptum reliquit [13]). Igitur etiam Magorum secta a populo cognomine et ortum et simul nomen ducere potuit.

CAPUT II

De Magis, qui ad Christum venerunt

1 De Magis, quos ad Christum venisse narrat Matthaeus, multa quaeruntur. Unde venerint? Quot fuerint? An reges? Quaenam eorum nomina? Quae omnia singulatim edisseremus.

PARS I

Unde hi Magi venerint

2 Matthaeus ait hosce Magos *ab oriente* venisse, id est, ab ea orbis terrae parte, qua sol Iudaeis exoritur. Sed, quaenam ea regio, incertum. Illud praemoneo, in hac quaestione argumentum depromi non posse ex eo, quod nonnulli patres tamquam de Magis dicta acceperint oracula quaedam [14]), quibus multae ac diversae gentes nominantur. Necesse enim foret concludere, non modo aliunde etiam quam *ab Oriente* Magos venisse, sed ab omnibus quatuor caeli plagis, eosque ex diversissimis gentibus collectos. Tum inter hos patres, qui illa oracula sic accepere, sunt, qui expresse dixerunt, ut auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* et Isidorus Hispalensis (13), hos Magos fuisse Persas, vel, ut Maximus Taurinensis (12), Chaldaeos.

3 Qui autumant *Orientem* a Matthaeo vocari ipsius Iudaeae regiones contra ortum sitas, refelluntur tum eo, quod numquam ita hae vocatae reperiantur, tum verbis Magorum: *Ubi est . . . rex Iudaeorum*, quae homines non Iudaeos aperte produnt, tum denique, quia Magi inter Iudaeos, ea praesertim aetate, minime essent.

4 Magos ex Arabia venisse vetustissima opinio est. Iustinus enim, qui omnium primus aliquid hac de re memoriae prodidit, sic sensit [15]), sic quoque, ut videtur Tertullianus [16]), sic procul dubio

---

[1]) *Clitarch.* ap. *Laert.* Prooem. n. 6; *Cic.* De divin. L. I. §§ 1. 41; *Strab.* l. c. [2]) Dan. II, 2. 10; IV, 4; V, 7. 11; *Cic.* De Fato § 9; De Divin. L. II. § 47; *Curt.* L. III. c. 3; L. V. c. 1; *Prudent.* Apotheos. vv. 17. 18. [3]) *Laert.* Prooem n. 1; *Strab.* L. I. pp. 23. 24; L. XVI. p. 762; *Aelian.* Op. cit. L. IV. c. 20; *Diodor. Sicul.* l. c.; *Clem. Alex.* Strom. L. I. § 15. p. 131 al. 305; *Cyrill. Alex.* l. c. [4]) Op. cit. P. XIII. [5]) Ap. *Euseb.* Praeparat. ev. L. IX. c. 17. Conf. *Stanley* l. c. Prooem. [6]) Dan. ll. cc.; *Laert.* l. c.; *Strab.* L. XVI. p. 739; *Curt.* L. V. c. 1; *Aelian.*, *Diodor. Sicul.* ll. cc. [7]) *Cic.* De Divin. L. I. §§ 1. 41; *Laert.* l. c.; *Strab.* L. XVI. p. 762. *Clem. Alex.*, *Cyrill. Alex.* ll. cc. [8]) Dan. II, 2. 10 coll. 12. 14. 24. 27; IV, 4 coll. 3; V, 7. 11. [9]) Ib. II, 48. [10]) Ib. IV, 6. [11]) Ib. V, 11. [12]) Auctores cit. ll. cc. [13]) De Divin. L. I. § 1. [14]) Ps. LXXI, 9. 10; Is. VIII, 4; XLV, 14; LX, 6. [15]) Dial. cum Tryph. §§ 78. 106. [16]) Adv. Iud. c. 9; adv. Marcion. L. III. c. 13.

dubio Epiphanius [1]). Nec secus ac Iustinus sensisse dicendi Theodorus Heracleotes [2]), Eusebius Gallicanus, qui esse fertur, aut Emisenus [3]), Sedatus [4]), atque alius olim Augustinus creditus [5]), quos Magos Aethiopas dixere, non eos profecto, quorum regio supra Aegyptum sita quindecim gradibus eiusdem circuli meridiani a Iudaea distat, quique magis proprie hoc nomine vocantur, sed qui olim, ut non pauci opinantur, partem incolebant Arabiae Felicis inter ortum et austrum obversam proficiscentibus ex Iudaea, ubi etiamnum populus superest, cui nomen *Beni Chusi*, hoc est, *Filii Chusei* [6]), Aethiopes videlicet, Chus enim Hebraeis est Aethiopia; nisi si putes Theodorum ac ceteros ea opinione ductos, quod unus Magorum niger fuerit; cuius tamen opinionis ne vestigium quidem superest prius saeculo VIII exeunte, iamque Sebastianus Paulus [7]) fabellam hanc de Mago nigro ex *Collectaneis* Bedae affictis exsiliisse animadvertit. De opere vero musivo, quod visitur in Aede Apollinaris Novi Ravennatium, relatumque a Ciampinio est inter vetera monumenta [8]), inferius (27) dicemus. Ceterum non desunt rationes sententiae Iustini ac ceterorum.

5 Etenim fuere in Arabia, quos Graeci et Latini Magos vocant [9]), notusque Magus ille Bariesu in Actis Apostolorum [10]), quem Arabem fuisse arguit ipsa appellatio *Elymas*, hanc enim ipse Lucas *Magum* vertit [11]), at Arabes sunt, in quorum sermone عليم *elimon Magum* significat.

6 Praeterea nobiles olim fuisse Arabas amore sapientiae studiisque naturae, atque adeo astronomiae, non uno monumento memoriae proditum est. Porphyrius narrat Pythagoram sapientiae sibi comparandae caussa ad Arabas quoque adiisse [12]). Salomon dicitur sapientia praestitisse cunctos בני קדם *Filios Orientis* [13]), nimirum Arabas (10). Commemorant prophetae sapientiam Idumaeorum [14]) et Ismaelitarum [15]), quorum illi in Arabia Petraea sedes habuere [16]), hi Arabiae populis adnumerabantur [17]). Insigne autem sapientiae inter Arabas obtinentis monumentum superest in libro Iobi, quem Arabem fuisse veri longe similior opinio est [18]). In eo enim libro sermones conferuntur singularem quamdam sapientiam spirantes studiumque naturae totius, ex qua passim imagines ac similitudines peti videas ab iis, quos scriptor loquentes inducit, simulque mentionem caeli ac siderum iniectam, atque astronomiae notitiam proditam quam frequenter [19]).

7 Sed et munera a Magis Christo oblata suadere videntur, ut eos Arabas dicamus. Munera enim haec fructus nativos fuisse regionis, ex qua Magi venerunt, veri omnino simile, ne dicam indubium, est. Sed in aliis regionibus, ex quibus alii Magos profectos putant, in Chaldaea, inquam, et in Perside, aurum nullum effoditur, effoditur tamen in Arabia [20]), praesertim vero *Sabaeos ditissimos... auri metallis* dicit Plinius [21]), quod scriptorum sacrorum auctoritas comprobat [22]); ab his traditum etiam est praestantissimum olim habitum aurum Ophirae [23]), quam regionem in Arabia sitam esse multa eaque non levia argumenta confirmant [24]). Regio turifera veteribus, si Plinio credimus, nulla alia cognita nisi Arabia [25]), neque alius turis nisi sabaei mentio in scripturis sacris [26]); ex quo illud Virgilii: *Solis est turea virga Sabaeis* [27]), ideoque, ut Plinius scripsit, *Sabaei Arabum propter tura clarissimi* [28]); illud indubium, Arabiam turis feracissimam habitam esse [29]) prae cunctis adeo regionibus [30]). Myrrham secundae notae a troglodytica arabicam numerant Plinius [31]). De ture et myrrha haec ille: *Principalia ergo in illa (Arabia) tus et myrrha; haec et cum Troglodytis communis. Tura, praeter Arabiam, nullis, ac ne Arabiae quidem universae. In medio eius fere sunt Atramitae, pagus Sabaeorum, in monte excelso, a quo octo mansionibus distat regio eorum turifera Saba appellata.... Minaei... primi commercium turis fecere, maximeque exercent, a quibus et Minaeum dictum est. Nec praeterea Arabum alii turis arborem vident, ac ne horum (Sabaeorum et Minaeorum) quidem omnes* [32]).

---

[1]) Expos. fid. cath. n. 8. [2]) Exposit. in Ps. LXXI, 9. [3]) De Epiphan. hom. I. in T. VI Biblioth. PP. Lugdun. [4]) Hom. de Epiph. in T. XI Biblioth. PP. Lugd. p. 1093. [5]) Opp. *August.* ed. *Maurin.* T. V. Append. Serm. CCXVIII al. IX de sanctis § 4. [6]) *Winer.* Realwörterb. ad v. Chusch. [7]) Not. ad *Petri Chrysologi* serm. CLVI. [8]) Veter. monum. P. II. c. 12. [9]) *Plin.* H. N. L. XXV. § 5. Lege sup. cap. I. nn. 4. 24. [10]) Act. XIII, 6. [11]) Ib. 8. [12]) Ap. *Cyrill. Alex.* adv. Iulian. L. X. p. 341 A. ed. *Spanhem.* 1696. [13]) III. Reg. IV, 30 al. V, 10. [14]) Ierem. XLIX, 7; Abd. 8. [15]) Baruch. III, 23. [16]) *Strab.* L. XVI. p. 760 coll. L. XVIII. p. 803. *Reland.* Palaest. L. I. c. 12. [17]) *Ioseph.* Antiq. L. I. 12. § 4. *Rosenmüll.* Schol. in Gen. XXV, 12–18. [18]) *Rosenmüll.* in Iob. Prolegom. § V. [19]) Iob. III, 9; IX, 9; XXII, 12; XXV, 5; XXVI, 13 coll. *Virgil.* Georg. I. vv. 205. 244 et *Rosenmüll.* in h. l.; Iob. XXXI, 26; XXXV, 5; XXXVII, 9. 18; XXXVIII, 7. 31. 32. 33. 37. [20]) *Strab.* L. XVI. pp. 777. 780; *Plin.* H. N. L. VI. § 32. n. 8; L. VII. § 57. n. 6. [21]) H. N. L. VI. § 32. n. 18. [22]) II Paral. IX, 14; Ps. LXXI, 15 coll. 10; Is. LX, 6; Ezech. XXVII, 22. [23]) III Reg. IX, 28; X, 11; XXII, 49; 1 Par. XXIX, 4; II Par. VIII, 18; IX, 10. [24]) *Gesen.* Thesaur. philol. crit. ad v. אופיר. [25]) *Plin.* H. N. L. XII. § 30. [26]) Is. LX, 6; Ier. VI, 20. [27]) Georg. L. II. v. 117. [28]) Op. cit. L. VI. § 32. n. 11. [29]) *Strab.* L. XVI. pp. 768. 778. 779. 782. [30]) *Cels.* Hierobotan. P. I. pp. 237. 239. [31]) L. c. § 35. *Strab.* ll. cc. et *Cels.* l. c. 524. [32]) L. c. § 30.

8 Denique *Oriens* hebraice קדם in scripturis sacris pro Arabia usurpatur [1]). Ita Abraham Ismaelem filium, quem ex Agare susceperat, aliosque, quos ex Cethura, dicitur misisse קדמה אל ארץ קדם *orientem versus ad terram Orientis* [2]). Verba *orientem versus* significare potuissent regiones quascumque subiectas eidem caeli plagae ac regio Chanaanitidis, in qua Abrabam ugebat, ad extremam usque Asiam; patet igitur illa altera *ad terram Orientis* addita esse, ut significationis veluti terminus definiretur. At minime id fieret, nisi nomen *Orientis* ut proprium certae alicuius regionis foret adhibitum, quam Ismael ceterique praedicti incoluere. Regionem vero hanc esse Arabiam pro comperto habemus. Posteros enim Ismaelis illic sedes fixisse ipse Moyses [3]), et post hunc Flavius Iosephus [4]) tradiderunt. Filii quoque Cethurae, ut idem Iosephus narrat [5]), Arabiae partem obtinuere. Ipsa nomina filiorum Ismaelis, ut *Nabaioth*, *Cedar*, cetera [6]), atque aliquorum e filiis ac nepotibus Cethurae, ut *Zamram, Madian, Saba, Dadan* [7]), nomina sunt tribuum arabicarum; et re vera ab his Abrahami posteris Arabum tribas nomina accepisse obtinebat iam inde a priscis aetatibus [8]). *Oriens* ergo Iudaeis Arabia erat.

9 Quid vero, quod posteris Nabaiothi Arabia Petraea Iudaeae ad meridiem obtenta, aliisque nonnullis Abrabae nepotibus Arabia Felix, quae Arabiae totius pars est maxime australis, sedes praebuerint [9])? Qui potuere huiusmodi regiones קדם *Oriens* vocari, nisi si nomen hoc, non ad earum situm designandum, sed ut proprium Arabiae totius fuerit usurpatum? Sic autem vocata fuisse videtur, ut quae longius multo latiusque ab Oriente Iudaeis pateret, quam a meridie, etsi maximam partem inter ortum et austrum ea porrigeretur.

10 Nec praetereundi בני קדם *filii Orientis*, quorum multoties meminere scriptores bibliorum. Hos enim certam quamdam gentem fuisse hinc apparet, quod Iobus dicatur *magnus inter omnes* בני קדם *filios Orientis* [10]), quae quidem, at quisque sentit, non quidquid terrarum orientem versus excurrit, sed unam gentem significant, de qua Iobus erat. Gentem vero hanc Arabas fuisse liquet; ut enim nihil de *filiis Orientis* in scripturas sacras relatum est, quod in Arabas haud conveniat, ita, quidquid est relatum, in hos plane convenit. Etenim Iobum, qui dicitur *magnus inter omnes filios Orientis*, fuisse Arabem, aut in Arabia vitam degisse, iam non fere quisquam dubitat (6). *Filii Orientis*, una cum aliis Arabiae populis, vel cum finitimis commemorantur [11]). Tales hi describuntur, quales Arabiae Nomadas Scenitasque novimus [12]). Nominantur loco Cedraeorum, aut saltem ut ea gens, in qua Cedraeorum natio [13]), quos ex Ismaele ortos [14]), tamquam Nomadas seu Scenitas descriptos et ipsos [15]), Arabiaeque adtributos [16]), legimus in bibliis, ut omnino iidem sint, qui Arabes Cedraei apud Plinium, Nabathaeis contigui [17]). Denique huic appellationi *Filiorum Orientis* plane respondet nomen *Saraceni* شرقيون, quod *Orientales* significat, et a quibusdam graecis bibliorum interpretibus redditum esse pro *Filiis Orientis* testis est graecus scholiastes [18]).

11 Haec sane satis sunt, ut nomen קדם *Oriens* in scripturis Arabiam potissimum designare credatur.

12 Magos Matthaei Chaldaeos genere aut ex Chaldaea profectos putarunt Celsus [19]), Chalcidius [20]), Caesarius Gregorii Nazianzeni frater [21]), Theodotus Ancyranus [22]), Maximus Taurinensis [23]), Rusticus Elpidius [24]), scriptor *Quaestionum veteris et novi Testamenti* [25]), Alcuinus [26]), quibus forsan addendus Petrus Chrysologus [27]), etsi enim incertum, utram gentis an artis nomine Chaldaeos illos vocet, tamen pro patria eorum regione Syriam habet, cuius finibus Chaldaea quoque olim, imo et regiones trans Tigrim, comprehendebantur [28]).

13 Verum plerique veterum Magos istos Persas expresse dicere. Ita Clemens Alexandrinus [29]), Iuvencus [30]), Basilius [31]), Ephraem [32]), Diodorus Tarsensis [33]), Ioannes Chrysostomus [34]), auctor

---

[1]) Gen. X, 30. *Rosenmüll.* Schol. in h. l. et *Gesen.* Op. cit. ad h. v. n. 2. [2]) Gen. XXV, 6. [3]) Gen. XXV, 18. *Rosenmüll.* in h. l. [4]) Antiq. L. I. c. 12. § 4. [5]) Ib. c. 15. [6]) *Rosenmüll.* Schol. in Gen. XXV, 13—15. [7]) *Id.* ib. 2. 3. [8]) *Iosephus* l. c. c. 12. [9]) Auctores cit. ll. cc. [10]) Iob. 1, 3. [11]) Iudic. VI, 3. 33; VII, 12; VIII, 10; III Reg. IV, 30; Is. XI, 14; Ezech. XXV, 10. [12]) Ier. XLIX, 28. 29; Ezech. XXV, 4. 5; *Rosenmüll.* in hh. ll. et *Plin.* H. N. L. VI. § 32. [13]) Ier. ib. 28. [14]) Gen. XXV, 13. [15]) Is. LX, 7; Ier. XLIX, 28. 29. Conf. Cant. 1, 4. [16]) Ezech. XXVII, 21. [17]) *Plin.* H. N. L. V. § 11. [18]) In Ezech. XXV, 4. [19]) Ap. *Origen.* cont. Cels. L. I. § 58. [20]) In Timaeum. c. 4. § 125. [21]) Dialog. II. interrog. 137. [22]) Hom. habita in concil. Ephes. die festo Nativ. § 10. [23]) Hom. XVIII. XIX. XX. XXIII. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. Romae 1784. [24]) De Christi beneficiis, in Biblioth. PP. *De la Bigne* App. p. 707. [25]) Q. LXIII. [26]) De divinis offic. c. 5. [27]) Serm. CLVI. [28]) *Strab.* L. XVI. p. 749; *Cic.* De Divin. L. I. § 41; *Plin.* H. N. L. V. § 13. n. 12; *Mela* L. I. § 11. [29]) Strom. L. I. § 15. [30]) Hist. evangel. L. I. [31]) Hom. in sanctam Christi generat. § 5. [32]) Cantic. de Maria et Magis. [33]) Ap. *Phot.* cod. CCXXIII fin. [34]) In Matth. hom. VI. §§ 1. 2. 3. 4; hom. VII. §§ 1. 5; De b. Philogon. hom. VI. §§ 3. 4; Orat. Quod negligent. ad sacr. mens. etc. §§ 2. 4 ap. *Galland.* Biblioth. veter. PP. Append. p. 142.

Operis imperfecti in Matthaeum [1]), Prudentius [2]), Cyrillus Alexandrinus [3]), Isidorus Hispalensis [4]), Photius [5]), aliique recentiores; imo communem in Oriente sententiam hanc fuisse medio saeculo V coniicere est ex Orientalium *Apologetico pro* XII *capitibus Cyrilli* [6]). Cohaeret cum his Syrorum πατροπαράδοσις, quam retulit Bar Bahlul [7]), Magos nostros esse *filios Elami filii Semi*, Elam enim Semi filius, Noae nepos [8]), auctor esse creditur Elamitarum, a quibus Elymaidi, provinciae imperii Persarum, nomen inditum [9]); itemque illos ad Christum missos a Sapore rege Persarum, ut legitur in quodam codice syriaco bibliothecae vaticanae [10]), qui demum cumque fuerit iste rex Sapor.

14 Suffragantur huic sententiae prisca Christianorum monumenta, in quibus magorum Christum invisentium imagines frequentissimae, ac, paucis demptis, pileum gestantes [11]) ea forma, qua etiamnum in regno Persarum Magi gestare solent, quum sacra faciunt [12]), ut videre potissimum est in sarcophago, qui paucis ab hinc annis ad Divi Pauli erutus fuit. Ea etiam, quae in priore quaestione dicta sunt de regionibus propriis sectae Magorum [13]), credere suadent Persas potius, quam Chaldaeos aut Arabas, fuisse eos Magos, de quibus agimus.

15 Neque argumenta, quibus eos Arabiae quidam adserunt, ea sunt, quae assensum a nobis extorqueant. Quae enim Christo obtulere Magi, si tus fortasse excipias, non uni Arabiae propria erant ac priva. Aurum in Asia aliae regiones circa Persidem praebebant, a septemtrionibus Gordyaei montes [14]) et Armenia [15]), ab oriente India [16]), quae Ophiram regionem auri ditissimam (7) potiore fortasse iure sibi vindicat, quam Arabia [17]); ex his regionibus atque adeo ex Arabia ipsa advectum in Persidem credere licet aurum, quod Christo a Magis oblatum est, atque ita dilues difficultatem, si quam faciunt, vel Isaiae verba: *Omnes de Saba venient aurum et thus deferentes* [18]), vel Davidis: *Et dabitur ei de auro Arabiae* [19]), si tamen haec de Magis dicta sunt. Arabica myrrha neque unica est neque prima [20]). Quod si Straboni potius, quam Plinio, credimus, non modo alibi quoque arbores turis nativae habentur [21]), sed *sunt, qui dicant maiorem eius partem ex India afferri, tus vero optimum apud Persiam nasci* [22]); sativas vero turis arbores in Aegypto, et Sardis, et in Carmania Persidi ab oriente contermina crescere testatur idem ipse Plinius, *nam*, inquit, *et Asiae reges serendi curam habuerunt* [23]).

16 Quod autem Magi ἀπὸ ἀνατολῶν *ab Oriente* venisse dicantur, non ex hoc necessario consequitur Arabas illos fuisse. Nam קדם, quod graece αἱ ἀνατολαὶ versum est in bibliis, licet interdum ut proprium Arabiae nomen usurpetur, tamen et alias regiones subinde significat ut Mesopotamiam [24]), Armeniam [25]), קדם appellatam utpote sitam in ditione Assyriorum, qui, quantum coniecit Bochartus, *partes imperii sui, quae trans Tigrim erant sitae, Orientales, quae cis hunc fluvium, Occidentales vocabant* [26]). Quod si Hebraeis בני קדם *Filii Orientis* sunt Arabes, num ideo Graecis αἱ ἀνατολαὶ regiones Arabiae sint, oportet? quum e contrario a graecis bibliorum interpretibus sic vocentur et Armenia [27]), et Mesopotamia [28]), et in universum eae regiones, quae a Iudaea orientem versus protenduntur [29]). Quid vero quod Persis ipsa nomen hoc habet in Isaia [30]).

PARS II

Quot fuerint

17 De numero horum Magorum nihil suggerit Matthaeus, quo aliquid coniicere saltem queamus; proinde ea solum referemus, quae maiores nostri memoriae prodiderunt.

18 Inter patres, qui vixerunt ante saeculum V aut summum ante IV exeuntem, ne unus quidem reperitur, a quo hunc numerum certo discere sit. Auctor *Operis imperfecti in Matthaeum*, quem

---

[1]) Hom. II al. III. p. XXVIII ed. *Montfauc.*. [2]) Cathemer. XII. v. 25. [3]) In Is. XLIX, 12 seu Lib. IV. orat. IV. [4]) Cont. Iudaeos L. I. c. 13. [5]) Amphiloch. XIV. interr. 119. [6]) Anathemat. I. [7]) Lex. syr. ap. *Castell.* Lex. hept. ad v. [illegible]. [8]) Gen. X, 22. [9]) *Rosenmüll.* Schol. in Gen. l. c.; *Gesen.* Thes. ad v. עילם. [10]) Cod. 30. ap. *Assemann* Biblioth. orient. T. III. P. I. p. 316. n. 39. [11]) *Bottari* Scult. e pitt. estr. dai cimit. Roma 1737–1754. Tavole XXII. XXXVIII. LXXXII. LXXXVI. CXXVI. CXXXI. [12]) *Ferrario* Costume ant. e mod. ediz. II. Asia Vol. I. p. 209. Tav. 60. [13]) Lege sup. cap. I. nn. 18–24. [14]) *Plin.* H. N. L. VI. § 12. [15]) *Strab.* L. XI. p. 529. [16]) *Plin.* H. N. L. VI. §§ 22. 23; *Strab.* L. XV. pp. 701. 706. [17]) *Gesen.* Thesaur. philol. crit. ad. v. אופיר. [18]) Is. LX, 6. [19]) Ps. LXXI, 15. [20]) *Strab.* L. XVI. p. 773; *Arrhian.* Exped. Alexandr. L. VI. § 22; *Plin.* H. N. L. § 34. n. 5; L. XII. § 35. [21]) *Plin.* Ib. § 31. [22]) *Strab.* Ib. p. 782. [23]) L. c. [24]) Gen. XXIX, 1; Num. XXIII, 7 coll. XXII, 5 hebr. et Deuter. XXIII, 4 et *Rosenmüll.* in hh. ll. [25]) Gen. XI, 2. [26]) Phaleg. L. I. c. 7. *Rosenmüll.* in Gen. l. c. [27]) Gen. XI, 2. [28]) Ib. XXIX, 1. [29]) Is. XLIII, 5. [30]) Is. XLVI, 11 coll. XLIV, 28.

Caveus [1]) suspicatur circa annum CCCLXX vixisse, narrat, quod legerat in quodam libello, cui titulus Seth, gentem fuisse, in qua penes duodecim viros *πατροπαράδοτος* servabatur interpretatio vaticinii editi a Balaamo [2]), hisque curam datam attendere tempus, quo vaticinium foret implendum, id autem ex stella eos comperisse, simulque iussos esse in Iudaeam proficisci [3]); omnes tamen duodecim profectos neque legimus in illa historia, quae nusquam superest, neque scripsit praedictus auctor, qui eam retulit, tametsi id scribere visus sit erudito cuidam Gallo [4]). Attamen apud Syros obtinuit, olim saltem, eu opinio, duodecim Magos ad Christum invisendum venisse; huiusque opinionis monumenta Assemanus congessit [5]), quibus removere poteris *ἀντιλογίαν*, quam admisit Bar Bahlul in suum *Lexicon Syriacum*, aut quam huic affinxere Castellus [6]), quum ipsum, et Michaelis [7]), quum Castellum exscripsit, tres simul simulque duodecim fuisse Magos. Idem ille scriptor Gallus ait quoque [8]) in *Glosa ordinaria* Magos nostros magno numero commemorari, quod tamen non omnino vere dictum est; nam verba *Glosae* sic sunt: *Etsi tria munera obtulisse dicuntur, non ideo non plures quam tres fuisse probantur, sed ut per eos gentes, quae ex tribus filiis Noae natae sunt, venturae ad fidem praefigurentur; vel tot fuerunt principes, qui multos duxerunt in suo comitatu* [9]). Sensit ergo, qui *Glosam* composuit, Magos utique tres fuisse, sed negavit huius numeri argumentum ex munerum numero peti posse, aut solos incomitatosque venisse. Basnagius [10]) animadvertit Leonem Magnum esse, qui omnium primus scripserit Magos fuisse tres numero [11]): attamen Maximus Taurinensis Leone senior, etsi serius vita functus, hoc idem scripsit forsan ante Leonem [12]). Post hos duos ad Bedam [13]) usque, nescio, an plus quam duos aut tres huius sententiae patronos sis reperturus, eosque ignotos aut dubios [14]). Ceterum vix est dubitandum Origenem [15]) huic ipsi sententiae suffragari.

19 Huic tamen sententiae momentum multo gravissimum adiicit ecclesiae romanae *πατροπαράδοσις*, cuius monumenta tum picta, tum *ἔγγλυφα*, tum *ἀνάγλυφα* nobis maiorum nostrorum cryptae et coemeteria adservarunt. Inter haec, quorum pleraque Leoni Magno longa aetate, quaedam vero tribus saeculis anteeunt [16]), Magorum imagines Christum invisentium frequentes occurrunt, vix ullae tamen maiore aut minore numero quam tres. Hoc autem romanae ecclesiae testimonium ceterae horum Magorum effigies omnes confirmant, quotquot ex artificum sive Italorum, sive Graecorum, sive alia gente, manibus usque ad saeculum XVI prodiisse scimus. Duo autem novimus monumenta, utrumque haud ita pridem a Iosepho Marchio repertum, alterum in Petri et Marcellini, alterum in Nerei et Achillei coemeteriis, in quorum primo pictor *τῆς συμμετρίας* legibus adactus, binos, in secundo quatuor Magos effinxit. His duobus monumentis adnumerandum fortasse tertio loco est vas quoddam vetustum in museo kircheriano adservatum.

20 Quanta autem vis insit huic argumento ad demonstrandum, quam firmiter a priscis usque aetatibus haec opinio in ecclesia nostra obtinuerit, facile senties, ubi haec consideres. Facta enim quaedam una eademque ferme, tum ex vetere tum ex Novo Testamento selecta in monumentis praedictis, non tam efficta, quam indicata videns, quum ea tantum artifex expresserit, quae satis forent rei in memoriam revocandae. Exempli caussa sint aliquot cophini ante Christi pedes positi et vir duos pisces Christo porrigens, quo repraesentari solent panes a Christo multiplicati [17]); item Christus asino vectus duoque viri, alter sub asini pedibus vestem consternens alter in arbore ramos cedens exhibent Christi triumphum [18]). Quare et historiae Magorum indicandae satis fuisset unius aut alterius viri effigies pileo recurvo, ut effigies Magorum gestare solent, Iesu puero dona porrigens, addita fortasse, ut interdum fit [19]), etiam stella. Ast e contrario tres Magos pictos sculptosque ferme reperies in illis maiorum nostrorum monumentis. Quid vero istud est, nisi quod prisci Christiani hunc numerum, non modo certum, sed et veluti sanctum putarent, ut religioni sibi duxisse videantur eum augere vel imminuere? quum tamen talis religio minime eos incesserit in personarum

---

[1]) De scriptorib. ecclesiast. [2]) Num. XXIV, 17. [3]) Hom. II al. III. p. XXVIII. ed. *Montfauc.* [4]) La sainte bible de Vence T. XIX. Dissert. sur les Mages. p. 227. Paris 1829. [5]) Biblioth. Orient. T. III. P. I. p. 316. n. 37. 39. [6]) Lex. heptagl. ad v. מגש. [7]) Castelli Lex. syr. ad [illegible]. [8]) L. c. [9]) In Matth. II, 11. [10]) Annal. Politico-eccles. A. a. Ch. V. n. 52. [11]) Serm. XXXI al. XXX seu de Epiph. I. cap. 1 et alibi. [12]) Hom. XVII. XVIII. XIX. XX. XXVI. Romae 1784. [13]) In Matth. c. II. [14]) Opp. *Augustini* edit. *Maurinor.* T. V. Append. Serm. CXXXVI. al. de Temp. XXIX. vel in Epiph. VI. § 4; Serm. CXXXIX. al. *Caesarii* XLIII vel in Epiphan. IX. § 3; *Eusebius Emisen.* seu *Gallican.* hom. I de Epiph. in Biblioth. PP. Lugdun. T. VI. p. 622. [15]) In Gen. hom. XIV. § 3. [16]) Conf. *Bottari* Op. cit. Tav. XXXVIII cum *D'Agincourt* Storia dell'arte vol. III. Scultura Tav. VIII. n. 6; *Bott.* Tav. XL cum *D'Aginc.* ib. n. 1; *Bott.* Tav. LXXXII cum *D'Aginc.* ib. n. 2. [17]) *Bottari* Op. cit. Tav. XIX. [18]) Ib. Tav. XV. [19]) *Bottari* Op. cit. Tav. LXXXVI.

numero quantumvis exiguo, quod facillime fieri poterat, exprimendo ubi alia effingebant; sicque e tribus pueris babyloniis duos solummodo pictos videas ante statuam Nabuchodonosoris in quodam sepulcro coemeterii Callisti [1]).

PARS III

An reges essent

21 Reges fuisse Magos istos vulgo ferunt; secus tamen credere suadent tum Matthaei silentium, tum adiuncta narrationis, tum vetera monumenta, tum denique infirmitas et defectus argamentorum si modo veros ac proprie dictos reges haec appellatio significet, secus tamen, si cum interpretibus non paucis viros principes ea significari dicamus, quae significatio nomini quoque מלך subeat in Vetere Testamento [2]).

22 Matthaeus enim Magos dicit, reges non dicit; at quisnam reges, quantumvis Magos, non reges aut saltem utrumque, sed Magos simpliciter vocarit? Quid, quod Matthaeus scribendo id consilii ceperat, ut Christo ea conciliaret obsequia eamque reverentiam, quam Iudaei in huiusmodi nomen profitebantur, cui sane rei efficiendae mirifice conduxisset mentio regum, qui illum adhuc in cunabulis positum sunt venerati, longeque melius quam Magorum mentio, quidquid contra disputet Sandiaius [3]); num ergo mentionem hanc Matthaeus omisisset? Profecto is pro consilio illo suo plurima oracula, longeque plus, quam ceteri evangelistae, studiose profert ex vetere testamento, praesertim in secundo hoc evangelii capite, quorum πλήρωμα in Christo huiusque factis aut eventis esse docet; at, si hi Magi reges fuere, quis haud videat, his ad Christum venientibus, impletam aut saltem impleri coeptam dici debuisse partem nobilissimi illius vaticinii, quod edidit David: *Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum* OMNES *reges terrae* [4])? Cur ergo huius vaticinii nulla mentio apud Matthaeum?

23 Animadverte Herodem in hac narratione *regem* appellari, nec semel solum, quod fieri necesse erat, ut sciremus hunc esse alium Herode tetrarcha, de quo Matthaeus alio loco [5]); sed iterum, idque etsi non esset opus; cur igitur non etiam Magis eadem appellatio facta, quae maxime opus erat (22)?

24 Ut fert communior opinio, *Oriens*, unde Magi venisse narrantur, Persis est, at in Perside unicus rex; quare patres, qui Magos ex Perside venisse putarunt, hi eos reges putare nequiverunt. Neque illud opponas, nomine Persidis ampliorem in sensum a patribus accepto eas quoque regiones comprehendi, quae olim, Persarum imperio late obtinente, huic contributae fuerant, et quarum singulis illa aetate, qua Christus ortus est, privi reges, etsi regi Parthorum tributarii, imperitabant, quales fuere praeter Persida proprie dictam Susiana, Elymais, aliaeque [6]), ne ergo id opponas; ampliorem enim illum sensum oportet memineris nomini Persidi tamdiu subiectum, dum vetus Persarum imperium staret adhuc, itemque quum de imperio hoc, quale tunc erat, aut sermonem habemus, aut mentionem iniicimus, non autem ubi agitur de Perside, qualis fuit ea aetate, qua Christus in lucem editus est.

25 Ad haec cuinam veri simile videatur Herodem adeo inurbane adversus hos reges se gessisse, ut eos ad se advocaret, idque occulto [7]), Bethlehemum petere, illic mandata ipsius facessere, atque inde ad ipsum redire, iuberet, et, non modo non ipse comitaretur, sed absque omni famulitio et comitatu dimitteret [8])? Frustra vero est Sandinius [9]), quum horum incusat tum Herodis fastum, qui nullus hic fuit, sed neque esse potuit, utpote qui nec cum Herodis vafritie componeretur, nec cum ea ratione splendida sane ac liberali, qua, ut Flavius Iosephus testatur, exteras gentes harumque dynastas habere ille solebat [10]), tum maiestatem romanam, cui quid loci hic esse queat, nemo hariolabitur.

26 Quidquid monumentorum ex priscis ecclesiae aetatibus adhuc superest, nihil praefert, quod vel suspicari sinat Magos a primis Christianis reges habitos esse, non vestes regias, non arma, non sceptra, non diademata; contra vero, quod his omnibus careant omnes Magorum effigies in id genus monumentis expressae, iure inde conficimus eam opinionem veteribus fuisse incompertam. Imo id ipsum, ut iam animadvertit Bottarius [11]), prorsus evincit ipsa forma pileorum, quae effigies prae-

---

[1]) *Bottari* Op. cit. Tab. LXXXII. [2]) V. gr. Zach. IX, 5; XI, 6. [3]) Hist. famil. sacr. De Christo c. 3. [4]) Ps LXXI. 10. 11. [5]) Matth. XIV. [6]) *Strabo* L. XV. p. 728. *Vaillant* Regum Parthor. hist. T. I. pp. 42. 43. [7]) Matth. II, 7. [8]) Ib. 8. [9]) L. c. [10]) Antiq. L. XV. c. 9. § 5; L. XVI c. 5. §§ 3. 4. [11]) Op. cit. ad Tab. XXXVIII.

dictae plerumque gerunt (14); insigne enim regum Persarum fuit erecta thiara [1]), haec eos populo secernebat, qui inflexa aut recurva utebatur, ea, inquam, forma, qua sunt Magorum pilea.

27 Inter veterum artificum opera, in quibus Magi nostri capita ostentant regio ornamento conspicua, nullum, puto, reperies vetustius musivo, quod in antiqua basilica vaticana decorabat aram *Sanctae Mariae ad praesepe*, anno DCCVI aut DCCVII Ioanne VII p. m. elaboratum; duo e tribus Magis in eo effictis, si tamen fides est huius musivi exemplo, quod edidit Ciampinius [2]), magnum quoddam pileum gestant, cuius imam oram corona circumit acuminibus distincta, qualem regum capitibus pictores imponere solent. In arcu triumphali, ut vocant, basilicae liberianae, quem Xystus III p. m. ante medium saeculum V exstruxit, duo Magi pileo obteguntur, pretioso illo quidem ac splendido, sed quod nil regale praefert, tum in omnibus operis partibus magnificentia veluti luxuriatur. In Apollinaris Novi Ravennatium Agnellus archiepiscopus anno DLXX musivum Magos inter cetera exhibens ad Christum adeuntes curavit faciendum, quod saeculo IX fuse descripsit alius Agnellus in *vitis pontificum Ravennatium* [3]), Ciampinius vero, quum videret operi adeo splendido ac vetusto locum minime deberi posse inter *Vetera monumenta*, quae describenda susceperat, huius quoque musivi effigiem aere incidi fecit, indeque ectypa exempla suo libro inseruit [4]). In hac effigie a Ciampinio edita cernere est capita trium Magorum regiis coronis ornata, unumque horum nigro colore; ex quo effici videretur non serius medio saeculo VI exstitisse illas opiniones de regia horum Magorum dignitate deque eorum uno nigra cute (4). Verum Ciampinius ipse diffisus non est musivum ab ipso minime visum, atque adeo dubitare se, an effigies, quam edidit opus ipsum accurate referret. Et quidem ratione eum fecisse, ut dubitaret, facile est intelligere. Videas enim effigiem hanc minime respondere descriptioni musivi, quam fecit Agnellus alter, maxime quod hic nihil de coronis meminerit, nihil de Mago illo nigro, tametsi vel ipsas singulas Magorum vestes singularumque vestium colores minutius descripserit. Quin imo cultus is regius, quali sunt Magi in hac effigie, aetatem prodit longe seriorem ea, qua musivum confectum fuit. Itaque, quum ex quodam amico meo Ravennae degente scriptis ad eum literis aliquid hac de re sciscitatus essem, primo responsa inde accepi, eam musivi partem, in qua erant effigies trium Magorum, vetustate olim dilapsam, eius locum aliis Magorum effigiebus a pictore suppletum esse, qua aetate, incertum. Deinde, quum Ignatius Sartius pinacothecae Ravennatium praefectus picturam hanc propius attentiusque inspexisset, deprehendit aliquot reliquias veteris musivi superillitis coloribus latentes, eiusque particulam sub manu Magi illius nigri, quo colore inde deterso manus ipsa opere musivo apparuit, sed albo colore. Haec ipse Ignatius Sartius ad me scripsit.

28 Qui Magos hos nostros contendunt fuisse reges, urgent patrum testimonia. Non equidem infitior aliquid eos sibi inde opis corradere posse, illud tamen affirmo, exiguam omnino esse opem hanc neque parem rei pervincendae, nec quae illorum sententiam probabilem satis praestare queat.

29 Nam inter scriptores, quotquot ante saeculum VI vixisse constat, neque unum reperias, qui Magos regum appellatione expresse honestaverit. Habes Ephraemi orationem *de Christi natali* latine versam, in qua reges pro Magis legimus; sed hoc interpreti debes, non Ephraemo, qui non reges scripsit, sed ܡܓܘܫܐ *Magusaeos* [5]). Regum appellatione indicari videntur Magi in duabus homiliis item *de Christi natali*, altera olim Athanasii nomine [6]) altera Chrysostomi [7]), inscriptis. Verum liquet utramque opus esse scriptorum sua atque aliena consarcinantium, quum et ipsum exordium et alia praeter id eadem in utraque sint, interque haec nonnulla de Chrysostomo sumpta: *nam*, ut Montfauconius iam adnotavit [8]), *Cyrillus, libro ad reginas, qui inter ephesinae synodi acta cusus etiam reperitur, . . . quaedam Chrysostomi nomine profert testimonia*, quae in his utrisque homiliis leguntur. Non modo autem Athanasio, sed et Chrysostomo eas abiudicare compellimur, neque praedictis tantum de caussis aliisque, quas Maurini attulerunt, sed, siquidem in his homiliis regum adpellatio Magis vere esset, vel hoc ipso, quod Chrysostomus enarrans in suis commentariis Magorum historiam ita loquutus est, ut qui eos reges esse minime putaret [9]).

30 Primus, qui hos Magos expresse reges adpellaverit, quantum ex scriptis patrum, quae supersunt, colligere est, fuit fortasse Caesarius Arelatensis saeculo VI, in cuius oratione de Epiphania haec legimus: *Illi Magi tres reges esse dicuntur* [10]); fortasse, inquam, tum quia huius orationis

---

[1]) *Brisson.* De regio Persarum princip. L. I. pp. 28 seqq. [2]) De sacris aedific. a Constantino M. constr. p. 75. Tab. XXIII. [3]) Vitae pontific. Ravenn. vita s. Agnelli c. 2. [4]) Veter. monum. P. II. c. 12. [5]) Opp. syriac. T. II. serm. IV in Nat. p. 417. Romae 1740. [6]) Opp. T. II. p. 410 ed. *Maurin.* [7]) Opp. T. VI. p. 392. ed *Montfauc.* [8]) Ib. in Monito. [9]) In Matth. hom. VI. §§ 1. 2. 4. [10]) Opp. *Augustin.* ed. *Maurinor.* T. V. Append. serm. CXXXIX. § 3.

auctor non omnino certus, tum quia illud *reges* suspectum habuere Maurini, virgulaque censoria notarunt. Quo iam neque illa aetas scripturem ullum suggereret, apud quem expressa regum adpellatio Magis designandis adhibita reperiatur.

31 Neque solum abstinent omnes patres illarum aetatum ea adpellatione, sed, si paucissimos demas, de quibus paullo infra, neque quidquam dicunt, quo suspicionem saltem ingerant se huic opinioni adstipulari. Qui autem id fieri poterat, si re ipsa adstipulati fuissent? etenim in huiusmodi quoque silentium ea quadrant, quae diximus de silentio Matthaei (22).

32 Imo patres sunt, qui ita de Magis loquuntur, ut satis prodant se nequaquam putare eos fuisse reges. Lege exempli gratia Ioannis Chrysostomi commentarius de evangelio Matthaei [1]) et scriptorem *Operis imperfecti in Matthaeum*, qui haec ait: *Qui sunt Magi?* Viri *orientales, qui venerunt ex Perside; Magi enim apud illos, non malefici, sed sapientes intelliguntur, . . .* Elegerunt seipsos duodecim *quidem ex ipsis studiosiores et amatores mysteriorum caelestium, et posuerunt seipsos ad expectationem stellae illius; et, si quis moriebatur ex eis, filius eius aut* aliquis *propinquorum, qui eiusdem voluntatis inveniebatur, in locum constituebatur defuncti. . . . Cum post resurrectionem Domini Thomas apostolus isset in provinciam illam adiuncti sunt ei, et, baptizati ab eo, facti sunt adiutores praedicationis illius* [2]); itemque haec: *Herodes . . . non poterat eos nec blandimentis flectere, nec* minis terrere, *nec* auro corrumpere [3]); sed haec quoque alia, quae prorsus rem conficiunt: *Si quasi terrenum regem eum quaesissent, invenientes eum* apud ipsum remansissent, *sicut saepe fieri solet in saeculo, ut,* proprio rege *relicto conferant se ad alterum. Nunc autem et hunc adoraverunt, et* ad suum *reversi sunt, ut istum haberent regem animarum suarum,* illum *autem terrenum corporum suorum* [4]).

33 Quidquid ergo opis ex scriptis patrum, eorum saltem, quos ante saeculum VI vixisse certo constat, extricare est, quo regali Magorum dignitati suppetias feras, ad hoc unum redigitur, esse patres, qui de Magis dictum putaverint oraculum illud: *Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent* [5]).

34 At primum, seposita tantisper horum patrum auctoritate, velim, animadvertas eos, qui ex oraculo isto sententiae suae argumenta anquirunt, ponere illud ipsum, quod in quaestione versatur. Qui enim vincant oraculum dictum de Magis, nisi prius constet hos reges fuisse? Verum id facilis praeteream.

35 Illud tamen nego, oraculum de Magis dictum esse. Nam psaltes Christum sub imagine Salomonis describit late regnantem, ut qui dominaturus esset *a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* [6]). Continuo praedicit barbaras quasque gentes atque adeo ipsos hostes Christo subiiciendos [7]), subiicitque fore, ut huic gentes remotissimae ac ditissimae tributa per ipsos suos reges pendant: *Reges Tharsis etc.* [8]), ac demum illud addit, quod *adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei* [9]). Nonne vero sentis in his nihil esse, quod cohaereat cum conditione illa humili illoque vitae statu, quo Christus fuit, dum in terris degit, potissimum vero in praesepio? Quid, quod ex illis gentibus, quae a psalte enumerantur, praeter Arabiam, nullam Iudaei orientem versus spectareut? *Saba* enim est Aethiopia supra Aegyptum [10]). *Insulae*, hebraice איים, sunt regiones Iudaeis transmarinae, in Europa videlicet [11]). *Tharsis* vel in Africae litore, vel, ut post alios nuperrime pluribus probare adgressus est Gesenius [12]), in Hispania quaerenda est. Quin et שבא, pro qua graecus interpres et post hunc latinus posuere in universum Arabes, non ab Oriente prorsus adiacet Indaeae, sed inter ortum et austrum in Arabia felici [13]). Haec enimvero tanti sunt momenti, ut Sandinius ipse, qui tamen non omnia haec vidit, dederit adversario suo Hiacyntho Serryo [14]) oraculum istud aeque ac alia, quibus regium nomen Magis vindicare quidam adnituntur, ad hanc Magorum historiam minime pertinere [15]).

36 Sed, ut ad patres redeamus, inter eos, qui psalterium suis commentariis explicuerunt ante saeculum VII, de recentioribus enim non est, cur solliciti simus in hac quaestione (30), Graecorum quidem, quos simul collectos tibi exhibet *Catena in Psalmos* edita a Corderio, reperies neminem, Latinorum duos ἀνωνύμους, Hieronymum [16]) et Rufinum [17]) olim, sed falso, creditos, qui Davidem illis verbis vaticinatum de Magis esse scripserint. E contrario Origenes, Theodorus Heracleotes,

---

[1]) LL. cc. [2]) Hom. II. p. XXVIII. [3]) Ib. p. XXX. [4]) Ib. p. XXXI. [5]) Ps. LXXI, 10. [6]) Ib. 8. [7]) Ib. 9. [8]) Ib. 10. [9]) Ib. 11. [10]) *Rosenmuell.* Schol. in Gen. X, 7; *Gesen.* Thes. ad v. סבא. [11]) *Gesen.* Op. cit. ad h. v. [12]) Op. cit. ad v. תרשיש. [13]) *Rosenmuell.* l. c. 28. [14]) Exercitat. XXXIV. [15]) Op. cit. c. 3. [16]) Breviarium in Psalterium. [17]) Commentar. in psalmos LXXV. *Vallarsii* Praefat. ad Opp. *Rufini* pp. XVI. XVIII.

Didymus Alexandrinus, Eusebius, Augustinus, Theodoretus [1]), affirmarunt Davidis verba dicta esse de gentibus universis Christo adiungendis. Quin et fictus ille Hieronymus hac eadem sententia fuisse videtur, nam nihil loquitur de oraculo Davidis nisi haec: *Quod ex Magorum muneribus intelligimus inchoatum; ipsi enim gentium regumque typum tenuisse monstrantur*; his autem quinam certo conficiat eum putasse Magos, qui ad Christum venere, reges habendos esse? Sed neque commentariorum, quos de evangeliis patres scripsere, sive Graeci sive Latini, vel unus est, in quo, ubi Magorum historia narratur, verba illa Davidis, relata saltem, legantur.

37 Ceterum patres, qui primis sex saeculis haec tamquam dicta de Magis retulisse dicuntur, praeter duos illos ψευδωνύμους Hieronymum et Rufinum (36), sunt, quantum novi, Tertullianus [2]), Hilarius [3]), Amphilochius [4]), Maximus Taurinensis [5]), scriptor *De Promissionibus et praedictionibus Dei* [6]), Vigilius Tapsensis [7]), Isidorus Hispalensis [8]). Verum et inter istos vix sunt, quorum suffragium adversarii sibi queant arrogare.

38 De auctore *Breviarii in Psalterium* Hieronymo adscripti iam loquuti sumus (36). Tertullianus sic loquitur: *De hoc auri munere etiam David dixit: Et dabitur illi de auro Arabiae; et iterum: Reges Arabum et Saba dona afferent illi. Nam et Magos reges fere habuit Oriens* [9]). At nemo, puto, negabit ex his Tertulliani verbis id unum necessario consequi, Magos hosce fuisse de genere illo, ex quo reges in Oriente plerumque erant, sed, quod ipsi reges fuerint, non item; id procul dubio expresse dixisset Tertullianus, si tales eos esse credidisset, quo oraculi πλήρωμα omni ex parte appareret Iudaeis, quos refutabat; etsi enim verbis obscurus subinde sit, argumentorum tamen, quae urget, vim totam exserere solet. Attende praeterea, ut Tertullianus eo loco praecipue agat de oraculo illo Isaiae: *Quia, antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariae coram rege Assyriorum* [10]), monetque haec translata esse, atque ait esse *spolia . . . Samariae ipsos Magos, qui . . . spolia sunt facti Samariae, id est, idololatriae, credentes videlicet in Christum*; sicut igitur *spolia Samariae* Magos significant eo, quod hi sectarentur eadem instituta ac Samaritae, ita etiam, inquit, reges vocantur Magi, quia eamdem, ac reges in Oriente, scientiam artemque profitebantur. Ceterum adeo parum Tertulliani verba eos iuvant, qui Magos istos aiunt reges fuisse, ut, non modo Tillemontius [11]), qui non tam facile adhaeret huic sententiae, sed et Sandinius [12]) et Baronius [13]), qui eam tuentur, dicant solummodo Tertullianum *videri* huic sententiae adhaesisse. Hilarius explicat Isaiae vaticinium, quod sic refert: *Laborabit Aegyptus et mercatus Aethiopum et Sabain. Viri excelsi ad te transibunt* [14]). Mox interrogat: *Et qui tandem existimandus labor Aegypti et mercatus Aethiopum et Sabain?* respondetque: *Recordemur Orientis Magos adorantes Dominum et munerantes*, en mercatum Aethiopum; *Et laborem veniendi usque in Bethlehem Iudae tanti itineris metiamur*, en laborem Aegypti. Continuo haec declarat. Ac primo, quomodo huc pertineat labor Aegypti, his verbis: *In* PRINCIPUM *enim labore totius Aegypti labor demonstratus est*, cur vero Magi vocentur *principes*, rationem subiicit, non quia *reges* essent, sed quia *Magis . . ., divinae virtutis operationes falsa rerum specie mentientibus*, POTISSIMUS *impiae religionis* HONOR *a saeculo omni deferebatur.* Tum docet huc pertinere etiam mercatum Aethiopum et Sabain, *iisdem Magis ex mercatu Aethiopum et Sabain auri, et thuris, et myrrhae munera deferentibus*; qua de re illud addit, *quod quidem id ipsum et alius propheta praemonuit dicens: In conspectu eius procident Aethiopes, et inimici eius limum lingent. Reges Tharsis munera offerent, reges Arabum et Sabain munera adducent; et dabitur ei de auro Arabiae.* Demum concludit his, quae non ad postrema haec Davidis verba, sed ad Isaiae oraculum spectant: *In Magis itaque et muneribus labor Aegypti et mercatus Aethiopum et Sabain ostenditur*, hoc est *in Magis labor Aegypti, in muneribus mercatus Aethiopum et Sabain*; postremo συντόμως horum significationem aperit, eaque est *scilicet mundi error Magis adorantibus, et electa* GENTIUM *munera adorato ab his Domino oblata.* Apparet, opinor, ex toto orationis huius contextu Hilarium, non ita de Magis dicta esse putasse ea verba Davidis, ut qui illos et reges crediderit. Maximi verba sic sunt: *Reges terrae et insulae terrae munera offerunt, reges Arabum et Saba dona adducunt*; haecque explicans subiungit continuo: *Oriens ergo et Occidens*, hoc est, omnes populi, ut tandem concludit, non autem

[1]) Omn. in h. l. [2]) Adv. Iud. c. 9; cont. Marc. L. III. c. 13. [3]) De Trinit. L. IV. § 38. [4]) Orat. de Muliere peccatr. § 7. [5]) Contr. Iud. Tract. V. p. 744. Romae 1784. [6]) P. III. prom. 6. [7]) Cont. Varimad. L. I. c. 51. [8]) Contr. Iud. L. I. c. 13. ed. *Arevali.* [9]) Adv. Iud. c. 9; Cont. Marc. L. III. c. 13. [10]) Is. VIII, 4. [11]) Memoires pour servir à l'Hist. eccl. T. I. not. XII sur N. S. J. Ch. [12]) Hist. fam. sacrae. De Christo c. 3. [13]) Annal. Ann. I. n. 29. [14]) Is. XLV, 14.

Magi, qui *ab Oriente* venerunt. Ea vero, quae statim addit: *quod* MANIFESTATUM EST DENUO *in sancto evangelio, quando Magi venerunt portantes munera*, non modo non evincunt sensisse Maximum illa verba de Magis dicta esse, sed e contrario; Maximus enim, ut nemo non videt, non modo minime dicit oraculum impletum in adventu Magorum, sed illud, quod olim oraculum significabat futurum, ut Oriens et Occidens Christum, muneribus etiam oblatis, venerarentur, hoc ipsum *denuo* ac *manifestius* significatum fuisse a Magis, quorum adventus munerumque datio fuerit veluti *alterum* illius rei vaticinium; ipsaque conclusio rem comprobat, est enim haec: *Ergo undique populi ad Christum munera perferunt.* Vigilius Tapsensis Varimadum refutans, qui Filium negabat Deum esse, *quia soli Patri sacrificium immolatur*, plura testimonia affert scriptorum sacrorum, interque haec illud: *In templo tuo Ierusalem tibi offerunt reges munera* [1]), atque illud, de quo agimus, aitque: *Et, ut* HAEC OMNIA SUPERIUS DESIGNATA, *a Patre Filio Deo doceamus fuisse oblata, in nativitate eiusdem Filii Dei, quae secundum carnem facta est, probamus fuisse completa, evangelio comprobante, quod, Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudae in diebus Herodis regis, ecce Magi etc.* Iam vero πλήρωμα primi horum vaticiniorum in Magorum historia non reperies, nisi quod adtinet ad ipsa munera, neque enim haec in templo oblata sunt: ergo et alterius vaticinii πλήρωμα quantum ad Magos, haberi nequit nisi in hac eadem munerum datione, quod ipso Vigilii consilio comprobatur. Isidorus denique transcripsit ipsum Tertullianum, ideoque de utriusque dictis una eademque ratione loquendum est.

39 Qui itaque Davidis oraculum simpliciter accipiunt ut impletum a Magis, inter patres primorum sex saeculorum alios non habes nisi Amphilochium, Rufinum τον ψευδώνυμον, et scriptorem *De promissionibus et praedictionibus Dei.* Tametsi, non modo illos reges non vocant, nec fuisse affirmant, sed ita loquuntur, ut non omnino evincere queas hanc esse ipsorum sententiam. Etenim Amphilochius non reges modo sed et δυνάστας, hoc est, *potentes, principes*, commemorat. Rufinus, quem vocant, de illis verbis haec solum scripsit: *Hoc Magi stella duce etiam corporaliter impleverunt, quod universae terrae reges et principes adhuc quotidie spiritualiter imitari non desistunt.* Scriptor ille tertius, producto hoc oraculo inter illa Balaami [2]) et Isaiae [3]), addit tantummodo haec: *Firmat haec Matthaeus evangelista dicens: Ecce stella, quam viderant, Magi in Oriente etc.*

40 Valdo igitur parum confert auctoritas patrum, quo probes illud Davidis vaticinium de Magis fuisse dictum; proinde neque vaticinium hoc, sive ex se, sive ex ea auctoritate, satis habet, quo regia dignitas Magis adseratur.

41 Missos facio quosdam scriptores, quos citare mos est, qui tamen nec regum vocabulo Magos adpellant, neo veluti de his editum producunt oraculum ullum, sed aliquod dumtaxat verbum efferunt, quod patronis illius sententiae satis est, ut scriptores istos in suas partes trahere se posse confidant, quo autem iure, ipsi viderint. Huiusmodi est Prudentius ita canens: *Cuius cunas veneratus Eous Lancibus auratis* REGALIA *fercula supplex . . . offert* [4]) at nihil est, cur credamus fercula haec *regalia* dici potius, quia a regibus, quam quia regi Christo, aut regali quadam munificentia offerrentur, idemque prorsus sonat illud *regalia fercula*, ac alio loco apud ipsum Prudentium *aurum regium*, ubi de Magis ita loquitur: *Stratique votis offerunt Thus, myrrham, et* AURUM REGIUM.

42 Quae quum ita sint, satis id confecisse videor, quod receperam, ac demonstrasse infirma omni ex parte ac pene nulla esse ea argumenta, quibus bene multi Magos, qui ad Christum venerunt, regia dignitate conspicuos fuisse contendunt.

43 Minime tamen praeterire licet quemdam scriptorem, ἀνώνυμον illum quidem, qui tamen, quum nihil suggerit, ex quo coniiciamus eum vixisse post saeculum VI, tum ea pruefert, quae remotioris aetatis indicia esse cuiquam fortasse videantur. Scripsit is homiliam, cuius argumentum indicavit primis ipsis his verbis: *De solstitiis et aequinoctiis conceptionis et nativitatis Domini nostri Iesu Christi et Ioannis Baptistae*, eaque prima est homiliarum de evangelio Lucae, quae olim ferebantur inter scripta Chrysostomi [5]), etiamsi auctorem latinum arguant tum stilus nihil quidquam referens graecitatis, tum adpellatio *fratres carissimi* graecis patribus haud usitata, tum mentio *Natalis Invicti* et *Natalis solis* incidentis in a. d. VIII kal. ianuar., qui dies festus Romanorum fuit, nunquam vero Graecorum, tum denique illud, quod ait migrationes, in alium domicilium scilicet, fieri solitas kal. ianuar. et iul. [6]). Is diserte Magos *reges* adpellavit: *Et ideo sancti viri*, inquit, *reges et patres Sabba venerunt ipsi Magi* [7]). Quae autem aliquem inducere possent, ut hunc scriptorem vetustiori

---

[1]) Ex Ps. LXVII, 30. [2]) Num. XXIV, 17. [3]) Is. IX, 2; LX, 6. [4]) Apoth. vv. 8—10. [5]) Opp. T. II. Paris. 1570. [6]) Lege *Rosini* Romanar. antiq. L. IV. c. 11. Conf. *Ulpian.* in Digest. L. XLIII. tit. XXXI. [7]) L. c. col. 1111. B.

aetati adscriberet, tria sunt. Horum unum est, quod, quum non paucos adferat bibliorum locos, non tamen, ut eos legimus in vulgato bibliorum latinorum exemplo; ex quo forte coniicias vixisse illum, nisi ante Hieronymum, attamen prius quam translatio bibliorum hieronymiana in usu esse coeperit. Verum hoc totum corruere senties, ubi animadvertas hunc scriptorem non una aliqua usum esse bibliorum translatione, sed memoriter horum verba retulisse, nam interdum nil nisi verborum sensum exhibet, quod adparet ex loco illo ipso Iobi, qui primus legitur ipso initio huius homiliae. Alterum vetustatis argumentum foret, quod, ut ex scriptoris verbis effici quis putare posset, huius aetate mos adhuc vigeret celebrandi die VIII kal. ianuar. *natalem Invicti* sive, quod idem est, *natalem solis.* Novimus huic diei in fastis fuisse adscriptum *Natalem Mithrae,* qui non alius erat, quam sol, et cui *Invicto* veteres fecere nomen [1]). In Kalendario, quod e vetustis schedis transcriptum ac mutilum anno MDCXXXIV edidit Bucherius [2]), integrum vero anno MDCXXX Petavius [3]), postque hos Carolus Neapolis [4]), Lambecius [5]), Graevius [6]), quodque compositum est vivo adhuc Constantio Constantini filio, *Natalis Invicti* legitur adscriptus diei VIII kal. ianuar. Quum autem Mithrae cultus, ut Zoega demonstravit [7]), non ultra annum CCCXCI perduraverit, iamque anno CCCLXXVIII, ut Prudentius narrat [8]), utque Hieronymus scripsit ad Laetam, *specum Mithrae et omnia portentosa simulacra. . . . Gracchus* praefectus Urbi subvertisset [9]), consequi videtur homiliam ante finem saeculi IV esse conscriptam. Cui argumento non illud respondebo, quod, alia tamen de re agens, suggessit Bucherius, qui diei VIII kal. ianuar. illius kalendarii, ubi est *Natalis Invicti,* hoc in margine adnotavit: *Hic* Invictus *indubie est Constantius imperator, et* natalis *dies, quo Vetranione deposito* Invictus *est dictus, ut in Fastis innuit Idatius anno Christi* CCCLI. Unde enim haec didicit Bucherius? Idatius nihil dicit nisi haec: *Eo anno depositus Vetranio VIII kal. ianuar.* Missam facio adpellationem incompertam neque unquam a quoquam in simili re usurpatam, ea praesertim aetate, ac rei exprimendae minus aptam fortasse. Tum vel ex hac ipsa homilia discere est non alium *natalem Invicti* quam *natalem solis,* aliunde vero novimus Mithram *Invictum* adpellatum, nec alium sole esse habitum [10]); solis vero natalem adscribere diei VIII kal. ianuar., brumae videlicet, natura ipsa suasit, quo die, inquit Ovidius in Fastis, *Bruma novi prima est veterisque novissima solis Principium capiunt Phoebus et annus idem* [11]). At enim, dices, qui factum est, ut in vetustioribus kalendariis nulla huius *natalis* mentio? Nempe Mithrae cultus, etsi primo invectus in romanas religiones anno U. C. DCLXXXVII, bello piratico confecto a Cn. Pompeio [12]), incrementa tamen tum demum cepit, quum L. Aurelius Commodus imperio potitus est; ex quo illud, ut nemo, nisi huius aut insequente aetate de Mithrae sacris, qualia apud Romanos fieri solebant, fusius loquutus sit. Ne itaque dubites in kalendario *natalem Invicti* esse natalem Mithrae seu solis, itaque hunc diei VIII kal. ianuar. adscriptum esse, sicut aliis diebus aliorum deorum natalem, verbi caussa, kal. februar. natalem Herculis, kal. mart. natalem Martis, XII kal. april. natalem Minervae, et cetera. At non hoc homiliam, de qua loquimur, ante saeculum V scriptam esse consequitur. Neque enim huius auctor de ipso sollemni loquitur aut de festo die, quo *natalis Invicti* celebratur, sed de nomine, quo illum diem VIII kal. ianuar. vocare sua aetate mos erat; fieri autem potuit, ut, pravis illius diei religionibus ac caerimoniis sublatis, nomen tamen, quod ipse dies ab his acceperat, ei longiore aetate maneret. Profecto, quod auctor, non modo nihil de illo sollemni commemoraverit, sed ipsas illas adpellationes, *natalem Invicti, natalem solis,* interpretatus sit, veluti ad Christum eae pertinerent, quod non sane fecisset, si eaedem significarent adhuc sacra mithriaca, hoc ipso credendus est ea aetate scripsisse, qua neque memoria supererat caussae, cur dies VIII kal. ianuar. eo modo adpellaretur. Denique hanc homiliam ante concilium nicaenum scriptam fuisse quis forte coniiciat ex eo, quod vernum aequinoctium in ea adscriptum sit diei VIII kal. apr.; sed haec coniectura refutabitur iis, quae in alio loco [13]) edisseremus.

---

[1]) *Fabretti* Inscription. p. 367. n. 127; p. 698. n. 198. *Gruter.* Inscription. pp. 33. 34. [2]) De doctrina tempor. pp. 274 seqq. [3]) Doctr. temp. T. III. [4]) Anaptyxis ad Fastos P. Ovidii Nasonis, initio. [5]) Biblioth. vindob. T. IV. p. 288. [6]) Thesaur. antiq. roman. T. VIII. coll. 95 seqq. [7]) Bassirilievi antichi T. II. p. 16. [8]) In Symm. I. v. 562. [9]) Ad Laet. ep. CVII. § 2. [10]) *Rosini* op. cit. L. II. c. 8; *Philippus a Turre* Monumenta veteris Antii P. II. c. 6. *Zoega* l. c. [11]) Fast. Lib. I. [12]) *Plutarch.* Pomp. c. 24. [13]) Diss. LII n. 14.

PARS IV

De horum Magorum nominibus

44 Magorum nomina vulgo haec feruntur, *Caspar*, *Balthasar*, *Melchior*. Scriptor ille gallus, quem superius citavimus (18), Sandinius [1]), Tillemontius [2]), Henschenius [3]), et Casaubonus [4]) affirmant nomina haec inaudita fuisse ad saeculum usque XII; verum Franc. Antonius Zaccaria animadvertit [5]) saeculo IX ea iam usurpari coepisse, reperiuntur enim apud Agnellum, qui eo saeculo vixit [6]). Alii alia aliis gentibus, Graecis, Persis, Syris, Arabibus, cognita referunt horum nomina Magorum, quae legere est apud Castellum [7]), Sandinium [8]), et Assemanum [9]). Notandi autem hoc loco sunt Castellus [10]) et Michaelis (18), quorum ille, sensum verborum Bar Bahlulis ܒܢܝ ܥܝܠܡ ܒܪ ܫܡ *filios Elami filii Semi* (13) minime assequutus, sic ea vertit, atque interpungit: *Erant tres Magi filii Elam, Bar, Scham*, peius vero Michaelis, quam Castellum, ut videtur, emendare vult: *Erant tres Magi filii, Elam, Bar, Scham*, veluti ea forent trium Magorum nomina.

CAPUT III

Quonam tempore Magi ad Christum venerint

1 Quaerentibus, quonam tempore ad Christum venerint hi Magi, maximam gravissimamque facessunt difficultatem Matthaei et Lucae narrationes specie inter se pugnantes. Quum enim Lucas, apud quem de Magis deque fuga Iosephi in Aegyptum una cum uxore et puero Iesu silentium est, referat, ut hi alteri tres post purificationem Mariae Nazarethum remeaverint, eos Matthaeus, purificationis regressusque Nazarethum historiam praeteriens, scripsit post Magorum discessum, quos Herodes Bethlehemum ad Christum invisendum miserat, aufugisse in Aegyptum. Hinc multae diversaeque initae aut tentatae, queis haec veluti lis componeretur, viae atque rationes, quarum summam quatuor capitibus commode complectemur. Illud interea praemonemus, quod in huiusmodi quaestionibus memoria tenendum est, discrepantiae, quae inter duas historias esse videtur, removendae atque utriusque auctoribus a nota falsitatis liberandis nequaquam esse opus, ut modus, quo res gestae fuerint, certo innotescat, sed satis esse, si, quomodo gestae esse potuerint, probabili coniectura exponamus.

PARS I

Prima sententia

2 Vix est operae pretium referre sententiam putantium ante Mariae purificationem et Magos advenisse, et Christum in Aegyptum deductum indeque reductum. Cuius opinionis duplex est modus.

§ 1.

Primus modus primae sententiae

3 Sentit enim Bergier [11]) purificationem fuisse dilatam in illud tempus, quo Maria virgo reversa est ex Aegypto. At, quum Lucas rem sic narret: Postquam *impleti sunt dies purgationis eius* secundum legem Moysi, *tulerunt illum in Ierusalem*, *ut sisterent eum Domino* [12]) equidem, si Bergiero assentiendum sit, non dispicio, an vere dicta sint illa *secundum legem Moysi*. Neque putes haec pertinere ad ea, quae sequuntur, *tulerunt illum etc.*; quoties enim Lucas, quod saepe facit, praesertim in hoc capite [13]), ait aliquid factum *secundum* legem, aut consuetudinem, vel promissa,

---

[1]) Op. cit. [2]) Memoir. pour servir à l'Hist. eccl. T. I. not. XII sur N. S. J. C. [3]) Acta sanctor. maii T. I. p. VIII. [4]) In Baron. exercit. II. § 10. [5]) Annot. ad *Tirin.* in Matth. II, 1. [6]) Vitae pontificum Ravennat. Vit. s. Agnelli c. 2. [7]) Lex. hept. ad vv. [illegible] et [illegible]. [8]) L. c. [9]) Biblioth. orient. T. III. P. I. p. 316. [10]) L. c. [11]) Dictionn. de Theolog. *Mages.* [12]) Luc. II, 22. [13]) Luc. II, 24. 27. 29. 39. 42.

vel alia huiusmodi, semper verbum collocat ante praepositionem *κατα secundum*, excepto illo *κατα ταυτα*, quod ter ab eo usurpatur [1]), et quidem, utpote adverbii vici fungens, ante verbum. Durum praeterea negotium est velle producere sensum illius *postquam* ad reditum usque Christi ex Aegypto, eoque magis, quod, vis huius adverbii quaenam sit, appareat ex priore versiculo [2]), imo eam plane aperiat ipse Lucas, qui scripsit *ὅτε*, hoc est, *quando*. Quid enim? an vere narrasset Lucas illa facta esse, QUANDO *impleti sunt dies* SECUNDUM LEGEM MOYSI, quum tamen, quantum consequeretur ex Bergieri sententia, facta fuissent duobus post annis? Christus enim ex Aegypto reversus non est, nisi post Herodis obitum [3]), anno U. C. DCCL, verno tempore [4]); illuc autem aufugerat, ut alio loco demonstrabimus [5]), anno U. C. DCCXLVIII, non serius medio vere. Quid vero, quod Iosephus redux ex Aegypto vetitus sit ire Hierosolymam [6])?

§ II.

Alter modus primae sententiae

4 Non ergo purificatio Mariae dilata. Quo posito haec omnia intra quadraginta dies facta esse oportuit, ut Magi iter compararent, ex Perside Hierosolymam advenirent, idque per hiemem, de nato rege in ea urbe quaererent, Christum inviserent, tum vero Iosephus fugam capesseret in Aegyptum, exin Herodes aegrotaret ac moreretur, eoque mortuo Iosephus remearet, non Hierosolymam, sed longiore itinere Nazarethum, atque tunc demum iter adriperet ad purificationem uxoris habendam.

5 Neque his difficultatibus te extricabis, si dicas Magos, stella conspecta longe ante ortum Christi, statim iter adgressos ad Christum pervenisse ipso die, quo ortus est, postridie vero fugam a Iosepho maturatam. Etsi enim, ut Ioannes Chrysostomus [7]) et Theophylactus [8]) putarunt, stella multo tempore, imo, ut alii [9]) sensere, biennio ante Christi ortum comparuisse dicatur, qua de re inferius disseremus [10]), arbitror tamen te nolle contendere Christum in Aegypto circumcisum esse, proinde saltem in nonum diem ab ortu fugae tempus dilatum fuerit, oportet. Fac eodem illo die in morbum incidisse Herodem, quem, quum Magi venere, bene valuisse constat, utpote qui simularet se quoque ad Christum adorandum velle proficisci [11]). Morbum longe diuturniorem fuisse triginta imo et quadraginta diebus, discimus a Flavio Iosepho. Herodes enim aegrotare coepit, quum legati, quos ad Augustum miserat Antipatrum filium accusaturos, Romam versus navigabant [12]). Huic temporis spatio, donec Romam illi pervenirent, adde aliud Romae ab iis insumptum, quo Herodis mandata exsequerentur, tum mensem, neque enim brevius tempus per hyemem satis esse poterat eorum literis ad Herodem perferendis [13]), atque aliquot dies inter literas acceptas et Antipatrum necatum [14]), denique quinque dies, quot inter necem hanc et Herodis obitum intercessere [15]). Adde modo reditum Iosephi Nazarethum, mansionem in hac urbe, atque inde iter Hierosolymam ad purificationem Mariae, deque hac opinione, quam impugnamus, tunc demum iudicium ferto.

6 Quum autem Herodes diem supremum vixerit anno U. C. DCCL inter IV kal. et IV non. april. [16]), si illa opinio tibi arrideat, Christum, necesse est, natum dicas hoc eodem anno, ineunte mense martio, hoc est, biennio amplius post indictam ab Augusto descriptionem orbis terrarum [17]), postque illud tempus, quo eum natum dicit Lucas [18]), imo duobus annis plus minus post tempus, cui adscribere oportet internecionem infantium puerorum Bethlehemitarum [19]).

7 Lex de puerpera haec erat: *Cumque expleti fuerint dies purificationis suae, pro filio sive pro filia, deferet* AGNUM *anniculum in holocaustum, et pullum columbae sive turturem pro peccato. . . . Quod* SI NON INVENERIT *manus eius*, NEC POTERIT *offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum* [20]). Iam vero, si illa pretiosa munera, quae Christo a Magis oblata sunt, Maria intra quadraginta dies, qui fuerunt ante purificationem, accepisset, qui credi potest virgo mortalium religiosissima legem praedictam minime fuisse observatura, ut, non agnum, sed turtures aut columbas adferret [21])? Quia, inquiunt, omnia in pauperes erogaverat. Nempe id pie credimus, at parum pie crederemus legum custodiam huiusmodi largitati ab ipsa virgine posthabitam.

---

1) Luc. VI, 23. 26; XVII, 30. 2) Luc. II, 21. 3) Matth. II, 15. 19—21. 4) Diss. XXXVI. n. 1. 5) Diss. XXXI. 6) Matth. II, 22. 7) In Matth. hom. VII. § 3. 8) In Matth. II, 7. 9) Opp. *Augustin.* T. V. Append. serm. CXXXI al. I ex XVII parisiensib. § 3; Serm. CXXXII al. XXXV de Temp. § 2. 10) Cap. IV. § II. 11) Matth. II, 8. 12) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 5. § 8; c. 6. § 1. 13) Ib. c. 7. 14) Ib. 15) Ib. c. 8. § 1. 16) Diss. XXXV. 17) Diss. XVIII. c. II. 18) Luc. II, 1. 6. 19) Diss. XXXIII. c. II. 20) Lev. XII, 6. 8. 21) Luc. II, 24.

PARS II

Secunda sententia

8 Altera sententia est Magos quidem ad Christum adiisse ante matris purificationem, fugam vero in Aegyptum post hanc a Iosepho cum suis, antequam Nazarethum repeteret, fuisse adreptam; atque huius etiam sententiae duo modi sunt.

§ I

Primus modus secundae sententiae

9 Horum primum proposuit Augustinus qui autumat Magos die tertio decimo ab ortu Christi, VIII id. ianuar., ipsoque die, quem diem festum Magorum seu Epiphaniae nunc agimus, Christum invisisse [1]), sicque Matthaei et Lucae narrationes alteram alteri internectit, ac miscet [2]): *Qui (Magi) cum recessissent* [3]), *postea quam impleti sunt dies purgationis matris eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem etc.* [4]). *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini* [5]), *ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum etc. Defuncto autem Herode etc. venit in terram Israel etc.* [6]), *et admonitus in somnis secessit in partes Galilaeae, et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth* [7]).

10 Verum, sic initas subductasque rationes temporum quominus consolidatas habeamus, plura enimvero obstant. Atque illud primum, quod lex de puerpera contra priorem sententiam nobis suggessit (7).

11 Insuper, si rationes istae constarent, dies viginti septem, integerque fere mensis intercessisset inter adventum Magorum et Iosephi fugam. At cuinam veri simile fiat ab Herode, ea, qua tunc erat, inquiete atque animi turbatione [8]), Magos, quos ad sex paullo amplius millia legaverat, tamdiu fuisse exspectatos? Neque veri fortasse magis simile videatur Christum Hierusolymam ductum iis diebus, quibus ob Magos reduces frustra exspectatos Herodis anxietas irarum aestu asperari iam coepisse putanda est, populique totius sollicitudo, quam nuntium a Magis allatum ingesserat, acrior effecta. [9])

12 Quin imo Matthaei narratio nullo modo pati videtur sibi inseri Lucae narrationem de purificatione Mariae, idque, nisi ob adverbium *ἰδοὺ ecce*, de cuius vi alio loco disseruimus [10]), at certe ob loquutionis modum, quae sic est: *Ἀναχωρησάντων δὲ αὐτῶν, ἰδοὺ, ἄγγελος κυρίου φαίνεται κ. τ. λ. Qui cum recessissent ecce, angelus Domini apparuit etc.* [11]); participium enim illud casu, ut vocant, absoluto continuationem rerum narratarum significare hic omnino videtur, sicut semper in aliis narrationibus, atque ita, ut, si participium sit praesentis temporis, ea, quae ipsum sequuntur, pateat gesta esse simul cum eo, quod ipso hoc participio significatur [12]), mox autem aut paullo post, si temporis ἀορίστου [13]), plurium vero dierum, multo autem magis unius mensis, moram interpositam credere prorsus prohibeamur.

13 Sed multo minus verba Lucae, *Et, ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth* [14]), ea sunt, quibus Matthaei narratio de fuga in Aegyptum, et quae sequuntur inseri possint. Quamquam enim evangelistae non omnia Christi gesta referant, iisque omissis, quae media, ad ea, quae post haec fuerunt, illico deveniant, ac veluti transiliant, non tamen id faciunt iis adhibitis dicendi formis, quae, ut est illa Lucae loquutio, sic ultima videantur cum primis connectere, veluti si nihil medium intercederet, resque aliae post alias continuo factae narrarentur, sed illas veluti formulas narrationibus suis praescribendo, *In diebus illis* [15]), *In illo tempore* [16]), vel, ut Lucas et Ioannes, *Post haec* [17]), vel, ut saepe Lucas, *Et factum est, Factum est autem* [18]), utque Matthaeus item saepe, *Tunc* [19]), *Cum* [20]), saepissime vero solam particulam *Et* [21]), ut Marcus fere [22]); quae quidem dictiones priora cum posterioribus nullo modo connectunt, sed temporum dumtaxat ordinem earum nonnullae ostendunt.

---

[1]) Serm. CCIII al. de divers. LXIV. §§ 1. 3. [2]) De cons. evangelistar. l. II. §§ 16. 17. [3]) Matth. II, 13. [4]) Luc. II, 22—38. [5]) Luc. II, 39. [6]) Matth. II, 13—22. [7]) Matth. II, 22. 23 coll. Luc. II, 39. [8]) Matth. II, 3. [9]) Ib. 16. [10]) Diss. XV. n. 11. [11]) Matth. II, 13. [12]) Matth. IX, 18, 32; XII, 46; XVII, 5; XXVI, 47; Luc. XXII, 47. [13]) Matth. I, 20; II, 1. 19. [14]) Luc. II, 39. [15]) Matth. III, 1; Marc. VIII, 1. [16]) Matth. XI, 25; etc. [17]) Luc. V, 27; X, 1; Io. III, 22; V, 1; VI, 1; VII, 1. [18]) Luc. I, 8; II, 1; V, 12; etc. [19]) Matth. XXIII, 1; etc. [20]) Ib. I, 18; etc. [21]) Matth. VIII, 23; etc.; Luc. IV, 13—16; IX, 10; XI, 14; etc. [22]) Marc. I, 9. 16; etc. Lege initium capitum.

§ II

Alter modus secundae sententiae

14 Quod si dicas Magos, non die decimotertio a Christo nato, sed uno aut altero die ante purificationem Mariae advenisse, elides utique vim secundi (11) e quatuor argumentis, quae contra sententiam hanc protulimus, et ex parte etiam tertii (12), gravius tamen te primum (10) urgebit, totaque sua vis manebit postremo (13).

PARS III

Tertia sententia

15 Duabus praedictis potior est sententia putantium Christum a Magis adoratum fuisse uno alterove die ante matris purificationem, in Aegyptum autem deductum Nazaretho. Sententiam hanc, si quarta, quae infra est, minus placeat, praestat amplecti, quam primam aut secundam, quum prorsus libera ea sit a postremo (13) quatuor argumentorum, quae contra secundam sententiam sunt prolata, secundum vero argumentum minus hanc tertiam urgeat, quam illam primo modo propositam (11). Huic tamen aeque ac secundae altero modo propositae obest primum (10) illorum argumentorum, secundum (11) vero ac tertium (12) huic magis quam illi, nam ponere oportet quinque dies, non minus, inter recessum Magorum interque fugam adreptam intercessisse, novem autem saltem diebus ab Herode fuisse exspectatos eos, de quibus quid factum foret, intra quatuor horas certior fieri poterat; quorum dierum unum Magorum adventui ad Christum tribuas, alterum purificationi Mariae, tres itineri octoginta amplius millium usque Nazarethum, unum saltem mansioni in hac urbe, tres denique ut minimum fugae Aegyptum versus extraque Herodis ditionem conficiendae.

PARS IV

Quarta sententia

16 Superest quarta sententia, Magos non venisse nisi post purificationem Mariae. Haec autem nulli obnoxia est illorum quatuor argumentorum, quae urgent priores sententias; quin imo donum datum a Maria virgine, quo illae refutantur, hanc comprobat. In hanc aliqui etiam de patribus conveniunt, Ammonius [1]), Origenes [2]), scriptor *Historiae de nativitate Mariae et de infantia Salvatoris* [3]), Eusebius [4]), Iuvencus [5]), Epiphanius [6]), fortasse auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* [7]), Photius [8]), et Simeon Metaphrastes [9]) scribens Christum expletis duobus annis aetatis deductum in Aegyptum, credendus autem non est putasse inter Magorum adventum et fugam Iosephi biennium intercessisse.

17 Sententia haec quarta, si eo modo, quo debet, intelligatur, nihil habet, quod sibi timeat ab illo Matthaei exordio, *Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος . . . ἰδοὺ μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα Cum ergo natus esset Iesus, . . . ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam* [10]), veluti si tum haec loquendi ratio, pro eo, quod superius (12) animadvertimus, tum vis verbi *παρεγένοντο*, quod idem sonat ac *adfuerunt*, vetarent, quominus quadraginta amplius diebus ab ortu Christi Magos advenisse dicamus. Hoc, inquam, nihil est. Nam, quod adtinet ad verbum *παραγενέσθαι*, etsi propria eius vis et significatio sit *adesse*, tamen illud in sacris scripturis fere usurpatum est pro verbo *venire*, sic enim plerumque versum est in novo testamento, in vetere autem, raro pro aliis, saepissime vero redditum pro verbo בוא *venire*, imo bis pro ילך *ire* [11]). Ipsi autem loqnutioni ea vis, quam eius propriam esse defendimus, integra manet, si non exitum, quod necesse non est, sed initium actionis adtendas, dicasque Magos paullo post ortum Christi iter ad eum in Iudaeam facere coepisse.

---

[1]) Harm. evangel. cc. 7. 8. [2]) In Catena patrum graecor. in Luc. edita a *Corderio*. [3]) Cap. 16 in Cod. apocr. N. T. ed. *Thilo*. [4]) In cat. pat. graec. ed. Corderius et Quaestion. ad Steph. ed. *A. Mai* q. 16. [5]) Hist. evangel. L. I. [6]) Haer. LI al. XXXI. § 9. [7]) Opp. *Chrysost.* T. VI. p. XXVIII. ed. *Montfauc.* [8]) Amphiloch. XXXVI. interrog. 187. [9]) Caten. in Luc. II, 39. in Scriptor. veter. T. IX. p. 653 ed. *A. Mai*. Romae 1837. [10]) Matth. II, 1. [11]) Ios. IX, 12; III Reg. XX al. XXI, 27.

18 Illud huic sententiae incommodum accidit, quod ea posita vim suam totam exserat ἐναντιοφανεια illa sane gravissima, quam initio huius quaestionis praemonuimus esse inter Matthaei et Lucae narrationes. Non tamen talis ac tanta haec est, ut difficile sit compositionis viam aliquam reperire, idque multiplici ratione tentatum est.

§ I

Primus modus quartae sententiae

19 Eusebius, Epiphanius, fortasse auctor *Operis imperfecti in Matthaeum*, et, ut videtur, Metaphrastes (16), sensere Magos biennio post ortum Christi advenisse, quum is et parentes eius essent Bethlehemi, quia *credibile est*, inquit Eusebius, *eos, non secundo solum, sed saepenumero rediisse ad eumdem locum admirabilis illius eventus gratia* [1]), atque etiam Epiphanius rem sic explicat [2]). Ratio autem, cur biennio post, petitur ex eo, quod, quum cladem puerorum imperaverit Herodes procul dubio paucis diebus post adventum Magorum, occiderit tamen *omnes pueros . . . a bimatu et infra secundum tempus* (*stellae*), *quod exquisierat a Magis* [3]), stella vero comparuisse putanda non sit nisi sub ortum Christi, efficitur Magorum adventum esse non potuisse nisi duobus annis a Christo nato.

20 Attamen haec, opinor, non facile cuivis probare poteris. Et quidem de tempore, quo stella comparuerit, alias [4]); alias item de illo bimatu [5]). Verba vero, quae paullo supra (17) exscripsimus ex Matthaei narratione, duobus annis intrudendis occlusa omnino sunt. Neque Magi puerum bimulum ita essent percontati: *Ubi est*, ὁ τεχθεὶς *qui natus est, rex Iudaeorum* [6])? quae natum significant non multo ante tempore.

21 Adde, quod sententia ista et annus Christi tum natalis tum emortualis cohaerere nequeunt. Quum enim caedes puerorum Bethlehemitarum non serius [7]) vere novo an. U. C. DCCXLVIII facta sit, nec Christus serius vere an. U. C. DCCXLVI ortus foret dicendus, scilicet eo tempore, quo nondum pax ab Augusto constituta fuerat, nec census orbis terrarum indictus [8]). Sic etiam, qui nolit Lucae testimonium [9]) insuper habere, nequit putare Christum citius in crucem actum fuisse, quam anno XV imperii Tiberii, qui fuit annus U. C. DCCLXXXII. Inter Christi baptismum eiusque mortem diem festum paschatis, si illud etiam numeres, quo mortuus est, quater, non pluries, actum colligimus ex evangelio Ioannis [10]); quare baptismus esse citius non potuit, quam post pascha ann. U. C. DCCLXXVIII. Ast eo tempore Christus, verno natus anno U. C. DCCXLVI, alterum supra tricesimum aetatis annum explevisset. Falso itaque Lucas illud scripsisset, quod ad baptismum accedens *Iesus erat . . . quasi annorum triginta* [11]).

§ II

Secundus modus quartae sententiae

22 Sunt, qui putent Magos ad Christum venisse eo anni die, quem in eorum honorem festum agere solemus, hoc est, VIII kal. ianuar. Hic tamen dies esse non potuit, qui tertius decimus fuit ab eo die VIII kal. ianuar., quo Christus natus est. Fuit igitur VIII id. ianuar. anni insequentis. Paullo aliter Papebrochius ob ecclesiae graecae morem celebrandi adventum Magorum eodem die VIII kal. ianuar., quo Christi natalis festus agitur, aitque Magos venisse post annum ipso hoc die anniversario [12]).

23 Hac tamen ratione minuuntur quidem, at non omnino tolluntur ea, quae quartae huic sententiae modo opposuimus (20. 21), omniaque proportione quadam pergunt eam sollicitare. Ceterum, quid valeat argumentum petitum e die, quo aliquod sollemne agitur, iam demonstravimus, ubi de die festo natalis Christi disseruimus [13]).

§ III

Tertius modus quartae sententiae

24 Quae quum ita sint, unica iam superest via, quam ad rem definiendam ineamus, eaque est, ut dicantur Magi advenisse haud multo post, quam purificatio Mariae habita fuit. Equidem hanc

---

[1]) L. c. [2]) L. c. [3]) Matth. II, 16 coll. 7. [4]) Cap. IV. P. II. [5]) Diss XXXIII. c III. [6]) Matth. II, 2. [7]) Diss. XXXIII. c. II. [8]) Diss. XVIII. c. II; Diss. XX. n. 8. [9]) Luc. III, 1. [10]) Diss. XLVII. n. 5. [11]) Luc. III, 23. [12]) Ep. ad Petr. Possinum § 8 seqq. in Propyl. ad Acta sanctor. maii. [13]) Diss. XXI. nn. 2. 26.

sententiam certissimam habeo. Sed et Photius sic sensit; en tibi eius verba: ***Virgo igitur et Ioseph, ubi communem in Deum laudem ediderunt, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth. Et*** POST QUADRAGINTA DIES, eos videlicet, quos Lucas *dies purgationis* vocat, *contigerunt, quae de Magis et stella narrantur* [1]). Quum autem Christum natum esse ponamus VIII kal. ianuar. ann. U. C. DCCXLVII [2]), caedes vero infantium Bethlehemitarum non videatur fieri potuisse serius vere novo, quod ortum Christi subsequutum proxime est (21), nec dies, quo Magi advenere serior esse potuit, quam mense aprili ineunte. Insuper, quum argumentum non desit, quo Magos hyeme advenisse adfirmemus [3]), eorum adventus, si *κλίμα* illarum regionum adtendas, post martium ineuntem minime dilatus videtur. Si denique spectes ad modum, quo Matthaeus de adventu hoc loquitur (17), vix credes Magos serius medio mense februario advenisse.

25 Ut autem, quominus sic sentiamus, nihil obstare potest eorum, quae ceteris sententiis ac sententiarum modis opposuimus, ita, ut postremae huic opinioni album calculum adiiciamus, suadent tum ratio, qua Matthaeus rem narrat (17), tum interrogatio Magorum (20), tum tempus puerorum cladi ab ipsa historia praefinitum (21). Quod vero Magi ab Herode, non Nazarethum, sed Bethlehemum ad Christum quaerendum missi fuerint, nullum habet difficultatem; Herodes enim Magos illuc ire iussit, ubi Christum oriri oportuisse intellexerat a scribis. Christum autem a Magis Bethlehemi repertum facile accipies, si ponas, ut Papebrochius [4]), Iosephum brevi post, quam Nazarethum remeaverat, Bethlehemum una cum suis transmigrasse; sed hac de re fusius alias [5]).

CAPUT IV

De Stella a Magis visa

2 Quae de stella a Magis conspecta interpretes scripturarum sacrarum solent disputare, eorum singula singulis huius quaestionis capitibus expendemus. Ea autem haec sunt; quid stella haec fuerit, quando comparuerit, ubinam primo visa fuerit, quomodo Magi ex ea didicerint ortum Christi, huiusque tempus et locum, an stellam ducem habuerint itineris in Iudaeam, cur stella eos recta ad Christum non duxerit, denuoque Hierosolyma egressis comparuerit.

PARS I

Quid ea fuerit

2 Quamplurima quumque diversa aliis alia opinantibus de hac stella deque eius natura narrantur, sive, ut verius loquar, confinguntur. Quem haec nosse iuvat, passim is inveniet, ubi ea legat [6]). Plerorumque tamen sententia inter haec duo ambigit, fueritne cometes aliquis, an aliud *μετέωρον*. Ad litem componendam non adgrediar, quum mihi quoque res in ancipiti posita videatur. Placet tamen ea proferre argumenta, quibus quidam defendunt illum fuisse cometen, ut pateat haec non, sicut alii contendunt, omni vi esse destituta. Praemoneo tamen cavendum, ne, ut horum plerique faciunt, tamquam a Matthaeo narrata ea ponamus, quae Matthaeus minime dicit, Magos a stella perductos Hierosolymam, eam subinde ivisse ac restitisse, comparuisse et disparuisse; quae enim ille narrat, haec solummodo sunt, stellam biennio ferme, antequam venirent [7]), Magis primo visam in oriente [8]), denuoque, quum Hierosolyma egressi eius indicio viam ad Christum locumque, quo is erat [9]), didicere.

3 Eorum itaque personam gerens, qui pro cometa certant, aio, nihil esse in narratione Matthaei quod necessaria consequentione evincat aliud *μετέωρον* illud fuisse, non levia vero, quae id negare suadeant; e contrario pauca non esse, quae probent fuisse cometen, nulla vero, ob quae id infitiari necesse sit.

4 Neque nomina *ἀστέρα*, ***astrum***, ***stellam***, urgebo, non quasi si nomina haec cometae minime competerent, quum contrario *κομήτης*, non secus ac *πλανήτης*, nomen sit adiectivum *κατ' ἔλλειψιν* usurpatum pro *ἀστὴρ κομήτης*, sicut vulgus vocat ***la stella cometa***, quumque Tullius sic loquatur:

---

[1]) Amphilochian. quaest. XXXVI. interr. 187. [2]) Diss. XXI. n. 33. [3]) Cap. IV. n. 7. [4]) L. c. § 8. [5]) Cap. V. P. II. [6]) La sainte bible de Vence. T. XIX. Dissert. sur les Mages. [7]) Matth. II, 7. 16. [8]) Ib. 2. [9]) Ib. 9.

Stellae, quas Graeci cometas, nostri cincinnatas vocant [1]), Virgilius vero: *Ecce dionaei processit Caesaris astrum* [2]), cometes videlicet visus post necem Caesaris [3]), illeque ipse, ut Hallevus nos docuit, qui annis DLXXV orbem suum conficiens ultimo comparuit an. aer. vulg. MDCLXXX, quum denique et alii *stellas* aut *astra* nomen cometis fecerint [4]); sed quod aliis quoque *μετεώροις* haec nomina facta sint, ut in illo Virgilii: *Stella facem ducens multa cum luce cucurrit* [5]), inque illo: *Saepe etiam stellas vento impendente videbis Praecipites caelo labi* [6]), atque in illis Ovidii *Longoque per aera tractu Fertur ut interdum de caelo stella sereno, Et, si non cecidit, potuit cecidisse videri* [7]).

5 Argumenta autem sententiae, de qua agimus, praecipua haec sunt. Unum est, quod suggerit situs stellae primo conspectae. Primo enim illam videre Magi in ea caeli plaga, non quae supra Iudaeam est, sed quae huic opposita [8]). At *μετέωρον* ideo dumtaxat excitatum, ut Christum in Iudaea ortum Magis proderet, in ea caeli plaga comparuisset, cui Iudaea subiecta. Alterum argumentum petitur ex diuturnitate. Duobus enim fere post annis, aut paucis mensibus ante exitum anni alterius, ex quo visa primo fuerat, iterum comparuit [9]). At quodnam genus hoc *μετέωρον* tamdiu perdurans? Dices eam, quae denuo conspecta est, non eamdem, sed priori similem fuisse. Attamen Matthaeus scripsit a Magis stellam denuo conspectam, non eius similem, sed QUAM *viderant in Oriente*; quae verba etsi non diffitear intelligi posse ita, ut dicis, nihilominus, fatearis et tu vicissim oportet, horum verborum sensum magis obvium ac proprium esse illum alterum. Tertium sic habet. Novimus Deum, ut aliquid certis quibusdam hominibus portenderet, aut manifestaret, solitum esse uti signis, imaginibus, ac symbolis, petitis ex conditione, qua illi erant, aut ex artibus, quas exercebant; sic Pharaonis pincernae per uvas in calicem expressas [10]), pistori per canistra farinae [11]), futuram ipsorum sortem ostendit, sic Ioaso regi per bellicas imagines [12]), Amoso pastori per pastoritias atque agrestes [13]), apostolis piscatoribus per piscatorias [14]), eventura praemonstrabat. Similiter igitur Magis astrorum scientiae studentibus [15]) ortum Christi per cometen hunc Deus praenuntiavit. Origenes quoque hoc modo ratiocinatur, aitque: *Unicuique ad veritatem inducendo utitur fere Deus illis ipsis rebus, quibus quisque studet, quibusque assuevit. Itaque Magos a patria ipsorum ad adorationem Christi per astrologiam adduxit* [16]). Nec secus Chrysostomus; sic enim scripsit: *Deus, summa utens indulgentia, per consueta vocat illos, ostenditque stellam magnam ab aliis diversam.... Ne itaque indignum Deo putes, quod per stellam ipsos vocaverit* [17]). Quarto argumento est sententia veterum putantium cometas, ut scribunt idem Origenes et Eusebius [18]), oriri *in magnis eventibus et maximis, quae in terris accidunt mutationibus* [19]), quo pertinet dictum Vulcanii Haruspicis de cometa visa post necem Iulii Caesaris: *Cometa significari exitum veteris et initium novi saeculi* [20]); nihil autem tale illos sensisse novimus, quod adtinet ad alia *μετέωρα*. Quare grandis alicuius rei exspectationi in animis Magorum excitandae, non *μετέωρον*, sed cometes aptus erat. Neque est, cur hoc argumentum cavilleris, veluti quo patrocinium erroris Deo adfingamus, nisi simul dicere velis Deum errori putantium solem circa terram moveri fuisse patrocinatum, eo quod Iosuae mandaverit, ut solem sisteret, Ezechiae vero solem regredientem ostenderit. Postremo auctoritates non desunt huic sententiae comprobandae. Origenes enim, etsi in Commentariis scripserit stellam hanc fuisse symbolum Spiritus sancti, non secus ac columbam visam in baptismo Christi [21]), tamen Celsum refutans ait, *id genus illam fuisse, quales subinde exsistentes cometae* [22]). Maldonatus alterutrum fuisse autumat, aut angelum, aut cometen. Grotius Origeni adstipulatur, tametsi postea quaedam de hac stella dicat, quae cometae non conveniunt. Rosenmuellerus atque alii de recentioribus scriptoribus apud Winerum [23]) cometen fuisse omnino sentiunt.

6 Multa tamen huic sententiae opponi solent. Rogant, quomodo cometes Magos ducere potuerit tum Christi ortum, tum etiam regionem, qua ortus est, imo et domum, qua degebat. Sed quomodo hoc ipsum potuisset aliud *μετέωρον*? Ceterum de modo, quo Magi cometae indicio didicerint tum Christum ortum in Iudaea, tum urbem domumque, qua illum reperirent, inferius agemus [24]); nunc de

1) De nat. Deor. L. II. c. 5. 2) Ecl. IX. v. 47. 3) *Heyne* Adnot. ad Virgil. l. c. 4) *Forcellini* Lexic. ad vv. Cometes, Stella. 5) Aeneid. L. II. v. 694. 6) Georg. L. I. v. 365. 7) Metam. L. II. v. 320. 8) P. III. 9) Matth. II, 9 coll. 7. 16. Lege P. II. 10) Gen. XL, 9—11. 11) Ib. 16. 17. 12) IV Reg. XIII, 15—18. 13) Am. VII, 1. 2; VIII, 1. 14) Matth. IV, 18, 19; Luc. V, 4—10. 15) Cap. I. n. 14. 16) In Catena patr. graecor. in Matth. II, 2. 17) In Matth. hom. VI. § 3. 18) Dem. ev. Lib. IX. paullo post init. 19) Cont. Cels. L. I. § 59. 20) Ap. *Servium* in Virgil. Ecl. IX. v. 47. 21) In Num. hom. XVIII. § 4. 22) Cont. Cels. L. I. §§ 58. 59. 23) Bibl. Realwörterb. s. Magier. 24) P. IV.

aliis. Aiunt enim stellam hanc a Magis solummodo fuisse visam, nam Hierosolymitae, Magis advenientibus, eam adhuc, ignorabant [1]). At id nullo argumento adseritur, ex narratione enim Matthaei consequitur hoc unum, Hierosolymitis incompertum fuisse, quo tempore stella primo comparuerit. Sed neque mirum foret a Iudaeis huiusmodi *φαινομενον*, quam qui unquam incuriosis stellam minime fuisse observatam, praesertim si caeli plagam adtendas atque adeo diei horam, qua comparuerat [2]).

7 Sed, quo expeditius contrariis argumentis respondeamus, proderit, non quidem cometae huius orbem describendum tentare, sed aliquid *καθ' ὑποθεσιν* hac de re dicere. Cometes visus est *supra, ubi erat puer* [3]), inter dies quinquagesimum et centesimum a bruma [4]); ponimus enim Christum natum VIII kal. ianuar. Duobus ferme ante annis [5]), aliquot mensibus inde demptis [6]), circa solstitium aestivum, comparebat in plaga caeli orientali [7]), ideoque paullo ante solem. Cur tempore intermedio latuerit, facile intelliges, si ponas alterum, ut mathematici vocant, verticem ellipseos, quam cometes percurrebat, perihelium inquam, depressum per illud tempus infra horizontem illarum regionum. Quo posito, dicendus erit cometes, quum primo comparuit, declinasse ad plagas caeli australes, ad septemtrionales vero, quum comparuit denuo. Quod autem ex improviso sese conspiciendum exhibuerit Magis, quum Hierosolyma egrediebantur, hoc neminem minus movere debet, quam nos, quibus hoc anno MDCCCXLIII XVI kal. apr. post solis occasum improvisus adfuit ille ingens cometen per septuaginta et octo gradus in caelo porrectus, illudque ideo fieri potuit, quia cometes super horizontem ascenderit immersus luci solari, postquam vero inde emerserat, dum Magi Hierosolymam iter facerent, vel bis noctu dormientibus, vel obductis per hyemem nubibus ac nebulis, ipsius reditus ad illud usque tempus, quo Hierosolyma sunt egressi, eos latere perrexerit. Illud porro, quod aiunt, cometae positurum, contra ac ferat narratio Matthaei, vix aliam videri potuisse Magis, quum Hierosolyma egrediebantur, ac quum Bethlehemum pervenere, quia Bethlehemum non longius quam sex aut septem millia Hierosolymis distat, eademque fere utrique urbi est longitudo geographica, hoc, inquam, minime est consequens. Illud enim iter, utpote per montana, noctu praesertim, quo tempore Magos Hierosolyma profectos demonstrat tum visus cometen, tum Herodis consilium rem totam occulte transigendi [8]), citius confici non solet quam duabus horis [9]), intra quod tempus triginta gradus, quae tertia est quadrantis pars, in caelestibus circulis aequatori parallelis astra percurrunt, spatium profecto non exiguum, quum agitur de astris transeuntibus super regiones ea latitudine, qua australis Iudaeae pars est, quodque homines praesertim corporibus caelestibus contemplandis adsuetos fugere haud potest. Tum si Magi, non Bethlehemi, sed, ut quidam autumant, Nazarethi Christum inviserunt, iam difficultas haec nulla foret [10]).

8 Sed neque Matthaei verba talia sunt, quae nos cogant fateri, stellam hanc, non cometen fuisse, sed aliud quod *μετεωρον*. Et quidem illa, *ὁ ἀστηρ . . . προηγεν αὐτους, ἑως ἐλθων ἐστη ἐπανω οὑ ἠν το παιδιον*, quum *προηγεν* aeque significet *ἀοριστον* ac tempus imperfectum, sic verti possunt: ***stella . . . antecesserat eos, donec veniens stetit supra, ubi erat puer***, hoc est, quam prius viderant in plaga caeli sua regionibus ab ortu obtenta, eam veluti ipsos iter Hierosolymam facientes praetergressam ante se conspexere, quum ad Christum Hierosolyma proficiscerentur. Nihilominus, etsi cum interprete latino verbum *προηγεν* vertas ***antecedebat***, nam quidem ipse dictionis contextus imperfectum tempus *ἀοριστῳ* praeferre suadet, nihil inde est, quod cometes noster sibi timent. Verbo enim *προαγειν* nativa significatio est ***promovere, provehere***, verbi caussa, ad dignitatem, ad virtutem; quum tamen significationem neque hoc loco habere potest neque habet in ulla bibliorum pagina. Ter hoc verbum reperitur in vetere testamento, frequentius in novo, significationes autem in utroque eas habet, quas subiicimus. Primum est ***producere***, verbi gratia, in iudicium, et cetera, ut in II Mach. V, 18; Act. XII, 6; XXV, 26. Secundum *κατα τροπον* ***manifestare***, ut in Eccli. XX, 27 al. 29. Tertium ***educere***, ut in Act. XVI, 30. Quartum ***ducere***, non tamen ita, ut etiam ***praecedere*** subiecta huic verbo notio sit, sed uti stellae nautas ***ducere*** dicuntur, utque ***duci affectibus, exemplo***, horumque similia, sic autem est in Sap. XIX, 11; Matth. XXI, 31, de cuius loci interpretatione consule Tirinum. Quintum ***praecedere*** simpliciter, idque duobus modis; vel tempore, ut quae prius fuerunt, sicque est in I Tim. I, 18; Hebr. VII, 18, vel locum aliquem petendo, antequam alius illuc veniat, ut in Matth. XIV, 22; XXVI, 32; XXVIII, 7; Marc. VI, 45; XIV, 28; XVI, 7; I Tim. V, 24, de quo consule

---

[1]) Matth. II, 7. [2]) P. III. [3]) Matth. II, 9. [4]) Cap. III. n. 24. [5]) Matth. II, 7. 16. [6]) P. II. [7]) Matth. Ib. 2. Lege P. III. [8]) Matth. II, 7. [9]) *Relandi* Palaestina L. II, c. 1. p. 397; c. 5. p. 424. Traiecti 1714. [10]) Cap. V.

Cornelium a Lapide. Sextum denique *incedere ante* alium simpliciter, quia simul is ab eo, qui praeit ducatur, ut in Matth. XXI, 9; Marc. X, 32; XI, 9; Luc. XVIII, 39. Numquam autem auctores bibliorum verbum istud in eum sensum acceperunt, quo *praecedere* simul et *ducere* significat, quoque dux aciem, aries ovium gregem, ducere dicuntur, ideoque duplicem hanc notionem audacius verbo huic subiiceremus hoc loco, veluti si stella haec narraretur eo pacto Magos duxisse. Sensus itaque verbi προήγεν in hac narratione est, stellam a Magis ante se visam, ut nautis astra, viam ipsis indicasse locumque, quo Christum reperirent. Quod si, non Bethlehemum, sed Nazarethum boream versus ad Christum Magi contenderunt, poterit stella etiam proprio sensu dici illos *praecessisse*, quippe quae et ipsa, sicut animadvertimus (7), ad septemtrionales caeli plagas tunc remearet.

9 Alia vero Matthaei verba, *Usque dum veniens staret supra, ubi erat puer*, significant Magos stellae ductum sequutos, quoad haec ad perpendiculum immineret loco, quo ipsi pervenerant, et ubi Christum reperturi erant. Neque ex his verbis concludes stellam non ultra processisse aut disparuisse, si modo memoria retineas, quaenam vis sit particularum *usque dum*, *donec*, et similium [1]). Dicitur autem stella stetisse nimirum prout res haec mente concipi in vulgus solet; quum enim caelestia corpora intuemur, motum horum oculis non percipimus, eaque super hunc illumve locum stare videntur; loquutio autem similis prorsus est illius, quam legimus in libro Iosuae: *Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol et luna. . . . Stetit itaque sol in medio caeli* [2]), quamquo usurpavit Habacuc: *Sol et luna steterunt in habitaculo suo* [3]).

PARS II

Quando comparuerit

10 Iam quaerendum est tempus, quo stella a Magis primo visa fuerit; qua de re etiam diversae feruntur opiniones. Iustinus eam exortam dicit simul cum Christo [4]), Augustinus eodem die, quo Christum [5]), quidam apud Chrysostomum sentiunt, quod *Christo nato stella apparuit* [6]); at ipse Chrysostomus [7]) et Theophylactus [8]) putant eam apparuisse longo tempore ante ortum Christi, alii autem biennio [9]). Verum Matthaei narratio romanaeque ac iudaicae historiae satis nobis suppeditant, quo in tempore hoc definiendo, timendum minime sit, ne multum a veritate aberremus.

11 Herodes, ut Matthaeus dixit, occidi iussit pueros omnes Bethlehemitas *a bimatu et infra* [10]), qui, inquam, alterum aetatis annum nondum excesserant [11]). Hos veluti terminos cladi ab Herode non inconsulte ac sine caussa fuisse praescriptos, et ratio ipsa clamat [12]), et Matthaeus expresse tradidit scribens id factum ab Herode *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, id est, secundum *tempus stellae, quae apparuit eis*, hoc enim est illud tempus, quod *Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis* [13]); tum τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος *tempus apparentis stellae* patet esse ipsius stellae aetatem, ac tempus, ex quo visa primo fuerat. Si ergo secundum hoc tempus aetas puerorum interficiendorum bimatu praefinita fuit, stella duobus ante annis, quam clades haec fieret, primo comparuisse dicenda foret. Quum autem Herodes pro ea, qua discruciabatur cupiditate regnandi regnique amittendi formidine, iure ac merito credatur noluisse cladem sistere intra terminos temporis, quod a Magis, didicerat, sed, quo certius cogitata perficeret, pueros quoque aliquot mensibus ante illud tempus in lucem editos necari iussisse, quumque ita demum bimatus veluti terminus cladi praestitutus fuerit, illud iam liquet, non necessario consequi ex verbis Matthaei stellam comparuisse ipso initio illius biennii, sed, aliquot post mensibus. Quo posito illud nobis commodissime accidit, quod, quum clades puerorum non videatur haberi potuisse serius vere novo an. U. C. DCCXLVIII [14]), ideoque biennio serius initium esse nequiverit, quam ver novum an. U. C. DCCXLVI, stella comparuisse putanda est sub id tempus, quo pax orbi universo ab Augusto parta veluti πρόδρομος fuit pacis illius supernae a Christo haud multo post orituro inter Deum atque homines conciliandae [15]); Augustus autem pacem sanxit Ianum tertio claudens circa mediam aestatem anni praedicti [16]). Hinc et ratio sua sponte sese offert, cur duodevigiuti fere mensibus ante, quam Christus nasceretur, astrum illud vaticinum comparuerit, praeter quam quod belle in unum atque idem tempus

[1]) Diss. XV. n. 15. [2]) Ios. X, 12. 13. [3]) Hab. III, 11. [4]) Dial. c. Tryph. § 106. [5]) Serm. CCII al. de Temp. XXXI seu in Epiphan. IV. c. 1. § 1. [6]) In Matth. hom. VI. § 1. [7]) In Matth. hom. VII. § 3. [8]) In Matth. II, 7. [9]) Opp. Augustin. T. V. Append. serm. CXXXI al. I ex XVII parisiens. § 3; serm. CXXXII al. de Temp. XXXV. § 2. [10]) Matth. II, 16. [11]) Diss. XXXIII. c. III. [12]) Ib. [13]) Matth. II, 7. [14]) Diss. XXXIII. c. II. [15]) Diss. XX. n. 8. [16]) Diss. XVIII. n. 15.

inciderint haec duo nobilissima symbola Christi iam iam orituri, pax in terra ubique gentium constituta novumque astrum in caelo comparens.

12 Quod si quis contendere velit stellam Magis primo fuisse visam sub ipsum Christi ortum, is consideret, ut, quoniam ex praedictis consequitur non brevius temporis spatium intercessisse inter stellam primo conspectam et puerorum internecionem quam undeviginti menses, ex eo, quod contendit, consequeretur item totum hoc tempus intercessisse etiam inter ortum Christi et inter illum internecionem. Id autem aliter fieri non potuit, nisi si aut Magi advenerint undeviginti mensibus post Christum natum, quod omnino falsum esse iam evicimus [1]), aut, siquidem illi advenerunt intra duos tresve menses, Herodes eos Bethlehemo, a sexto milliario scilicet, reduces sexdecim aut septemdecim mensibus exspectarit, quod a veritate prorsus abhorret [2]).

13 Neque, puto, opus est, moneamus, iis, quae prius disputavimus, de tempore, quo Magi ad Christum advenere, haudquaquam illud adversari, quod ex hac quaestione concludimus de tempore, quo stella comparuit, quum neque necesse sit credere, aut Magos conspecta stella illico, quid ea portenderet, didicisse, aut, statim ac didicerant, in Iudaeam esse profectos.

PARS III

Ubi primo conspecta

14 Magi dixerunt stellam vidisse se *ἐν ἀνατολῇ in oriente*, quo nomine, non regiones, ex quibus venerant, sed caeli plagam significarunt, qua corpora caelestia nobis oriuntur; idque non uno argumento confirmare possumus. Etenim inutile erat dicere, non alibi quam in suis regionibus stellam ab ipsis fuisse conspectam, qua de re nemo dubitasset, quamque scire parum aut nihil referebat, eoque inutilius, quo adpellatio *Orientis*, quum de regionibus agitur, vaga magis atque incerta, utpote a Iudaeis non uni, sed diversis regionibus significandis solita usurpari, etsi saepius ita vocarent viciniorem ipsis Arabiam, ex qua tamen minus fortasse probabile est venisse Magos, quam e Perside [3]). Neque ex facili crederem designatas a Magis suas regiones eo nomine, quod respectu Iudaeae usurpatum videretur, nam neque Italus in Hispania diceret se advenisse *ab oriente*, sic Italiam designans, neque Gallus in Anglia se illuc adnavigasse ex meridie. Ad haec bene cohaerent is sensus nominis *ἀνατολῆς* et religio illa Magorum, ex qua hi, dum Deum adorabant, ac precabantur, faciem ad ortum conversam habebant [4]); hinc ratio, aliqua saltem, apparet, cur in plaga caeli opposita illi, sub qua Christus quaerendus erat a Magis, stella his visa fuerit. Ipsa quoque huius stellae significatio, qua Christi sub stellae imagine ac nomine olim praenuntiati [5]) ortus portendebatur, significationi huic nominis *ἀνατολῆς* belle consonat.

15 Sed, quod caput est, usus nominis *ἀνατολῆς* significationem illam alteram haud fert. Frequentissimum est in bibliis *ἀνατολαι* plurali numero, eoque tum regiones ab ortu sitas, tum caeli plagam, vocant bibliorum scriptores. Rarius nomen *ἀνατολη* numero singulari significans ortum solis [6]) aut lunae [7]), vel, quum agitur de plantis, id, quod oritur, hoc est, germen [8]), denique caeli plagam [9]); vix autem aut ne vix quidem apud ceteros graecos scriptores, nunquam vero in graecis bibliorum codicibus, orientales regiones eo designantur. Sunt quidem aliquot codices, in quibus quaedam Ezechielis verba sic versa leguntur: *το πολυανδριον των ἐπελθοντων ἐξ ἀνατολης της θαλασσης polyandrium advenientium ex oriente maris* [10]); sed, quum *ἀνατολη* nullo alio loco regionem significet, contra ea hoc quoque loco possit illud, quod alias significare, postulant regulae artis *ἑρμηνευτικης*, ut illud *ἐξ ἀνατολης* interpretemur, non *ex regione orientali*, sed *ex ortu*, hoc est, ex ea parte, qua mari sol oritur, aut qua mare in ortum spectat. Totum id confirmatur ipsa narratione Matthaei, qui, ubi ipsas Magorum regiones indicare debuit, adhibuit nomen numero plurali *ἀπο ἀνατολων* [11]), singulari vero *ἐν τῃ ἀνατολῃ*, ubi locum, quo stella primo comparuit [12]).

16 Quum ergo Magi narraverint stellam ab ipsis visam fuisse in orientali plaga, animadvertere iuvat, ut illud colligere ex hoc liceat (7), siquidem cometes ea fuerit, quod paullo ante auroram ea exoriretur; si enim citius, non in ea plaga solum, sed et in medio caelo illam conspexissent.

---

[1]) Cap. III. nn. 20. 21. [2]) Diss. XXXIII. c. 1. [3]) Cap. II. nn. 13—16. [4]) *Prideaux* Hist. de Juifs An. 486 av. I. C. p. 393. [5]) Num. XXIV. 7. [6]) Iudic. V. 31 cod. alex.; Is. XLVII, 11 in quibusd codd.; Luc. I. 78, de quo vid. Tit. VI. 9. 4. n. 8; Apoc. VII, 2. [7]) Is. LX, 19. [8]) Ier. XXIII, 5; Ezech. XVI, 7; XVII, 10; Zach. III, 8 al. 9; VI, 12. [9]) Num. III, 38; III Reg. VII, 25; II Esd. III, 29; Ier. XXXI al. XXXVIII, 40; Ezech. XLVIII, 21 *Ald.*; Dan. VIII, 9 *Ald.*; Apoc. XXI, 13. [10]) Ezech. XXXIX, 11. [11]) Matth. II, 1. [12]) Ib. 2. 9.

PARS IV

Quomodo Magi ex ea didicerint ortum Christi, huiusque tempus et locum

17 Nunc venimus ad illam quaestionem, quomodo ex stella hac inspecta Magi didicerint tum ortum Christi, tum tempus, quo ortus est, tum denique regionem, qua eum invenirent. De quibus prius quam dicimus, velim, memineris quaenam ea sint, quae ad quaestionem hanc pertinentia ex Matthaei narratione certo colliguntur. Primum est stellam a Magis indicem ortus Christi fuisse habitam, ut apparet ex illis ipsorum verbis: *Ubi est*, QUI NATUS EST, *rex Iudaeorum? Vidimus* ENIM STELLAM EIUS. Insuper id adeo firme in eorum mentibus insedisse, ut crederent Iudaeis, non secus ac ipsis, rem totam plane perspectam esse; hoc enim produnt eadem illa ipsa verba, praesertim illud *Ubi est*, atque illud *stellam eius*, dicta ut de re nemini non perspecta, nullo praeterea verbo addito explicationis caussa. Ad haec visam stellam eamque habitam pro indice ortus Christi caussam fuisse, cur venerint in Iudaeam, dicebant enim: *Vidimus . . . stellam eius*, . . . ET *venimus*, perinde ac dicerent: Quum stellam viderimus, quae natum regem portendebat, venimus. Denique, Magus stella veluti duce (8) Hierosolyma profectos ivisse ad Christum, eaque indice hunc invenisse.

18 Sed praeter haec, quae nos docet Matthaeus, ponere et alia possumus, quae veri procul dubio similia sunt, sicque aliquid coniicere, hoc enim satis nobis sit oportet, quum certo adsequi ac demonstrare nequeamus modum illum, de quo quaestio est.

19 Sane quam simillimum veri est in regionibus quoque Magorum famam percrebuisse, eum olim oriturum, qui generis humani perditis rebus subveniret. Cuius famae apud ceteras etiam gentes atque in Oriente praesertim obtinentis quaedam veluti vestigia in historia reperimus; nemini enim non cognita sunt hac de re testimonia sive Suetonii [1]), sive Taciti [2]), gemina eorum, quae ex sacris vatibus protulit Flavius Iosephus prave tamen explicavit, tamquam si ea praedicta essent de Vespasiano [3]), quin et ad ultimos Sinas famam hanc pervasisse testantur libri Confucii [4]). Cuius rei caussa esse potuit vel ipsa Dei promissio, qua spes primis hominum parentibus ingesta fuerat, vel vetustae gentium πατροπαράδοσις, vel commercia habita cum Israelitis, vel sacrorum librorum notitia. Quod autem adtinet ad gentes regionesque Magorum, fertur Zoroastres rem hanc praedixisse, eiusque verba retulit scriptor quidam Persa nomine Sharistani [5]), pleniora vero ac magis e re nostra Abulfaragius [6]), eaque mox adferemus (22). Attamen patres bene multi existimant Magos orituri Christi notitiam fuisse adeptos ex vaticinio Balaami [7]), sunt autem Origenes [8]), Eusebius [9]), Basilius [10]), Diodorus Tarsensis [11]), Ambrosius [12]), Hieronymus [13]), auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* [14]), scriptor homiliae de solstitiis et aequinoctiis [15]), Maximus Taurinensis [16]), Evagrius [17]), Leo [18]), auctor *Quaestionum veteris et novi testamenti* [19]), Beda [20]), Theophylactus [21]), Euthymius Zigabenus [22]). Illud nullo pacto accipi posse videtur, Magos ortum Christi vel ex magica arte didicisse [23]), vel a daemonibus doctos fuisse [24]).

20 Sed aeque credibile est novisse Magos, ut is, qui olim oriturus sperabatur, ex Israelitarum genere esset procreandus; nam et hoc erat in Balaami vaticinio, et fama, ut Suetonius et Tacitus testantur, id ipsum praenuntiaverat. Quod autem etiam stella quaedam illius ortum praesignificatura esset, id ex eodem illo vaticinio colligere erat eo pacto, quo diximus in nostris quaestionibus *De interpretatione scripturarum sacrarum* [25]), sique fides est iis, quae narrat Abulfaragius [26]), id ipsum Persis praedixerat Zoroastres.

21 Quibus positis quaeritur, qui factum fuerit, ut Magi visam stellam agnoverint atque eam esse intellexerint, cuius ortum veluti Christi orituri πρόδρομον futurum didicerant, praesertim quum neque tempus [27]), neque locus [28]), quo primo comparuit, huic significationi ullo modo responderet. At de

[1]) In Vespasian. § 4. [2]) Hist. L. V. § 13. [3]) De bello L. VI. c. 5. § 4. [4]) *Huet.* Dem. evang. Prop. VII. § 31. [5]) Ap. *Hyde* Relig. veter. Persar. c. 31. pp. 382. 383 al. 388. et ex eo *Prideaux* l. c. pp. 417. 418. [6]) Hist. dynastiar. V. pp. 83 arab. 54 lat. ed. *Pockok.* [7]) Num. XXIV, 17. [8]) Cont. Cels. L. I. § 60. [9]) Dem. ev. L. IX paulo post init. [10]) Or. in sanct. Christi generat. § 5. [11]) Ap. *Phot.* Cod. CCXXXIII fin. [12]) In Luc. L. II. § 48. [13]) In Matth. II, 2. [14]) Hom. II al. III. p. XXVIII. [15]) Opp. *Chrysost.* T. II. col. 1157. Paris. 1581. [16]) Hom. XX seu de Epiphan. IV; hom. XXVI seu de Epiphan. X. [17]) Consult. Zach. et Appoll. L. II. c. 4. [18]) Serm. XXIV al. XXXIII seu de Epiph. IV. c. 2. [19]) Quaest. LXIII. [20]) Quaestion. lib. q. 1; In Matth. II. [21]) In Matth. II, 2. [22]) In Matth. II, 2. [23]) *Tertull.* De idololatr. c. 9; *Hieron.* In Is. XLVII, 12. [24]) *Hieron.* ib. XIX, 1. [25]) De interpr. script. Sacr. L. II. q. VIII. art. IV. [26]) L. c. [27]) Pars. II. [28]) Pars. III.

loco quidem deque tempore iam dictum est, quod satis sit rei explanandae (11. 14). De modo vero, quo Magi stellam agnoverunt, non una est sententia. Siquidem cometes ille fuit, res explicari posse videtur per id, quod aliquot ante annis ipsi vidimus (7), ut, quum Magi cometen primo conspiciebant, huius nucleo, sic enim astronomi vocant, prope ortus sui locum posito, crinis ad illud in caelo punctum porrigeretur, quod Iudaeae tunc imminebat.

22 Stellam ipsam rei indicium praebuisse, idque novitate, vel magnitudine, aut figura, scripserunt Ignatius [1]), Iustinus [2]), atque etiam Ambrosius, auctor *Operis imperfecti in Matthaeum*, auctor *Quaestionum veteris et novi testamenti*, et Beda [3]), quorum tamen quatuor postremi, sicut dictum est (19), addunt illud, Magos vaticinio Balaami iam fuisse praemonitos. Auctor *Operis imperfecti* rem sic refert, ut legebatur in libro quodam, cui titulus *Seth*, et de quo consule Epiphanium [4]): *Stella . . . apparuit eis . . . habens in se formam quasi pueri parvuli et super se similitudinem crucis, et loquuta est eis.* In Historia Abulfaragii (19) haec narrantur de Zoroastre: *Hic Persas docuit de manifestatione Domini Christi, iubens eos illi dona afferre, indicavitque futurum, ut ultimis temporibus conciperet virgo foetum absque contactu viri, cumque nasceretur, apparituram stellam, quae interdiu luceret, et in cuius medio conspiceretur figura puellae virginis. Vos autem, o filii mei, ante omnes gentes ortum eius percepturi estis. Cum ergo videritis stellam, abeuntes, quo vos diriget, natum istum adorate offerentes ei munera, est siquidem ille Verbum, quod caelum condidit.* Scotias, licet, quod lubet, de hisce historiis, miraberis tamen apud Plinium ea reperiri, quae his omnino respondeot; ubi enim diversas cometarum formas describit, haec legimus: *Fit et candidus cometes argenteo crine ita refulgens, ut vix contueri liceat, specieque humana Dei effigiem in se ostendens* [5]), qui locus suspectus utique est viris eruditis, omnium tamen codicum suffragio ac testimonio adseritur.

23 Nemo tamen, opinor aliam veriorem ea de re, quam disserimus, sententiam existimabit, quam Deum id egisse cum Magis, quod et cum aliis alias egit [6]), ut, dum symbolum aliquod ob eorum oculos ponebat, simul mentem illustraret, quo symboli significatum assequerentur. Nimirum sic sensere Chrysostomus, Augustinus, et Leo. Quorum primus haec scripsit: *Illud quoque inquirendum est, quae caussa ipsis fuerit talia cogitandi, et quis illos ad talia agenda concitaverit; neque enim mihi videtur haec posse ad solum stellam referri, sed ad Deum, qui ipsorum animos concitavit* [7]). Augustinus ait quidem de hac stella: *Quid erat, nisi magnifica* LINGUA *caeli* [8])? et alio loco: *Stellam sibi apparentem et pro infante Verbo* VISIBILITER *loquentem velut linguam caeli secuti sunt* [9]), sed, cur *linguam loquentem* eam vocaverit, ipse nos docet his verbis: *Quare venerunt? Quia stellam inusitatam viderunt. Et unde eam Christi esse cognoverunt? videre enim potuerunt stellam; numquid loqui eis potuit et dicere: Stella Christi sum? Procul dubio aliter indicatum est, per aliquam revelationem. . . . Viderunt ergo quamdam stellam inusitatam, mirati sunt, quaesierunt sine dubio, cuius esset signum, quod tam novum insolitumque viderunt, et utique audierunt, profecto ab angelis, ab aliqua admonitione revelationis* [10]). Leo denique ita loquitur: *Praeter illam stellae speciem, quae corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit* [11]); et alio loco: *Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui praestitit signum, et, quod fecit intelligi, fecit inquiri* [12]).

24 Neque secus factum fuisse putandum est, ut, etsi stellae exortus biennio ferme praecesserit ortum Christi, hunc tamen Magi non ante natum putaverint, quam quum reipsa natus est. Forsitan enim stella, ut ab illis visa fuit, eorum animos exspectatione excitavit, an ea foret, quam sciebant ortus Christi praenuntiam futuram, suspensosque atque sollicitos habuit ad eum finem, quoad, Christo iam in lucem edito, res ipsis fuit patefacta.

25 Quod autem narrat Matthaeus, domum, qua Christus degebat, Magis stella hac iudice fuisse monstratam, sive cometes ea fuerit, sive aliud μετέωρον, illud fieri non potuisse, nisi divinitus, nemo non sentit. Idcirco adparet frustra eos esse, qui inde argumentum sibi praeberi autumant, quo cometen explodant, quaeruntque, qui potest cometes, immensum quantum distans a terra, sic loco alicui ad perpendiculum imminens videri, ut vel magnam orbem a reliqua circum regione, nedum unam domunculam a ceteris, hoc uno indicio discernamus. Quid enim si cometes radium supra

---

1) Ep. ad Ephes. § 19. 2) Dial. c. Tryph. § 106. 3) LL. cc. 4) Haer. XXVI. § 8; XXXIX. § 5. 5) Hist. Nat. L. II. § 25 al. 22. 6) V. gr. III Reg. XIX, 12. 13. 7) In Matth. hom. VI. § 4. 8) Serm. CCI al. de Temp. XXXI. § 1. 9) Serm. CCIII al. de Divers. LXIV. § 1. 10) Serm. CCCLXXIV al. de Divers. LXVII. § 1. 11) Serm. XXXIV al. XXXIII. qui est in Epiph. IV. c. 3. 12) Serm. XXXI al. XXX, qui est in Epiph. I. c. 1. Conf. Sermon. in Epiph. III. c. 2; IV. c. 1; VI. c. 1.

domum Christi demisisset? At enim mirum quid hoc saperet. Nempe; quasi vero tralatitium foret alia *μετεωρα* sese viarum duces nobis offerre, locaque, quae petimus, super ipsa sistendo, indicare.

PARS V

An stellam ducem habuerint itineris in Iudaeam

26 Stellam a patria in Iudaeam viae ducem Magis fuisse quidam etiam de patrum numero autumaruut, verbi caussa, auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* (19) haec scribens: *Proficiscentibus autem eis per biennium praecedebat stella*; illudque acriter defendit Maldonatus. Aliter tamen nostra est sententia.

27 Nam Magos, quo sibi esset eundum, et ubi Christus quaerendus, ex ipsa stella Deo interprete didicisse (23), antequam iter adriperent, satis demonstrant ipsorum verba: *Vidimus . . . stellam eius, et venimus*; venerunt, inquam, postquam cognuverant, quem stella portenderet. Quid ergo tali itineris duce opus babebant? Animadvertas quoque, oportet, dixisse eos, se stellam *vidisse et venisse*, non autem ab ea ductos esse, quod tamen potius narrare oportebat, utpute maiore momento ad faciendam fidem. Ex modo ipso, quo Magi loquuti sunt, colligimus eos putasse Iudaeis quoque notam esse hanc stellam (17); quod tamen putare non potuissent, siquidem eam ducem itineris habuissent. Aiebant praeterea eam ipsis visam, non in via, sed *ἐν ἀνατολῇ in oriente*, hoc est, in ea caeli plaga, quae ipsorum regionibus ab ortu obtenditur, aversaque ab illa, cui Iudaea subiacet. Magis proficiscentibus Hierosolymis stella denuo comparuisse narratur bis verbis: *Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos* [1]), scilicet ut quae improvisa ipsis adfuerit, qualis dici minime posset, quae illuc usque eos duxisset. Cur vero his addidit Matthaeus illud *quam viderant in oriente*, siquidem Magi toto itinere eam ante se conspexisse forent dicendi? Sed praeterea dicuntur visa stella *gavisi esse*, neo qualicumque ratione sed *gaudio magno*, idque *valde* [2]), quae rem illis insperatam sonant.

28 At postremis bis verbis confirmari posse, quod volumus, negat Maldonatus, aitque, stellam, *eadem ratione probari posse, ne visam quidem illis antea fuisse. . . . Illud potius colligitur eam ad tempus, cum Magi Ierosolymis essent, disparuisse. . . . Nec enim significat . . . evangelista Magos aspectu stellae . . . laetos fuisse. Id enim si dicere voluisset, non hoc loco, sed ante dixisset: Et ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos, et gavisi sunt gaudio magno valde; sed significat eos gavisos fuisse videntes stellam (sicut proxime dixerat) stantem supra, ubi erat puer. Laetantur enim, non quod stellam viderint, quam saepe iam viderant, sed quod Christum, quem quaerebant, invenerint* [3]). Verum, quod pace Maldonati nostri dixerim, miror tali viro talia excidere potuisse; eaque ad sex capita redigentes singillatim sic refellimus. Etenim stella numquam antea visa, ideoque ignota, ex improviso comparens vel *supra, ubi erat puer*, Magos utique admiratione ac stupore adfecisset, sed quodnam eis gaudium adferre poterat? quo cadit primum Maldonati argumentum. Cur illud, unde argumentum alterum petit, culligeretur *potius* ex Matthaei verbis, nemo, puto, demoustrabit; eo sane maior futura erat eorum laetitia, quo stellae absentia fuerat diuturnior. Ut tertium acciperemus, vincere Maldonatus prius deberet, verba *Videntes stellam, gavisi sunt*, non significare Magos videntes stellam gavisos esse. Si quartum, quo prioris argumenti ratio redditur, quidquam valeret, eoque pacto Matthaeum loquutum esse oporteret, quaerendus ulterius superesset locus verbis *donec veniens staret supra, ubi erat puer*, quae Maldonatus procul dubio nollet subiungi illis, *gavisi sunt gaudio magno valde*. Hinc *κατ' ἄνθρωπον* ac meliore ratione ad quintum respondemus, si illud Matthaeus significare voluisset, non eo modo, sed ita fuisset loquutus: *Stella antecedebat eos. Videntes autem stellam, donec veniens staret supra, ubi erat puer, gavisi sunt gaudio magno valde*, aut potius omisisset illa *Videntes autem stellam*, scripsissetque sic: *antecedebat eos, donec veniens staret supra, ubi erat puer, et gavisi sunt gaudio magno valde*. Ceterum neque illud, quod Maldonato placet, loquitur Matthaeus, neque, qui simpliciter legunt, illud in Matthaeo inveniunt, neque demum deteriore, imo potiore etiam ratione crederes consequi ex Maldonati interpretatione stellam a Magis non iterum conspectam, nisi *supra, ubi erat puer*, quam ex Magorum gaudio ob stellam denuo visam primum aut alterum eorum, quae inde consequi posse adfirmat Maldonatus.

---

[1]) Matth. II, 9. [2]) Ib. 10. [3]) In Matth. II, 10.

Denique eorum, quorum ultimo unum negat, alterum ait, hoc quidem recte, licet Matthaeus non dicat, illud male, utpote quod iis omnibus argumentis refutetur, quibus tertium et quintum. Verum enimvero *quandoque bonus dormitat Homerus.*

PARS VI

Cur stella Magos recta ad Christum non duxerit, eisque Hierosolyma egressis denuo comparuerit

29 Nunc duo succedunt quaerenda. Primo, siquidem, non cometes, sed aliud *μετεωρον* fuit illud astrum, cur Magos ex patria ad Christum recta non duxerit. Rationes huius rei aliquot afferuntur. Primam suggerit Chrysostomus [1]), ex qua ceterae consequuntur, eaque est, ut Magi ipsi Christum natum percontarentur Hierosolymae. Altera, ut Magis percontantibus Iudaei de ortu Christi certiores fierent. Tum, quae Augustini sententia est [2]), ut Iudaeis hac re commonefactis occasio daretur consulendorum oraculorum, quae in sacris libris habebant, interque haec atque inter nuntium a Magis perlatum consensus patefieret. Ut denique ex tali consensu Iudaeis Magisque validius argumentum exhiberetur veritatis rei, quam hi illis nuntiabant.

30 At cur Magis urbe egredientibus stella denuo comparuit? Alterum enim iam quaeritur. Aliquid procul dubio in caussa fuisse putandum est, cur Deus vel hoc *μετεωρον* iterum excitarit, vel ita hominum consilia ac rerum eventus gubernaverit ac moderatus fuerit, ut cometes tunc Magis denuo conspicuus fieret, quum Hierosolyma ad Christum proficiscebantur.

31 Quo posito, sunt, qui putent ideo id factum, ut stella Bethlehemum illos duceret. Sed quid opus habuissent ea duce ad sex milliaria emetienda (7), qua securi caruere toto itinere ex patria in Iudaeam usque?

32 Franciscus Lucas Brugensis haec narrat: *Voluit eis Deus stellam apparere, ne animum deiicerent, quod in urbe regia regem non invenissent, sed nec seiri quidquam de eo nato comperissent, quin imo allato nuntio turbari omnes observassent* [3]). Verum nulla ratio est, cur Magi dicantur ob haec animum despondisse, est imo non una, cur secus factum credamus. Neque enim dubitatio iis suboriri potuit de iis, quae, etsi per stellam, Deus tamen ipse eos docuerat (23). Sed neque ex evangelio colligimus, aut de facili accipere possumus, eos, dum Christum Hierosolymae quaerebant, comperisse *in urbe regia . . . nec seiri* QUIDQUAM *de eo nato;* nam et eorum, quae a pastoribus bethlehemitis divulgabantur [4]), fieri non potuit, quin fama brevi Hierosolymam perferretur, et ea, quae contigerant in templo [5]), verisimile non est latuisse, imo haec quoque, sin minus in vulgus, at per cives cordatiores et sapientiores didita scimus [6]). E contrario illud in evangelio deprehendimus, quod Magi compererint Hierosolymae per id tempus Christum exspectari, idque ipsum Herodem non latere [7]). Quod autem in ea urbe Christum non invenerint, mox didicerunt hoc concordare cum vaticiniis, quae eum alibi oriturum praenuntiaverant [8]); hinc aucta potius fides iis, quae ex stella intellexerant. Quumque natum regem Iudaeorum probe scirent non simplicem hominem esse, sed Deum [9]), non erat, cur mirarentur eum non in Herodis regia nec Hierosolymae degere. Sed neque commotio civitatis excitata eorum nuntio ea fuit, quae ancipiti cura adficeret ipsorum animos [10]).

33 Aliam caussam adferunt, qui scripturas sacras enarrant, cur stella tunc denuo Magorum oculis sese obtulerit, eaque est, ut eos ad ipsam Christi domum perduceret, quod credibile admodum est, si aliud fuit quam cometes, utque ipsam Christi domum illis indicaret, quod, fuerit utrumvis, cometes an *μετεωρον* (30), omnino credimus. Haec eadem est sententia Chrysostomi [11]). Postrema autem haec caussa longe manifestior adpareret, si, ut quidam autumant, non Bethlehemi, sed Nazarethi Christum invenisseut, qua de re mox [12]).

---

[1]) In Matth. hom. VII. § 3. [2]) Serm. CC. al. XXX de Temp. § 3; CCCLXXIV al. LXVII de Divers. § 2. [3]) In Matth. II, 9. [4]) Luc. II, 18. [5]) Ib. 22—38. [6]) Ib. 38. [7]) Cap. VII. [8]) Matth. II, 4—6. [9]) Cap. VI. [10]) Cap. VII. nn. 1. 2. [11]) In Matth. hom. VII. § 4. [12]) Cap. V. n. 11.

CAPUT V

Ubinam Magi Christum invenerint

1 Quaereudum nunc est, ubinum Mugi Christum repererint, num in stabulo, au domi, Bethlehemi, an Nazarethi; sentcutiao euim doctorum virorum huc do re diversao abeuut.

PARS I

De loco

2 Qui putres puturuut Christam repertum a Mugis in speluuca illa, iumentorum stabulo, qua natus est, sunt Iustinus [1]), scriptor *Oraculorum sybillinorum* [2]), Caesarius Gregorii Nazianzeni frater [3]), Gregorius Nyssenus [4]), auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* [5]), Paula et Eustochium in epistola duta ad Marcellam [6]), Theophilus Alexandrinus in epistola secunda de paschate [7]), Chrysostomus [8]), Isidorus Pelusiotes [9]), Maximus Taurinensis [10]), Theodotus Aucyraaus [11]), Petrus Chrysologus [12]), Epiphanius *ὁ ψευδώνυμος* [13]), scriptor homiliuo de solstitiis et acquinoctiis [14]), aliique *ἀνώνυμοι* [15]).

3 Augustiuo, ut adparet ex eius rutioue loquendi, anceps fuit seuteutia, ntrum in stabulo, an iu diversorio, cui stabulum additum erat, Mugi Christum inviserint. Plerumque enim *locum* simpliciter absque adposito commemorat [16]). Ubi praesepe aut stabulum nominut, non expressis nec propriis verbis ait Christum iu eo a Magis repertum, sed vel *τροπικῶς* loquitur, vel de Christo, uon ut qui Magos exceperit, sed ad se vocaverit, vel ita, nt ea, quae loquitur, intelligi queaut tamquam dicta solummodo sint de pastoribus [17]). Quae vero manifeste atque expresse narrat, haec sunt; quod Magi Christum iuvenerunt *in cunis iacentem* [18]), *in ipsis cunabulis* [19]), quod *adoraverunt iacentem in diversorio* [20]), quodque ita res tota gesta fuit, ut Christus *in angusto diversorio quaesitus inveniretur* [21]). Euthymius Zigabenus ait id factum esse in speluuca seu in diversorio, quod et tugurium vocat; hoc diversorium videlicet erat, quod Matthaeus *domum* adpellat [22]). Atque hoc ipsum sensisse dicendus est Chrysostomus, qui, quum prius non semel dixerit Christum a Magis visum in praesepi (2), postea id factum ait in ipsa domo [23]).

4 Suut tamen patres, qui udfirment Christum domi suae a Magis fuisse inventum; ita Eusebius [24]), Epiphanius [25]), Ephraemus [26]), Theophylactus [27]), atque alius olim creditus Augustinus [28]).

5 Ex mouumentis coufectis ante saeculum XI, quae faveant primao harum duarum opiniouum, nou alia novi quam duos sarcophagos [29]), qui Christum fasciis obvolutum iuque praesepio iacentem exhibent, Menologium graecum Basilii imperatoris saeculo IX couscriptum et in bibliotheca vaticana adservatum [30]), cuius exemplaria utroque sermone Urbini edita feruntur, et in quo [31]) Christus couspicitur in siuu matris ad os speluncae adsidentis, denique opus musivum vetustuo basilicae vaticanae saeculo VIII elaboratum, in quo cernitur Maria sedens ad parvi cuiusdam collis radices filiumque Magis porrigens [32]). Cetera omnia monumenta vetustiora, in quibus expressa habetur historia Magorum, quautum vidi, exhibent Virginem sede quadam considentem, inque huius gremio aut inter brachia puerum Iesum. Arcus triumphalis basilicae liberianae a Xysto III P. M. musivis operibus

---

[1]) Dial. cum Tryph. § 78. [2]) L. VIII vv. 477. 478. [3]) Dial. II. interrog. 107. [4]) Or. in diem natal. Chr. p. 781. Paris. 1615. [5]) Hom. II al. III. p. XXXI. [6]) *Hieron.* ep. XLVI al. XVII. § 10. [7]) *Hieron.* ep. XCVIII. § 18. [8]) In Matth. hom. VI. § 2; VII. § 4; Orat. Quod negligent. ad sacr. mens. etc. § 2. ap. *Gulland.* Biblioth. veter. patr. T. XIV. Append. p. 142. [9]) L. I. ep. 378. [10]) Hom. XVIII al. II de Epiph.; XIX al. III de Epiph.; XX al. IV de Epiph. [11]) Homil. in diem Nativit. habit. in Conc. Ephes. § 10. [12]) Serm. CLIX. [13]) Or. de laudib. B. Virg. [14]) Opp. *Chrysost.* T. II. coll. 1111. Paris. 1570. [15]) Opp. *Augustin.* ed *Maurin.* T. V. Append. serm. CXXXII al. XXXV de Temp. § 2; CXXXVI al. XXIX de Temp. § 6. [16]) Serm. CXIX al. XXXIV de Temp. § 3; CC al. XXX de Temp. § 3; CCI al. XXXI de Temp. § 3; CCCLXXIV al. LXVII de Div. § 1. [17]) In Ps. XLIV. § 3; Serm. CC. al. XXX de Temp. § 1; CCIV al. VII ex Vigner. § 2; CCCLXXV al. IX ex Vigner. § 2. [18]) Serm. CCCLXXIII al. LXVI de Div. § 2. [19]) Serm. CC. al. XXX de Temp. § 4 [20]) Serm. CCIII al. LXIV de Div. § 3. [21]) Serm. CCCLXXV al. IX ex Vigner. § 1. [22]) Matth. II, 11. [23]) In Matth. hom. VIII. § 1. [24]) Ad Stephan. quaest. XVI. § 3 in Veterum scriptor. nova collect. *A. Mai.* T. I. [25]) Haer. XX. § 3; LI. § 9. [26]) Cantic. de Maria et Magis. [27]) In Matth. h. l. [28]) Opp. *August.* ed *Maurin.* T. V. App. serm. CXXXI al. I ex parisiens. § 2. [29]) Ap. *Bottari* Scult. e pitt. etc. Tav. XXII. LXXXVI. [30]) N. 1613. [31]) Tab. CCLXXII. [32]) Ap. *Ciampini* De sacr. aedificiis a Constant. M. constr. Tav. XXIII. p. 75.

ornatus an. CDXXXIII inter cetera spectandum praebet adventum Magorum ad Christum solio quodam ingenti ac splendido locatum [1]).

6 Ceterum, si ea manent, quae dicta sunt de tempore, quo ad Christum advenere Magi [2]), dicendi hi sunt alibi eum reperisse, quam in praesepi. Id, ut modo vidimus, confirmat maxima pars veterum monumentorum. Id ipse Matthaeus, dum Magos εἰς τὴν οἰκίαν domum ingressos ad Christum adorandum narrat, atque ex hoc nomine οἰκίαν, quod Matthaeus usurpavit, argumentum sententiae huius petiere Eusebius, Epiphanius, et Theophylactus.

7 Opponit Franciscus Lucas Brugensis morem Hebraeorum *domum* vocantium habitationem quamcumque etiam bestiarum. At numquam tamen simpliciter ac sine adposito ita vocant, sicut Matthaeus usurpat hoc loco illud οἰκίαν. Aiunt οἰκίαν idem etiam valere ac habitationem. Sane. At nonne *domum* plerumque significat? Profecto Eusebium, Epiphanium, Theophylactum, graece nescisse dicturum neminem arbitror. Et re vera neque in Matthaeo neque in totis bibliis unquam usurpatum invenias sive οἰκίαν, sive οἶκον, ut *habitationem* necessario haec vocabula, non autem *domum*, significent, etiamsi interdum reddita sint pro hebraicis *habitationem* in universum [3]), aut *locum* [4]), aut *urbem* [5]), qua quis habitat, significantibus. Ecquis denique, sodes, stabulum, quo quis necessitate adductus se receperit, οἰκίαν *habitationem* simpliciter et absque adposito vocaret? Nihil est igitur, quod nos credere iubeat Christum a Magis in stabulo inventum fuisse.

PARS II

De urbe

8 Sed iam de urbe, qua Magi Christum invenerunt. Qua in quaestione illud nobis difficultatem facessit, ut iam obiter indicavimus [6]), quod, quum Lucas narret Iosephum et Mariam, post huius purificationem Nazarethum remeasse, illucque puerum Iesum tulisse, quumque Magi ad eum non venerint, nisi brevi post purificationem ipsum [7]), Matthaeus tamen scripserit Magos ab Herode Bethlehemum ad Christum missos fuisse. Duplex autem ratio excogitata est huius controversiae componendae.

§ I

Prima sententia

9 Lenoble [8]) nuper autem Cellérier [9]) adfirmarunt Christum a Magis non Bethlehemi repertum fuisse, sed Nazarethi. Cuius opinionis non unum est argumentum.

10 Primo manifestum est opinionem hanc Matthaei narrationi nullo modo contrariam esse. Etenim Matthaeus ait utique Magos ab Herode missos Bethlehemum, at eos re ipsa Bethlehemum ivisse, aut Bethlehemi Christum invisisse, minime dicit.

11 Si sententiam hanc veram esse ponamus, longe potior adparet ratio, cur, Magis Hierosolyma abeuntibus iterum conspicabilis facta, *stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos*, procul dubio ut hac indice ac veluti duce cognoscerent, non eo, quo ab Herode mittebantur, sed alio esse contendendum, ut Christum invenirent [10]).

12 Praeterea, si Magi Bethlehemum petiissent, ibique Christum reperissent, horum adventus latere non potuisset Bethlehemitas, utpote exiguae urbis incolas [11]), remque totam Herodi Christum illic quaerenti [12]) potuissent aperire, utque aperuissent re ipsa, ut a filiorum suorum capitibus ea propulsarent, quae Herodes moliebatur, narrassentque, quemnam Magi inviserunt, hunc vero non amplius illic esse, sed inde alio profectum. Quo Herodes non tam iratus fuisset, ut narrat Matthaeus, *quoniam illusus esset a Magis* [13]), quam quod Christus e manibus sibi esset elapsus, nec ulla iam ipsi erat caussa, cur caedem infantium imperaret, quum nulla amplius spes superesset eum caede involvendi, quem quaerebat. Imperavit autem hoc ipso, ut adparet, quia nihil de Christo a Bethlehemitis nihil de Magis discere quiverat; noverat tamen Christum Bethlehemi ortum esse.

---

[1]) *Ciampin.* Veter. monim. P. I. Tab. XLIX. [2]) Cap. III. [3]) Deut. XXVI, 15; Iob. XVIII, 19. 21; XXX, 6; Ps. LXXIII, 21; Is. LXIII, 15. [4]) II Reg. XIX. 39 Ald. [5]) III Reg. XX al. XXI, 30. [6]) Cap. III. n. 1. [7]) Ib. n. 25. [8]) Ap. *Tillemont.* Memoir. pour servir à l'hist. eccl. T. I. not. 4. sur la vie de N. S. J. C. [9]) Essais d'une introd. crit. au N. T. II. P. Divis. I. sect. 6. n. 2. [10]) Cap. IV. n. 33. [11]) Mich. V. 2. [12]) Matth. II, 13. [13]) Matth. II, 16.

13 Neque certo constat opinionem hanc alicui maiorum nostrorum πατροπαραδόσει adversari. Patres enim hanc historiae partem edisserentes, quum inter eos non conveniat, nec de tempore, quo Magi advenerunt, utrum ante an post purificationem Mariae, brevi an multo post, quam Christus ortus fuerat [1]), nec de loco, quo hunc inviserunt, utrum in stabulo an domi (2—4), loqui videntur, non secundum ea, quae a maioribus acceperant, sed unusquisque pro sua sententia, ut ἐναντιοφανεία, quae intercedit inter Matthaei et Lucae narrationes, ea ratione, quae eorum cuique potior adparebat, mederentur.

14 Quin imo opinionem hanc vetustati esse inauditam non omnino fidenter adseverarem. Iuvencus enim narrat, ut Maria virgo purificatione peracta Nazarethum remeaverit, continuoque Magorum historiam subiungit [2]). Photius vero ita scripsit: ***Virgo igitur et Ioseph, ubi communem in Deum laudem ediderunt, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth. Et post quadraginta dies contigerunt, quae de Magis ac stella narrantur; et protinus fuga in Aegyptum facta est, atque ex illa regione remeatio*** [3]).

15 Sunt tamen, quae contra dicantur. Atque illud primum, cur Matthaeus hanc narrationem exorsus sit commemorando Christum ortum Bethlehemi, si ea, quae narraturus erat, Bethlehemi gesta non sunt. Nempe, ut doceret nos, haudquaquam locum, ubi Magi Christum invenerunt, sed πλήρωμα vaticinii Michaeae, de quo dicturus erat; nisi enim eam rem commemorasset, nihil foret in hac narratione, quo vaticinium impletum disceremus.

16 At enim fuga Aegyptum versus inde adrepta est, ubi Magi Christum inviserunt; adrepta ergo fuisset Nazaretho. Cur vero? quum clades puerorum, non ibi, sed Bethlehemi imperanda foret. Enimvero animadvertimus iam, hoc ipso, quod clades haec Bethlehemi facta fuerit, confirmari posse, Magos, non ibi, sed alibi ad Christum adiisse (12), ex quo consequeretur fugam, non inde, sed aliunde adreptam. Nunc ulterius considera, ut facile ac brevi ea, quae Nazarethi gesta fuere, ad aures Herodis perventura essent, maxime, quod tam morosam, ut coniicere est [4]), quaestionem de puero iste haberet, quodque perpetratae caedis huiusque caussarum rumor aut fama illico per illas regiones didita id effectura esset, ut tandem, ubinam Magi fuerint, palam fieret. At, si res sic se habet, cur non et in pueros Nazarenos desaeviit Herodes? Scilicet, quia, sicut in Bethlehemitas desaevierat, eo quod nihil apud illos compererat de Christo deque Magis, sic e contrario in Nazarenos desaevire abstinuisset hoc ipso, quod didicerat Christum Nazaretho aufugisse.

17 Dices fortasse, ex iis, quae narrat Matthaeus de Christi reditu ex Aegypto, coniici, nisi post reditum hunc, Nazarethi Christum non esse commoratum: ***Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth*** [5]). Imo id omnino accipiendum, si modo loquaris de sede stabili deque certo ac perpetuo domicilio; ante enim, quam in Aegyptum aufugeret, paucos dumtaxat dies Christus Nazarethi fuerat [6]). Sin vero ex Matthaei narratione concludere tentas Christum ante fugam numquam fuisse Nazarethi, cavesis, ne Matthaeum Lucamque inter se committas [7]). Recte hac de re Cellérier haec aiebat: ***Nondum sanctus Matthaeus de Nazaretho fuerat loquutus, necdum, cur de ea loqueretur, occasionem ullam nactus fuerat. Quod consilio suo conducebat, illud erat, ut referret Iesum Bethlehemi ortum fuisse v. 1, minime autem quod mater eius in Galilaea degeret. Quod autem nunc loquatur de Nazaretho, manifestum est non ideo esse, ut plena atque integra evadat narratio, sed ut adnotet Iesum secundum dicta prophetarum vocandum fuisse*** NAZARAEUM. ***Haec ea ratio est, qua historiam Iesu describit. Ubi igitur primo eam urbem nominat, pronum omnino atque obvium est dicere, non quidem*** CIVITATEM ***(la città)*** NAZARETH ***εἰς τὴν πόλιν ...*** [8]), ***sed*** CIVITATEM ***(una città),*** QUAE VOCATUR NAZARETH ***εἰς πόλιν λεγομένην ...*** [9]). Quod vero caput est, non Christus, sed Iosephus est, qui Nazarethi habitasse dicitur a Matthaeo; num vero putes hoc argumento effici Iosephum tunc primo Nazarethi esse commoratum?

§ II

Altera sententia

18 Attamen, quominus priori huic sententiae album calculum adiiciam, illud me deterret, quod toti vetustati inaudita ea fuisse videtur. Patres enim, qui ea de re loquuntur, interque hos Iustinus

---

[1]) Cap. III. *Baron.* An. I. § 31; *Sandin.* Hist. famil. sacr. de Chr. c. 3. [2]) Hist. ev. L. I. [3]) Ad Amphiloch. q. XXXVI. int. 187. [4]) Matth. II, 13. [5]) Matth. II, 23. [6]) Cap. III. n. 24. 25. [7]) Conf. Luc. II, 39. [8]) Luc. II, 39. [9]) L. c.

omnium primus [1]), Bethlehemi a Magis Christum inventum narrant, ut vix dubitare liceat, hanc historiae partem de numero esse earum rerum, quas ecclesia πατροπαραδότως didicit; Iuvencus autem et Photius, quos commemoravimus, tamquam priori sententiae adstipularentur (14), non aiunt illud Nazarethi factum esse, tum Photius seriore aetate vixit, quam ut eius auctoritas priorum patrum auctoritati obsistere queat. Sed neque omnis alia via, praeter iam dictam, occlusa est, qua ad controversiam componendam pertingamus.

19 Viam hanc nobis aperuit Papebrochius [2]), tametsi ea pergere nosque praeire neglexerit, aut saltem inde declinaverit, affirmat enim, non, ut nos, brevi post Mariae purificationem [3]), sed *ipso anniversario natalis die factam adorationem Magorum, quia tali die recolit eam universus fere Oriens* [4]). Sed, quae dicit e re nostra, haec sunt: *Satis causae invenio, cur parentes Christi, propositum habentes sedem capere Bethleemi (quemadmodum inde colligo quod rediens ex Aegypto Iosephus, propter regnantem in Iudaea Archelaum,* TIMUIT EO IRE, *iturus alias, utique ad domicilium ibi iam ante fixum) caussae, inquam, satis invenio, cur convenerit, imo oportuerit eos prius reverti Nazarethum. Nempe, ut Iosephus, a sua istic domo et possessiuncula verosimiliter aliqua raptim cum sponsa egressus, urgente edicto, ut Bethleemi profiterentur, longius posthac et forte in perpetuum abfuturus, disponeret omnia ad migrationem, distracta, quae transvehi non poterat, supellectile, domoque et agellis elocatis. Causam quoque Bethleemum commigrandi non unam concipio. Nam persuadeo mihi non tam pauperem fuisse Mariam. . . . Iosephum autem et Mariam credo versatos satis in scripturis Messiam spectantibus et vulgo decantatissimis, ut scirent illum e Bethleem exiturum apud Isaiam* (voluit dicere Papebrochius, apud Michaeam) *promitti. Cum ergo viderent, Deo sic mirabiliter ordinante, factum esse, ut is ibi nasceretur, quin et agnosci utcumque coepisset, pastoribus annuntiantibus, ipsique Bethleemitici vicini, tum amabili hospitum suorum conversatione, tum spe futurae aliquando amplitudinis suae capti, multis verisimiliter institissent, ut stabilem apud se domicilium figerent, . . . quare non potuissent commoveri ad nazarenam commorationem, familiae suae peregrinam, commutandam cum Bethleemitica, tanto commodiori ad omne tam spirituale, quam corporale solatium, prope Hierosolymam et templum. . . . Deus autem eo haec disposuerit, ut ibi haberet eos, ubi adoraretur puer Iesus a Magis, requireretur que ab Herode, et unde foret in Aegyptum brevior transitus.* Haec Papebrochius.

20 Itaque sentias, licet, Iosephum post purificationem sponsae Nazarethum cum suis remeasse, non ut ibi degeret, sed ut compositis rebus domesticis migrationem inde alio pararet, idque brevi exsequutum Bethlehemum migrasse, atque ibi Magos excepisse, indeque in Aegyptum aufugisse. Rem ita gestam credere suadet fuga in Aegyptum adrepta. Etenim Nazaretho in oppositam prorsus plagam fuisset aufugiendum, quo Christus ab Herode, quo citius fieri poterat, longe abesset; nec vero inde in Aegyptum brevius quam quatuor dierum iter, nec alia, quam, per Hierosolymam illamve viciniam, aut certe per Herodis ditionem, emetiendum. Hoc ipsum probabile eo etiam fit, quod Ioseph redux ex Aegypto, quantum ex historia conilcere est [5]), non in Galilaeam, ubi Nazarethum, sed in Iudaeam ire instituerit, ideo videlicet, quod sedem stabilem haberet in ea reginae [6]).

21 Neque obsunt illa duo argumenta, quae priorem sententiam comprobant. Etsi enim, cur Magi stellam veluti ducem habuerint, potior caussa videatur, siquidem Nazarethum fuissent perducendi (11), non tamen nulla, si Bethlehemum petiere [7]). Quod autem Bethlehemitae Herodi de Magis deque Christo sciscitanti nihil respondere quiverint (12), hoc accidere ideo potuit, quia adventus Magorum, quos ex stella ab ipsis conspecta [8]) atque ex eo, quod Herodes rem clam omnibus geri curaverit [9]), conilcimus Bethlehemum noctu advenisse, quique eadem illa ipsa fortasse nocte [10]), qua advenerant, regressi sunt, horum, inquam, adventus, aut saltem, quorsum illuc venerant, latuit Bethlehemitas, aut putaverunt hi eos viatores esse illac transeuntes, praesertim quum alia via inde abierint [11]); Christus vero noctu, ac forte ipsa insequente nocte, postquam venerant Magi, derepente ac nemine conscio fugam maturaverat [12]).

---

[1]) Dial. c. Tryph. § 78. [2]) Propyl. ad Acta sanctor. maii p. 26. § 6. [3]) Cap. III. n. 24. [4]) Ib. p. 27. § 8. [5]) Matth. II, 22. [6]) Diss. XXXVI. n. 14. Conf. Diss. XVIII. n. 9. [7]) Cap. IV. n. 33. [8]) Ib. n. 7. [9]) Matth. II, 7. Lege Cap. VII. nn. 16. [10]) Matth. II, 12. [11]) Matth. II, 12. [12]) Matth. II, 13. 14. Diss. XXXI. n. 1.

CAPUT VI

De Magis Christum adorantibus.

1 Magi Hierosolymae Christum percontantes aiebant venisse se *cum muneribus προσκυνῆσαι αὐτῷ adorare eum* [1]; illud quoque narratur, quod *intrantes domum invenerunt puerum, . . . et πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ procidentes adoraverunt eum* [2]. Latinum *adorare* redditum pro graeco προσκυνεῖν minus placuit Ioanni Clerico, eamque ob rem novum testamentum in gallicam linguam transferens ipse pro illo graeco verbo reddidit *se prosterner*. Ut autem idem ipse narrat [3], interpretationem hanc suam qui carperent, illico exstitere. Eam tamen tueri adnisus est argumentis pelitis tum ex verbi notione, tum ex ea, qua ipse erat, sententia, Magis ignotam fuisse Christi divinitatem. Accipe etiam haec Clerici verba: *Nullus dubito cultum hunc Iesu Christo deberi, sicut professus sum in quibusdam capitibus novi testamenti, propter divinitatem, quae inhabitat corporaliter, ut S. Paulus loquitur, in eius humanitate. Sed nullam video caussam, quae mihi hoc persuadeat, Magos veritatem hanc doctos fuisse; nec aliquid unquam legi, aut dici audivi, quo probabile id fiat.*

2 Rem itaque totam diligentius expendamus oportet, quaeramusque primo de ipso verbo προσκυνεῖν ipsaque verbi significatione, quam habet, aut habere potest, praesertim autem hoc loco, tum de cultu, quem Christo Magi tribuerunt.

PARS I

De verbis προσκυνεῖν *et* ADORARE, *deque ritu, qui his significatur.*

3 Verbum προσκυνεῖν G. Alexander Rupertus [4] ait idem significatione valere ac *adulare*, quod proprie canum est voce et gesticulatione motuque festivo corporis et caudae blandientium [5], ostenditque ille sentire se κυνέω deductum esse a *κύνες canes*. Profecto, si vocum formam adtendamus rationemque derivationum in graeco sermone, id verius videtur, quam si a *κυνεῖν osculari*, ut communis opinio fert, verbum ortum esse dicatur. Insuper, quae Livius *adulare* et *adulationes* dixit, ea graeci scriptores vocibus προσκυνεῖν et προσκύνησις expressere [6]. Cornelius Nepos ait ritum, quo Persae regem salutabant, vocari προσκυνεῖν [7]; at ritum hunc, qui in toto Oriente vigebat, atque etiamnum viget, constat illum ipsum esse, de quo loquitur Livius [8], aliumque adoratione esse vel ideo cuiquam videatur, quia, si unum omnino atque idem haec duo forent, non erat, cur Cornelius graeco potius vocabulo quam latino uteretur; ideo autem usus non esse verbo *adulari* dicendus videtur, quia, etsi significatione idem valeat ac προσκυνεῖν, non tamen idem utrique ἔτυμον nec eadem origo. Atque haec quidem Clerico suffragarentur.

4 Attamen, graecum verbum προσκυνεῖν pro uno eodemque habendum esse ac latinum *adorare*, dubitare nullo modo licet, quum omnium sententia idem utrique verbo sit ἔτυμον, eadem notio, idem usus. Ut enim *adorare* conflatum est ex *ad* et *oro*, estque *oro* ab *ore* deductum, unde *osculum* et *osculari*, nam *in adorando dexteram ad osculum referimus*, inquit Plinius [9], ita προσκυνέω coaluit ex πρὸς *ad* et κυνέω, quod repetunt a *κυνεῖν osculari*, idque confirmant simul atque declarant Callisthenes apud Arrhianum et Lucianus. Ille enim huius ritus caussam rationemque enarrans Alexandro ita loquitur: *Hominibus siquidem a salutantibus* OSCULA *dantur, numen autem, quoniam in edito positum est, et ne quidem* ψαῦσαι CONTINGERE *id datur, propterea sane* προσκυνήσει ADORATIONE *colitur* [10]. Lucianus Archiam inducit Antipatro narrantem his verbis, quomodo Demosthenes venenum ori suo admoverit: *Eoque manum ad os admovente nihil aliud, quam* προσκυνεῖν ADORARE *suspicati sunt* [11]. Quare nec dubitandum, vim verbi graeci recte expressam esse a latino interprete in historia Magorum. At non hoc Clericus manus victas dare cogetur, quum aliter fortasse iudicandum sit de sermone vulgari, quam de graeco ac latino.

5 Sed, quo quaestionem hanc perspicue magis habeamus, iuvabit nonnulla dicere de ritu, quem deos suos verendo Graeci ac Romani adhibere solebant, quemque plenius describunt Alexander ab

---

[1] Matth. II, 2. [2] Ib. 11. [3] Biblioth. choisie T. II. art. 7. p. 281. [4] Adnot. ad *Livii* Hist. L. IX. § 18. n. 2. [5] *Forcellini* Lexic. *Adulatio, Adulo, Adulor.* [6] Conf. *Liv.* L. XXX. c. 16. cum *Polyb.* L. XV. c. 1; et *Liv.* L. IX. c. 18. cum *Arrhian.* De exped. Alexandr. L. IV. §§ 9. 10. [7] Conon. § 3. [8] Conf. *Aelian.* Variar. hist. L. I. c. 21. [9] H. N. L. XXVIII. § 5. [10] *Arrhian.* l. c. § 11. [11] Encom. Demosthen. § 49.

Alexandro [1]), Brissonius [2]), Potterus [3]), aliique. Tria autem ritus ille complectebatur potissimum, *προσκυνειν adorare, περιστρεφεσθαι circumverti*, et *προσπιπτειν procidere*, cuius rei specimen luculentum exhibet Suetonius scribens de Vitellio, qui *primus C. Caesarem* ADORARE *ut Deum instituit, quum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato,* CIRCUMVERTENSQUE *se, deinde* PROCUMBENS [4]). Nec tamen semper illa tria omnia simul fiebant, sed et duo tantummodo, aut etiam unum.

6 Atque, ut ab eorum postremo exordiamur, deos venerans aut orans *procidebat* modo pronus humi, modo in genua, quae Graecis *ἱκετευσις*, Latinis *supplicatio* est. Huius gemina erat *προκυλισις*, etsi enim proprie sic ea dicatur, qua genibus flexis alterius genibus advolvimur, sic tamen vocatur etiam simplex supplicatio, quod adparet ex his verbis Platonis: *Sole lunaque orientibus προκυλισεις ἁμα και προσκυνησεις* SUPPLICATIONES *simul et adorationes audire et spectare licet omnium tam Graecorum quam Barbarorum* [5]).

7 Quod adtinet ad *περιστροφην circumversionem*, Romani id a Numa praeceptum habebant: *προσκυνειν περιστρεφομενους ut adorarent se circumvertendo* [6]). Qua de re ita Plinius: *In adorando dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus, quod in laevum fecisse Galliae religiosius credunt* [7]), Romani enim dextrorsum id faciebant [8]), imo etiam Celtae in Galliis [9]).

8 Denique *προσκυνησις adoratio*, de qua iam diximus (4), duobus reliquis usitatior fuit, eamque usurpabant Graeci ac Romani, etiam quum prope templa atque effigies deorum transibant [10]). Sed, quod in praesenti nostra refert, illud est, ut adpareat aliud esse *προσκυνησιν adorationem*, aliud *προκυλισιν, ἱκετευσιν supplicationem*, ideoque *προσκυνειν adorare*, si ipsam verbi vim adtendas, nullo modo idem valere ac *προσπιπτειν procidere*. Praestat autem hoc ipsum confirmare testimonio graecorum scriptorum, qui *προσκυνησιν adorationem* a ceteris illis ritibus distinguunt. Herodotus narrat, ut legati Lacedaemoniorum ad Xerxem adducti, *hastatis iubentibus vique eos cogentibus προσκυνεειν βασιληα προσπιπτοντας* ADORARE *regem* PROCIDENTES *Nequaquam, dixerunt etc.* [11]). De Carthaginiensium legatis, qui Tunetem in Romanorum castra venere, relatum legimus apud Polybium, *ut, . . . non solum diis libaverint et την γην προσκυνησαιεν terram* ADORAVERINT, . . . *sed et πεσοντες ἐπι την γην* PROCIDENTES *in terram pedes consessus fuerint osculati* [12]). Huc quoque spectant eae loquutiones, quae sunt in novo testamento, quum quis dicitur *πεσων προσκυνησαι cadens adorasse* [13]) aut *πεσειν και προσκυνησαι cecidisse et adorasse* [14]). Sed luculentissima sunt haec duo quae subiungimus deprompta ex vetere testamento, quibus ipsa *προσκυνησις* expresse describitur. Iob ita loquitur: *Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et laetatum est in abscondito cor meum, et* OSCULATUS SUM MANUM MEAM *ore meo* [15]), quae postrema verba Symmachus sic verterat: *και προσεκυνησε ἡ χειρ μου περι το στομα μου;* his autem significari ritum illum religiosum, de quo agimus, adparet ex his, quae sequuntur: *quae est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum* [16]). Deus in libris Regum haec pronuntiat: *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum* GENUA *non sunt* INCURVATA *ante Baal*, en tibi *ἱκετευσιν supplicationem, et omne os, quod non* ADORAVIT *eum* OSCULANS MANUS [17]), en *προσκυνησιν adorationem;* haec autem sic transtulit interpres graecus: *και παν στομα, ὁ οὐ προσεκυνησεν αὐτῳ.* Quae quum ita sint, si propriam ac nativam notionem, quae subest verbo *προσκυνειν*, adtendamus, verbum, quod pro eo reddidit Clericus, ab re prorsus esse dicendum est.

9 Ceterum *προσκυνησιν*, aeque ac *ἱκετευσιν* et *περιστροφην*, religiosos ritus fuisse Graecis aeque ac Romanis, ut nefas foret alios praeter deos his venerari, procul dubio est. Hinc illud apud Isocratem, quod male audirent Persae *mortalem virum προσκυνουντες* ADORANTES [18]). Hoc ipsum comprobant ea, quae narrant Cornelius Nepos de Conone [19]), Aelianus de Ismenia [20]), Herodotus de legatis Lacedaemoniorum [21]) negantibus procumbere atque adorare Persarum regem, *neque enim ipsis licere hominem adorare, aiebant*. Quod autem regibus atque imperatoribus honores huiusmodi delatos legamus, id non modo non comprobat hos ritus ad religiones minime pertinuisse, sed huius contrarium confirmat. Nec enim alia de caussa illud factum est, nisi quia reges atque impe-

---

[1]) Genial. dier. L. II. c. 19; IV. c. 17. cum notis *Tiraquellii*. [2]) De formulis L. I. pag. 35—38. [3]) Archaeolog. graec. L. II. c. 5. [4]) Vitell. c. 2. [5]) De Legib. L. X. p. 887 ed. *Stephan.* [6]) *Plutarch.* Num. p. 69. Paris. 1624. [7]) H. N. L. XXVIII. § 5. [8]) *Plaut.* Curcul. Act. I. sc. 1. v. 69; *Plutarch.* Camill. p. 131. [9]) *Athen.* Dipnosoph. L. IV. p. 152. Lugd. 1612. [10]) *Muret.* Var. Lect. L. X. c. 1. in *Gruteri* Thes. T. II. [11]) L. VII. c. 136. [12]) L. XV. c. 1. [13]) Matth. IV, 9; Io. IX, 38 secund. Vulg.; Act. X, 25; I Cor. XIV, 25. [14]) Apoc. IV, 10; V, 14; VII, 11; XI, 16; XIX, 4. 10; XXII, 8. [15]) Iob. XXXI, 26. 27. [16]) Ib. 28. [17]) III Reg. XIX, 18. [18]) Panegyr. p. 269. T. I. Paris. 1782. [19]) Conon. § 3. [20]) Variar. hist. L. I. c. 21. [21]) L. c.

ratores pro diis haberentur, ipsis id sibi adrogantibus, vel vitio adsentatorum, ut de Alexandro narrarunt Livius [1]), Curtius [2]), Iustinus [3]), Arrhianus [4]), de C. Caligula Suetonius [5]), Dio Cassius [6]), Flavius Iosephus [7]). Praesertim vero Persis in more positum erat regem προσκυνειν *adorare* coramque eo προσπιπτειν *procidere*, quod legere est praeter ceteros apud Herodotum, Isocratem, Cornelium Nepotem, Aelianum [8]), et Plutarchum, qui simul narrat, ut Artabanus tribunus militum Persarum Themistocli regem Xerxem adituro moris huius rationem aperuerit his verbis: *Nobis vero inter multas et praeclaras leges praeclarissima haec est, honorare regem et* προσκυνειν ADORARE IMAGINEM DEI [9]). Quae quidem omnia Clerico incommodius accidant necesse est.

10 Ut autem vinceret Clericus, recte a se positum esse *se prosterner* pro *adorer*, ubi explicandum erat verbum προσκυνειν, oporteret nobis primum comprobaret huic verbo a graecis scriptoribus, interdum saltem, subiectam certo esse et eam notionem, quae subest verbis προσπιπτειν *procidere* aut ἱκετευειν *supplicare*, tum ulterius demonstraret hoc ipsum verbum in aliam hanc notionem interdum ab illis ita usurpari, ut cultum religiosum minime significet. Nisi utrumque hoc faciat, nihil Clericus efficiet. Nam, etiamsi προσκυνειν idem valeret ac illa cetera verba, si tamen numquam religiosum cultum non significaret, iam nulla esset ea ratio, qua ducitur Clericus, pro certo habere nos minime posse religiosum cultum Magos Christo detulisse; hac enim de re vel ipsum verbum certiores nos faceret.

11 Iam vero a Graecis latinisque scriptoribus aliquid fortasse exspectare est, quo primum illorum duorum probabile fiat. Quod exempli caussa sit, fertur Ismenias, ad regem Xerxem accedens iussusque hunc προσκυνειν, anulum ad eius pedes proiecisse, *et confestim inclinans se ac veluti* προσκυνων ADORANS illum sustulisse [10]); cur vero, ut προσκυνησιν simularet, id egisset Ismenias, si haec tantummodo manu ori admota peragebatur, non autem corporis inclinatione? Persarum milites, ut refert Herodotus [11]), dum vi adigere vellent Lacedaemoniorum legatos προσκυνειν βασιληα ad adorandum regem Xerxem, id vincere adnisi sunt legatorum cervices impellendo, non autem horum manus in ora impingendo. Plinius de elephantis regum barbarorum haec narrat: *Regem adorant, genua submittunt* [12]), horumque gemina Martialis: *Quod pius et supplex elephas te, Caesar, adorat* [13]). Tametsi, ubi haec penitus introspexeris, nonne pervidebis nihil aliud inde iure colligi, quam προσκυνησει *adorationi* ἱκετευσιν *supplicationem* addi solitam? idque Herodotus exprimit etiam, eius enim verba sic sunt: προσκυνεειν βασιληα προσπιπτοντας *adorare regem procidentes.* Nec quidquam est, quod credere prohibeat illos elephantos manu ori admota adorare doctos. Alterum vero, quod Clerico superest, ut evincat, προσκυνειν vice verbi προσπιπτειν cultum religiosum apud illos scriptores interdum non significare, ea quidem quae modo adtulimus, licet in his προσκυνειν idem valeret ac προσπιπτειν, nullo tamen pacto comprobant, quum et ille honor Persarum regibus delatus religio quaedam foret (9), et elephantis religionem τροπικως tribuat Martialis, quod adparet ex adposito *pius*, Plinius autem etiam veram et proprie dictam [14]). An autem alia praeterea in graecis latinisque scriptoribus reperire sit, quae nos discedere cogant in Clerici sententiam de verbi προσκυνειν aut *adorare* significatione non religiosa, ubi loco verbi προσπιπτειν aut *procumbere* positum esse certum est, fateor me nescire; neque enim huc ea pertinent, si qua sunt, quibus confirmes προσκυνεσιν aut etiam alia superius (9) commemorata, sive ioco sive vitio adulationis aut simulationis, hominibus fuisse exhibita, quemadmodum illud est, quod apud Tacitum dicatur Nero *flexus genu coetum illum manu veneratus*, a quo de ipso Nerone in scena agente iudicium ferendum erat [15]).

12 Sed iam de huius verbi usu, qui in bibliis est. In novo quidem testamento, ubi hoc verbum saepe legitur, ut ut fortasse non semper veram ac proprie dictam προσκυνησιν significet, nemo tamen facile evincet alium unquam ritum eo significari quam religiosum, sive debitus ille sit, sive indebitus. Quinque enim, non plura, ea sunt, quae ex novo testamento Clericus proferre posset, veluti e re sua forent, tametsi frustra. Nam horum primum est illud Pauli: *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, et adoravit fastigium virgae eius* [16]). At graeca, quae Paulus exscripsit ex septuaginta interpretibus [17]), sic sunt: *και προσεκυνησεν ἐπι το ἀκρον της ῥαβδου αὐτου*, hoc est, *et adoravit super fastigium virgae suae*, sicut de Davide haec scripta leguntur: *και προσεκυνησεν ὁ βασιλευς ἐπι την κοιτην*, quae interpres latinus sic vertit: *et adoravit rex in lectulo suo* [18]). Non

---

[1]) Hist. L. IX. § 18. [2]) Hist. L. VIII. § 5. n. 6. [3]) Hist. L. XII. § 7. [4]) L. c. [5]) Cai. § 22. [6]) Hist. LIX. pp. 659. 661. Hanov. 1606. [7]) Antiq. XIX. c. 1. § 1. [8]) LL. cc. [9]) Themistocl. p. 125. [10]) *Aelian.* l. c. [11]) L. c. [12]) H. N. L. VIII. § 1. [13]) De spectacul. epigr. XVII. v. 1. [14]) L. c. [15]) Ann. L. XVI. § 4. [16]) Hebr. XI, 21. [17]) Gen. XLVII, 31. [18]) III Reg. I, 47.

ergo virgae delata illa προσκύνησις, sed Deo a Iacobo virgae incumbente. Alterum est in Actis apostolorum, ubi haec legimus: *Cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes eius adoravit* [1]); quibus tamen potius confirmes verbum *adorare* nihil aliud significare nisi cultum uni Deo debitum, Petrus enim protinus Cornelium, ne id faceret, probibuit his verbis: *Surge, et ego ipse homo sum* [2]). Huius prorsus simile est, quod tertio loco adfertur ex apocalypsi: *Et ego Ioannes . . . cecidi, ut adorarem ante pedes angeli*; Ioanni vero haec angelus: *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum. . . . Deum adora* [3]). Quarto, in ipsa apocalypsi Christus sic alloqnutus dicitur episcopum Philadelphiae: *Ecce dabo de synagoga Satanae, qui dicunt se Iudaeos esse, . . . ecce faciam illos, ut veniant, et adorent ante pedes tuos* [4]), hisque praedixit futurum, ut Iudaei Philadelphiae degentes tandem Christianis adiungerentur, ideoque necesse non est haec verba aliud significent, quam Iudaeos una cum Christianis adoraturos, non quidem episcopum ipsum, sed coram eo, ut fieri solet; tum *adorare ante pedes alicuius* non necessario idem est ac *ipsum adorare*, tametsi id quoque esse possit, ut adparet ex illis, quae ante haec expendimus. Postremo haec, quae leguntur in Matthaeo: *procidens autem servus ille προσεκύνει αὐτῷ adorabat eum* [5]), non item leguntur in omnibus exemplaribus, quorum aliquot, ut Erasmus testatur [6]), pro *προσεκύνει adorabat* habent *παρεκάλει orabat*, quod usurparunt interpretes latini tum vetus tum vulgatus latinique patres [7]), quodque priori praeferre suadet parallelismus institutus inter hanc posteriorem narrationis partem, in qua haec legimus: *Et procidens conservus eius παρεκάλει rogabat eum* [8]). Nihil ergo reperiret Clericus in novo testamento, quo se tueatur, idque satis superque foret, cur eius interpretatio atque interpretationis ratio, quamvis aliae caussae non praesto essent, explodantur.

13 Verum longe aliter se res habet, si sermo sit de vetere testamento. Nam in huius quidem libris deuterocanonicis verbum προσκυνεῖν notionem suam propriam semper et ubique retinet; in aliis vero, etsi interdum retineat, uti quum redditum est pro נשק [9]), attamen et pro aliis alios religiosos ritus significantibus redditum reperitur, pro עבד, inquam, ubi hoc numina *colere* ac venerari significat [10]), pro סגד, quod in bibliis idem est ac *κύπτειν pronum se deflectere*, sed solum religiosi cultus gratia [11]) homini quoque interdum tributi [12]); frequentissime autem προσκυνεῖν usurpatum videas pro השתחוה *procumbere fronte ad terram demissa*, neque solum, ubi hoc hebraicum verbum significat venerationem numinis [13]), sed etiam ubi signum observantiae hominibus exhibitum [14]).

14 Quid caussa fuerit alexandrinis bibliorum interpretibus cur השתחוה converterent in προσκυνεῖν, non autem in προσπίπτειν, quod significatione ad verbum hebraicum magis accedit, prorsus ignoraremus, nisi coniicere esset ideo id factum, quia, quum Graeci aeque atque Orientales numquam non adorationem proprie dictam adiicerent illi ritui, quem verbum hoc hebraicum significat, nec unquam sine eodem illo ritu addito religiosius adorationes peragerent, tum graecum tum hebraicum verbum usurpari tandem ipsum per se coepit, etiam quum uterque simul ritus commemorandus erat, ideoque graecum hebraico satis apte respondere visum est, quoniam graecum significabat idem ac procumbendo *adorare*, hebraicum idem ac adorando *procumbere*.

15 Ceterum, quod praedicti interpretes ibi etiam posuerint προσκυνεῖν, ubi de alio, quam de cultu religioso, verbum illud hebraicum dictum in bibliis inveniebant, adparet huius rei caussam repetendam ex eo esse, quod ritus his verbis significati, qui hominibus quoque salutandis apud Orientales usui erant, forent illi ipsi, quibus Graeci unum Deum venerabantur.

16 Habet igitur Clericus in libris sacris, nisi novi, at certe veteris testamenti, quo suam interpretationem huiusque rationem defendat, quoad aliis argumentis confectum non fuerit, Magis Christi divinitatem agnitam fuisse, atque adeo huic honores, ut vocant, λατρευτικούς ab ipsis delatos. Nam ex iis, quae de usu verbi προσκυνεῖν apud graecos bibliorum interpretes modo dicta sunt, adparet falli eos, qui hoc uno verbo ea de Magis adfirmare se posse arbitrantur; ex quo et illud necessario consequitur, quum vulgi sermone *adorare* is dumtaxat proprie dicatur, qui Deo gestu corporis aut etiam mente signa venerationis exhibet, non posse illud προσκυνεῖν Matthaei verbo hoc vulgari reddi, sicut potest verbo latino *adorare*, utpote quod in bibliis veteris testamenti eumdem prorsus usum habeat ac graecum προσκυνεῖν, quae ratio est a Clerico obtenta.

---

[1]) Act. X, 25. [2]) Ib. 26. [3]) Apoc. XXII, 8 9. [4]) Ib. III, 9. [5]) Matth. XVIII, 26. [6]) Ap. *Millium* in h. l. [7]) Ap. *Sabatier* Latinae version. antiq. in h. l. [8]) Matth. XVIII, 29. [9]) III Reg. XIX, 18; Iob. XXXI, 27 *Symmach.*; Ps. II, 12 *Symmach.* [10]) Ps. XCVI, 7. [11]) Is. XLIV, 19; Dan. III, 5. 6. 7. 11. 12. 14. 15. 18. 28. [12]) Dan. II, 46. [13]) Gen. XXII, 5; etc. [14]) Ib. XXIII, 7; etc.

PARS II

De adoratione, qua Magi Christum sunt venerati

17 At vapulet enimvero Clericus oportet ob hoc ipsum, quod negat constare Christi divinitatem Magis fuisse agnitam, idque nos auctoritatibus rationibusque evicturos confidimus.

18 Primo illud ipsum argumentum, quod Clericus respuit, atque aspernatur, ei vel nolenti et calcitranti obtrudimus, longum, inquam, veterum scriptorum agmen, quos singulae aetates a prima deinceps tulere, testantium numquam non aliter Christianis fuisse sententiam, ac Clerico est.

Saeculo I. Ignatius: *Quomodo igitur manifestatus est saeculis? Aster in caelo fulsit. . . . Quare* SOLUTA EST *omnis magia. . . .* DEO *humanitus* MANIFESTATO [1]).

Saeculo II. Iustinus: *Magi enim, qui ut spolia rapti fuerant ad malas quasque actiones, ad quas ille daemon impellebat, ubi Christum adoratum venerunt,* DEFECERE, *ut manifestum est,* AB EA, *quae illos ut spolia rapuerat,* POTESTATE, *quam nobis arcane scriptura Damasci habitare indicat* [2]). Idem ipse Iustinus, probare studens Tryphoni Christum esse *Deum fortem et προσκυνητὸν* [3]), honorem προσκυνήσεως huic a Magis delatum non semel urget [4]). Irenaeus: Magos *deductos a stella in domum Iacob ad Emmanuel per ea, quae offerebant, ostendisse, quis erat, qui adorabatur. . . . Thus vero, quoniam Deus, qui et notus in Iudoea factus est, et* MANIFESTUS EIS, *qui non quaerebant eum* [5]). Tertullianus: Magi *quum illum* COGNOVISSENT, *et muneribus honorassent, et genu posito* ADORASSENT QUASI DEUM, *. . . spolia sunt facti Samariae, id est, idololatriae,* CREDENTES *videlicet in* CHRISTO [6]).

Saeculo III. Origenes: Magi Christo UT DEO *thus obtulerunt* [7]).

Saeculo IV. Petrus Alexandrinus: *Magi . . . infantem humiliter et suppliciter* ADORANT *. . . ei offerentes . . . aurum, thus, et myrrham, ut regi, et* DEO, *et homini* [8]). Eusebius: Magos UT DEUM ADORARE *natum festinasse* [9]); quorum gemina scripsit Basilius [10]). Athanasius: *Venimus adorare. Magorum probitatis atque* FIDEI *signum est. . . . Commendandi itaque viri huiusmodi sunt propter* FIDEM *suam* [11]). Chalcidius: *Stellam eum nocturno itinere suspexissent Chaldaeorum profecto sapientes viri et consideratione rerum caelestium satis exercitati,* QUAESISSE DICUNTUR *recentem* ORTUM DEI, *repertaque illa maiestate puerili veneratos esse, et* VOTA *Deo tanto convenientia nuncupasse* [12]); nec secus Ephraemus [13]), auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* [14]), Proba Falconia [15]), et Ambrosius [16]), pronuntiarunt. Iuvencus: *Sese stellae fulgentis ab ortu Admonitos venisse viam, quo supplice dextra Exortum terris venerabile* NUMEN ADORENT. *. . . Thus, aurum, myrrham regique, hominique, Deoque Dona ferunt* [17]); haec ipsa Hieronymus [18]), Hilarius: *In* THURE DEUM *. . . confitendo* [19]), eadem ac Origenes, neque alia his Gregorius Nyssenus [20]), Gregorius Nazianzenus [21]), rursusque Ambrosius [22]). Caesarius Nazianzenus: *Tamquam evangelistae et primi praecones gentium de* DIVINI *hominis adventu, surgentes igitur, prophetia eximii Isaioe* AUDITA *clamantis: Puer natus est nobis, . . . et vocabitur . . .* DEUS *fortis* [23]). Epiphanius: *Quod autem in lucem editus* DEUS *fuerit, non homo dumtaxat,* A MAGIS APERTE COMPROBATUM EST. *. . . Quum statim* ADORETUR *(προσκυνεῖται), qui natus est, non nudus est homo, sed* DEUS [24]). Chrysostomus denique: Magi, *non tamquam homini tantum, sed tamquam Deo auctori omnium bonorum supplicarunt* [25]).

Saeculo V. Augustinus: *Isti in membris parvis* DEUM AGNOVERUNT [26]). Prudentius sic Magos loquentes inducit: *Hunc ego non cumulem myrrhaeque, et thuris, et auri Muneribus? scio, quem videam, quae dona rependam. Hunc ego non venerer,* QUI CAELO VISUS, *humique Inventus rex atque* DEUS, *moderatur utrumque naturae specimen* [27])? et alio loco: *Quis iste tantus, inquiunt,* REGNATOR

---

[1]) Ep. ad Ephes. § 19. [2]) Dial. c. Tryph. § 78. [3]) Ib. § 76. [4]) Ib. 77. 78. 88. 106. [5]) Haer. L. III. c. 9 al. 10 § 2. [6]) Adv. Iud. c. 9; Adv. Marcion. L. III. c. 13. [7]) Cont. Cels. L. I. § 60, et in Caten. patrum graecor. in Matth. II, 11. [8]) Cap. XIII. [9]) H. E. L. I. c. 8. [10]) In Sanct. Christi generat. § 5. [11]) Fragm. in Matth. Opp. T. I. p. 1266 ed. *Maurin.* [12]) In Timaeum § 125. T. II Opp. *Hippolyti* ed. *Fabric.* [13]) Cantic. de Maria et Magis. Opp. graec. lat. T. III. p. 603. Romae 1746; In natal. serm. IV. Opp. syr. lat. T. II. p. 416. Romae 1740. [14]) Hom. II al. III. p. XXXI col. 1 E ed. *Montfauc.* [15]) Virgiliocenton. de N. T. c. 3. [16]) De Fide L. I. c. 4. § 31. [17]) Hist. evang. L. I. [18]) In Matth. II, 11. [19]) In Matth. c. 1. § 5. [20]) In diem Christi natal. 782. Paris. 1615. [21]) Orat. XXXVIII in Theophania p. 623. Paris. 1630. [22]) L. c. et De viduis c. 5. § 30. [23]) Dial. II. interrog. 107. [24]) Haer. XXX al. X. § 29. [25]) In Matth. hom. VIII. § 1. Conf. hom. VII. § 4. [26]) Serm. CC al. XXX de Temp. qui et II in Epiph. c. 2. § 3. V. et serm. CCIII al. LXIV de Divers. qui et V in Epiph. c. 1. § 1; c. 2. § 3, et serm. CCCLXXIV al. LXVII de Divers. qui et II de Epiph. § 1. [27]) Apotheos. vv. 631 seqq.

ASTRIS *imperans, Quem sic tremunt caelestia, Cui lux et aethra inserviunt? . . . Stratique votis offerunt Thus, myrrham, et aurum regium. . . . Regem* DEUMQUE *annuntiant Thesaurus et fragrans odor Thuris sabaei* [1]). Quae Irenaeus, Eusebios, Augustiuos, aliique, scripsere de Magis Christum adornntibus, eadem ipsu legere est non uuo loco apud Maximum Taurinensem [2]), Petrum Chrysologum [3]), et Leouem Magnum [4]). Sedulius: *Adoraverunt autem, quia* VERE *venerant adorare, . . . nisi enim* VERIS *adoratoribus Dominum non conceditur adorare. . . . Incensum Christo datur* UT DEO [5]). Rosticus Elpidius: *Gens Chaldaea* DEUM *. . . promeruit te* NOSSE *prior, . . . dat thura Deo* [6]).

Saeculo VI. Fulgeotius Ruspensis [7]) eadem scripsit ac Augustinus, Gregorios Magnos [8]) eadem quae Irenaeus.

Saecolo VII. Sophrouios Hierosolymitanus: Magi DEO ADDICTI DIVINAQUE EDOCTI . . . *Bethlehem devenerunt. . . . Cum Magis Deo dona offeramus* [9]).

Saeculo VIII. Ioannes Beda [10]) eos refellit, qui aliter sentiunt de Magis.

Saeculo IX. Photius: Magi *offerunt* . . . DIVINITATIS CONFESSIONEM [11]).

Quibus adiici possent et alii, qoi vel sequiore vel incerta aetate vixere, ot Theophylactus [12]), Euthymios Zigabenos [13]), scriptores qoarumdam oratiooum, quae inter opera Augustioi circumferuntur [14]).

19 Sed neque huius rei argumenta desunt aliunde, quam ab aoctoritate, petita. Etenim manifeste patet Christom a Magis haudqoaquam habitum quasi unum regum ceterorum. Etenim ubinam gentium factum est, ot quis extraoeum regem vix io lucem editum veneratum contenderet [15]), idque longiuqoa e regioue, nullaque lucri aut emolumeuti spe ductus, imo non sine aperto discrimine ob alterius regis zelotypiam? Magi, ot Hierosolymam pervenere, nisi prius iam ooverant, Herodem illic regnare didicerunt, ex quo, si regem qualemcumqoe Iudaeorum oatom qoaesisseut, huoc aliom credere non poterant, quam aliquem Herodis filium, aut saltem oou alibi reperieodum, quum iu Herodis regia; cur igitur ita ioterrogant: *Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum?* Intelligunt regem Iudaeorum, quem percontabantur, Iudaeis ipsis ooudum cognitum, oulla tamen ideo eos dubitatio iocessit. Ut sibi iuterrogantibus responsum detur, non indagines institutas, sed oracula vatum consulta animadvertunt, atque inde responsum petitum ac redditum. Herodem audiunt profitentem velle se qunque ad hunc regem adoraudum adire; at quiuam rex regem adorat, huncque infantulum, in illius ditione natum atque ex pareutibus illi subditis? Puerum reperiunt parvo in oppido sub paupere tecto, nil miuus prae se ferentem, quum regiam maiestatem regiumqoe splendorem, neo tamen ideo se falsa opiuione ductos suspicantur, sed, statim ac eum videruot, id, ad quod veuerant, peragunt, atque illum adorant. Haec, inqoam, talia suot, qune evincunt omniuo Christum oon pro rege qualicumque a Magis habitom fuisse atque adoratum. Quemuam igitur aut qualem eum existimarunt?

20 Si dicas oou alium, qoam Messium a Iudaeis exspectatum, quaeram rursus, utrum qualem Iudaei vulgo olim confixere, et commenti sunt, atque etiamuum comminiscontur, an qualem futurum prodiderant vetera oracula, qualisque fuit re ipsa? Si primum, obtinerent adhoc, ac fortasse etiam validius, ea omnia, quae modo animadvertimos, atque insoper Magos iure miraremur, oou modo quod talem regem venerati fueriot, sed quod eum non fuerint aversati, utpote qui gentes omnes Iudaeorum imperio foret adiecturus. Superest igitur, ot dicantur Magi Christum talem babuisse, qualis erat re ipsa, totius, inqoam, generis humani θεανδρικον reparatorem; praesertim quum veri sane simile sit illud ipsum Magis patefactum fuisse, quod pastoribus, ot alio loco [16]) couiecimus ex iis, quae apod Locam [17]) leguutur, ab angelo fuerat patefactum.

21 Quae quum ita sint, ratione fecisset Clericus, ut eam exueret religiooem, qua prohibitus est in historia Magorum vertenda pro verbo προσκυνειν reddere verbom *adorer*, compulsusque scribere *se prosterner*, saniusque religioni sibi duxisset Matthaei sententiam ita, ut fecit, pervetere praveque interpretari.

---

[1]) Cathemerin. XII de Epiph. vv. 33—73. [2]) Contr. Iudaeos Tract. V. p. 744; Hom. XIX. XX. XXV. XXVII. Romae 1784. [3]) Serm. CXVII. CLVI. [4]) Serm. XXXI al. XXX qui I de Epiph. c. 2. [5]) Op. pasch. L. II. c. 6. Conf. Op. pasch. carmine conscript. L. II. [6]) De Christi benefic. in Biblioth. patr. *De la Bigne* Append. p. 707. [7]) Serm. de Epiphan. § 8. [8]) In evang. hom. X. § 6. [9]) Hom. in Christi nat. in Biblioth. patr. Lugd. T. XII. p. 207 D. F. [10]) Quaestionum Lib. quaest. I. [11]) Amphilochian. quaest. XIV. interr. 119. [12]) In Matth. II, 11. [13]) In Matth. II, 11. [14]) Opp. *Augustini* T. V. Append. serm. CXXXI al. I ex XVII parisiensib. c. 2. § 3; CXXXVI al. XXIX de Temp. qoi VI in Epiph. § 6. [15]) *Chrysost.* in Matth. hom. VI. § 1, et *Auct.* Oper. imperf. in Matth. l. c. [16]) Diss. XXIV. n. 11. [17]) Luc. II, 11.

CAPUT VII

De aliis, quae in hac narratione leguntur, et aliqua indigent declaratione

1 *Audiens autem Herodes rex*, inquit Matthaeus, quae Magi nuntiaverant, *turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo* [1]). Quae caussa Herodem sollicitum haberet, manifesta est. At longe alia fuisse credenda est, quae Hierosolymitas perturbaret. Horum perturbatio nimirum ea fuit, partim, qualem in integro praesertim populo excitare solent eventa aut res diu exspectatae ac vehementer exoptatae, partim, quam ipsis adferebat dubitatio, quid tandem consilii Herodes pro ea, qua ducebatur, regnandi cupidine ac vel in ipsos filios impietate, capturus esset, ut illi, quum ex una parte ob nuntium acceptum laetarentur, ex altera laetitiam hanc prae se ferre reformidarent. Idque manifesto efficitur eo, quod Herodes statuerit ea, quae machinabatur, clam civibus peragere [2]).

2 Ceterum cives Hierosolymitae ob nuntium a Magis adlatum ea cura eaque sollicitudine exciti argumento sunt, firmam opinionem inter eos inque ipsa Herodis regia obtinuisse, per id tempus Christum fuisse oriturum. Alioquin risissent potius illi Magos cum sua interrogatione, aut saltem, caussa nulla fuisset, cur Herodes regem, quem hi natum quaerebant, adeo, ut fecit, timeret, utpote puerulum ignotum in ipsius Herodis ditione ortum, quem, statim ac reperisset, sustollere pro lubitu ipsi integrum videbatur. Insuper, nisi, Magis illa narrantibus, cogitatio de Christo per id tempus orituro mentem Herodis subiisset, ad indagines potius in regno habendas, quam ad consulenda oracula, *ubi Christus nasceretur* [3]), adplicuisset animum; attamen ille primum neglexit, alterum magna sollicitudine *congregans* OMNES *principes sacerdotum et scribas populi* [4]) statim fieri curavit. Praeterea, nisi Iudaei exspectassent Christum eo tempore oriturum, siquidem ipsa Magorum verba suspicionem Herodi ingessissent, ne forte hi de Christo loquerentur, ante quaesisset, quo tempore futurum erat, ut is nasceretur, quo certior fieret, Christum re vera esse, quem Magi percontabantur, tum, si tempora consonarent, etiam locum; quum igitur, non quando, sed, *ubi Christus nasceretur*, sciscitatus fuerit, putandum est satis iam constitisse de tempore.

3 Quod autem indicia exspectationis huius, qua Iudaei tunc tenebantur, regias aedes pervaserint, pervenerintque ad ipsas aures Herodis, quis ex hoc non intelligat non eam pancorum fuisse aut inanibus vagisque rumoribus partam, sed late firmiterque in ea gente obtinuisse? idque nimirum comprobant testimonia Flavii Iosephi, Taciti et Suetonii, quae in superiore quaestione obiter indicavimus [5]).

4 *Bethlehem Iudae* [6]). Duae fuerunt hoc nomine urbes, altera obscurior in ea Galilaeae parte, quae tribui Zabulonitarum cesserat [7]), altera, nobilissima natalibus Davidis et Christi, in regione tribus Iudae, quam Matthaeus hoc loco commemorat, et de qua alio loco nos loquuti sumus [8]). Haec in vetere etiam testamento interdum vocata est בית לחם יהודה [9]), idque ut a priori distingueretur, nam in historiis illorum temporum, quibus iam decem tribus Israelitarum a reliquis duabus se seiunxerant, non amplius reperimus additum nomini *Bethlehemo* illud *Iudae*, utpote supervacaneum. Matthaeus autem [10]) et sacerdotes ab Herode consulti [11]) illud addidere, quia utraque Bethlehem in regno Herodis tunc erat. Sed hoc ipsum nomen *Iudae* ab his additum nomini *Bethlehemo* in disceptationem vocatur.

5 Etenim, quum graeca exemplaria tum in primo tum in quinto versu huius capitis habeant *ἐν Βεθλεεμ τῆς Ἰουδαίας*, priscus interpres haec verterat, ut sonant, *in Bethlehem Iudaeae.* Huic litem movit Hieronymus his verbis: *Librariorum hic error est. Putamus enim ab evangelista primum editum, sicut in ipso hebraeo legimus,* IUDAE, *non* IUDAEAE. *Quae est enim aliarum gentium Bethlehem, ut ad distinctionem eius hic* IUDAEAE *poneretur?* IUDAE *autem idcirco scribitur, quia est et alia Bethlehem in Galilaea. Lege librum Iesu filii Nave. Denique et in ipso testimonio, quod de Michaeae prophetia sumptum est, ita habetur: Et tu, Bethlehem, terra* IUDAE [12]).

6 Non satis liquet, utrum Hieronymus haec disputans nomen *Iudae* acceperit, ut tribum significat, an potius, ut huius ipsius tribus regionem; hoc tamen alterum longe probabilius est, non modo quia Iudam Galilaeae opponit, Iudaeam autem aliarum gentium regionibus, sed praecipue quia patet hoc anticipatum fuisse Hieronymo, ut crederet nomine *Iudaea* vocari, totam Israelitarum regionem,

---

[1]) Matth. II, 3. [2]) Ib. 7. [3]) Ib. 4. [4]) Ib. [5]) Cap. IV. n. 19. [6]) Matth. II, 5. [7]) Ios. XIX. 15. [8]) Diss. XXII. n. 5. [9]) Iudic. XVII, 7; XIX, 1. 18; Ruth. I, 1. 2; I Reg. XVII, 12. [10]) Matth. II, 1. [11]) Ib. 5. [12]) In Matth. I, 5.

non solam regionem tribus Iudae, hanc vero simpliciter *Iudam* nominari. Id, inquam, adparet ex ea ratione, qua pro uno eodemque nomine יהודה in vetere testamento modo *Iudam* reddidit, modo *Iudaeam*. Reddidit quippe *Iudaeam*, ubi regio opponitur regionibus aut gentibus extra fines Israelitarum positis expresse [1]) aut secus [2]), ubi regionis mentio habita narratur, vel in regionibus illis exteris, vel earum respectu [3]), ubi rerum adiuncta sinerent, ut, quae de ea regione dicuntur, dicta putentur de tota regione Israelitarum [4]), ubi denique praeter ipsum nomen יהודה nihil obstat, quominus de regione tota Israelitarum agi putemus [5]). Ast, ubi nomen hoc aliam, quam ipsam tribus Iudae regionem, potest significare, Hieronymus pro eo semper reddidit *Iudam* [6]). Eodem ratione interpretatus est nomen chaldaicum יהוד, quod nil nisi regionem ipsam significat; nam *Iudaeam* pro eo posuit, ubi aliqua est praedictarum caussarum, de quibus nomen quoque hebraicum sic vertit [7]), *Iudam* vero, ubi commemoratur גלותא די יהוד *captivitas Iudaeae*, hoc est, ipsa tribus Iudae, quae captiva degebat in Babylonia [8]). Totum id plane illustratur illis verbis regis Baltbasaris Danieli dictis, quae Hieronymus sic latina fecit: *Tu es Daniel de filiis captivitatis* Iudae, *quem adduxit pater meus rex de* Iudaea [9]), ubi *Iudae* et *Iudaea* sunt reddita pro uno eodemque nomine chaldaico יהוד, quod *Iudaeam*, ipsam inquam Iudaeorum regionem, significat. In utrumque librum Esdrae relatus est census Iudaeorum, qui Babylone in patriam remearunt [10]); tabulae autem titulus a Hieronymo versus in primo libro praefert nomen *Iudam*, in altero *Iudaeam*, forsitan quia illi Iudaei aeque dici potuerunt reversi esse in regionem suae tribus ac in regionem totius gentis israeliticae, aut potius, quia in primo libro verba sunt ipsius auctoris in ipsa regione scribentis, in libro secundo verba alterius sunt a scriptore relata, ideoque narratur mentio habita regionis, idque respectu regionum aliarum, ex quibus Iudaei fuerant reversi, quae, sicut dixi, una caussarum est, propter quas Hieronymus pro nomine יהודה reddidit *Iudaeam*.

7 Verum discrimen hoc Iudaeam inter et Iudam, ut haec sit regio unius tribus sic nominatae, illa regio integra Israelitarum, si unam Hieronymi opinionem atque auctoritatem sane gravissimam excipias, nihil habet, quo se tueatur. Et nomen quidem יהודה hebraicum aeque ac chaldaicum יהוד cur interdum totam Israelitarum regionem significare putentur, nullum argumentum suppeditant scripturae sacrae; e contrario huius rei ratio alia esse non potuit, quam quod regionem ita nuncupatam tribus Iudae possideret, non secus ac *Beniamin* dicebatur regio tribus Beniamini, *Ephraim* regio tribus Ephraimi, atque ita ceterae. Neque ex vero adfirmavit Gesenius [11]), *decem tribubus deportatis et post exilium babylonicum* Iudae *nomen ad universam terram israeliticam translatum esse*; sed neque ea, quae adlegat ex Aggeo [12]) petita, id comprobant ulla modo. Illud unum dubitatione vacat, postquam, decem tribubus a rege Roboamo secendentibus, exordia facta sunt alteri regno, quod regnum Israelitarum est dictum, nomen *Iudam* utramque tribum, Iudae et Beniamini, atque utriusque tribus regiones complexum esse [13]). Graeci interpretes veteris testamenti nullum discrimen fecere Ἰουδαιαν inter et Ἰουδαν, quum alterum hoc regionem significat, sed utrumlibet aeque usurparunt ad unam regionem tribus Iudae aut ambarum simul tribuum Iudae et Beniamini nominandam, atque urbes quasdam tribus Iudae [14]) et forte ipsam quoque Bethlehemum [15]) urbes τῆς Ἰουδαιας *Iudaeae* aut ἐν τῇ Ἰουδαιᾳ *in Iudaea* esse dixerunt, Iudaeos captivos Babylone degentes αἰχμαλωσιαν τῆς Ἰουδαιας *captivitatem Iudaeae* vocarunt [16]), reges tribus Iudae βασιλεις τῆς Ἰουδαιας *reges Iudaeae* adpellarunt [17]). Praeterea, tum in libris recentioribus veteris testamenti [18]), tum frequentissime in ipso testamento novo [19]), *Iudaeam* a Galilaea et Samaria secerni videas, quod tantumdem est ac dividere regionem, quae olim pars Iudaeorum pars Beniamitarum fuerat, a regionibus ceterarum tribuum citra Iordanem positis. Etenim per illam aetatem tota vetus Israelitarum regio cis Iordanem in tres partes, ut Iosephus [20]) tradidit, divisa erat, in Galilaeam, Samariam et Iudaeam; quae tamen divisio sententiae, quam impugnamus minime suffragatur, quum in hac partitione nomini *Iudaeae* illa ipsissima subsit significatio, quae nomini Iudae, quum hoc nomine utramque simul regionem hebraei scriptores designant.

8 Alicui fortasse videri potest Flavius Iosephus favisse sententiae Hieronymi, ac putasse Iudaeam

---

[1]) I Reg. XXIII, 3; Ioel. III, 20 coll. 19. [2]) Ps. LXXVI, 2 transl. *Hieron.* [3]) II Par. XXXVI, 23; I Esd. I, 2. 3; II. Esd. II, 5. 7; VII, 6; Ier. XL, 11. [4]) II Esd. VI, 7. 18. [5]) Ier. XIV, 2. [6]) II Par. XI, 5. 10; XXX, 25; II Esd. XIII, 15. [7]) I Esd. V, 8; VII, 14; Dan. V, 13. [8]) Dan. II, 25; V, 13; VI, 13. [9]) Dan. V, 13. [10]) I Esd. II; II Esd. VII, 6 seqq. [11]) Thes. philol. crit. ad v. יהודה. [12]) Agg. I, 14; II, 2 al. 3. [13]) *Patrit.* De interpret. scriptur. sacr. L. II. q. VI. n. 13. [14]) I Reg. XVII. 1; II Par. XI, 5. 10 Complut. [15]) Iudic. XIX, 18 Oxon.; Ruth. I, 1 Complut. et Oxon. [16]) Dan. II, 25; V, 13; VI, 13. [17]) I Reg. XXVII, 6. Conf. II Reg. V, 5. [18]) I Mach. V, 23; X, 30. 38; XI, 28, 34. [19]) Matth. II, 22; IV, 25; XIX, 1; Marc. III, 7; Luc. II, 4; III, 1; V, 17; Io. IV, 3. 47. 54; VII, 1; Act. I, 8; VIII, 1; IX, 31; XII, 19. [20]) De bello L. III. c. 3.

numen toti Chanaanitidl faclum esse, haec enim scripsit: *Chanaanus vero, . . . Iudaeam, ut nunc vocatur, habitans, regionem illam a se Chananaeam appellavit* [1]); alio autem loco: *Iudae quidem sorte obtigit omnis* SUPERIOR *Iudaea* [2]). Nun tamen negabis Iosephi hac de re seutentism iude esse colligendam, ubi illas regiones describere propositum ipsi est; quod ubi agit, Iudseam a ceteris partibus Chanaanitidis alisrumque tribuum regionibas omnino separat, neo aliis limitihas eam determinat, qaam qui tribui Iadae positi fuerant [3]). Quare verba illa priora nihil aliud queunt significare, nisi eam, quae pustea Iudaea dicta est, partem fnisse regionis, quam Chanaan incoluerat, et de huius nomine Chanaanitidem prisci vocaverant; quem sensum melias etiam, quam latina interpretatio, ferunt ipsa graeca Iosephi verha, qaae sio sunt: *Χαναανος δε, . . . την νυν Ἰουδαιαν καλουμενην οἰκησας, ἀπ᾽ αὐτου Χαναναιαν προσαγορευσε*, a qnurum postremis abest pronomen *illam*, quod inseruit interpres latians, esque, necesse nou est, dicta putes de ipsa Iudaea, sed recte vertas: *Chananaeae nomen ipse de se fecit*; quae interpretatio hoo qaoque comprobatur, quod ia quibusdam exemplaribus Iosephi pro *Χαναναιαν* habetur *τους Χαναν*, quod praeferre minime dabites, si illad caput Iosephi integrum perlegas. In alteris autem secundum baec prolatis dubium est illud *Ἰουδαιαν*, quum pro hac alii codices habeant *Ἰδουμαιαν*, idque potius acoipere saadent ea, quae deinceps leguntur apud Iosephum. Sed, licet *Ἰουδαιαν* legere malis, non modu uulla hino nobis difficultas, sed novum potins argumentum ad seutentiam nostram cunfirmandam. Etenim sio est iutegra Iosephi sententia: *Iudae quidem sorte obtigit omnis superior Iudaea Hierosolymam usque protenta.* At Hierosolyma Beniamitarum urbs regionem tribus Iudae terminahat ab aquilone [4]). Si ergo Iudaea *superior* aquilonem versus nou proteadebatur ultra Hierosolymam, iam maxima Chanaanitidis pars, quautam Iudsea ipsa aquilonem versns spectabat, extra Iudaeam sita faisse dicenda est. Adpellatur autem *superior Iudaea*, quia, quum tribui Iudae sorte obtigisset regionum tractus amplior, quam pro numero capitum, harum pars intra occasum et meridiem sita, hoc est, *inferior Iudaea*, cessione obveait Simeonitis [5]), quae tribus erat omnium minima [6]), *fuitque hereditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda* [7]). Falso autem scripsit Relaudns Tarichaeam, quae in Galilaea sita erat, a Iosepho urbem Iudaeae vocari [8]). Lege ipsum Iosephum [9]).

9 Animadvertimus postremo nullum superesse graecum exemplar evangeliorum, quod in illis duobus versibus (4) Matthaei *Ἰουδα* baheat pro *της Ἰουδαιας*. Tametsi interpres syrus in utroque versu posuit ***Iudae***, non vero ***Iudaeae***. Latini vero tum patres tum codices evangeliorum inter se hac de re non consentiunt [10]).

10 Quae quam ita sint, liquet, ***Bethlehem Iudaeae*** dictum esse, ut ea urbs ab alia distingueretur, quae est in Galilaea, neque sd id minus opportunam esse talem adpellationem, quam sit illa ***Bethlehem Iudae.***

11 ***Omnis Ierosolyma*** [11]). Duplici forma est nomen huius urbis, hebraica יְרוּשָׁלַיִם sive יְרוּשָׁלַםִ ***Ierusalaim***, et chaldaica יְרוּשְׁלֶם ***Ierusalem.***

12 Graeci illud efferunt vel ipsa forma chaldaica *Ἱερουσαλημ*, qaod indeclinabile est, vel fictum atque adcommodatum ad proprium sermonem genere nentro simalque numero plarali *Ἱεροσολυμα*. Iosephus et Philo, qui tamen prorsus raro hanc urhem commemorat, *Ἱεροσολυμα* semper scripsere. Protocanonici veteris testamenti libri *Ἱερουσαλημ* semper exhibent, item liber Esdrae, qui nubis tertius Graecis primus et canonicum est, in cuius tamen exemplaribus nonnullis non semel legitur *Ἱεροσολυμα*, item Iudith, Ecclesiasticus, et Baruch; in libro Tobiae utrumque nomen comparet, in primo libro Machabaeorum paucissimis locis exceptis [12]) semper *Ἱερουσαλημ*, in secundu semper *Ἱεροσολυμα*. In novo testamento, quud forte mireris, Lucas fere scripsit *Ἱερουσαλημ*, Ioannes vero numquam, Matthaeus semel tantummodo referens ipsa Christi verba [13]), et semel Marcas [14]). Lucas tamen in Actis, etsi saepius *Ἱερουσαλημ*, saepe tamen et *Ἱεροσολυμα* usurpavit. Paalus utramque nomen adhibuit. In Apocalypsi nun est nisi *Ἱερουσαλημ*.

13 Lis est, utrum in illis *πασα Ἱεροσολυμα*, qaod latine versum est ***omnis Ierosolyma*** [15]), nomen sit neatro genere nnmeroque plurali, ut semper alias, an genere femiaino ut adiectivum *πασα*; quique hoo alterum defendunt, ii adferunt illa Matthaei verba: *Τοτε ἐξεπορευετο . . . Ἱεροσολυμα* ***tunc exibat . . . Ierosolyma*** [16]). Qui tamen fiat, ut hoc nomen in hoc tantum loco aut summum et in illo altero

---

[1]) Antiq. L. I. c. 6. § 2. [2]) Ib. L. V. c. 1. § 22. [3]) De bello L. III. c. 3. Conf. Antiq. L. XVII, c. 11. § 4. [4]) Ios. XV, 8 V. tabulas geograph. [5]) Ios. XIX, 1. 2. 9. *Ioseph.* h. l. [6]) Num. XXVI, 14 coll. 5—13 et 15—50. [7]) Ios. l. c. [8]) *Reland.* Palaest. L. III. [9]) Antiq. L. XIV. c. 7 al. 12. § 3. [10]) *Sabatier* Latinas version. antiq. in h. l. [11]) Matth. II, 3. [12]) I Mach. I, 14; X, 43; XI, 34. [13]) Matth. XXIII, 37. [14]) Marc. XI, 1. [15]) Matth. II, 3. [16]) Matth. III, 5.

femininum habendum sit, quod alias frequenter occurrit, semper tamen neutro genere? Neque illud *πασα* quidquam prodest huic opinioni, sed neque illud *ἐπορευετο*. Quisnam enim aut minime sentit huiusmodi syntaxin *ἐλλειπειν*, supplendamque esse nomine *πολις urbs*, aut ignorat huius similem reperiri et apud scriptores alios graecos latinosque, apud quos videas cum verbis numero singulari cumque adiectivis positione item singulari ac feminina construi nomina urbium alio genere aut numero? Tale est illud Virgilii: ***Praeneste sub ipsa*** [1]), tale illud Herodoti: *ἀντεσχε χρονον ἐπιπλειστον πολιορκευμενη Σολοι, την περιξ ὑπορυσσοντες το τειχος κ. τ. λ.* ***diutissime obsessa restitit Soli; eam circum suffosso muro etc.*** [2]). Sed et apud Iosephum haec reperias, quae plane e re nostra sunt, quum dubio procul sit *῾Ιεροσολυμα* apud ipsum esse positione plurali [3]): *᾿Επολιορκουν ῾Ιεροσολυμα. . . ΤΗΝ μεν κατω λαβοντες. . . . ΧΑΛΕΠΗ δ' ᾿ΗΝ ῾Η καθυπερθεν κ. τ. λ.* [4]). — *Πολιορκειν ἠρξατο ΤΑ ῾Ιεροσολυμα, . . . ὡς δια του ΤΑΥΤΗΝ ἑλειν κ. τ. λ.* [5]). Non ergo de facili crimine liberandi Christianus Abrahamus Wahl, quod in sua *Clavi novi testamenti philologica* locum dederit nomini *῾Ιεροσολυμα* feminina positione, cuius genitivum casum flexit *῾Ιερυσολυμης*, et Carolus Hermannus Bruder, quod in ipsius *Ταμειῳ* nomen *ἡ ῾Ιεροσολυμα* locum invenerit.

14 Scriptores latini hanc urbem tum ***Hierosolyma*** vocaverunt [6]), tum ***Hierosolymam*** [7]). Latinus tamen bibliorum interpres vulgatus semper scripsit ***Ierosolyma*** et ***Ierosolymam***, ac saepe etiam latini patres; utrique autem etiam ***Ierusalem*** usurparunt. In vetere testamento semper est ***Ierusalem***, exceptis libris Machabaeorum, in quorum primo, etsi plerumque ***Ierusalem***, ter tamen legitur ***Ierosolyma*** neutra positione plurali [8]), semel ***Ierosolymam*** [9]), in secundo autem, numquam ***Ierusalem***, sed ***Ierosolyma***, plerumque plurali numero, aliquoties et singulari positione feminina, casu accusativo, semel et ablativo [10]). In evangeliis ***Ierusalem*** semel legitur apud Matthaeum aeque ac in graecis exemplaribus (12), numquam apud Marcum et Ioannem, apud Lucam autem fere. Contra ea hi tres vel nomen neutrum plurale semper exhibent, vel femininum singulare, quum casus accusativus adhibendus est, in Luca autem semel ***Ierosolymis*** [11]), ter ***Ierosolymam*** [12]), semel ***ab Ierosolyma*** [13]), legimus. In Actis apostolorum saepissime quidem ***Ierusalem***, sed et ***Ierosolymis***, et ***Ierosolymam***, non raro scriptum reperimus, semel autem ***ab Ierosolyma*** [14]). In epistolis Pauli habetur ***Ierusalem***, sed in eius epistola ad Galatas scripta etiam ***Ierosolymam***. Denique in Apocalypsi ***Ierusalem*** solummodo usurpatum est.

15 ***Dicentes: Ubi est etc.*** [15]). In his verbis notare est Matthaei morem, ceteris tamen quoque scriptoribus hebraeis omnibusque, qui orientalibus linguis utuntur, communem, ut non ipse scriptor suis verbis referat eorum sententias, de quibus loquitur, ut fere Lucas nec raro Marcus fecere, sed ipsos eos loquentes inducat. Haec, quae infra indicantur, confer inter se.

MATTHAEUS	MARCUS	LUCAS
III, 1. 2.	I, 4	III, 3
VIII, 4		V, 14
„ , 32	V, 13	VIII, 32
IX, 18		„ , 41. 42
X, 7		IX, 2
„ , 9	VI, 8	
XV, 15	VII, 17	
XVII, 9	IX, 8	
XXI, 27		XX, 7
XXVI, 14. 15	XIV, 10	XXII, 4
„ , 66	„ , 64	
XXVII, 23		XXIII, 23

[1]) Aen. L. VIII. v. 56t. [2]) L. V. c. 115. [3]) Antiq. L. VII. c. 3. § 1. 2. etc. [4]) Antiq. L. V. c. 2. § 2. [5]) Ib. L. VII. c. 3. § 1. V. et c. 4. § 2. [6]) *Plin.* H. N. L. V. § 14; *Tacit.* Hist. L. V. cc. 9. 10. 11; *Martial.* L. XI. epigr. 95. [7]) *Cicer.* Or. pro Flacco. § 28; *Flor.* L. III c. 5; *Tacit.* l. c. c. 2. [8]) I Mach. I, 15; X, 43; XI, 34. [9]) Ib. I, 22. [10]) II Mach. XI, 5. [11]) Luc. XXIII, 7. [12]) Ib. II, 42; XVIII, 31; XIX, 28. [13]) Ib. XXIV, 47. [14]) Act. XXV, 7. [15]) Matth. II, 2.

16 *Herodes clam vocatis Magis* [1]. Cur Herodes rem cum Magis clam transigere studuerit, hanc caussam adfert Chrysostomus, *quia putabat Iudaeos curam gerere pueri* [2]. Nec aliter sensit auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* [3], item omnino vetus scholiastes editus ab Angelo Maio [4], Theophylactus [5], et Euthymius [6]. Haec autem Herodis ratio agendi comprobat id, quod alio loco adfirmavimus [7], Magos ab eo Bethlehemum noctu legatos, itemque caussam, quam fuisse diximus (1), cur nuntio a Magis adlato cives Hierosolymitae perturbati fuerint, atque etiam cur Magorum adventus Bethlehemitae fortasse latuerit [8].

17 Animadverte, ut verbum ἠκρίβωσε, quod latinus interpres vertit *diligenter didicit*, inferius vero *exquisierat* [9], ostendat Herodem non perfunctorie ac veluti aliud agentem sciscitatum esse a Magis *tempus stellae, quae adparuit eis*, hoc est, stellae aetatem an tempus, quo visa primo fuerat, qua de re in alio loco disputavimus [10], ideoque non levem caussam ei fuisse, cur illud sciscitaretur, nec leve quid, quod accepta hac notitia perficeret, sibi proposuisse; hoc autem rei eventus postea confirmavit [11].

18 *Obtulerunt ei munera aurum, thus, et myrrham* [12]. Praeterire minime decet significationem horum munerum. In eam aperiendam conveniunt patres bene multi, quorum agmen ducit Irenaeus, eosque superius enumeravimus [13]. Significationem hanc Iuvencus carmine sic exposuit: *Thus, aurum, myrrham, regique, hominique, Deoque, Dona ferunt* [14].

19 *Et responso accepto in somnis etc.* [15]. Pernoctasse ergo Magos Bethlehemi non licet dubitare. Quare et commodioris hospitii copiam iam ibi factam esse oportuit, imminutamque advenarum frequentiam, qui illuc censendi caussa confluebant. Non igitur adeo paucis diebus, ut quidam putant, post Christum natum ad eum advenere Magi [16], neque eum in stabulo adhuc commorantem repertum ab eis fuisse, credibile est [17].

DISSERTATIO XXVIII

De Principibus sacerdotum

1 Legimus apud Matthaeum, ut Herodes, audito Magorum nuntio, *congregans παντας τους ἀρχιερεις omnes principes sacerdotum . . . sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur* [18]. Horum ἀρχιερεων nulla mentio in vetere testamento, frequens in novo; item nulla apud Iosephum, ubi historiae texit testamento veteri respondentes, quod enim ἀρχιερεις vocet Sadocum et Abiatharem (18), ideo facit, quia uterque, unus tamen post alterum, pontificatum gessit; in historiis autem, quae novo testamento respondent, Iosephus quoque ἀρχιερεις istos non raro nominat. Proinde quaerere subit, quinam hi fuerint, diversae enim de his sententiae feruntur. Sic autem hanc quaestionem habebimus. Primum dicemus de usu, quem habet nomen ἀρχιερεις tum in vetere tum in novo testamento. Exinde testimonio legis mosaicae atque historiae unum penes Israelitas fuisse pontificem maximum, numquam vero plures simul, demonstrabimus. Expendemus deinceps diversas illas sententias de iis, qui ἀρχιερεις adpellantur in novo testamento. Tum denique quaestionem concludemus.

CAPUT I

De usu nominis ἀρχιερεως apud scriptores sacros

2 Usui nominis ἀρχιερεως, qui est in scripturis sacris, intelligendo etsi ea, quae edisseremus tota hac quaestione, satis lumen adferent, quaedam tamen ad usum hunc in universum pertinentia iam nunc animadvertisse iuvabit, quo verba alioqui pluries repetenda compendii faciamus.

3 Nomen ἀρχιερευς numero singulari semel dumtaxat usurpatum est a septuaginta interpretibus [19],

[1] Matth. II, 7. [2] In Matth. hom. VII. § 3. [3] Hom. II al. III. p. XXX in Opp. *Chrysost.* T. VI. ed *Montfauc.* [4] Classicor. auctor. T. VI. p. 385. [5] In. h. l. [6] In h. l. [7] Cap. IV. n. 7. [8] Cap. V. n. 21. [9] Matth. II, 16. [10] Cap. IV. n. 11. [11] Diss. XXXIII. cap. III. n. 18. [12] Matth. II, 11. [13] Cap. VI. n. 18. [14] Hist. evang. L. I. [15] Matth. II, 12. [16] Cap. III. nn. 5. 9. [17] Cap. V. n. 6. [18] Matth. II, 4. [19] Lev. IV, 3.

his a scriptore libri tertii Esdrae [1]), frequenter vero in utroque libro Machabaeorum. Ex libris novi testamenti illud habent quatuor evangelia, Acta apostolorum, et epistola ad Hebraeos scripta.

4 Significari hoc nomine pontificem maximum Israelitarum, res per se manifesta fit, eiusque usus fere unicus in libris Veteris Testamenti id comprobat. Quod tamen mireris numquam graeci interpretes bibliorum, quae *protocanonica* vocantur, eo usi sunt ad ipsum pontificem maximum nominandum, sed pro eo fere nomen *ἱερευς sacerdos* usurpatum ab illis est, interdum *ὁ ἱερευς ὁ μεγας sacerdos magnus* [2]), forsan semel *ὁ μεγας ἱερευς magnus sacerdos* [3]), ter *ὁ ἱερευς ὁ πρωτος sacerdos primus* [4]), semel *ἱερευς πρωτος sacerdos primus* [5]), bis denique *ὁ ἱερευς ὁ ἀρχων sacerdos princeps* [6]), quam tamen postremam adpellationem inferius examinabimus (16). Unico autem illo in loco (3), ubi *ἀρχιερευς* ab illis redditum legitur [7]), non pontificem maximum, sed sacerdotem quemcumque significat. Alias *ἀρχιερευς* in bibliis semper est pontifex maximus, etsi numquam latine sic efferatur; nisi quod Lucas (21) et Ioannes *ἀρχιερεα* vocant Annam [8]), qui tamen eo tempore, quo, quae ab illis sunt relata, contigere, pontificatu non fungebatur [9]), sic etiam a Luca vocatur Scevas, qui praesidebat Ephesi sacris Iudaeorum [10]), sic denique scriptor libri tertii Esdrae Esdram ipsum adpellat [11]), etsi Esdras pontifex maximus numquam fuerit [12]). Ceterum nomini *ἀρχιερει* eam subesse notionem, quam diximus, confirmat nomen *ἀρχιερωσυνη*, quod nil aliud est scriptoribus sacris, quam pontificatus [13]), et sicut *ἱερευς* pro *ἀρχιερευς*, ita *ἱερωσυνη* adhibetur pro *ἀρχιερωσυνη* [14]).

5 Nomen hoc in latinis exemplaribus bibliorum non semper uno modo translatum est, sed vel *pontifex* [15]), sicut semper in evangelio Ioannis et in epistola ad Hebraeos, vel *princeps sacerdotum* [16]), sicut semper apud Matthaeum et apud Lucam, tum in evangelio, tum in Actis apostolorum, uno horum loco dempto, et semel apud Marcum [17]), vel *summus sacerdos* [18]), sicut semper in evangelio Marci, uno loco dempto, et semel in Actis apostolorum [19]), vel *sacerdos magnus* [20]), vel denique *sacerdos* [21]).

6 Bis in toto volumine bibliorum pontifex maximus dicitur *ἀρχιερευς μεγας*, sicque adpellantur Simon in primo libro Machabaeorum [22]), et Christus in epistola ad Hebraeos [23]), latine autem reddita est haec adpellatio primo loco *summus sacerdos*, altero *pontifex magnus*. Semel Onias *ἱερευς μεγας sacerdos magnus* vocatus est in primo libro Machabaeorum [24]).

7 Nomen plurale *ἀρχιερεις*, ad quod praecipue pertinet quaestio haec nostra, et ipsum multimodis latine effertur in libris novi testamenti (1). Pro eo enim apud Ioannem semper, duobus locis exceptis, semel autem apud Marcum [25]) usurpatum est *pontifices*. Apud Matthaeum et Lucam, tum in evangelio, tum in Actis apostolorum, dempto postremo loco evangelii Lucae et uno loco Actorum, semper, bis quoque apud Marcum [26]), et semel apud Ioannem [27]), *principes sacerdotum*. Apud Marcum semper, demptis quatuor locis, et semel apud Lucam [28]), *summi sacerdotes*. Insuper semel apud Marcum [29]), itemque in Actis apostolorum [30]), et bis in epistola ad Hebraeos [31]), *sacerdotes*. Denique semel apud Ioannem [32]) *principes*. Vides, arbitror, variam, hanc, quam latinus interpres sequutus est, rationem in hoc nomine transferendo nihil prae se ferre, quod quaestioni nostrae difficultatem facessere queat.

CAPUT II

Unus apud Israelitas erat pontifex maximus

8 Quamquam nulla legum mosaicarum expressis verbis iuberet pontificem maximum unum esse, non plures simul, multa tamen sunt in his legibus atque in historia Israelitarum, ex quibus id manifesto colligitur.

---

1) III Esd. V, 40; IX, 40. 2) Lev. XXI, 10; etc. 3) II Par. XXIV, 11 *Compl.* et *Ald.* 4) IV Reg. XXV, 18; I Esd. VII, 5; Ier. LII, 24. 5) III Reg. II, 35. 6) I Par. XXVII, 5; II Par. XXXI. 10. 7) Lev. IV, 3. 8) Io. XVIII, 19. 22. 9) Conf. Io. XI, 49. 51; XVIII, 13. 10) Act. XIX, 14. 11) III Esd IX, 40. 12) Conf. II Esd. XII, 1. 10—13. 13) I Mach. VII, 21; XI, 27. 57; XIV, 38; XVI. 24; II Mach. IV, 7. 24. 25. 29; XI. 3; XIV, 7. 14) I Par. XXIX, 22; I Mach. II, 54; VII, 9; Eccli. XLV, 24 al. 30. 15) II Mach. III, 1; III Esd. V, 40; IX, 40. 16) I Mach. XIV, 35; XV, 17. 21. 24; XVI, 24; II Mach. III, 4. 17) Marc. II, 26. 18) I Mach. X, 20. 32. 38. 69; XII, 3. 6. 7; XIII, 36; XIV, 17. 41; XVI, 12; II Mach. III, 9. 10. 16. 32. 33; XIV, 3. 13; XV, 12. 19) Act. XXIII, 4. 20) I Mach. XIV, 23. 27. 30. 41; II Mach. III, 21. 21) II Mach. III, 33; IV, 13. 22) I Mach. XIII, 42. 23) Hebr. IV, 14. 24) I Mach. XII, 20. 25) Marc. XV, 11. 26) X, 33; XI, 18. 27) Io. XII, 10. 28) Luc. XXIV, 20. 29) Marc. XIV, 53. 30) Act. XXII, 30. 31) Hebr. VII, 27, 28. 32) Io. VII, 32.

9 Nam leges mosaicae pontificem seu sacerdotem maximum ab aliis sacerdotibus ita distinguunt, ut illum unicum fuisse pateat. Primum differentibus ritibus initiabantur; omnes enim unguebantur quidem [1]) oleo adsperso [2]), omniumque manus consecrabantur [3]), at sacerdoti maximo praeterea oleum super caput effundebatur [4]). Alia fuerunt huius vestimenta [5]) quam ceterorum [6]). Alia quoque illius atque horum munia; potissimum autem, quod ille solummodo, semel in anno, die festo expiationis, in adytum ingrediebatur [7]). Iam vero omnia haec leges mosaicae illi uni propria post Aaronem esse iubent, QUI *pontifex* PRO EO *fuerit* [8]), et CUIUS *manus initiatae sunt, ut sacerdotio fungatur* PRO PATRE SUO [9]), hoc est, qui primus in locum Aaronis, quique deinceps in huius primi locum, et sic porro, pontifex sufficiebatur. Unicus ergo erat pontifex seu sacerdos maximus, quum unus sufficiendus dicatur, non plures.

10 Aliae leges de nuptiis deque luctu praescriptae sunt sacerdotibus ceteris [10]), aliae pontifici [11]), quem ex his quoque legibus adparet unum fuisse, dicitur enim הגדול מאחיו *magnus prae fratribus suis*, vel, ut haec explicat Hieronymus, *maximus inter fratres suos*, quod valet tantumdem atque omnium primus, proinde sine dignitatis socio.

11 Hoc ipsum conficere est iis loquutionibus ac dicendi formis, quibus conceptae sunt leges mosaicae de pontifice. Etenim in his ne verbum quidem, quod legentibus praebeat suspicionem plurium pontificum; contra vero ipsa adpellatio *sacerdotis magni* [12]) unicum eum fuisse ostendit, idque ipsum evincit ipsa quoque eius distinctio a ceteris omnibus sacerdotibus [13]).

12 Historia Israelitarum unicum semper fuisse sacerdotem maximum testatur. Nam in ea quoque illae adpellationes saepe leguntur כהן הגדול ἱερεὺς ὁ μέγας *sacerdos magnus*, uti vocantur Ioiada [14]), Helcia [15]), Iesu, qui et Iosue vocabatur [16]), Eliachim, qui idem Ioachim nomen habuit [17]), Eliasib [18]); כהן הראש *sacerdos caput*, hoc est, *primus*, ἱερεὺς ὁ ἄρχων, ἱερεὺς ὁ πρῶτος, sicut adpellantur Amarias [19]), Ioiadas [20]), Azarias [21]), Saraias [22]), atque ipse Aaron [23]). In hac eadem historia sacerdotem maximum a ceteris distinctum cernes, ut Ioiadam [24]) et Azariam [25]).

13 Discimus ex eadem historia unum Aaronem pontificem maximum creatum fuisse [26]), Aaroni e duobus filiis superstitibus Eleazare et Ithamare unum Eleazarem suffectum [27]), Eleazari filium Phineesum successisse [28]), et quidem solum [29]). Solos etiam absque socio constat pontificatu functos Helim [30]), Achiam, cui nomen fuit etiam Achimelech [31]), Abiatharem [32]), Sadocum [33]), Azariam [34]). Etsi scriptores sacri non expresse narrent, satis tamen dicunt, ex quo colligamus solos pontificatu functos etiam Amariam [35]), Ioiadam [36]), alium Azariam [37]), Helciam [38]), Ioacimum [39]), et Iesum alio nomine Iosuem [40]). Huius Iosuae posteros Ioacimum, Eliasibum, Ioiadam, Ionathanem, Ieddoam [41]), pontificatum sine socio gessisse confirmare est eo, quod horum nominibus illius aetatis tempora distinguantur [42]). Soli hoc munus sustinuere Simon [43]), Onias [44]), Iason [45]), Menelaus [46]), Lysimachus [47]), soli etiam, qui ex Hasmonaeorum stirpe prognati fuerant, Ionathas [48]), Simon [49]), Ioannes [50]), solus Caiphas [51]), solus Ananias [52]). Lege Flavii Iosephi *Antiquitates* [53]).

14 Animadvertere praeterea est alia, quae in legibus de sacerdote maximo scita erant, neglecta saepe fuisse. Nam sacerdotes non de alia quam de Aaronis stirpe esse poterant [54]), quae lex notissimis prodigiis sancita fuerat [55]). Attamen ab Antiocho Epiphane pontifices iussi sunt Menelaus [56]) et post hunc Lysimachus eius frater [57]), ambo de tribu Beniamini [58]). Sacerdos maximus,

---

[1]) Ex. XXX, 30. [2]) Ib. XXIX, 21; Lev. VIII, 30. [3]) Ex. XXVIII, 41. [4]) Ib. XXIX. 7; Lev. VIII, 12; XXI, 10. 12. Conf. Ps. CXXXII, 2. [5]) Ex. XXVIII. 2—39; XXXIX, 1—30; Lev. VIII, 7—9; XXI, 10. [6]) Ex. XXVIII, 40; XXXIX, 25—28; Lev. VIII, 13. [7]) Lev. XVI, 2—17; Hebr. IX, 7. [8]) Ex. XXIX, 29. 30 coll. Num. XX, 26, 28. [9]) Lev. XVI, 32. [10]) Lev. XXI, 1—9. [11]) Ib. 10—15. [12]) Lev. XXI, 10; Num. XXXV, 25. 28. 32. [13]) Lev. XVI, 32 coll. 33; XXI, 10 coll. 1. [14]) IV Reg. XII, 11. [15]) Ib. XXII, 4. 8; XXIII, 4; II Par. XXXIV, 9. [16]) Agg. I, 1. 12. 14; II, 3. 5; Zach. III, 1. 8; VI, 11. [17]) Iudith. XV, 8 al. 9. [18]) II Esd. III, 1. 20; XIII, 28. [19]) II Par. XIX, 11. [20]) Ib. XXIV, 11. [21]) Ib. XXVI, 20; XXXI, 10. [22]) IV Reg. XXIV, 38 al. XXV, 18; Ier. LII, 21 al. 24. [23]) I Esd. VII, 5. [24]) IV Reg. XII, 7. [25]) II Par. XXVI, 17. 20. [26]) Conf. Ex. XXVIII. XXIX; Lev. VIII. IX etc. [27]) Num. XX, 26. 28; XXVII, 19. 21. etc. [28]) Num. XXV, 13; Iudic. XX, 28. [29]) Eccli. XLV, 28—30. [30]) I Reg. I, 9; II, 11 coll. 32 et III Reg. II, 27. [31]) I Reg. XIV, 3; XXII, 9. [32]) Ib. XXIII, 9; XXX, 7 coll. III Reg. II, 27. 35. [33]) III Reg. II, 35 [34]) I Par. VI, 10. [35]) II Par. XIX, 11. [36]) IV Reg. XII, 7. 10; II Par. XXIV, 6. 11. [37]) II Par. XXVI, 17. 20. [38]) IV Reg. XXII, 4. 8; XXIII, 4; II Par. XXXIV, 9. [39]) Bar. I, 7. [40]) I Esd. III, 2. 8 etc. Agg. et Zach. ll. cc. [41]) II Esd. XII, 10. 11. [42]) Ib. 12. 22. 23. 26. [43]) Eccli. L, 1 coll. 3. 14. [44]) II Mach. III, 1 seqq. coll. IV, 7. 10. 24. 26. [45]) Ib. IV, 7. 26. [46]) Ib. 23—29. [47]) Ib. 29. [48]) I Mach. X, 21. [49]) Ib. XIII, 42; XIV, 35—47. [50]) Ib. XVI, 24. [51]) Io. XI, 49. 51; XVIII, 13. [52]) Act. XXIII, 2. 4 coll. 5. [53]) Antiq. L. V. c. 11. § 5; VIII. c. 1. § 3; X. c. 8. § 6; etc.; L. XX. c. 10. [54]) Ex. XXVIII, 1. 43; Lev. XXI, 1; Num. XVI, 40. [55]) Num. XVI. XVII. [56]) II Mach. IV, 24. 27. [57]) Ib. 29. [58]) Ib. 23 coll. III, 4.

dum viveret, nisi impos fieret atque impar huic muneri, id retinebat [1]), quod et Iosephus adfirmat [2]). Contrarium tamen interdum factum est [3]), idque ab aetate ipsius Salomonis, qui Abiathari expulso Sadocum suffecit [4]). Sequioribus autem aetatibus Antiochus Epiphanes, remoto Onia, Iasonem in huius locum aliosque deinceps substituit [5]). Aristobulus in Hyrcani fratris regnum simul ac summum sacerdotium invasit [6]). Herodes Antipatri filius, huiusque posteri [7]), atque adeo, Romanis rerum potientibus, ipsi Syriae legati ipsique Iudaeae procuratores [8]), pro lubito pontificem alium in viventis adhuc locum subrogabant. Patri demortuo filius succedebat in pontificatum, ut ex legum verbis [9]) et ex factis [10]) manifesto adparet, isque maior natu, ut tradit Iosephus [11]), utque adparet ex iis, quae narrantur de Eleazare [12]) et Phineeso [13]). Id tamen non semper observatum est [14]) postremis praesertim reipublicae iudaicae temporibus [15]); pontifices enim, quotquot de genere Hasmonaeorum fuere a Iuda Machabaeo [16]) aut a Ionatha eius fratre [17]) ad Aristobulum [18]), originem ducebant a Ioiaribo [19]), cuius familia erat una ex vigintiquatuor familiis sacerdotum, alia, inquam, quam pontificum (38), et Ananelus, quem in locum Hyrcani pontificem posuit Herodes [20]), etsi *pontificio genere* cretus, non tamen in stemmate *πρωτογονων* numerabatur, utpote cuius maiores in Babylonia vivebant, procul dubio ex eo tempore, quo gens Iudaeorum illuc abducta fuerat [21]). Imo inductae, ut videtur, vices familiarum, de quibus pontifex eligeretur [22]), ipsaeque hae vices neglectae [23]). Certam aetatem pontificatui capessendo constitutam iure coniicimus ex iis, quae de levitarum aetate lex sanxerat [24]), et ex historiis Iosephi [25]); attamen et in hac re peccatum esse testis est idem ipse Iosephus [26]).

15 At, quae lex unicum esse sacerdotem maximum iubebat, sanctissime servata semper est: *Unum ungunt, duos non ungunt*, *ἀξιωμα* est Talmudistarum [27]). Numquam enim vivo pontifice huius dignitas in alium translata fuit, quin priori adimeretur, idque etiam tunc, quum imperantibus haudquaquam mens erat priorem poena mulctare, sed tantummodo suffectum benefactis prosequi; ad id vero necesse non fuisset priorem de gradu deiicere, si duobus simul pontificatum gerere licuisset. Sic autem factum est, quum Herodes, ut Alexandrae obsequeretur, huius filium Aristobulum pontificem iussit, reiecto Ananelo, in quem ipse Herodes hanc dignitatem contulerat [28]). Sic etiam idem Herodes pontificatum ademptum Iesu Phabi filio transtulit in Simonem Boethi filium, ut Simonis huius filiam duceret [29]).

16 Sunt tamen, quae opponas sententiae, quam defendimus. Quippe Banaias, qui in exemplaribus latinis paralipomenon dicitur *sacerdos* [30]), in graecis adpellatur *ὁ ἱερευς ὁ ἀρχων sacerdos princeps*, hoc est, pontifex; quare vel plures simul per id tempus pontificatum gessere, quum constet Abiatharem tunc eo munere functum [31]), vel ex huiusmodi adpellationibus nullum argumentum peti potest. Verum animadverte secundum codices hebraicos verba sic esse: *Banaias filius Ioiadae* הכהן ראש, quo iam intelligis dubium esse, utrum voces הכהן ראש ad Banaiam pertineant, an ad Ioiadam. Neque magis certum ambas simul alterutri duorum nominum iungi oportere, sive *συγκατηγορηματικως*, ut quae significarent *sacerdotem principem*, sive veluti duo *κατηγορηματα*, quibus is designaretur, qui et *sacerdos* esset et *princeps*; ideoque posse iungi הכהן cum Ioiada et ראש cum Banaia. Nam ratio accentuum, qui sententiam verborum hebraicorum distinguunt, exigit, ut הכהן ראש latine reddantur, non *sacerdos princeps*, sed sic interpuncta: *sacerdos, princeps*. Sic, ubi recensetur Esdrae prosapia [32]), Aaron adpellatur הכהן הראש, quae duo nomina, etsi utrumque ad Aaronem pertineat, tamen, ob accentuum rationem similem eius, quam diximus, non ambo simul ac *συγκατηγορηματικως sacerdotem principem* significant, sed *βραχυλογως sacerdotem* et sacerdotum omnium,

---

1) Num. XX, 25—28; XXXV, 25. 28. 32. 2) Antiq. L. XV. c. 3. § 1; XX, 10. 3) II Mach. ll. cc. *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 3. § 1 et exinde saepe. 4) III Reg. II. 26. 27. 35. 5) II Mach. IV, 7. 10. 24. 29. 6) *Ioseph.* Ib. L. XIV. c. 1. § 2; XV. c. 3. § 1; L. XX. c. 10. 7) Ib. L. X. c. 2. §§ 4. 7; c. 9. § 3; XVII. c. 4. § 2; c. 6. § 4; c. 13. § 1; XIX. c. 6. §§ 2. 4; c. 8. § 1; XX. c. 1. § 3; c. 5. § 2; c. 8. §§ 8. 11; c. 9. §§ 1. 4. 7. 8) Ib. XVIII. c. 2. §§ 1. 2; c. 4. § 3; c. 5. § 3. 9) Ex. XXVIII, 1 coll. 43; XXIX, 30; Lev. VI, 22; XVI, 32. 10) Num. XX, 25—28 coll. Iudic. XX, 28; I Reg. XXII, 20 coll. XXIII, 9 et XXX, 7 et III Reg. II, 27. 35; II Esd. XII, 10. 11 coll. 12. 22; *Ioseph.* Antiq. L. V. c. 11. § 5; X. c. 8. § 6; XII. c. 2. § 4. 11) Ib. IV. c. 4. § 7. 12) Num. XX, 25—28 coll. Ex. VI, 23 et Lev. X, 1 seqq. 13) Iudic. XX, 28 coll. Ex. VI, 25. 14) III Reg. II, 35. 15) Mach. ll. cc.; Io. XVIII, 13; *Ioseph.* ib. L. XII. c. 4. § 1 et al. 16) *Ioseph.* antiq. L. XII. c. 10. § 6. 17) I Mach. X, 20. 21. 18) *Ioseph.* Ib. L. XV. c. 3. § 3. 19) I Mach. II, 1. 20) *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 2. § 4. 21) Ib. c. 3. § 1. 22) *Ioseph.* De bello L. IV. c. 3. § 6 coll. 8. 23) Ib. seqq. 24) Num. IV, 3; VIII, 24; I Par. XXIII, 3. 24. 27. 25) Antiq. L. XII. c. 2. § 4; c. 5. § 1; XV. c. 2. § 7. 26) Ib. L. XV. c. 2. § 7; c. 3. § 3. 27) Gem. hieros. Tract. Ioma c. 1. const. 1 ap. *Ugolin.* Thes. antiq. sacrar. T. XVIII. p. 208. 28) *Ioseph.* Antiq. L. XV. §§ 4. 7. 29) Ib. c. 9. § 3. 30) I Par. XXVII, 5. 31) I Reg. XXIII, 9 et XXX, 7 coll. III Reg. II, 27. 35. 32) I Esd. VII. 5.

quotquot fuere, *primum*, diciturque Aaron *sacerdos*, ut adpareat Esdram fuisse de genere sacerdotali, dicitur *primus*, ne alium fortasse Aaronem cogitemus. Sic quoque Azarias adpellatur הכהן הראש לבית צדוק, non quidem *sacerdos princeps, de domo Sadoci*, sed, ut accentus docent *sacerdos, princeps domus Sadoci* [1]). Memineris praeterea, ut sacerdos princeps numquam dicatur הכהן ראש ὁ *ἱερευς ἀρχων*, id enim vix ferret sermo hebraicus, qui nec הכהן גדול dicere sinit, sed כהן הראש [2]) *ἱερευς* ὁ *ἀρχων*, etsi nihil vetet, quominus dici etiam queat הכהן הראש *ὁ ἱερευς ὁ ἀρχων*, sicut semper dicitur הכהן הגדול. Constat denique Banaiam ducem fuisse legionum Cerethaeorum et Phelethaeorum [3]); non itaque pontifex esse potuit. Quae quum ita sint, siquidem utramque vocem nomini Banaiae iungi placeat, sensus erit eum et *sacerdotem* fuisse, hoc est, de genere sacerdotali, et simul *unum* e viris *principibus* regni, id enim historia nos docet [4]), atque confirmare est eo, quod articulus ה absit a nomine ראש, ut non *ὁ ἀρχων, omnium princeps*, significetur, sicut significari vidimus, ubi cum articulo additum est nominibus Aaronis et Azariae, sed solum *unus de principibus.* Sin autem malis vocem utramque adnectere nomini Ioiadae, neglectisque accentibus et hebraici sermonis legibus contendas sacerdotem maximum hoc in loco illum vocari, ne sic quidem vinces plures simul pontificatu functos; fieri enim potuit, ut munus hoc gereret Ioiadas ante Achiam [5]), dum is, patre Achitobo demortuo, ex pueris excederet, aut etiam pro Abiathare, quamdiu is regnante adhuc Saule cum Davide mansit [6]), ideoque sacerdos maximus fuerit adpellatus, quod sacerdotis maximi vicem praestiterit. Verius tamen putares Ioiadam hunc eum esse, qui alio loco adpellatur הנגיד לאהרן *princeps Aaronitarum* [7]), ideoque verba, de quibus quaestio est, salvis accentibus, sic esse vertenda: *Banaias, filius Ioiadae sacerdotis, principis* [8]), Aaronitarum videlicet; quo autem pacto Aaronitarum princeps Ioiadas esse potuerit, etsi ipse sacerdos maximus non fuerit, et Sadoc, non eius, sed Achitobi filius in hunc principatum ei successisse videatur [9]), postea dicemus (40). Obest nihilominus huic interpretationi illud ראש, nam הראש dici debuisset, quandoquidem unicus erat in gente Aaronitarum princeps, non secus ac in unaquaque ceterarum gentium inque singulis familiis, nedum in tribubus singulis, sicque in paralipomenis legimus: *De Hosa autem, id est de filiis Merari, Semri* הראש *princeps* [10]), nec secus Ioiadas alius simpliciter הראש adpellatur pro כהן הראש [11]). Quamobrem ea verba nec recte nec commode verti possunt, nisi sic: *Banaias, filius Ioiadae sacerdotis, princeps*; unus nimirum de principibus viris fuit Banaias, ut historia nos docet [12]). Neque te praetereat, non modo necesse non esse, sed fortasse neque licere graeca *ὁ ἱερευς ὁ ἀρχων* vertere *sacerdos maximus*, alias enim ita adpellatum sacerdotem maximum non reperies, altero autem in loco, quo solo praeter hunc graeca haec leguntur, Azarias adpellatur *ὁ ἱερευς ὁ ἀρχων εἰς οἰκον Σαδωκ* [13]), quae sic sonant: *Sacerdos, princeps domus Sadoci*, sicut alibi invenies sacerdotes *ἀρχοντας εἰς οἰκους πατριων principes domorum familiarum* [14]), de quibus alio loco (33).

17 Neque magis illud officit sententiae, quam defendimus, quod Sadoc et Abiathar, quorum uterque pontifex fuit [15]), in historia Davidis et Salomonis, quibus regnantibus vixere, simul nominentur, ac sacerdotes vocentur [16]). Etenim procul dubio est Sadocum Abiathari in pontificatum successisse [17]). Simul autem nominantur, quia principes erant duarum gentium ex duobus Aaronis filiis Eleazare et Ithamare progenitarum, sicut inferius (38) plenius dicemus; et re vera, ubi narratur census habitus a Davide omnium familiarum aaroniticarum, ex quibus duae illae gentes constabant, non iam ipse Abiathar, etsi adhuc viveret et pontificatu fungeretur, sed Abiatharis filius Achimelech, cui nullus tunc locus esse poterat, nisi ob principatum totius gentis ithamaricae, una cum Sadoco nominatur [18]). Quod autem Sadoc prior Abiathare sacerdote maximo nominetur, quin ex efficiatur Sadocum simul et Abiatharem pontifices fuisse, id confirmatur, quod adseveramus; quum enim Eleazaris progenies, cuius princeps erat Sadoc, utpote orta ex seniore Aaronis filio, qui in Nadabi fratris natu maximo locum suppositus fuerat, prior esset progenie Ithamaris, cuius Abiathar princeps erat, ideo ille ante hunc nominatur [19]), atque etiam, quia ob gentis eleazariticae praestantiam huius princeps princeps quoque erat, sicut Sadocum fuisse constat [20]), totius progeniei aaroniticae, qui

---

[1]) II Par. XXXI, 10. [2]) IV Reg. XXV, 18; II Par. XIX, 11; XXIV, 11; XXVI, 20; Ier. LII, 24. [3]) II Reg. VIII 18; XX, 23; I Par. XVIII, 17. [4]) II Reg. XXIII, 8. 20—23; I Par. XI, 10. 22—25. [5]) I Reg. XIV, 3. [6]) I Reg. XXII, 20—23; XXIII, 1—6. 9; XXX, 7. [7]) I Par. XII, 27. [8]) Conf. I Par. XXVI, 10. [9]) I Par. XXVII, 17. [10]) I Par. XXVI, 10. [11]) II Par. XXIV, 6. [12]) II Reg. XXIII, 20—23 coll. 8—19; I Par. XI, 22—25 coll. 10—21. [13]) II Par. XXXI, 10. [14]) I Par. XXIV, 4. [15]) Sup. nr. 16 et III Reg. II, 35. [16]) II Reg. XV, 24. 29. 35; XVII, 15; XIX, 11; XX, 25; III Reg. IV, 4; I Par. XV, 11. [17]) III Reg. II, 27. 35; I Par. XXIX, 22. [18]) I Par. XXIV, 3. 4. 6. 31. [19]) I Par. XXIV, 1—3. 6. [20]) I Par. XXVII, 17.

principatus filiis natu maximo (38) in unaquaque gente, non secus ac in tota tribu inque singulis familiis, continua serie veniebat [1]). Cur autem Abiathare pontificatum adhuc obtinente Sadoc pontifex fuerit creatus [2]), caussam mox exponemus; interea patet id tam parum obesse sententiae nostrae, quam, quod David rex iussus fuerit regnante adhuc Saule, valeat ad probandum, non unum, sed plures simul reges Israelitis olim imperitasse. Denique, quod Salomone rege inter regni primores enumerentur omnium primus *Azarias filius Sadoci pontifex*, moxque post alios quos e primoribus *Sadoc et Abiathar sacerdotes* [3]), ideo fit, quia omnes hi tres, etsi non omnes simul, pontificatum Salomone rege functi sunt.

18 Iosephus quidem narrat, pulso Abiathare a Salomone Sadocum *solum* pontificem fuisse constitutum [4]); prius autem illud narraverat, quod David *Sadocum . . . pontificem creavit cum Abiatharo* [5]). Sed auctoritas Iosephi, etsi fidem faciat historiae de postremis aetatibus reipublicae iudaicae, hoc idem tamen minime praestat iis, quae gesta aetatibus vetustioribus ab ipso narrantur, haec enim vel ex bibliis transcripsit pro ingenio suo intellectis vel accepit a suis popularibus, apud quos ὡσπερ πατροπαραδοτος obtinebat de illis rebus rumor, unde ortus, incertum. Atque ideo fortasse illud adfirmavit, si tamen adfirmavit, quia Sadocum et Abiatharem simul nominari animadverterat et sacerdotes adpellari. Ceterum, si haec re vera fuisset Iosephi sententia, notam ἀντιλογιας ab eo non facile defenderes. Etenim in illo eodem capite haec ait de Abiatharis pontificatu translato ad Sadocum: *A domo Ithamaris ablatus est honor sacerdotalis, quemadmodum Deus Heli avo Abiatharis praedixerat,* TRANSIITQUE (μετεβη) *in stirpem Phineesi ad Sadocum. Qui vero ex Phineesi genere vitam egerant privatam, eo tempore, quo pontificalis dignitas in Ithamari domum translata ibi mansit, . . . fuere Boccias* ceterique, quos enumerat usque ad Sadocum, *qui primus Davide regnante pontifex est creatus* [6]), ut legimus in paralipomenis [7]), quia, quod Salomon exsequutus est, David putandus est statuisse, ut Sadoc in Abiatharis locum sufficeretur, eo quod is partibus faverit Adoniae [8]). Praeterea scripsit Iosephus, posteros Eleazaris pontificatum, translatum olim ab huius in Ithamaris progeniem, regnante Salomone recuperasse [9]). Verum quid, si nego Iosephum illa adfirmasse? Ait utique, Sadocum *solum* pontificem a Salomone constitutum, sed εἰς τον Ἀβιαθαρου τοπον *in locum Abiathari*, *solum* autem, quia pontifex creatus Davide adhuc vivo tantisper, donec Abiathar a Salomone pelleretur, parem dignitate habuit ipsum Abiatharem; in quem sensum accipienda sunt et illa alia, quod David *Sadocum . . . pontificem creavit cum Abiatharo.* Ubi autem Iosephus Ἀβιαθαρον και Σαδωκον τους ἀρχιερεας [10]) simul commemorat, ideo facit, quia uterque re vera pontifex fuit, etsi alter post alterum.

19 In historia sequiorum aetatum legimus, ut primores Hierosolymorum aegre ferrent Manassen Iaddi pontificis fratrem, ut qui uxorem duxisset Nicaso Sanaballetae Samaritarum satrapae filiam, μετεχειν της ἀρχιερωσυνης *participem esse pontificatus* [11]), utque Annas et Caiphas simul ἀρχιερεις forent [12]), itemque Ananus et Iesus [13]). Enimvero hoc ipsum est, quo tota haec nostra quaestio pertinet, quinam, inquam, fuerint, quos scriptores novi testamenti atque etiam Iosephus ἀρχιερεις dicunt, cui quaestioni definiendae veluti proludimus his, quae de unico pontifice disputamus, atque adeo ipsa quaestionis huius conclusio nos docebit, quid de Manasse ceterisque illis sentiendum sit; nihilominus, quia haec maxime rem adtingunt, qua de agimus hoc in capite, iuverit ea nunc perpendere.

20 Manassen unquam una cum fratre Iaddo pontificatu functum esse expresse narrat Iosephus; eodem enim in capite, ubi illum dicit *participem pontificatus*, narrat etiam eum Sanaballetae socero suo denuntiasse, nolle se propter eius filiam privari της ἱερατικης τιμης *honore sacerdotali*, ipsi autem respondisse Sanaballetem, sese ei, non modo την ἱερωσυνην *sacerdotium* adserturum, sed traditurum insuper την ἀρχιερατικην δυναμιν *pontificiam potestatem*, non tamen apud Iudaeos fungendam, sed apud Samaritas [14]). Dictus ergo est Manasses μετεχειν της ἀρχιερωσυνης, vel quod vicem fratris subinde praestaret secundum id, quod inferius enarrabimus (26 seqq.), vel potius quod fratres ceterique pontificum propinqui, non secus ac in regum virorumque principum familiis fieri solet, etsi non ipsam dignitatem ipsumque munus, honores tamen et commoda inde provenientia participarent, vel denique quia ea ἀρχιερωσυνη non pontificatus erat, sed principatus, quem forsitan Manasses in

---

1) Conf. I Par. XXVI, 10. 2) I Par. XXIX, 22. 3) III Reg. IV, 2. 4. 4) Antiq. L. VIII. c. 1. § 4. 5) Ib. L. VII. c. 5. § 4. 6) Antiq. L. VIII. c. 1. § 3. 7) I Par. XXIX, 22. 8) III Reg. I, 7; II, 22. 9) Antiq. L. V. c. 11. § 5. 10) Ib. L. VII. c. 9. § 2. 11) *Ioseph.* Antiq. L. XI. c. 7. § 2; c. 8. § 2. 12) Luc. III, 2. 13) *Ioseph.* Bell. L. IV. c. 3. § 9 et c. 5. § 2 et de vita sua § 38. 14) Conf. Antiq. L. XI. c. 8. § 4.

gente Aaronitarum gerebat (32—34. 38). Atque nunc locus est, quo animadvertamus, quam nihil caussae fuerit Spanhemio, cur Iosephum legens pluries adnotaret plures simul Iudaeis fuisse pontifices [1]).

21 De Anna et Caipha duo haec certo constant. Unum est, Caipha pontificatu fungente, eo nequaquam functum simul esse Annam [2]), idque sufficit, cur pateat frustra nobis opponi hos duos *ἀρχιερεις*. Alterum est Annam inter populares suos auctoritate cunctis praestitisse. Haec enim de eo scripsit Iosephus: *Seniorem hunc Ananum*, sic enim illum vocat, *aiunt felicissimum exstitisse; nam quinque filios habuit, hisque omnibus contigit Deo in pontificatu ministrasse, cum et ipse in primis ea dignitate functus esset, id, quod nulli unquam apud nos pontifici contigit* [3]); neque alia profecto huius rei caussa esse potuisse videtur, quam Annae auctoritas. Idque ipsum plane comprobatur eo, quod Vitellius gratam rem Iudaeis facere volens pontificatum Caiphae ablatum Ionathae Annae filio addixerit [4]). Scimus praeterea Christum a satellitibus comprehensum non ad Caipham sacerdotem maximum ductum fuisse, sed *ad Annam primum* [5]), Annam autem iudicium de Christo faciendum uni Caiphae permisisse [6]). Quid, quod Lucas Annam ante Caipham nominet, imo illum, non autem hunc, *ἀρχιερεα* adpellet [7]) in historia illius temporis, quo certum est Caipham, non Annam, pontificatum gessisse [8])? Lege Alexii Symmachi Mazochii *Spicilegium biblicum* [9]). Concludendum igitur, quum Caiphas sacerdos maximus erat, Annam insigni aliqua dignitate praecelluisse, quae alia esse non potuit, quam totius gentis Aaronitarum principatus, ut Annas ante Caipham sacerdotem maximum nominetur eamdem ob caussam, propter quam Sadocus nominatur ante Abiatharem (17).

22 Iesum et Ananum *ἀρχιερεις* simul Hierosolymis degentes commemorat utique Iosephus, sed qui duo erant e pluribus, ab eo quippe dicuntur *οἱτε δοκιμωτατοι των ἀρχιερεων* [10]), simulque plurium *ἀρχιερεων* illo eodem tempore viventium mentio iniicitur [11]); num vero istos omnes sacerdotes maximos simul fuisse putabis? Sed de his plenius ubi locus erit.

CAPUT III

Quinam sint, qui ἀρχιερεις in novo testamento et a Iosepho adpellantur

23 Quum, quantum existimo, vicerimus putandum non esse, apud Iudaeos pontificatu plures simul functos unquam fuisse, liquet etiam *ἀρχιερεις*, hoc est, *principes sacerdotum*, quos Herodes convocavit, alios, quam pontifices, qui eo tempore simul hoc munus gererent, esse putandos. Id plane confirmant haec Lucae verba: *ὁ τε ἱερευς· . . . και οἱ ἀρχιερεις διηπορουν κ. τ. λ.* [12]), manifestum enim est, ut iste *ἱερευς* sit ipse pontifex, ideoque *ἀρχιερεις* alii habendi sint, quam qui pontificatu fungerentur. Sed qui tandem fuere? Quatuor praecipue sententiae feruntur, singulasque singulis capitibus exponemus, ita tamen, ut quaestio non illos dumtaxat adtingat, sed quotquot vel in novo testamento vel in historiis Iosephi commemorantur.

PARS I

An qui pontificatu defuncti erant

24 Sunt, qui autument *ἀρχιερεις* istos esse eos, qui pontificatu defuncti erant. Etsi enim olim pontifex, dum viveret, munus hoc retinebat (14), serioribus tamen aetatibus secus factum esse testes sunt libri Machabaeorum et historiae Iosephi; pontificibus autem hoc munere defunctis, inquiunt, gestae dignitatis gradum honoremque, atque adeo ipsum nomen, relictum. Equidem id acciperem, si probarent, sicut opinantur, ita factum fuisse; ast argumenta desunt. Tum prioribus etiam aetatibus, quibus pontifex ad diem usque vitae supremum in suo munere manebat, erant, sicut postea (33. 38) demonstrabimus, tametsi alio nomine adpellati, illi ipsi, qui a scriptoribus novi testamenti et a Iosepho *ἀρχιερεις* adpellantur. Adde, quod huiusmodi pontifices munere suo defuncti nequiverint ii esse,

---

[1]) Adnot. ad *Joseph.* Antiq. L. VII. c. 5. § 4; c. 9. § 2; Bell. L. VI. c. 2. § 2; etc. [2]) Io. XI, 49. 51; XVIII, 13. [3]) Antiq. L. XX. c. 9. § 1. [4]) *Joseph.* Antiq. L. XVIII. c. 4. § 3. [5]) Io. XVIII, 13. [6]) Ib. 24. [7]) Luc. III, 2 not. *Millii, Sabatier., Griesbach.*; Act. IV, 6. [8]) Conf. *Joseph.* Antiq. L. XVIII. c. 2. §§ 1. 2 et c. 4. §§ 2. 3. [9]) In Luc. III, 2. [10]) De Bell. L. IV. c. 3. § 9. [11]) Vit. § 38. [12]) Act. V, 24.

quos Herodes consuluit. Quum enim Hyrcanum pontificem postremum de stirpe Hasmonaeorum, resectis ipsi ab Antigono auribus, pontificatus muneribus lex prohiberet [1]), Herodes Ananelum quemdam Babylonium pontificem iussit [2]), moxque id munus Ananelo ademptum tradidit Aristobulo Hyrcani nepoti [3]), cui iure veniebat, anno autem vertente Aristobulo interempto restituit Ananelo [4]). Quae quidem omnia, si rationes temporum subducas, seriemque rerum attendas, quas refert Iosephus, constabit facta esse inter annos urbis conditae DCCXVII et DCCXX [5]). Ananelo, viventi adhuc an demortuo incertum, successit Iesus Phabi filius [6]), quo remoto in eius locum Simonem Boethi filium suffecit Herodes [7]), quod fieri non potuit serius anno U. C. DCCXXXII [8]); Simon autem pontificatum gerebat anno saltem decimo sexto, quum Magi Hierosolymam advenerunt, quod accidit non serius, quam prioribus mensibus anni U. C. DCCXLVIII [9]), neque enim Herodes Simonem ea dignitate spoliavit ante menses postremos huius anni, quum Antipater Herodis filius iam ab aliquot mensibus Romae degeret, quo contenderat ante mediam aestatem eiusdem huius anni [10]). Si ergo significatio nominis ἀρχιερέων illos solummodo complectebatur, qui pontificali munere fuerant defuncti, duo dumtaxat eo tempore, quo venere Magi, summum tres ἀρχιερεῖς fuissent, quum tamen plures omnino significari videantur verbis Matthaei: *et congregans* OMNES *principes sacerdotum*, quod Grotius [11]) iam animadvertit.

PARS II

An pontifices annui

25 Alii autumant pontificatum ea aetate annuum fuisse, certumque sacerdotum numerum constitutum, quorum singuli in orbem annuam vicem praestarent, idque confirmari posse existimant eo, quum Caiphas a Ioanne dicatur *pontifex anni illius* [12]), quo Christus in crucem actus est, Lucas ea referens, quae non serius, quam anno insequente gesta esse potuerunt, Annam ante Caipham, illumque, non autem hunc, ἀρχιερέα adpellet [13]). Novimus praeterea, ut Lysias *procurator regis* Antiochi Eupatoris adversus Iudam Machabaeum bellum instruxerit, interque alia illud sibi proposuerit, ut haberet *per singulos annos venale sacerdotium* [14]). Sed et hanc opinionem ea prorsus refellunt, quaecumque huc usque deprompsimus sive a lege mosaica, sive ex historia. Quare Ioannis verba idem valere putanda sunt, ac *qui erat pontifex eo tempore*. Quomodo Lucae verba sint intelligenda, diximus paullo ante. Lysiae vero quam e sententia res cesserit, legere est in libro secundo Machabaeorum [15]).

PARS III

An pontifex eiusque vicarius

26 Aliis credere placet ἀρχιερεῖς adpellatos fuisse pontificem atque huius vicarium. Quae ad hunc vicarium pertinent reperies in talmude [16]). Is fuisse creditur sacerdos ille, qui in bibliis vocatur כהן המשנה *Sacerdos secundarius*, qualis fuit Sophonias [17]), de quo haec scripsit Iosephus: *Militiae regis Babyloniorum praefectus . . . captivos fecit Saraiam pontificem et Sophoniam τον μετ᾽ αὐτου ἱερέα eius socium sacerdotii* [18]).

27 Et re vera pontifici vicarium, subinde saltem, adiunctum, tum rei natura, tum mos in aliis officiis reipublicae iudaicae servatus, tum denique historia ipsa, credere suadent. Vicarium enim habuere, non tantum reges [19]), sed etiam tribuni [20]), praefectus cantorum [21]), cantores ipsi [22]), praefectus urbis [23]), curator annonae sacerdotalis [24]). Vices autem Helis pontificis functum Phineesum filium narrat Iosephus, *patre id propter senectutem concedente* [25]). Forte id ipsum sonant illa μετέχειν

1) *Ioseph.* Antiq. L. XIV. c. 13. § 10. 2) Ib. L. XV. c. 2. § 4. 3) Ib. § 7. 4) Ib. c. 3. § 3. 5) Conf. Antiq. L. XIV. c. 16. § 4 et L. XV. c. 2. § 6 et c. 3. § 3. 6) Ib. L. X. c. 9. § 3. 7) Ib. 8) Conf. l. c. cum § 6 et cum L. XVI. c. 5. § 1. 9) Diss. XXVII. cap. III. n. 24. 10) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 4. § 2 coll. § 3; Diss. XXXIII. c. II. nn. 12 seqq. 11) In h. l. 12) Io. XI, 49, 51; XVIII, 13. 13) Act. IV, 6. 14) II Mach. XI, 1—3. 15) II Mach. XI, 6 seqq. 16) Tract. Sota c. 7. const. 8. Talm. hieros. Tract. Ioma c. 3. f. 41; *Buxtorf.* Lexic. chald. thalmud. ad v. סגן. 17) IV Reg. XXV, 18; Ier. LII, 24 coll. XXIX, 26. 18) Antiq. L. X. c. 8. § 5. 19) II Par. XXVIII, 7. 20) I Par. XXVII, 4. 6. 7. 21) Ib. XVI, 5. 22) Ib. XV, 18. 23) II Esd. XI, 9. Conf. II Par. XXXIV, 8. 24) II Par. XXXI, 12. 25) Ib. L. V. c. 11. § 2.

τῆς ἀρχιερωσυνης, quae is scripsit de Manasse Iaddi fratro (20). Et haeo, quae item apnd Iosephum legimus: *Pontifex . . . Ioacim, . . .* PRIMUS SACERDOS *populi Esdras* [1]), significant fortasse (29) Esdram vicariam operam Ioacimo pontifioi praestitisse. Quidam existimant posse bao ratione sustolli *ἐναντιοφανειαν*, qnae intercedit inter Marcum et inter scriptorem libri primi Regum, ubi is narrat Davidem confugisse ad Acbimelechnm pontificem [2]), ille antem ad Abiatharem Achimelechi filium [3]), aiuntque a Marco Abiatharem pro Achimelecbo nominari, quia eius vice fungeretur. Sed, nt ratio baec neqna satis est, ueque necessaria, ad *ἐναντιοφανειαν* sustollendam, uulla insuper caussa adparet, cur Abiatbar credatur functus vice patris, praesertim quum ex narratioue ipsa, quae babetur in libro primo Regum, adpareat rem totam iuter Achimelechum et Davidem fuiase transactam, qnumque Marcus Abiatharem *ἀρχιερεα principem sacerdotum* dicat, quod ne patris vicarium, nec secnndum a patre, significare poteat. Ceterum hao in re difficultas nulla est; qunm euim Abiathar uua cum patre degaret [4]), nuum atque idem fuit dicere Davidem sive ad Achimelechum, sive ad Abiatharem, confugisse.

28 Huuc autem pontificis vicarinm fuisse sacerdotem illum, qui כהן המשנה adpellabatur, nou est, cur dubitemns. Etenim המשנה in huiusmodi adpellationihns uihil significare aliud potest, uisi secuudas in muuere aliquo partes, qnarum qui est, eum perquam apte *vicarium* dixeris; et המשנה adpellari videas [5]), qui vicem gerebat principis cantorum atque ipsorum cantorum, praefecti urbis, curatoris aunouae sacerdotalis. Sio Ionathas Saulis filius Davidem bis adloquebatur: *Tu regnabis super Israel, et ego ero tibi* למשנה SECUNDUS, boc est, vice sacra fungar [6]). Sio etiam legimua, *quomodo Mardochaeus, iudaici generis,* משנה SECUNDUS *a rege Assuero fuerit* [7]).

29 Iuvat autem hic qnaedam adtendere, quae defiuiendae quaestioui facere possent. Nam primo quis forte dubitet, ntrum boo munus perpetuum fuerit, an pro re nata, qui illnd gereret, eligeretnr. Eteuim posteriore boo modo actum fuisse videtur cum pontificibns Mattbia Theophili filio [8]) et Simone Camithi filio [9]). Attameu, ut putandum est nou sine delectu, quum res ferebat, eum suffectum fuisse, qui poutificis vicem praestaret, ita hnuc eligi oportuisse inter poutificia ipsius consanguiueos, qnum re ipsa Matthiae suffectus dicatnr Iosephus *συγγενης ὢν quum consanguineus esset*, Simoui vero Iudas ipsius frater, atqne adeo eum, qni genere omnium proximus esset poutifici, eum, iuquam, cui poutificatus obvenisset, nisi aliua potior fuisset; qnnm antem hoc ins personae ipsi veluti inhaereret, utpote situm in ipsa cousanguiuitate, illud quoqne mnnus veluti uativum erat, ideoque perpetuum. Hinc illud est, quod dixi paullo ante (27) videri Iosephnm, nbi ab eo *primus sacerdos populi Esdras* vocatnr, his verbis vicariam potestatem huic adtribuisse. Esdrae euim, nbi Iosedecbus ceterique, si quos habuit, maiorea natu fratres atque eorum posteri absque liberis aetate idoneis poutificatui gereudo vita functi fnissent ipso superstite, Esdrae, inqnam, pontificatus obventnrus erat, qnare ipsum vicem suam praestare oportebat pro Ioacimo Iosedechi nepote, qnoadnsque id Eliasiho Ioacimi filio per aetatem liceret; profecto qnia ius illud illudque mnnus perpetuum fuit.

30 Animadvertere etiam oportet in libro qnarto Regum commemorari plurali nnmero כהני המשנה [10]), quod aliter verti nequit, quam *sacerdotes secundi ordinis*, proinde nomen qnoqne singulari uumero כהן המשנה nihil aliud significare videtur, quam unum ex hniusmodi sacerdotibus. Nihilominns haeo couvellere nequeunt argumeutum, quod suggerit analogia aliorum officiorum, qnibus vicariua additus erat et המשנה adpellatus. Insnper Sophouiam ita adpellari, ut qni Saraiae poutificis vice fungeretur, facile est comprobare. Si enim adpellatio haec Sophoniae facta fnisset, quia esset de sacerdotibus *secundi ordinis*, quaeri posset, nnm uuicus ipse de huiusmodi sacerdotibus Hierosolymis reperiretur, quum captivus abdnctus est, quod quam minime probabile est. At, si plures reperiebantnr, cur hnius unins meutio facta? aut cur ipse nnus captivus abdnctus? Huc accedit, qnod Saraias tum, quando uua cnm Sophonia captns est, etsi pontifex foret, filiumque haberet Iosedechum [11]), nondum ea essat aetate, qua pontificis muuia obire ipsi liceret. His enim obeundis aetatem praefinitam, etsi lex mosaica non exprimat, credere tameu suadent tum aetas a Davide Dei iussu praefiuita Levitis omnibns, qna sna munia obire inciperent, annns, inquam, vicesimns [12]), tum testimonium Iosephi, qui, non modo refert pro pontificibus pueris patruos functos [13]), sed etiam, ut Alexandrae

---

[1]) Ib. L. X. c. 5. § 1, [2]) I Reg. XXI, t. [3]) Marc. II, 26. [4]) I Reg. XXII, 20. [5]) LL. cc. [6]) I Reg. XXIII, 17. [7]) Esth. X, 3. [8]) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 6. § 4; Gemara hierosolymit. Tract. toma. c. 1. const. 1 in *Ugolini* Thes. T. XVIII. p. 210. [9]) Gem. hieros. ib. [10]) IV Reg. XXIII, 4. [11]) Conf. I Par VI, 15 et *Ioseph.* Antiq. L. X. c. 8 § 6. [12]) I Par. XXIII, 24. 27. [13]) Antiq. L. XII. c. 2. § 4; c. 5. § 1.

conquerenti pontificatum alii, quam filio suo Aristobulo, collatum fuisse ab Herode, responderit is excusaus Aristobuli aetatem, *quod puerulus omnino esset* [1]), etsi annum iam ageret decimum sextum [2]). Iam vero Saraiam nondum vicesimum annum adtigisse, quam captus fuit, veri longe simillimum est. Esdras enim huius filius [3]), postquam moenia Hierosolymae restituta fuere a Nehemia anno XX Artaxerxis regis Persarum [4]), ea erat aetate iisque corporis viribus, ut *legem coram multitudine , . . aperte in platea . . . de mane usque ad mediam diem* [5]) legere potuerit. Inter annum postremum regni Sedeciae regis Iudae, quo Saraias captus est, et inter annum vicesimum regni Artaxerxis, qui annus decimus erat ab obitu Xerxis, quocum is decem annis regnavit [6]), numerantur anni CXXXII. Si itaque Saraias viginti annos natus fuisset, quum Babylonem eum abduxit Nabuchodonosor, quo tandem anno putes ab eo genitum Esdram, ne cogamur dicere hunc decrepitum fuisse, quum anno XX Artaxerxis illa, quae diximus, praestare potuit? Neque obest, quod Saraiam filium iam a se genitum Babylonem secum duxerit, quum Israelitis moris esset praecoce etiam aetate liberis operam dare [7]). Quod autem ait Iosephus, capta Hierosolyma Saraiae caput iussu Nabuchodonosoris fuisse amputatum [8]) una cum ceteris urbis primoribus, hoc quidem non necessario consequitur ex his, quae legimus in libro quarto Regum et apud Ieremiam [9]), neque id accipere possumus, nisi si simul accipere velimus Esdram tum iam natam fuisse, et tricesimo secundo supra centesimum aetatis annum viribus adeo, ut dictum est, valuisse.

31 Non est ergo, cur dubitemus, quin pontifici vicarius fuerit adiunctus. Nobis tamen sententiam suam non probant, qui aiunt hos duos esse, qui nomine ἀρχιερεις designantur in novo testamento et in historiis Iosephi. Nam patet, quum Matthaeus παντας ἀρχιερεις *omnes principes sacerdotum* commemorat, non duos, sed plures ab eo commemorari. Plures autem re ipsa fuisse, qui sic adpellabantur, manifestum fit in evangelio Marci [10]) et in historiis Iosephi [11]).

PARS IV

An principes familiarum sacerdotalium

32 Illud dubitatione vacat tum in novo testamento tum in historiis Iosephi illos sacerdotes, quorum singuli singulis sacerdotum familiis praeerant, earumque principes habebantur, ἀρχιερεις fuisse adpellatos.

33 Et re vera ἀρχιερευς per se et nativa vocis vi neqnaquam idem valet ac *pontifex*, sed idem ac *princeps sacerdotum*, non secus ac ἀρχιπατριωτης est *princeps familiae* [12]), ἀρχιφυλος *princeps tribus* [13]), ἀρχισυναγωγος *princeps synagogae* [14]); hi autem neqnaqnam fuere principes *omnium* familiarum, *omnium* tribuum, *omnium* synagogarum, neque igitur ἀρχιερευς per se et nativa vocis vi significat principem *omnium* sacerdotum. Quare ἀρχιερεις non alii fuisse putandi sunt, quam principes familiarum sacerdotalium, prorsus ut ἀρχιπατριωται fuere principes familiarum, et ἀρχιφυλοι principes tribuum, ii videlicet, qui ab Israelitis vocabantur ראשי אבות לכהנים *capita patrum sacerdotum* [15]), et ראשים לבית אבות (הכהנים) *capita in domo patrum (sacerdotum)* [16]), sed etiam ראשי הכהנים *capita sacerdotum* [17]) et שרי הכהנים *principes sacerdotum* [18]), a graecis vero interpretibus οἱ ἀρχοντες εἰς οἰκους πατριων (των ἱερεων) *principes in domos familiarum (sacerdotum)* [19]) et οἱ ἀρχοντες οἰκων πατριων (των ἱερεων) *principes domuum familiarum sacerdotum* [20]), sed et οἱ ἀρχοντες των πατριων των ἱερεων *principes familiarum sacerdotum* [21]), et simpliciter οἱ ἀρχοντες των ἱερεων *principes sacerdotum* [22]), a Iosepho denique φυλαρχοι των ἱερεων *principes tribuum*, hoc est [23]), *familiarum sacerdotum* [24]).

34 Hanc nomini ἀρχιερεις subesse significationem ubi simul plures hoc nomine vocantur, qui simul erant, scripturae ipsae nos docent, quippe in quibus promiscue usurpantur adpellationes *principes sacerdotum* et *principes familiarum sacerdotalium*. Nam in libro secundo Esdrae recensentur familiae sacerdotum horumque patresfamilias Iosue et Ioacimo eius filio [25]) pontificibus, dicuntur autem כהנים ראשי האבות, quod graecus interpres vertit ἱερεις (και) οἱ ἀρχοντες των πατριων *sacerdotes principes familiarum* [26]), et ראשי הכהנים οἱ ἀρχοντες των ἱερεων *principes sacerdotum* [27]).

---

[1]) Antiq. L. XV. c. 2. § 7. [2]) Ib. § 2. [3]) I Esd. VII, 1 coll. I Par. VI, 15. [4]) II Esd. VI, 15 coll. II, 1. 11. 18. [5]) Ib. VIII, 2. 3. [6]) *Petav.* Doctr. temp. L. X. c. 26. [7]) Diss. IX. cap. XI. n. 3. [8]) Antiq. L. X. c. 8. § 5. [9]) IV Reg. XXV, 18—21; Ier. LII, 24—27. [10]) Marc. XIV, 53. [11]) De bello. L. IV. c. 3. § 9; c. 4. § 3; Vita § 38. [12]) Ios. XXI, 1. [13]) Ib; Deut. XXIX, 10. [14]) Act. XIII, 15. [15]) I Par. XXIV, 6. 31. [16]) Ib. 4; IX, 13. [17]) II Esdr. XII, 7. [18]) II Par. XXXVI, 14. [19]) I Par. XXIV, 4. [20]) Ib. IX, 13. [21]) Ib. XXIV, 6. 31. [22]) II Esdr. XII, 7. [23]) Diss. VI. n. 11. [24]) Antiq. L. XI. c. 5. § 4. [25]) II Esdr. XII, 1—7. 12—21. [26]) Ib. 12. [27]) Ib. 7.

35 Etenim non modo tota Israelitarum gens duodecim tribubus partita erat, sed et unaquaeque tribus familiis distincta [1]) ab eo tempore, quo in Aegypto degebant [2]). Quae distinctio familiarum servata semper fuit [3]), etiam quum gens tota longe a patriis regionibus captiva teneretur [4]), et postquam in illas reversa fuerat [5]). Sicut autem singulis tribubus proprius princeps praeerat [6]), ita et familiis singulis [7]). Isti familiarum israeliticarum principes sunt, qui vocantur a Iosepho *ἡγουμενοι των πατριων duces familiarum* [8]), atque etiam *φυλαρχοι των ἰσραηλιτων principes tribuum Israelitarum* [9]), ubi *tribuum* idem significet necesse est, ac *familiarum* (33), integra enim Iosephi verba sic sunt: *τους φυλαρχους των ἱερεων, και των λευιτων, και των ἰσραηλιτων;* iidem quoque esse videntur, qui et *principes plebis* [10]), *principes populi* [11]), *seniores populi* [12]), *seniores plebis* [13]), et simpliciter *seniores* [14]), in novo testamento nomen habent.

36 Familiae autem is princeps habebatur, qui primo genitus fuerat, et ab ipso familiae auctore continua filiorum primo genitorum serie originem suam repetebat, non secus ac princeps totius tribus is erat, qui eodem pacto ab auctore tribus originem duxerat, ut simul et tribus totius et familiae, quae huius tribus prima censebatur, princeps foret. Legimus enim haec in paralipomenis: *De Hosa autem, id est, de filiis Merari, Semri princeps; non enim habuerat primogenitum, et ideirco posuerat eum pater eius in principem* [15]). Quod adtinet ad principes tribuum, legimus ut princeps fuerit tribus Ephraimi, non Iosue Ephraimites, etsi totius gentis Israelitarum dux, sed *Camuel filius Sephthan* [16]). Videas quoque principem fuisse tribus Iudae, non Davidem regem, sed fratrem eius natu maximo [17]) Eliabum seu Elium nomine [18]). Eodem tempore princeps tribus Beniamini, non aliquis ex posteris Saulis regis, cuius familia in hac tribu censebatur [19]), sed *Iasiel filius Abner* [20]). In tribu autem Levi neque Abiathar pontifex principatum tunc obtinebat, neque Ioiadas princeps familiae Aaronis [21]), neque, qui post Ioiadam hunc principatum habuit, Sadoc [22]), sed *Hasabias filius Camuel* [23]); cuius rei caussam aliam ponere non est, nisi quod Hasabias huiusque pater Camoel per continuam filiorum primo genitorum seriem originem ducerent a Gersomo, qui primus fuit filiorum Levis [24]). Neque illud obest, quod Eleazar Aaronis filius in libro Numerorum dicatur *princeps principum Levitarum* [25]); non enim hic agitur de principatu politico, sed de sacro, lexque fertur, Levitas omnes etiam principes familiarum in officii sui munia exsequendo Eleazaris imperio ac ductui subditos esse.

37 Hoc itaque, quod in ceteris tribubus, etiam in tribu Levi observabatur. Etenim, quum ea quoque, ab ipsa prima aetate, in Aegypto adhuc degens in familias esset dispertita [26]), segregato primum ab ea Aaronis genere, qui sacerdotio fungerentur [27]), ipsa integra tribus a ceteris segregata fuit, ut sacerdotibus ministraret [28]), et sicut ceterae, per familias descripta, quum primo [29]) atque iterum [30]) totius gentis Israelitarum census a Moyse habitus est, atque haec familiarum leviticarum divisio semper observata, nec modo in Chananitide [31]), sed etiam quum in Babylonia Assyriaque servitio gens premebatur [32]), et postquam servitute depulsa in patriam remeavit [33]). Sicut autem ceterarum tribuum familiis, ita et singulis familiis Levitarum proprius princeps praefuit [34]).

38 Pari autem pacto, quo reliqua tribus Levi ceteraeque omnes, etiam Aaronis progenies in familias dispertita atque ita censa est [35]). Novam tamen progeniei huius divisionem David induxit, quae, quantum colligere est ex primo libro paralipomenon [36]), haec erat. Subductis, ut ita dicam, rationibus consanguinitatum, familiae omnes ex Aarone progenitae ad viginti quatuor numero redactae fuere, quarum sexdecim Eleazarem Aaronis filium, reliquae octo Ithamarem Eleazaris fratrem nato minorem, auctores habebant [37]), eaeque exinde sic divisae permanserunt, etiam quum Babylone Iudaei captivi detinebantur [38]), et post solutam captivitatem [39]), usque ad totius gentis

---

[1]) Diss. VI. n. 7. [2]) Ex. VI, 14. 15. [3]) I Par. II—VIII coll. IX, 1. [4]) I Esdr. II, 3—35; VIII, 1—14. [5]) Ib. X, 25—44; II Esdr. X, 14—27; XI, 4—9. [6]) Num. I, 4—16; II, 3—29; VII, 12—78; X, 14—27; XVII, 2—6; XXXIV, 17—28; Ios. XIV, 1; XXI, 1; III Reg. VIII, 1; I Par. XXVII, 16—22; XXVIII, 1; XXIX, 6; II Par. V, 2. [7]) Ex. VI, 14; I Par. IV, 38; V, 24; VII, 2. 7. 9. 11. 40; VIII, 6. 10. 13. 28; IX, 9; XXIX, 6. [8]) Antiq. L. XI. c. 4. § 3. [9]) Ib. c. 5. § 4. [10]) Luc. XIX, 47. [11]) Act. IV, 8. [12]) Matth. XXVI, 47; XXVII, 1. [13]) Luc. XXII, 66. [14]) Matth. XXVI, 57; XXVII, 12. 20; XXVIII, 12; Marc. XIV, 43. 53; XV, 1; Luc. XX, 1; XXII, 52. [15]) I Par. XXVI, 10. [16]) Num. XXXIV, 24. [17]) I Par. II, 13. [18]) Ib. XXVII, 18. [19]) Ib. VIII, 33 coll. 1. [20]) Ib. XXVII, 21. [21]) Ib. XII, 27. [22]) Ib. XXVII, 17. [23]) Ib. [24]) Gen. XLVI, 11; Ex. VI, 16; Num. III, 17; XXVI, 57; I Par. VI. 1. 16; XXIII, 6. [25]) Num. III, 32. [26]) Ex. VI, 16—25. [27]) Ib. XXVIII, 1. [28]) Num. III, 6—10. [29]) Ib. 14—21. 27. 33. [30]) Ib. XXVI, 57. 58. [31]) Ios. XXI, 5. 7; I Par. VI, 61—63; IX, 14—34; XV, 4—10. [32]) I Esdr. II, 40—42; VIII, 18. 19. [33]) II Esdr. XI, 15—19. [34]) Ex. VI, 25; Ios. XXI, 1; I Par. IX, 34; XV, 12 coll. 5—10; XXIII, 9. 24; XXVI, 21; II Esdr. XII, 22. 23. [35]) Ex. VI, 23 coll. 14 et 25; Num. III, 2. 4; XXVI, 60. 61 coll. 2; I Par. XXIV, 1. 2. [36]) I Par. XXIV, 3—19. [37]) Ib. 3. 4. [38]) I Esdr. II, 36—39. [39]) II Esdr. XI, 10—14; XII, 1—7 coll. 12—21; I Mach. II, 1; Luc. I, 5; *Ioseph.* ll. cc.

exterminium [1]). Harum familiarum vices, quas singulae singulis hebdomadibus in orbem sacris faciendis praestarent [2]), sortibus definitiae [3]), singulisque inditum nomen ab eo, quem ipsae dumtaxat, nullaeque praeter eas, parentem agnoscebant [4]), aut forte ab eo, quem principem habebant, quum divisio haec facta est, quod nomen exinde, non tamen omnes retinuere [5]). Viginti quatuor familiae sacerdotum ab Hebraeis מחלקות [6]), a Graecis *ἐφημερίδες* [7]) vel *ἐφημερίαι* [8]), dictae sunt, propriisque singulae principibus subditae [9]), aeque ac ceterae Levitarum ceterorumque tribuum familiae. Ceterum viginti quatuor istae sacerdotum classes munera sua obire non coeperunt, nisi regnante Salomone post templum exstructum [10]); David enim, sicut ea praeparaverat, quae aedificio opus erant [11]), ita et, qui ordine in templo sacris operarentur, aliisque fungerentur officiis, ut praesto essent, curavit [12]), Salomoni autem filio mandavit, ut omnia haec exsequeretur, sicut ipse statuerat [13]). Eo tempore, quo haec familiarum sacerdotalium divisio habita est, princeps totius progeniei Eleazaris [14]), atque adeo (17) omnium Aaronitarum [15]), erat Sadoc Achitobi filius, progeniei vero Ithamaris Achimelech Abiatharis pontificis filius [16]) patris vice (17), sicut ipse Abiathar principatum hunc olim fortasse gesserat vice patris Achimelechi pontificis [17]); hos autem duos hae duae progenies principes habuere, quippe quia Sadoci prosapia ab Eleazare [18]), Achimelechi vero ab Ithamare [19]), continua maiorum primo genitorum serie et eorum fortasse, qui primo genitis *ἀπασιν* iure successerant, repetebatur. Horum duorum domus, hoc est, soboles ac posteritas, Sadoci et Achimelechi, utpote pontificiis dignitatibus conspicuae, in nulla illarum viginti quatuor classium seu familiarum censae sunt, haec enim est vis vocis אחזה, ut bene animadvertit Gesenius, qui tamen male totum hunc locum interpretatur [20]); sed prior domus nomen Eleazaris, posterior Ithamaris nomen retinuere, ceterisque ab eodem ac ipsae Aaronis filio progenitis veluti principes datae [21]), ac munus pontificium ipsis servatum, etsi, pulso Abiathare a Salomone (18), et Sadoco in eius locum suffecto, Sadoci posteris dumtaxat, ad quos iure veniebat (14), hoc munus fuit ad Iasonem usque [22]), qui quantum ex historia colligere est, postremus de genere Sadoci pontificatum Hierosolymae gessit [23]), nisi forte eodem genere ortus putandus sit Ananelus, quem in locum pontificium de genere Hasmonaeorum substituit Herodes (14); bino maxima nobilitas posteritati Sadoci in gente Israelitarum [24]).

39 Itaque in ordine sacerdotali principes viginti sex numerabantur, quorum viginti quatuor totidem sacerdotum familiis praeerant, unus posteris Achimelechi, quae domus Ithamaris nomine censebatur, simulque ceteris omnibus familiis Ithamare progenitis, unus denique Sadoci progeniei, quae nomen Eleazaris servavit, ac familiis ceteris eodem auctore Eleazare, proinde universis etiam familiis sacerdotum, hoc est, toti genti Aaronitarum (17. 38), atque ad hunc iure pontificatus veniebat. Huiusmodi autem principes ii erant, qui ab ipsis suarum familiarum auctoribus stemma maiorum *πρωτογόνων* ducebant.

40 Quod autem Davide rege principes Aaronitarum fuerint Ioiadas [25]) et Sadoc [26]), hoc aliquam difficultatem habere videtur, non quia duo principes Aaronitarum commemorantur, quum unus post alium princeps esse potuerit, et re ipsa Sadoc principatum hunc gesserit post Ioiadam [27]), sed quia ambo eodem tempore vivebant in aula Davidis [28]), quumque Sadoc non Ioiadae, sed Achitobi filius esset [29]), non adparet, quo iure is potuerit Ioiadae succedere. Attamen ipse ille locus, ubi difficultas haec est, habet, quo eum vincamus; in eo enim legimus, ut illo tempore, quo Ioiadas principatum Aaronitarum gerebat, Sadoc puer adhuc foret, ideoque huius vicem Ioiadas praestitisse putandus est.

41 Quae quum ita sint, nemo non videt, quam apte his familiarum sacerdotalium atque adeo sacerdotum ipsorum principibus fieret a Graecis adpellatio *ἀρχιερεῖς*, quum hoc vocabulum nihil vi sua sonet, nisi *principes sacerdotum*.

---

1) *Ioseph.* ll. cc. 2) Diss. III. 3) I Par. XXIV, 5. 19. *Ioseph.* Antiq. L. VII. c. 14. § 7. 4) I Par. ib. 7—18. 5) I Mach. II, 1 coll. I Par. XXIV, 7; Luc. I, 5 coll. I Par. XXIV, 10; *Ioseph.* Bell. L. IV. c. 3. § 8 coll. I Par. XXIV, 12 codd. alexandr. et cantabrig. Lege Diss. III. n. 2. 6) I Par. XXIV, 1. 7) *Ioseph.* Vit. § 1. 8) I Par. XXVIII, 13; Luc. I, 5. 9) I Par. XXIV, 6. 31. 10) II Par. V, 11. 11) I Par. XXII, 2—4. 14—16. 12) Ib. XXIV, 19 coll. XXIII, 4. 24. 28. 32 et XXV, 6 et XXVI, 12; etc. 13) Ib. XXVIII, 10—21. 14) I Par. XXIV, 3. 6. 31. 15) Ib. XXII, 17. 16) Ib. XXIV, 3. 6. 31. 17) Conf. Marc. II, 26 et I Reg. XXI, 1 et XXII. 20. 18) I Par. VI, 4—8. 19) Ib. XXIV, 6 coll. 3. 20) Thes. philol. crit. ad v. אחז n. 7. 21) Ib. 6. 22) II Mach. IV, 7—10. 26; V, 6—10. 23) Conf. I Par. VI, 4—15 et I Esd. III, 2 et II Esd. XII, 10. 11 et *Ioseph.* Antiq. L. XI. c. 8. § 7 et L. XII, c. 2. § 4 et c. 4. § 1 et § 10 et c. 5. § 1 et c. 9. § 7. 24) II Par. XXXI, 10; Ezech. XL, 46; XLIII, 19; XLIV, 15; XLVIII, 11, 25) I Par. XII, 27. 26) Ib. XXVII, 17. 27) Conf. ll. cc. 28) I Par. XII, 27. 28. 29) I Par. VI, 8.

CAPUT IV

Conclusio

42 Quod igitur ex his, quae huc usque disputavimus, facile colligere est, ἀρχιερεις, quorum, vel in novo testamento, vel apud Iosephum, mentio est, quum neque pontifices fuerint, qui simul eodemque tempore hac dignitate potirentur, neque ii, a quibus ea annuis vicibus gereretur, neque pontifex una cum suo ipsius vicario, imo neque ii solummodo, qui hoc munere fuerant defuncti, superest, ut dicamus fuisse totius ordinis primores, hoc est, principes familiarum sacerdotalium, atque eos adeo de horum numero, qui pontificatum gesserant. Atque iste erat ordo ἀρχιερεων primus trium, quibus Synedrium constabat [1]). Non autem oblivisci oportet, quomodo sub extremam reipublicae iudaicae aetatem inter sacerdotum primores quidam cooptati fuerint regina pecunia hanc eis dignitatem conciliante. Quo illud pertinet, quod legimus in talmude, Martham Baithosi filiam Iannaeo regi obtulisse modium denariorum, ut Iosue Gamalae filius cooptaretur בכהני רברבי *inter sacerdotes primarios* [2]). Quare et istos veluti spurios ἀρχιερεις iis, quos diximus, adnumeremus necesse est.

DISSERTATIO XXIX

De Scribis

1 Scribae, Graecis γραμματεις, quos una cum principibus sacerdotum interrogavit Herodes, *ubi Christus nasceretur*, et quorum mentio frequentissima in novo testamento, ii sunt, quos Hebraei סופרים adpellavere. Verbo ספר primigenia notio, etsi numquam in hanc usurpatum reperiatur, eadem, ac graeco γραφω latinoque *scribo*, fuisse videtur *scalpere, incidere* [3]); hinc illa, in quam solet accipi, *scribere*, atque etiam *numerare*. Est igitur סופר, quisquis id exercet, quod scriptione potissimum [4]) aut numeratione continetur, ideoque et stilum [5]), et thecam calamariam [6]), et scalpellum [7]), ei fuisse legimus. Hinc סופר adpellatio facta iis, quorum erat milites conscribere [8]).

2 Illis autem praesertim haec adpellatio olim fiebat, quorum officia non alia, quam quae in republica romana ii fungebantur, quos *scribas (notari)* vocabant, et de quibus haec loquitur Cicero: *Scribarum ordo est honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae periculaque magistratus committuntur* [9]); haec ipsa, inquam, horumque similia fuisse videntur illorum, de quibus agimus, in republica Iudaeorum officia, ut perquam apte eos latine *scribas* vocare liceat [10]). An omnes scribae fuerint de tribu Levis, etsi veri simile videatur, incertum est; illud indubium, etiam Levitas, ut Semeiam [11]), hoc munus exercuisso, atque etiam sacerdotes, ut Esdram [12]) et Eleazarum [13]). Scimus, posterioribus saltem aetatibus, magnam scribis conciliatam auctoritatem, ob legum praesertim peritiam, ut mox dicemus, ipsorumque ordinem fuisse alterum de tribus, quibus synedrium constabat [14]); etsi in eo non uti iudices sederent, sed consulendi caussa, ut iam animadverterunt Grotius [15]) et Lightfoot [16]), imo et alias saepe principibus sacerdotum consilio suo eos adfuisse discimus ex novo testamento [17]) atque ex ipsa historia Magorum, qui ad Christum advenerunt.

3 Sicut autem imperatores et magistratus Romanorum suos sibi scribas habuerunt [18]), sic et Iudaeorum reges. Davidis tres scribae commemorantur, *Saraias* [19]), *Siva* [20]), et *Susa* [21]), nisi haec sunt tria unius atque eiusdem viri nomina, horumque unum, aut alterum corruptum, Salomonis duo *Elihoreph* et *Ahia* [22]), Ioasi saltem unus, cuius nomen non edicitur [23]). Ezechiae scriba fuit *Sobna* [24]), Iosiae *Saphan* [25]), Ioacimi *Elisama* [26]). Regibus quoque Persarum plures scribae fuerunt [27]), horumque regum legatis, qui provinciis praeerant, scriba additus [28]).

---

[1]) Matth. XVI, 21; XXVI, 3; Marc. VIII, 31; XIV, 43. 53; XV, 1; Luc. IX, 22; XIX, 47; XXII, 66; Act. IV, 5; etc. Lege *Iahn.* Archaeolog. § 244. [2]) Ioma fo. 18 ap. *Schoettgen.* Hor. hebr. in Matth. II, 4. [3]) *Gesen.* Thesaur. ad h. v. [4]) Ier. XXXVI, 26 coll. 4, 17. 32. [5]) Ps. XLIV, 2; Ier. VIII, 8. [6]) Ezech. IX, 2. 3. [7]) Ier. XXXVI, 23. [8]) Iudic. V, 14 coll. IV, 6 et *Rosenmüll.* in h. l.; IV Reg. XXV, 19 coll. Ier. LII, 25; Is. XXXIII, 18. Conf. I Mach. V, 42. [9]) In Verr. Act. V. c. 59. [10]) I Par. XXIV. 6; II Par. XXXIV, 13; II Esd. XIII, 13; Ier. XXXVI, 10 coll. 12; XXXVII, 14. Conf. Esth. III, 12; VIII, 9. [11]) I Par. XXIV, 6. [12]) I Esd. VII, 6 coll. 1—5; etc. [13]) II Mach. VI, 18 coll. *Ioseph.* de Machab. § 5. [14]) Diss. XXVIII. n. 42. [15]) In Matth. II, 4. [16]) Hor. hebr. in Luc. X, 25. p. 790. § III. [17]) Matth. XXI, 15; Marc. XI, 18; XIV, 1; Luc. XX, 19; XXII, 2; XXIII, 10. [18]) *Forcellini* Lexic. ad v. *Scriba.* [19]) II Reg. VIII, 17. [20]) Ib. XX, 25. [21]) I Par. XVIII, 16. [22]) III Reg. IV, 3. [23]) IV Reg. XII, 10; II Par. XXIV, 11. [24]) IV Reg. XVIII, 18; Is. XXXVI, 3. [25]) IV Reg. XXII, 3 hebr. [26]) Ier. XXXVI, 12. [27]) Esth. II. cc. [28]) I Esd. IV, 8. 9.

4 Regiis Iudaeorum scribis inter regni primores primosque ministros locus erat, nec modo ea munia demandata legimus, quae nominis notationi respondent, puta, legere coram rege [1]), numerare pecunias a populo collatas in templi refectionem [2]), refectioni huic praeesse [3]), sed et alia, quae maioris auctoritatis sunt [4]), iisdemque regiarum aedium conclave adsignatum [5]). Nec minor auctoritas scribis, qui legatis regum Persarum in provinciis adiungebantur. Sic apud Esdram videas *Simsaim* scribam eodem loco esse ac Reum legatum Artaxerxis praesidemque regionum citra Euphratem [6]), suum utrique consilium adfuisse [7]), utrumque ad reges epistolas de rebus publicis misisse [8]), ad utrumque reges rescripsisse [9]).

5 Scribas, eosque, quod probabile est, tantum non solos ex Hebraeis, literarum ac scientiarum studiis, quae apud hanc gentem brevibus admodum limitibus coarctabantur [10]), excultos exhibent scripturae sacrae. Hinc laus, cui versum quibusdam legimus scribas esse, uti Ionathani Davidis propinquo [11]), Esdrae sacerdoti [12]), Eleazari, cuius insignem virtutem enarrat scriptor secundi libri Machabaeorum [13]). Hinc scribis a sapientia prima commendatio [14]). Quum autem potissima Iudaeorum studia circa patrias leges versarentur, factum est, ut nomine סופר ii praesertim solerent adpellari, qui ius patrium profitebantur, aliosque docebant [15]), idque ipsum nomen tantumdem valeret ac *iurisconsultus, iurisperitus*, facileque intelliges hos, nec alios praeterea, eos esse, quos Iosephus adpellavit *ἐξηγητας των νομων enarratores legum* [16]); quae quidem ex libris Esdrae adparent manifesto [17]), longe tamen plenius ex novo testamento.

6 In hoc enim legimus, ut scribae populum legem docerent [18]); quo spectat illud Christi: *Ideo omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* [19]), itemque illud: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes et scribas* [20]), quin etiam adpellatio *scribae populi*, quae est in historia Magorum, atque etiam in primo libro Machabaeorum [21]), quod, inquam, sic vocarentur illi scribae, qui populum erudiebant, legemque docebant, idque eo confirmatur, quod Esdras, cui eadem haec cura peculiari quadam ratione demandata fuerat (5), dicatur a Iosepho *primus sacerdos populi* [22]), aut certe longe magis haec illius adpellationis ratio cuivis probabitur, quam, quae adfertur a Lightfooto, alios fuisse *scribas cleri* alios *populi* [23]). Legimus quoque, ut in alias regiones scribae migrarent ad aliarum gentium homines legem edocendos [24]). Neque legum solummodo, sed et morum, usuum, consuetudinum, ceterarumque tum rerum tum doctrinarum, quas acceperant a maioribus, illos studiosissimos fuisse ac tenacissimos tradunt evangelistae [25]). Denique Lucas eos subinde *νομικους legis peritos* vocat [26]), sicut Iosephus *νομικον* dixit Eleazarum (2. 5), atque etiam *νομοδιδασκαλους legis doctores* [27]), hos autem *νομικους* et *νομοδιδασκαλους* eosdem esse ac *γραμματεις scribas* adparet, tum quia, sicut saepissime scribae, sic et hi una cum Pharisaeis nominantur [28]), tum quia, quem Matthaeus *νομικον* [29]), eum Marcus *γραμματεα scribam* [30]) adpellavit, tum demum quia, quos Lucas prius dixerat *νομοδιδασκαλους* [31]), eos paullo post [32]), aeque ac Marcus eamdem rem narrans [33]), *γραμματεις scribas* dixit. Ne putes tamen nomina *νομικον* et *νομοδιδασκαλον* propria esse publici alicuius muneris aut officii, sicut est *γραμματευς*, sed illa sonant scientiam, qua, qui sic adpellabantur, praediti erant, hoc vero publicam ac politicam scientiae huius professionem.

7 Ex hac autem legum ac *παραδοσεων* scientia ac professione abnormi plerumque, ut a caussa, repetenda est petulantia atque audacia, qua homines isti in Christum eiusque discipulos invehebantur, eaque cavillabantur, quaecumque hi agerent, aut dicerent [34]).

8 Hinc etiam arctissima scribarum societas cum Pharisaeis, quae secta ceteras inter Iudaeos exortas auctoritate potentiaque praestabat [35]) ac studio, quod in legem pro suo ingenio intellectam servandam conferebat [36]). Concordia illa atque unanimitas vel ex eo arguitur, quod, quum Christus, sicut refert Lucas, Pharisaeorum mores carperet, *respondens quidam ex legisperitis ait illi: Magister,*

---

[1]) IV Reg. XXII, 8—10; II Par. XXXIV, 15. 18. [2]) IV Reg. XII, 10; XXII, 4; II Par. XXIV, 11; XXXIV, 9. [3]) IV Reg. XXII, 3 hebr.; II Par. XXXIV, 8. [4]) IV Reg. XVIII, 18; XIX, 2; XXII, 12—14; II Par. XXXIV, 20—22. [5]) Ier. XXXVI, 12. 20. 21. [6]) I Esd. IV, 8. 9. 17. 23. [7]) Ib. 9. 17. 23. [8]) Ib. 8. [9]) Ib. 17. [10]) *Iahn.* Archaeolog. § 98 [11]) I Par. XXVII, 32. [12]) I Esd. VII, 6. 11. 12. etc. [13]) II Mach. VI, 18. [14]) Eccli. X, 5; XXXVIII, 25. [15]) Ier. VIII 8. [16]) Antiq. L. XVII. c. 9. § 3. [17]) I Esd. VII, 6. 11. 12. 21; II Esd. VIII, 1—6. 13. [18]) Matth. VII, 29; XV, 1. 2 seqq.; XVII, 10; XXIII, 2 seqq.; Marc. I, 22; IX, 11. 14; XII, 35. [19]) Matth. XIII, 52. [20]) Ib. XXIII, 34. [21]) I Mach. V, 42. [22]) Diss. XXVIII. nn. 27. 29. [23]) Op. cit. in h. l. p. 206. [24]) Matth. XXIII, 15. [25]) Ib. XV, 1. 3. 5; XXIII, 16. 18; Marc. VII, 5. [26]) Luc. VII, 30; XI, 45. 46. 52; etc. [27]) Luc. V, 17; Act. V, 34. [28]) Luc. V, 17; VII, 30; XIV, 3. [29]) Matth. XXII, 35. [30]) Marc. XII, 28. [31]) Luc. V, 17. [32]) Ib. 21. [33]) Marc. II, 6. [34]) Matth. IX, 3; etc.; Marc. II, 6; etc.; Luc. V, 21; etc. [35]) *Iahn.* Archaeol. § 316 et *Ioseph.* ab eo citat. [36]) *Iahn.* Arch. §§ 318—320 et *Ioseph.* ab eo citat.

haec dicens etiam contumeliam nobis facis [1]). Proinde videas utrosque consociatos in evangeliis [2]). Cavesis tamen alterutros pro alteris habeas, aut utrorumque nomina *συνωνυμα* existimes, quum *scriba* sit adpellatio officii ac muneris publici, *pharisaeus* vero sectae atque instituti, quod discrimen perspicue iudicat Lucas in Actis apostolorum [3]); tametsi fieri potuit, imo, sicut adparet ex praedictis, veri omnino simile est, ut maxima scribarum pars sectam hanc sequuta fuerit. Atque inde capienda est intelligentia illorum Christi verborum: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei* [4]), hoc est, *κατα το ἐν δια δυοιν*, qui scribae simul sunt et Pharisaei, scribae de secta Pharisaeorum; neque enim Pharisaeorum erat populum publice docere.

9 Illud autem, quod ex verbis Lucae, quibus, ut modo dictum est, discrimen proditur nominum *scribae* et *Pharisaei*, colligit Rosenmuellerus [5]), etiam Sadducaeis, aeque ac Pharisaeis, proprios scribas fuisse, accipere fortasse possumus, si nihil aliud dicere voluit, quam fuisse inter scribas, qui Sadducaeorum placita profiterentur, etsi non necessario id consequatur ex verbis Lucae, sed solummodo non omnes scribas fuisse Pharisaeos. At commentitium plane foret scribas, veluti sectae ministros, sive Sadducaeis sive Pharisaeis adtribuere, minimeque ii habendi sunt scribae, de quibus agimus, et quorum mentio fit ab evangelistis.

DISSERTATIO XXX

De Michaeae vaticinio a sacerdotibus adlegato

1 Herodi interroganti, *ubi Christus nasceretur*, principes sacerdotum scribaeque responderunt: *In Bethlehem Iudae. Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu, Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel* [6]); quod vaticinium Michaeae est [7]). Illa ergo aetate certum atque indubium Iudaeis erat hoc vaticinium de Christo eiusque patria dictum fuisse, quod testimonio Ionathanis Uzielis filii comprobatur [8]). Quare a maiorum suorum sententia devii aberrasse dicendi sunt illi Iudaei, quos seriore aetate redarguebat Theodoretus [9]) docentes hoc ipsum vaticinium ad Zorobabelem pertinere, sicut postea Grotius quoque et Dathe docuerunt. Io. Georgius Rosenmuellerus haec scribit: *Falsam esse interpretationem (huius vaticinii), quae apud Matthaeum extat, concedit Michaelis* [10]). Atqui, si Michaelisium id *concedere* dicit Rosenmuellerus, ipse id *accipere* dicendus est; quanam porro ductus ratione? Frustra requiras. At Ernestus Rosenmuellerus [11]) Ioannis filius id minime accipit, contenditque toto illo Michaeae capite Christum resque huius praedictas esse. Ceterum nunc locus non est ipsius vaticinii interpretationi.

2 Quod autem in praesenti sollicitos nos habet, est *ἐναντιοφανεια* quaedam inter Matthaeum et Michaeam intercedens. Etenim apud Matthaeum tamquam Michaeae verba haec leguntur: *Και συ, βηθλεεμ, . . . οὐδαμως ἐλαχιστη εἰ Et tu, Bethlehem, . . . nequaquam minima es*, quum tamen Michaeas ita loquatur: ואתה בית-לחם . . . צעיר, quae graecus interpres sic vertit: *Και συ, βηθλεεμ, . . . ὀλιγοστος εἰ*, Hieronymus autem: *Et tu, Bethlehem, . . . parvulus es.* Quare illud: Sic *enim scriptum est per prophetam*, quod legitur in Matthaeo, falso dici videtur, ideoque de ipsa veritate evangelistae nobis quaestio esse. Quam quaestionem, ut recte ea intelligatur atque habeatur, sic instituere atque proponere oportet: An verba sic *enim scriptum est per prophetam* veritati adversentur ita, ut nequeat id non Matthaeo vitio verti?

3 Quo palam fieret ea verba veritati minime adversari, alii alias rationes excogitarunt sententiam Matthaeum inter et Michaeam componendi, quarum aliquae satis sunt procul dubio. Eas omnes ad tres praecipuas redigemus, atque, ubi singulas expenderimus, dicemus, quid de tota hac controversia sentiendum nobis videatur.

---

[1]) Luc. XI, 45. [2]) Matth. V, 20; XXIII, 2 seqq. etc.; Marc. II, 16. etc.; Luc. V, 21. etc.; Io. VIII, 3. [3]) Act. XXIII, 9 graec. [4]) Matth. XXIII, 2. [5]) Schol. in Matth. II, 4. [6]) Matth. II, 5. 6. [7]) Mich. V, 2. [8]) Mich. l. c. [9]) In Mich. l. c. [10]) Schol. in Matth. II, 6. [11]) Schol. in Mich. V.

CAPUT I

De codicum discrepantia

4 Sunt itaque, qui confugiant ad codices inter se discrepantes variasque, ut vocant, *lectiones*, quo vel eo, quae in Matthaeo leguntur, sublata negantia, accommodent ad illa, quae leguntur in Michaea, aut e contrario, negantia in Michaeae sententiam adscita, eam aptent sententiae, quae est in Matthaeo.

5 Et, quod quidem adtinet ad Matthaeum, graeca pagina codicis cantabrigensis, non *οὐδαμῶς nequaquam*, sed *μὴ* habet, quae particula non semper negat, sed etiam interrogat, ut latina *num, numquid* [1]); sic etiam latinus codex corbeiensis habet *numquid* [2]). His tamen codicibus reliqui omnes tum graeci tum latini adversantur. Ceterum liquet interrogationi huic eamdem vim esse ac negationi; quare nihil hac conficeremus, nisi si simul poneremus ipsa Michaeae verba interrogando prolata fuisse, quae nonnullorum sententia est, de qua postea. At, si interrogando haec fuere prolata, iam et ipsa negantia sunt, proinde iam consonant iis, quae legimus in Matthaeo, idque ita, ut quidquam in huius exemplaribus immutare minime oporteat. Itaque, utrovis modo legas verba Michaeae, discrepantes Matthaei codices nihil opis adferunt huic quaestioni.

6 Potiora sunt, quae suppeditant exemplaria Michaeae. Nam codex graecus Barberinorum habet *μὴ ὀλιγοστὸς*, itemque habuisse feruntur graeci codices, quibus usi sunt interpres arabs editus in bibliis polyglottis Waltoni, patrumque graecorum bene multi, Origenes [3]), inquam, auctor *Quaestionum ad Antiochum*, quae Athanasio adtribuebantur [4]), Cyrillus Hierosolymitanus [5]), Gregorius Nyssenus [6]), Epiphanius [7]) Chrysostomus [8]), Theodorus Mopsuestenus [9]), Basilius Seleuciensis [10]), Theodoretus [11]), Ioannes Damascenus [12]), Theophylactus [13]), quibus non pauci latinorum patrum suffragantur, ut Tertullianus [14]), Cyprianus [15]), Hilarius [16]), Ambrosius [17]), Evagrius [18]), auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* [19]), Petrus Chrysologus [20]), Leo Magnus [21]), Iunilius Africanus [22]), Gregorius Magnus [23]), Isidorus Hispalensis [24]). At, praeterquam quod margini codicis Barberinorum adscriptum est *ὀλιγοστὸς* sine particula *μὴ*, contra testantur ceteri omnes graeci codices, nedum hebraici omnes omnesque latini. De grandi autem illo patrum agmine demere eos oportet, quorum dubium est testimonium; cur vero tale habendum sit, non una caussa est. Primo enim dubium est illorum patrum testimonium, vel quia discrepent eorum exemplaria, vel quia alias verba Michaeae retulerunt sine illa particula; demendi igitur de illo numero Origenes agens contra Celsum [25]), Cyrillus Hierosolymitanus [26]), et Isidorus [27]). Dubium, imo nullum est testimonium patrum depromptum ex ipsorum commentariis de evangelio Matthaei, aut ex orationibus aliisque operibus, quibus agunt de eo re, quam narrat Matthaeus, quamvis Michaeam in his citent, quum, nisi certo constet ipsum Michaeum ab illis exscriptum esse, suspicio saltem sit, plerumque vero adpareat manifesto, eos, non Michaeae, sed Matthaei verba exscripsisse; hac de caussa ex patrum albo superius posito expungendi Chrysostomus, auctor *Operis imperfecti in Matthaeum*, Leo, et Theophylactus, qui ipsa Matthaei verba retulerunt, nisi quod horum alter memoriter, ut videtur, adiunxerit ex ipso Michaeae libro petita illa: *diesque eius a diebus saeculi*, quo arguat, etsi praeter rem, Iudaeos non integrum vaticinium Herodi enarrasse. Nulla etiam sunt, quae petuntur ex illis patrum scriptis, quibus nec Matthaeum interpretantur, neque de ea re agunt, de qua Matthaeus, quantumvis Michaeam auctorem citent, siquidem, non hunc, sed Matthaeum exscribant, aut utriusque verba, quod saepe accidit, commisceant; delendi ergo ex eodem illo albo Origenes *de Principiis* scribens, Gregorius Nyssenus, Theodoretus, ubi disputat, *Quod etiam post incarnationem unus sit filius*, Gregorius Magnus, et Ioannes Damascenus, licet verbis *terra Iuda* adiungat *domus Ephrata*, quae non in Matthaeo leguntur,

1) Conf. graec. et latin. Matth. VII, 9. 10; Marc. II, 19; etc. 2) *Sabatier* Latinar. version. antiquar. ad Matth. II, 6. 3) De princip. L. IV. § 5; Cont. Cels. L. I. § 51. 4) Quaest. CXXXVII. § 6. 5) Catech. XI. § 20; XII. § 20. 6) Adv. Iud. § II. 7) Ancor. § 30. 8) In Matth. hom. VI. § 4. 9) In Mich. V, 2. 10) Orat. XXXIX. 11) In Mich. V, 2; Quod etiam post incarnat. unus sit filius § 3. 12) Adv. Nestor. § 42. 13) In Matth. II, 6. 14) Adv. Iud. c. 13. 15) Testimonior. L. II. c. 12. 16) In Ps. CXXXI. § 13. 17) De Iacob. L. II. § 32; Ep. LXX. § 9. 18) Altercatio Theophili et Simonis ap. *Martene* Anecdot. T. V. p. 9 et ap. *Galland.* Biblioth. veter. patr. T. IX. p. 252. 19) Hom. II. p. XXX. 20) Serm. XVIII. 21) Serm. XXXII al. XXXI al. II. de Epiph. c. 3. 22) De part. divinae leg. L. II. c. 22. 23) In I Reg. L. I. c. 1. § 9. 24) Cont. Iud. L. II. c. 3. § 8. 25) Lege *De la rue* not. ad Origen. Cont. Cels. l. c. et conf. in Levit. hom. VIII. § 4. 26) Lege *Touttée* not. in ll. cc. 27) Lege *Arevali* not. in l. c. conf. L. I. c. 11. § 1 et not.

sed in Michaea. Multo autem minus patribus praedictis adnumerandi sunt ii, qui, cum Matthaeum exscribunt, Michaeam ne nominant quidem, ut Tertullianus et Petrus Chrysologus. Denique et illi praetereundi, qui verba Michaeae ad eam sententiam, quae his verbis in evangelio Matthaei subest, videntur conformare voluisse, sicut fecerunt Iunilius, qui insuper, si quid video, memoriter ea protulit, et ante hunc Ambrosius, quem prophetae verba ad verba evangelistae conformasse planum est, id enim produnt, non modo illud *minima* pro *minima ut sis*, illudque *inter principes* pro *in millibus*, atque illud *enim*, quod Michaeas non habet, itemque illud *exiet princeps* pro *exiet, qui sit princeps* [1]), multo autem magis illa *Bethlehem Iudaeae* et *qui regat populum meum* [2]), sed praesertim haec ipsius Ambrosii verba: *Hic tamen, id est, in libro prophetico, invenimus: ὀλιγοστὸς εἶ, id est,* IN PAUCIORIBUS ES, *in Matthaeo autem: Et tu, Bethlehem, domus Iuda,* NON ES IN PAUCIORIBUS [3]). Patribus vero, qui supersunt, quosque certo constat Michaeae verbis insertam particulam μή legisse, illos opponimus, qui haec ipsa sine hac aut simili particula retulere, Eusebium [4]), Hieronymum [5]), Augustinum [6]), Cyrillum Alexandrinum [7]), Cosmam Aegyptium [8]). Animadverte autem Hieronymum haec expresse pronuntiare: *Pro* NEQUAQUAM MINIMA ES IN DUCIBUS IUDA *in Septuaginta legitur* MODICUS ES, UT SIS IN MILLIBUS IUDA, *in hebraeo* PARVULUS ES IN MILLIBUS IUDA [9]). Quare etiam in commentario, quo Hieronymus Michaeam interpretatur, patet negationem esse non posse, legendumque, ut verba restituit Vallarsius secundum codices palatinum et brixiensem, non autem, ut posuerunt Martianaeus ac ceteri, qui ante Vallarsium Hieronymi operum exemplaria edidere, *nequaquam minima es*, quod insuper iis prorsus contrarium est, quae paullo post scripsit Hieronymus in illo ipso commentario.

7 Parum itaque aut nihil nos iuvat in hac quaestione codicum discrepantia. Huc autem pertinet et illa ratio legendi vaticinium Michaeae excogitata ab auctore cuiusdam dissertationis, quam Ludovicus Cappellus inseruit *Appendici* operis sui, cui titulus *Critica sacra.* Coniectat ille pro צעיר להיות *parva, ut sis* legendum צעיר לו היה *parva non eris*, nam לו pro לא non semel usurpatum est in bibliis [10]), itemque היה pro היית [11]). Verum, ne dicam vix ferendam esse coniecturam profecto audaciorem, utpote quae ipsius ἀρχετύπου verba sic immutat, imo et contortam, ut qua verbum communissimum in duo alia ἀνώμαλα resolvitur, ridendum denique, quippe quia auctor ponit Iudaeos, ut oraculi sensum perverterent, literas transposuisse, his ergo praeteritis, coniecturam hanc ea omnia refutant, quibus comprobavimus negationem in Michaeae vaticinio non esse. Quare ipse Cappellus hoc commentum explodit.

CAPUT II

De multiplici notatione nominis צעיר

8 Alii alios nominis צעיר significatus veluti extundere adnituntur, duosque potissimum proferunt, quo minus ea, quae in exemplaribus Michaeae sunt, discrepent iis, quae sunt in exemplaribus Matthaei.

9 Quidam enim aiunt hoc nomen non esse adpositum nomini Bethlehemo, sed nomen substantivum, vertendumque *parvum est* vel *parum est*, ut integra Michaeae sententia ita sit: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parum est, ut sis in millibus Iuda.* Id comprobari autumant auctoritate Ionathanis Uzielis filii, qui pro eo nomine reddidit כזער, hancque vocem vertunt *tamquam parum*, *tamquam minimum*, in quem sensum eam usurpavit idem ipse Ionathan Oseam vertens [12]). At nemo non sentit, quam duram syntaxin efficiunt non minus dura interpretatio, qua nomen *parvum* ponitur valere idem ac *parum est*, sensum vero interpretis chaldaei longe melius ac, mea sententia, verius expressum habes in bibliis polyglottis: *quasi minima.*

10 Pocockius [13]) nonnullique eum sequuti docent צעיר esse unum de illis vocabulis, quibus oppositae notiones subesse possunt, atque hoc loco *magnum* significare. Non multo secus scripsere Millius, cui haec vox valet etiam *eximium, illustre* [14]), et Rosenmuellerus, qui sentit eam *interdum*

---

[1]) Ll. cc. [2]) De Abrah. L. II. § 11; In Ps. XXXV. § 4; In Luc. L. III. § 35. [3]) Ep. LXX. § 11. [4]) Dem evang. L. II. § 51; L. VII. c. 2. [5]) De optimo genere interpret. ad Pammach. ep. LVII al. CI. § 8; In Mich. V, 2. [6]) De civ. Dei. L. XVIII. c. 30. § 1. [7]) In Mich. V, 2. [8]) De opif. mundi L. V. p. 233 ed. *Montfauc.* [9]) Ad Pammach. l. c. [10]) I Sam. II, 16; XX, 2. [11]) II Sam. X, 11; XV, 33. [12]) Os. I, 4. [13]) Notae miscell. in *Maimonid.* Port. Moysis. p. 17. [14]) In Matth. II, 6.

significare PRINCEPS, ILLUSTRE, *Zach.* XIII, 7 *et in arabica lingua* [1]). Sententiam suam comprobat Pocockius non una auctoritate. Prima est Tanchumi Iosephi filii Hierosolymitae [2]), qui hoc idem scripsit, duoque alia protulit huius significationis exempla, unum ex Ieremia [3]), ubi interpres chaldaeus pro hebraico vocabulo reddidit שלטין *dominatorem*, alterum ex Zacharia [4]), ubi interpretes graecus, syrus, et arabs, videntur Pocockio in hunc sensum hebraicum vocabulum accepisse. Altera auctoritas est Ebu Iaunahii [5]), qui tradit idem hoc nomen esse *ex pugnantibus significatione*, idque confirmat eodem illo exemplo ex Zacharia petito. Tertia est auctoritas *Glossarii hebraeoarabici*, in quo caeteris vocum a צער deductarum significationibus adnumeratur etiam סלטן *dominator*, additis exempli caussa praedictis Zachariae verbis. Plura deinde vocabula adfert Pocockius, hebraica, graeca, latina, praesertim vero arabica, quae in contrarios significatus accipi possunt. Equidem haud parvi faciendum existimo testimonium interpretis chaldaei, qui in Ieremia [6]) pro צעוריה vel, ut est in margine, צעיריה reddidit שלטוניהון *dominos eorum*, itemque interpretum graeci, syri, et arabis, quorum primus, si codici alexandrino credendum potius quam vaticano, *ποιμενας pastores*, alter ܪ̈ܝܫܢܐ *superiores*, tertius الرعا *pastores*, habent pro צערים in Zacharia [7]). Si rationem hanc a Pocockio excogitatam sequi placet, qua controversiam dirimas, sequaris licet, tametsi dubito, an eam omnibus sis probaturus. Animadvertere tamen ne omittas auctoritates, quas ille urget, aetate extitisse seriore, quam ut ab illis adsensum cohibere nequeamus. Exemplis adlatis a Tanchumo vix aliquid confici, *quum illis usitata significatio satis idonea sit*, ut iam vidit Rosenmuellerus [8]). Interpretem arabem Zachariae, quum, non hebraica, sed graeca exemplaria transtulerit, nihil testari aliud, quam in codice, quo usus est, *ποιμενας* scriptum fuisse, sicut in codice alexandrino. Denique in illis Ieremiae et Zachariae capitibus non legi ipsum nomen צעיר, etsi alia legantur ab eadem radice ac istud exorta, nisi quod Masorethae tradunt in Ieremia nomen aliter scriptum sic esse legendum.

CAPUT III

De una eademque differentium verborum sententia

11 Alii contendunt eamdem esse sententiam in Matthaeo ac in Michaea, etsi differentibus verbis expressam. At qui id fieri potest, siquidem alter negat, quod alter ait?

12 Respondent quidam, verba Michaeae interrogando esse prolata, hancque interrogationem aeque ut negantiam valere; neque officere, quod desit particula interrogativa, id enim subinde contingere. Cuius rei plura exempla congerunt ex bibliis deprompta, atque animadvertunt verba Lamechi [9]), quae exemplar hebraicum exhibet sine ulla illiusmodi particula, ab Onkeloso versa esse praeposito הלא *nonne*, imo et Stephanum in Actis apostolorum [10]) eodem pacto reddidisse quamdam Isaiae sententiam [11]); contra vero quaedam, quae Moyses [12]) quaeque psaltes [13]) interrogando protulerant, illa a latino interprete haec a Paulo [14]) negando relata esse. Verum enimvero huiusmodi particulae salva interrogatione omitti secure possunt, dummodo aut vocis flexus aut constructio verborum illarum vicem suppleant, qua tamen in re diiudicanda, maxime quum aliorum sensus descriptos in libris legimus, emuncta plane nare opus est; an autem in verbis Michaeae alterutrum fiat, equidem dubito.

13 Sunt etiam, qui narrent Bethlehemum *minimam* et *non minimam* dici posse pro rerum ac temporum varietate, totique in eo sunt, ut rationes atque argumenta excogitent, quibus id comprobent. Quaecumque autem excogitare queunt, ad hoc unum rediguntur, ut Michaeas Bethlehemum *parvam* dixerit, quod parvum re ipsa fuerit oppidum, apud Matthaeum vero *nequaquam minima* esse dicatur, quod olim Christus in ea ortus maximum ipsi decus esset collaturus; sic inter ceteros post Cappellum [15]) uterque Rosenmuellerus [16]). Sed hoc pacto nodus non expeditur, non enim quaestio est, an possit Bethlehem *minima* simul et *nequaquam minima* dici, sed qui potuerit Matthaeus vere pronuntiare *scriptum esse per prophetam* Bethlehemum *nequaquam minimam* esse, quum e contrario propheta scripserit eam esse *minimam*.

---

[1]) Schol. in Matth. II, 6. [2]) In Mich. h. l. Mss. Oxon. [3]) Ier. XLVIII, 4. [4]) Zach. XIII, 7. [5]) Lib. radic. [6]) L. c. [7]) L. c. [8]) Schol. in Mich. h. l. [9]) Gen. IV, 24. [10]) Act. VII, 50. [11]) Is. LXVI, 2. [12]) Deut. IX, 2. [13]) Ps. XIII, 2. [14]) Rom. III, 11. [15]) Append. crit. sacr. § 17. p. 516. [16]) LL. cc.

14 Sentiunt denique alii Matthaeum non ipsum Michaeae vaticinium referre, sed potius *παραφράζειν* eiusque sensum explanare, quum ceteroquin dubitatione careat scriptores novi testamenti sententias solummodo, non autem verba scriptorum testamenti veteris, interdum referre. Hoc autem si accipiamus, patebit utique, ut nihil falsi praeferant illa: *sic enim scriptum est per prophetam.* Etenim, quum narramus aliquem aliquid dixisse aut scripsisse, non semper sic intelligi volumus, veluti de iis solummodo loqueremur, quae ille expresse dixerit, aut scripserit, sed etiam de iis, quae in illius verbis veluti latent, quaeque ex his consequuntur. Itaque Matthaeus, narrans scriptum fuisse a Michaea Bethlehemum *nequaquam minimam* esse, explicat, quo sensu *minima* haec eadem ab illo dicatur; est autem hic sensus: *Et tu, Bethlehem, minima quidem es, at nequaquam minima ultra eris.* Sed fortasse neque postrema haec ratio controversiae huius componendae omnibus aeque sese probabit.

CAPUT IV

Verior de tota hac re sententia proponitur

15 Aio igitur nullam esse caussam, cur sollicitos nos esse oporteat de concilianda sententia inter verba, quae leguntur in Michaea, quaeque in Matthaeo. Etenim illa: *Sic enim scriptum est per prophetam*, haudquaquam Matthaei ipsius verba sunt, sed sacerdotum scribarumque, qui Herodi responderunt. Hoc ferme est Maldonati [1]), hoc Hieronymi quoque iudicium [2]), uterque enim sensit, *evangelistam, non verba prophetae, sed sacerdotum scribarumque recitare voluisse* [3]). Porro Hieronymus sic loquitur: *Arbitror, Matthaeum, volentem arguere scribarum et sacerdotum erga divinae scripturae lectionem neghgentiam, sic etiam posuisse* UT AB EIS DICTUM EST [4]). Maldonatus discrepantiae huius caussam esse ait, quod *sacerdotes*, non ipsum oraculum, sed oraculi *παράφρασιν protulerint.* Insuper auctor *Operis imperfecti in Matthaeum* ait, *sacerdotes oraculum hoc mutilum protulisse* [5]); sensit ergo et is sacerdotes ipsos a Matthaeo loquentes induci, etiam ubi oraculum legitur. Hoc autem ipsum ipso connexu et contextu orationis manifesto comprobatur.

16 Fugere autem nos minime convenit, quomodo hoc semel posito, quod ipsi sacerdotes et scribae producto vaticinio Michaeae confirmaverint Christum Bethlehemi oriturum fuisse, certo etiam constet sensisse Iudaeos illius aetatis hoc vaticinium de Christo dictum esse a Michaea; quod argumentum minus efficax fortasse haberetur, si verba *sic enim scriptum est per prophetam*, non sacerdotum et scribarum forent, sed Matthaei.

DISSERTATIO XXXI

De historia Christi in Aegyptum subducti

1 Quaeritur, quando Christus in Aegyptum fuerit subductus. Caedes puerorum Bethlehemitarum perpetrata est non serius vere novo an. U. C. DCCXLVIII [6]). Fuga Aegyptum versus a Iosepho cum suis adrepta fuit, non modo ante cladem initam, sed et ante imperatam, nam angelus iubens Iosephum fugam maturare hanc adtulit caussam: FUTURUM *est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum* [7]). Adrepta tamen fuit, quum caedes iamiam instaret; cuius rei argumento sunt, tum Herodis sollicitudo gravior omnino, quam ut Magos Bethlehemo, hoc est, a sexto milliario, reduces diutius maneret, tum festinatio, qua fuga indicta [8]) atque adrepta est, ipsa nocte videlicet, ne prima quidem luce exspectata [9]). Magi, ut iam demonstravimus, non citius advenerant, quam circa medium februarium illius anni, quodque probabile etiam est, non serius martio ineunte [10]), atque una saltem nocte manserunt Bethlehemi [11]). Angelus autem Iosepho in somnis visus non est, nisi postquam ii recesserant [12]), non ergo eadem illa nocte, attamen brevi post eorum discessum, forte

---

1) In Matth. h. l. 2) Comment. in Matth. h. l. 3) *Maldon.* l. c. 4) Comment. in Mich. h. l. 5) Hom. II. p. XXX. 6) Diss. XXX. c. II. 7) Matth. II, 13. 8) Ib. 9) Ib. 14. 10) Diss. XXVII. c. III. n. 24. 11) Ib. c. VII. n. 19. 12) Matth. II, 13.

nocte insequente, quod veri plano simile est, et comprobatur illis ipsis rationibus, quae, ut modo diximus, credere suadent fugam adreptam caedo puerorum iamiam instante, quodque ipsa Matthaei verba confirmant [1]. Quibus positis credere iure est fugae Aegyptum versus tempus fuisse inter medium februarium et inter martium ineuntem an. U. C. DCCXLVIII.

2 Quaeritur quoque, quamdiu in Aegypto Christus exsulaverit. Matthaeus expresse id nos docuit haec scribens: *Et erat ibi usque ad obitum Herodis* [2]. Num Herodi supremus dies fuit intra dies V kal. et IV. non. april. an. U. C. DCCL [3]. Quare Christus in Aegyptum subductus eo tempore, quo diximus (1), putandus est uno aut altero mense supra biennium illic esse commoratus. Sed locus alias dabitur plenius hac de re disserendi [4]. Qui vero scripserunt Christum *neque plures septem, neque pauciores quatuor in Aegypto annos commorari potuisse* [5], patet eos minime advertisse, ut dies supremus Herodi ille fuerit, quem diximus, quod tamen nemo iam in dubium vocat, qui non, quidquid fidei historiis est, susque deque habeat.

3 *Angelus igitur, qui apparuit,* inquit Chrysostomus, *non Mariam, sed Iosephum alloquitur. Et quid dicit? Surgens accipe puerum et matrem eius. Hic non ultra dicit* CONIUGEM TUAM [6]*, sed* MATREM EIUS*; quia enim partus contigit, suspicio soluta est, et viro fides facta est, libere iam loquitur angelus, neque* FILIUM *neque* CONIUGEM *eius dicens, sed* PUERUM ET MATREM EIUS [7].

4 Urbs Aegypti, qua Christus profugus ex Iudaea degit, ea esse fertur, quae On primo dicta, deinde Heliopolis [8], nunc Matarea, utque Arabes eam vocant, *Materiah* nomen habet [9]; Christiani huius urbis incolae hanc patriae suae sibique laudem vindicant, reique monumenta advenis ostendunt, quae, si ea scire libet, te docebunt Iansenius Gaudavensis [10] et Lamartiniere [11]. Nulla profecto urbs Christo excipiendo opportunior ea fuisse videtur, non modo quod illa religionum iudaicarum in Aegypto sedes veluti foret ob templum in eius vicinia ab Onia pontifice exstructum [12], sed potissimum quia urbem hanc, ut narrat Iosephus [13], Pharao habitandam concesserat Iacobo, quum e Chanaanitido in Aegyptum commigravit, eamque regionem Israelitae tenuerunt, donec ex Aegypto profecti sunt. Neque enim, quod Iosephus scripsit, adversatur historiae Moysis narrantis Iosephum Iacobi filium Pharaone iubente patri ac fratribus dedisse *possessionem in terra Aegypti, in optimo terrae loco, in terra Ramessae* [14]. In regione enim hac Iacobo eiusque liberis ac nepotibus a Pharaone concessa, quae Gessen aut Gosen nomen habebat [15], urbes fuere Ramesses, Phitom, et On [16], harum caput priscis illis aetatibus Ramesses [17], ideoque ab ea toti regioni nomen erat [18], Macedonibus autem Aegypto potientibus On mutato nomine Heliopolis, atque ab ea nomus Heliopolites vocatus, quo nomine, ut par erat, utpote recentiore et notiore, illam regionem Iosephus designavit. Quod autem ait, Pharaonem Iacobo concessisse *eum liberis Heliopolim habitare*, hoc non de urbe ipsa dictum ab eo esse putandum est, sed de tota regione, idque confirmant haec, quae subiunxit: ILLIC *enim et regis pastores habebant pascua*, nempe alibi, quam in ipsa urbe.

5 Quod adtinet ad verba. *Ex Aegypto vocavi filium meum*, hic unus est locorum, ex quibus Hieronymus argumenta petebat ad fidem hebraicis bibliorum exemplaribus prae interpretatione alexandrina conciliandam. Sic autem scripsit enarrans hoc Matthaei caput: *Respondeant, qui hebraeorum voluminum denegant veritatem, ubi hoc in Septuaginta legatur interpretibus. Quod quum non invenerint, nos eis dicemus in Osee propheta scriptum, sicut exemplaria probare possunt, quae nuper edidimus.* Et in Commentariis de Oseae vaticiniis: *Septuaginta transtulerunt: Ex Aegypto vocavi filios eius, quod in hebraico non habetur; nullique dubium est Matthaeum de hoc loco sumsisse testimonium iuxta hebraicam veritatem. Ergo, qui detrahunt nostrae translationi, dent scripturam, de qua evangelista hoc testimonium sumserit, et interpretatus sit in Domino salvatore, quando de Aegypto reductus est in terram Israel. Et, quum invenire non quiverint, desinant rugare frontem, adducere supercilium, crispare nares, digitis concrepare* [19]. Etenim Alexandrini sic verterunt Oseae verba: *Ἐξ Αἰγυπτου μετεκαλεσα τα τεκνα αὐτου Ex Aegypto vocavi filios eius.* Cum his ex parte concordat chaldaica Ionathanis translatio; Aquila tamen, Symmachus, Theodotio, et syrus interpres, non secus ac Matthaeus, pro voce hebraica reddiderunt *filium meum.* Caussam huius discrepantiae

---

1) Diss. XXVII. c. III. n. 12. 2) Matth. ib. 15. 3) Diss. XXXV. 4) Diss. XXXVI. nn. 1 seqq. 5) *Maldonat.* in Matth. II, 15. 6) Matth. I, 20. 7) In Matth. hom. VIII. § 2. 8) Gen. XLI, 45 hebr., LXX, et Vulg.; Ex. I, 11 LXX. 9) *Delaborde* Comment. geograph. sur l'Ex. I, 11; XII, 37. p. 67. 10) Concord. evangel. in Matth. II, 15. 11) Dictionn. de géograph. *Matarea.* 12) *Ioseph.* Antiq. L. XII. c. 9. § 7; XIII. c. 3. §§ 1—3; Bell. L. I. c. 1. § 1; VII. c. 10. §§ 2. 3. 13) Antiq. L. II. c. 7. § 6. 14) Gen. XLVII, 11 hebr. 15) Gen. XLV, 10; XLVI, 34; XLVII, 6. 27; Ex. VIII, 22; IX, 26. 16) Ex. I, 11 graec. *Delaborde* l. c. et in h. l. 17) Conf. Ex. I, 11 graec. et XII, 37. 18) *Delaborde* l. c. et Append. au Comment. geograph. pp. 30 seqq. 19) In Os. XI, 1.

Ioannes Morinus [1]) hanc putat, quod interpretes alexandrini pro בני *filium meum* legerint בניו *filios eius*. Richardus Simon [2]) censet illos quidem, aeque ac Matthaeum, legisse בני *filium meum*, inscitis autem ineptisque alexandrinorum codicum correctoribus et scholiastis illam discrepantiam deberi.

6 Ceterum, quod Oseae verba ita, ut diximus, versa legantur in codicibus translationis alexandrinae, caussa fuit, cur quidam e patrum numero putaverint ea, quae Matthaeus retulit, desumpta fuisse ex vaticiniis Balaami [3]), quin et Hieronymus dicis caussa id concedere videtur, sicque loquitur: *Possumus autem locum istum et aliter conciliare propter contentiosos, quorum consuetudinem Paulus apostolus habere se denegat, et ecclesiam Christi*, ut quae nondum ipsius Hieronymi translatione bibliorum utebatur, *et testimonium proferimus ex Numeris dicente Balaam: Deus ex Aegypto vocavit eum* [4]). Tamen ante Hieronymum Eusebius, etsi senserit etiam Balaami verba huc spectare [5]), nec omnino negare vellet Balaami verba esse haec, quae Matthaeus retulit [6]), Aquilae tamen auctoritate, qui Oseam vertit iisdem illis verbis, quae leguntur apud Matthaeum, adducitur, ut verius credat haec, non ex Balaami, sed ex Oseae vaticiniis a Matthaeo exscripta fuisse.

DISSERTATIO XXXII

De Oseae vaticinio, quod in hunc locum a Matthaeo relatum est

1 Quod Christus in Aegypto exsulaverit, eo factum esse ait Matthaeus, *ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum* [7]). Hic propheta iste Oseas est [8]). Quomodo autem huius verba huc spectent, quo ea Matthaeus spectare dicit, interpretes scripturarum certant inter se, iuque tres sententias diversi abeunt.

2 Sunt enim, qui Eusebium [9]) sequuti sentiunt Oseam de nullo alio, quam de Christo, esse loquutum, adeo ut ipse sensus literalis verborum unum Christum praeferat. Quae tamen sententia vix ullum habet fautorem, utpote quam regulae omnes artis ἑρμηνευτικῆς veluti explodant, ac nemo, qui Oseam legat, nequeat non pervidere, ut is de populo israelita loquatur.

3 E contrario negant alii Oseam de Christo loquutum esse, horumque adstipulator Iansenius Gandavensis haec scripsit: *Altero modo impleri etiam scriptura dicitur, quum quidem fit, quod illa commemorat, etiamsi id non fuit proprie ab auctore intentum. . . . Ad hunc modum impletum in Christo fuit et praesens dictum Oseae, . . . non quod peculiare fuerit de Christo ex Aegypto vocando vaticinium, . . . sed quod id, quod nominatim fuit scriptum de populo israelitico, apposite etiam competat in Christum, imo verius et perfectius in eo impleatur, et verificetur, ut qui verior sit Dei filius* [10]). Enimvero dubito, an quis intellecturus sit, quo pacto aliquid esse queat id, *quod scriptura commemorat*, nec tamen fuerit *proprie ab auctore intentum*. Neque, ut ἀντιλογίαν hanc diluas, opem tibi adferet illud *proprie*, veluti si Iansenius loqueretur de *proprio* verborum sensu. Aliud enim est *proprie dictum*, aliud *proprie ab auctore intentum*; deque hoc altero loquitur Iansenius. Ast auctor *proprie* intendit etiam illud, quod non *proprio* verborum sensu exprimit, sed translato. Quare altera haec sententia in illud omnino recidit, ut dicatur Matthaeus rei, quam narrat, Oseae verba ac sensum adcommodasse. Id autem plane refellitur iis, quae alias disputavimus de vi formularum, *ut impleretur, tunc impletum est*, et similium, quae a scriptoribus novi testamenti usurpatae sunt, ubi vaticiniorum πλήρωμα nos docuere [11]). Lege Suarezium [12]) et Vasquezium [13]) contra Iansenium disputantes.

4 Atque hic locus est expendendae opinioni Maldonati nostri, utpote qui sententiaeue huic secundae adhaeserit, quam nunc exposuimus, an tertiae, quam sumus expositori, nemo intelliget, quum illa eius opinio secum ipsa pugnare deprehendatur. Quum enim, ut in alio loco [14]) animadvertimus, autumet, quod vaticinium aliquod a scriptoribus sacris dicatur *quatuor modis impleri*, primo, *cum idipsum fit, de quo proprio et literali, ut dicitur, sensu intelligebatur*, secundo, *cum fit, non id, de quo proprie intelligebatur propheta, sed id, quod per illud significabatur*, tertio, *cum nec*

[1]) Exercitation. biblic. L. I. exercit. 3. c. 5. [2]) Histoire critiq. du N. T. c. 20. [3]) Num. XXIII, 22. [4]) In Matth. h. l. [5]) Dem. evang. L. IX. c. 3. [6]) Ib. c. 4. [7]) Matth. II, 15. [8]) Os. XI, 1. [9]) Dem. ev. L. IX. c. 4. [10]) L. c. [11]) Diss. XVII. nn. 7. 25—28. *Patrit.* De interpr. scripturar. sacr. L. I. nn. 306—310. [12]) In Thom. 3. q. 37. a. 4. disp. 17. sect. 1. [12]) In Thom. 1. q. 1. a. 10. disp. 14. cc. 2. 4. [14]) Diss. XVII. n. 32.

id fit, de quo proprie intelligitur prophetia, nec id quod per illud significatur, sed quod illi simile est et omnino eiusmodi, ut prophetia non minus apte de eo, quam de quo dicta est, dici potuisse videatur, quarto, *cum idipsum, quod per prophetam aut scripturam dictum erat, quamvis iam factum fuerit, tamen magis ac magis fit,* his ergo positis, sic statuit de verbis Oseae: *Illa ergo Oseae prophetia . . . proprie de populo Israel . . . intelligebatur; . . . dicitur autem nunc impleta* SECUNDO *et* TERTIO *modo; nam et populus ille in Aegypto exulans, Christi ibidem exulaturi figura dici potest, ... et Christus in eo,* in eo, inquam, re, *populo est similis, quod uterque Dei filius appellatur* [1]). Vides, opinor, ut horum modorum, quibus, ut sentit Maldonatus, vaticinia impleri dicuntur, primus sit secundum sensum literalem, alter secundum spiritalem, tertius secundum adcommodatum. At, si res sic se habet, qui fieri potest, ut Oseae verba dicantur a Matthaeo *impleta secundo et tertio modo,* hoc est, tum secundum sensum spiritalem, tum secundum adcommodatum, quum illum primum sensum Spiritus sanctus enuntiare utique intendit, alterum non item, illudque πλήρωμα, sicut necessario consequitur ex doctrina Maldonati, esset simul, simulque non esset *id, quod per illud significabatur, de quo proprie intelligebatur prophetia?*

5 Postrema denique sententia ea est, quam theologi atque interpretes scripturarum nobilissimi sequuntur, Thomas [2]), Caietanus [3]), Suarez [4]), Vasquez [5]), Estius [6]), Cornelius a Lapide [7]), Tirinus [8]), Calmetus [9]), aliique, quaeque fuit Chrysostomo [10]) et Hieronymo, qui ita loquitur: *Hunc locum in septimo volumine Iulianus Augustus, quod adversum nos, id est, Christianos, evomuit, calumniatur, et dicit: Quod de Israel scriptum est, Matthaeus evangelista ad Christum transtulit. . . . Cui nos breviter respondebimus, . . . quod ea, quae τυπικῶς praecedunt in aliis, iuxta veritatem et adimpletionem referantur ad Christum, quod Apostolum in duobus montibus Sina et Sion et in Sara et Agar fecisse cognovimus. . . . Sic igitur hoc, quod scriptum est: Parvulus Israel, et dilexi eum, et ex Aegypto vocavi filium meum,* DICITUR *quidem de populo Israel, qui vocatur ex Aegypto, . . . sed* PERFECTE REFERTUR *ad Christum* [11]). Quominus hanc sententiam verissimam existimes, nulla te remorabitur difficultas, si modo naturam ac veluti indolem utriusque, sensus literalis, inquam, et spiritalis, quidque alter ab altero discrepet, mente retineas [12]). Quo autem pacto verbis Oseae sensus quoque spiritalis subsit, populusque israelita Christi typus fuerit, idque ex Aegypto profectus, legere est apud Chrysostomum [13]) et Iansenium Gandavensem [14]), qui, etsi secundam harum sententiarum sequatur, attamen tertiam quoque proponit.

DISSERTATIO XXXIII

De caede puerorum Bethlehemitarum

CAPUT I

Quantum temporis intercesserit inter Magorum adventum et horum puerorum caedem

1 Opinio est nonnullorum inter Magorum adventum et inter pueros Bethlehemitas necatos biennium intercessisse. Hac autem ratione ducuntur, quod Herodes dicatur occidisse *omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis;* quam tamen rationem facile sentis nullam esse. Ideo enim, hoc posito, illud inferunt, vel quia putant horum verborum sententiam esse, bimatum veluti terminum caedi ab Herode praefinitum *secundum tempus,* EX QUO *exquisierat a Magis,* vel quia accipiunt quidem haec postrema Matthaei verba significare tempus, quo Magis stella primo adparuit, adparuisse tamen ponunt paullo ante quam Hierosolymam pervenirent, hoc est, sub ipsum ortum Christi. Ast horum primum falso putant, idque alio argumento, praeter ea, quae mox proferemus, inferius refutabimus (20). Alterum iam a nobis refutatum [15]), qui pro argumento opinionis suae habent, id insuper peccant, quod, quum tempori definiendo, quo stella primo comparuit, ratio alia non sit praeter eam, quam suggerunt haec

---

[1]) In Matth. h. l. [2]) In h. l. [3]) In h. l. [4]) L. c. [5]) L. c. [6]) In h. l. [7]) In h. l. [8]) In h. l. [9]) In h. l. [10]) In Matth. hom. VIII. § 3. [11]) In Os. XI, 1. [12]) *Patrit.* De interpret. scripturar. sacr. Lib. I. nn. 2. 286. 341–344. [13]) In Matth. hom. VIII. § 4. [14]) L. c. [15]) Diss. XXVII. c. IV n. 12.

verba Matthaei, ipsi prius arbitratu suo illud tempus definiunt, inde vero horum verborum sensum colligunt.

2 Alii existimant caedem puerorum patratam anno post adventum Magorum. Ponunt enim sub ortum Christi stellam primo conspectam fuisse, Magos vero post annum ad Christum venisse; quare, quum Herodes bimatum caedi praefiniverit *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, hoc est, secundum *tempus stellae, quae apparuit eis* [1]), illud consequeretur, inter stellam primo conspectam interque caedem biennium intercessisse, hancque indictam esse anno post adventum Magorum. Ast illa ipsa duo, quae ponuntur, falso poni iam demonstravimus [2]).

3 Porro, sepositis etiam iis rationum momentis, quibus, quid hac de re sentiendum sit, mox evincemus, ambae illae sententiae manifesta ratione refelluntur. Herodes didicerat a Magis natum iam esse, quum ipsi advenere, illum, quem quaerebant, neci autem addixit, quotquot Bethlehemi alterum aetatis annum nondum excesserant; hoc autem, non modo crudeliter, sed stulte, frustraque, ac praeter propositum commisisset, ut ad illum caede involvendum, quem vel biennio vel uno ante anno natum noverat, interfici imperaret eos, quos constabat post illum ortos esse, vel fere omnes, si biennio, vel magnam partem, si anno post adventum Magorum caedem hanc imperavit.

4 Dices argumento huius simili refelli etiam posse sententiam, quam mox defendemus, paucis post diebus, ex quo Magi advenerant, pueros Bethlehemitas necatos; dicendus enim foret Herodes necari iussisse non illos modo, quos aliquot solum diebus aut mensibus, sed et quos ferme biennio ante Christum in lucem editos fuisse sciebat. At dispar prorsus est ratio. Didicerat enim a Magis Herodes Christum iam natum esse, ideoque, qui postea orti aut orituri essent, nullam ei sollicitudinem ingerere potuissent. Non tamen intellexerat, num paucis diebus an multo ante natus ille esset; etsi enim interrogatio Magorum rem significaret paullo ante factam [3]), tamen *tempus stellae, quae apparuit eis*, ancipiti cura Herodem premebat, utrum stella haec, quum primo visa fuit, oriturum Christum praenuntiasset, an iam natum prodidisset. Quare, quod sibi tutius visum est, non adventu Magorum, sed primo stellae conspectu aetatem interimendorum definiri voluit.

5 Quod autem paucis omnino post diebus, ex quo Magi venerant, pueri Bethlehemitae necati fuerint, his rationibus efficitur, quas iam adferimus, et quarum aliquot aliis in locis iam indicavimus [4]). Iosephum enim cum suis fugam adripuisse paullo post, quam Magi recesserant, utque probabile plane est, nocte insequente, idque quum Herodes iam in eo esset, ut inquisitionem pueri iniret, superius demonstravimus. Quae ratio satis quidem est huic quoque rei, qua de nunc quaerimus, comprobandae; tamen et alia haec accipe, quae subiungimus. Nec enim cuiquam veri simile fiat, Herodem ea sollicitudine, qua ob nuntium a Magis adlatum angebatur, pluribus diebus hos reduces manere voluisse, quos ad sextum milliarium miserat, et quibus quid Bethlehemi factum esset, intra sex horarum spatium discere poterat. Insuper, si plures dies intercessissent inter Magorum adventum et consilium initum ab Herode puerorum interimendorum, eos procul dubio is excepisset, qui intra dies illos fuissent orti, utpote quorum de numero exploratum haberet Christum minime esse, quem antea natum compererat ex Magis; attamen neminem exceptum legimus, sed *omnes* interfectos, *quotquot* bimatum non excesserant. Non ergo fuere, quos eo nomine exciperet Herodes; at certe fuissent, si pluribus diebus Magos reduces exspectasset. Neque autumes tribui hoc posse Herodis crudelitati, ut sineret illos etiam caede involvi, quos post Christum ortos esse constabat. Quantumvis enim impium crudelemque Herodem dicas licet, at nil minus quam amentem eorumque improvidum, quae regno prodessent, aut obessent, nam historia te prorsus refutaret. Quin imo diligentia, qua a Magis discere curavit *tempus stellae, quae apparuit eis* [5]), certiores nos facit noluisse Herodem caede latius grassari, quam consilio suo patrando satis foret. Ex quo et alia ratio est, cur credatur Herodes tale consilium quam primum iniisse, ut caveret videlicet, quantum fieri poterat, ne ii quoque intcrimerentur, quos constabat post Christum in lucem editos esse. Adde, quod non videtur multis diebus opus fuisse, ut tandem fama obtineret, quid Magis, quid Christo factum foret. Denique hoc posito, quod Herodes diutius, quam dicimus, Magos exspectasset, quum toto eo tempore nihil amplius narrari intellexisset de rege, quem ii quaerebant, non modo irarum aestus, quo exarserat, deferbuisset, sed et omnem sollicitudinem procul amandasset, aut saltem haec iam non adeo acriter ipsum incessisset, ut ad immane illud facinus excogitandum ac peragendum tandem eum compellerent.

---

[1]) Matth. II, 7. [2]) Diss. XXVII. c. III. n. 23; c. IV. n. 12. [3]) Diss. XXVII. c. III. n. 20. [4]) Diss. XXVII. c. III. nn. 11. 12; Diss. XXXI. n. 1. [5]) Matth. II. 7. 16.

6 Fac igitur Herodem post triduum aut quatriduum, quum Magos reduces frustra exspectasset, misisse, qui de ipsis sciscitarentur. Quaestionem hanc duobus aut tribus diebus habitam ubi in cassum cecidisse comperit, *videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde*. Non tamen continuo in pueros Bethlehemitas saevire constituit, sed prius novam de ipso Christo quaestionem habuit [1]). Quum vero duobus tribusve aliis diebus interiectis neque, ubi hic lateret, aut quid huic factum esset, scire posset, tum demum crudele facinus imperavit. Quare inter Magorum adventum et cladem puerorum septem aut summum decem non amplius dies intercessisse putandum est.

CAPUT II

Quo anno quoque anni tempore haec caedes patrata

7 Quum iam demonstraverimus, quinam annus fuerit diesque Christi natalis [2]), quando Magi ad Christum venerint [3]), et quantum temporis inter horum adventum caedemque puerorum Bethlehemitarum intercesserit, pro comperto etiam est, quo anno quoque anni tempore haec caedes facta fuerit. Iuvat tamen hoc postremum alio insuper argumento eoque luculentissimo comprobare, quo simul et priora magis ac magis confirmabimus. Aio, caedem puerorum habitam non serius vere novo an. U. C. DCCXLVIII.

8 Ubi angelus Iosephum in Aegypto exsulantem iussit patriam repetere, hanc addidit caussam: DEFUNCTI SUNT *enim*, QUI QUAEREBANT *animam pueri* [4]). Non igitur unus Herodes Christo interitum machinabatur. Quem porro sceleris socium is haberet, ignorare nequeunt, quibus Herodis historia ex Flavii Iosephi lectione nota est. Hi enim, etsi non illa legerentur apud Matthaeum, siquidem tempora cohaererent, ut cohaerent re ipsa, ne dubitarent quidem, an adeo immanis consilii, non socius modo, sed et auctor Herodi fuerit Antipater ipsius filius, quod iam post alios [5]) animadvertit Henricus Sanclementius vir eruditissimus [6]), imo et ille, qui esse fertur Athanasius haec adnotans in hoc Matthaei capite: *Erant autem, qui Iesum occidere quaerebant, Herodes rex et Antipater filius eius* [7]).

9 Herodes enim hunc, quem privatus adhuc ex Doride Hierosolymitide genuerat [8]), regnoque potitus una cum illa e regia expulerat, ducta Mariamne de genere Hassamonaeorum [9]), quum in regiam revocasset, ut Mariamnes filios nobilitate materni generis insolescentes compesceret [10]), eumque honoribus et potentia in dies augeret *adeo, ut iam omnia penes illum esse viderentur* [11]), eo res deducta est, ut Herodes Antipatrum regni successorem atque heredem testamento scriberet [12]), *et ad eum omnia referret* [13]); quare *omnia spectabant ad Antipatrum, neque ea, quibus aliis prodesset, rata faciendi potestate carebat, id quod et ipsi concesserat pater bene sperans de eius benevolentia et fide; adeo ut maiorem in eis sibi potestatem vendicare ausus, quod patri latebat eius nequitia, et verbis facile fidem ab eo impetrabat, erat et omnibus formidabilis, non tam propter potestatis magnitudinem, quam propter versutam malitiam* [14]), uno verbo, *omnia erat Antipater* [15]), atque *cum patre regnabat nihil a rege discrepans* [16]).

10 Neque haec solummodo sunt, quae suadent credere perpetrandae caedis auctorem Herodi fuisse Antipatrum, sed potissimum ea, qua is agebatur, ac veluti discruciabatur, regni cupido, quo factum est, ut, postquam callidissimis consiliis tamquam aliquibus machinationibus pervicerat, ut fratribus pater ipse necem inferret [17]), in patrem ipsum insidias strueret [18]). Huc et illud pertinet, quod per id tempus, quo Magi venere, Antipater non minore, imo maiore etiam, quam Herodes pater, metu angeretur ob praedictiones quasdam in vulgus ditidas, de quibus inferius dicemus (33), *fore, ut Herodes* EIUSQUE PROGENIES *Dei decreto imperium amitterent* [19]).

11 At deprehensa tandem fuere Antipatri consilia. Primo suspiciones exortae [20]), quas paucis

---

[1]) Matth. II, 13. [2]) Diss. XX. XXI. [3]) Diss. XXVII. c. III. [4]) Matth. II, 20. [5]) Ap. *Wolf* Curae. crit. in h. l. [6]) De vulgar. aerae emendatione L. IV. c. 5. p. 437; c. 7. p. 456. [7]) Fragm. commentar. in Matth. Opp. T. I. p. 1289 ed. *Maurinor.* [8]) *Ioseph.* Antiq. L. XIV. c. 12. § 1; Bell. L. I. c. 12. § 3. [9]) *Id.* Bell. L. I. c. 22. § 1. [10]) *Id.* Antiq. L. XVI. c. 3. § 3; Bell. L. I. c. 23. § 1. [11]) *Ioseph.* Antiq. L. XVI. c. 3. § 3. [12]) Ib. L. XVII. c. 3. § 2. [13]) Ib. L. XVI. c. 3. § 3. [14]) Ib. L. XVII. c. 2. § 4. [15]) *Id.* Bell. L. I. c. 24. § 2. [16]) *Id.* Antiq. L. XVII. c. 1. § 1. [17]) Ib. L. XVI. c. 4. § 1; c. 7. § 2; c. 8. § 4; L. XVII. c. 1. § 1. [18]) Ib. L. XVII. c. 1. § 1; c. 4. [19]) Ib. c. 2. § 4. [20]) Ib. c. 2. § 4; c. 3. § 1.

post mensibus subsequutum est iter Antipatri Romam, quo se ab Augusto vocari curaverat [1]. Tum eo absente res omnes Herodi penitus patefactae [2]. Utque primum Hierosolymam reversus est, in vincula coniectus [3], capite tandem a patre plectitur, quinto die ante quam Herodes diem supremum obiret [4], quod etiam adprime congruit cum eo, quod apud Matthaeum simul mentio habeatur funeris eorum, *qui quaerebant animam pueri.*

12 His positis facile est definire, in quod tempus puerorum nex inciderit. Manifesto adparet in huius facinoris partem venire Antipatrum non potuisse, nisi ante quam illud iter Romam haberet. Hoc autem constat coeptum serius non fuisse medio aestate an. U. C. DCCXLVIII. Discessit enim Antipater, quum adhuc Syriae praeesset Cn. Sentius Saturninus [5]. Saturnino successit P. Quintilius Varus [6]. Supersunt nummi Antiochenorum inscripti nomine Vari aditaque hac nota EK, hoc est, XXV, quae alios annos significare nequit, nisi aerae, ut vocant, augustae Antiochenorem, nam, Varo Syriam obtinente, et aera hac utebantur Antiocheni, et alia non erat, in quam illa nota congruere queat. Huius initium aerae ducebatur a primo, summom a medio autumno an. U. C. DCCXXIII [7]; annus igitur XXV explebatur a. U. C. DCCXLVIII ante medium autumnum. Quare aliquot ante mensibus, saltem extremo aestate, Varum ad Syriam legatum propraetore successurum Saturnino adpulisse oportuit, scilicet flantibus etesiis, quae tempestas totius anni opportunissima habebatur huic itineri, ut enim Tacitus scripsit, *mare quoque etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat* [8]. Antipater igitur non serius media aestate, utpote, ante adventum Vari, e Iudaea profectus dicendus est procul dubio. Atque ita sensere Pagius [9] et Sanclementius [10], aut non multo aliter.

13 Insuper in alio loco [11] vidimus factam a Iosepho [12] mentionem de totius populi iudaei descriptione, quum et Lucas commemoravit [13], quaeque quum haberetur, Christus in lucem editus est [14]. Ex ea autem caussae exstitere ab ipso Iosepho relatae [15], ob quas *patrem suspectum habens Antipater, et, ne odium*, non quidem Herodis patris, ut contra rerum veritatem ipsamque historiam a Iosepho descriptam vertit Hudsonus, sed civium, quod sibi conflaverat, *longius progrederetur, metuens, scripsit ad amicos suos Romae degentes, Herodi significare iubens, ut Antipatrum primo quoque tempore mitteret ad Caesarem* [16]. Herodes autem acceptis Romae literis, *nihil moratus eum misit* [17]. Inter Antipatri profectionem ad Urbem et Vari adventum in Syriam quatuor fere menses, non minus, intercessisse ex rerum gestarum serie colligimus manifesto. Etenim eodem tempore, ac Antipater, Romam petiit vir quidam gente Arabs nomine Syllaeus [18], *de iis eum Antipatro disceptaturus, ob quae antea a Nicolao in iudicium vocatus fuerat* [19], *eumque postulavit apud Caesarem Antipater eorumdem criminum, quorum antea fuerat postulatus a Nicolao* [20], non tamen insidiarum, quas contra vitam Herodis instruxerat; nondum ergo hae fuerant deprehensae, quum Antipater profectus est. Sed nec citius deprehendi potuerunt, quum tribus fere mensibus post huius discessum. Syllaeus enim, quum Romam venisset, Fabatum, qui res Augusti procurabat in Oriente, et cui ipse insidias a se Herodi structas aperuerat, *apud Caesarem accusabat, procuratorem esse dicens, qui maiorem Herodis quam ipsius rationem habebat* [21]. Quod ubi rescivit Fabatus, *commotus ad iracundiam Syllaei secreta enunciat, regique indicat* [22]. Iam vero, dum Antipater et Syllaeus Romam usque iter haberent, adcusationes ibi instruerentur, indeque nuntia perferrentur ad Fabatum, isque rem Herodi aperiret, tres fere menses praeteriisse oportuit. Nondam tamen Saturnino successerat Varus. Herodes enim de reis quaestione habita eos tradidit Saturnino Antiochiae degenti, qui, quum novam inter eos quaestionem exercuisset, ipsos Romam misit [23]; quibus peragendis non paucorum solummodo dierum spatio opus erat. Iam itaque sentis Antipatrum non serius profectum fuisse quam quatuor fere mensibus ut minimum, antequam Syriam provinciam Varus regere inciperet; quod quum serius fieri nequiverit extremo mense augusto aut septembre ineunte, neo Antipater potuit serius proficisci quum mediis diebus mensis maii.

14 Dices Syllaeum Romam profectum simul adcusatum fuisse ab Areta ipsius rege de caede Fabati, ut legimus apud Hudsonum interpretem *Antiquitatum* Iosephi [24]; proinde in Fabatum adcu-

---

[1]) Ib. c. 3. § 2. [2]) Ib. c. 4. [3]) Ib. c. 5. §§ 2. 3. 7. [4]) Ib. c. 7; c. 8. § 1. [5]) Ib. c. 3. § 2; Bell. L. I. c. 29. § 3. [6]) Ib. c. 5. § 2. [7]) Conf. Diss. XVIII. n. 25. [8]) Hist. L. II. § 98. [9]) Apparat. chronol. ad Annal. Baronii § 141. [10]) De vulg. aerae emendatione L. III. c. 7. [11]) Diss. XVIII. q. 2. nn. 32—34. [12]) Antiq. L. XVII. c. 2. § 3. [13]) Luc. II, 1—5. [14]) Ib. 6. 7. [15]) L. c. et c. 3. § 1. [16]) Ib. c. 3. § 2. [17]) Bell. L. I. c. 29. § 2. [18]) *Ioseph.* Antiq. l. c. coll. L. XVI. c. 7. § 6. [19]) *Id.* Bell. l. c. § 3. [20]) *Id.* Antiq. L. XVII. c. 3. § 2. coll. XVI. c. 10. §§ 8. 9. [21]) *Id.* Bell. l. c. [22]) Ib. [23]) *Id.* ll. cc. [24]) L. c.

sationem instroctam a Syllaeo, non postquam Romam perveuerat, sed aliqoanto tempore prius, quam illuc proficisceretur. Verum Iosephi verba sic sunt: *Κατηγορειτο δε και ὑπο Ἀρετα Συλλαιος, ὡς πολλους ἀπεκτεινεν ἐν Πετρᾳ ἀξιολογων, . . . ἀνῃρηκεναι δε και Φαβατον*, quae male versa esse ab Hudsono adparet vel hoc ipso, quod Syllaeus utique Romae Fabatum adcusaverit. Verba *ἀνῃρηκεναι δε και Φαβατον* haudquaquam significaot uecem Fabuto illatam a Syllaeo. Nam vix alicui verisimile fiat hominem Arabem tale quid ausum fuisse in magistratum romauom, in Augusti procoratorem, idque dum io eo erut, ut ad Augustum proficisceretur coram eo caossam dicturos. Quod si id fuisset ausus, non in Urbem profectum sua sponte [1]) eumque versus navigasse [2]), sed illoc a Saturuino missum legeremus, sicut missos legimus eos, quibus Syllaeus ipse persuaserat, ut Herodem interficereut; imo alio prorsus fuga sese proripuisset, quin in Urbem ad Augustum contenderet. Adde, quod statim, ac Fabatus Syllaei insidias Herodi patefecerat, ad quaestiooem veutum est; quare, si in Oriente adhuc fuisset Syllaeus, quum primum Herodes cucusset, ut Saturninus in hunc animadverteret, nec locus relictus huic fuisset quidquam in Fabatum committeudi. Ad haec oex illata Augusti procuratori crimen fuisset maiestatis, in quod Saturninus Syriae legatus propraetore inquisisset, nec erat, cur Aretas Romam mitteret, qui apud Augustum Syllaeum de illa nece adcusarent. Sed, qood caput est, Antipater ex Iudaea discedens iam ea omnia didicisset. Qui igitur fieri potuit ut Romae dicam Syllaeo scriberet solveudarum pecuniarum [3]), non autem necis Herodi paratae? Non itaque Aretas Syllaeum adcusavit de nece Fabuti, sed de eo, quod Fabatum demereri studuerit, haec enim quoque verbo *ἀναιρειν* notio subest, ioque suas partes trahere; quam interpretationem arbitror nemini nou probatum iri, qui inter se contulerit tum ea, quae in *Antiquitatibus*, tum ea, quae in *Bello iudaico* de hac re scripta leguntur. Sed praestat utraque hic componere.

Antiq. L. XVII. c. 3. § 2.	*Bell. L. I.* c. 29. § 3.
Κατηγορειτο δε και ὑπο Ἀρετα Συλλαιος.	*Οὐ μικρος δε αὐτῳ και προς Ἀρεταν ἠν ἀγων τον αὐτου βασιλεα.*
ὡς πολλους ἀπεκτεινεν ἐν Πετρᾳ ἀξιολογων παρα γνωμην την αὐτου,	*τουτου γαρ ἀλλους τε φιλους ἀνῃρηκει,*
και μαλιστα Σοεμον ἀνδρα τῃ ἐς παντα ἀρετῃ τιμασθαι δικαιοτατον,	*και Σοεμον των ἐν Πετρᾳ τον δυνατωτατον.*
ἀνῃρηκεναι δε και Φαβατον Καισαρος δουλον.	*πεισας δε πολλοις χρημασι Φαβατον τον Καισαρος διοικητην ἐχρητο βοηθῳ και καθ᾽ Ἡρωδου.*
Accusabatur autem et ab Areta Syllaeus:	***Non levis autem ipsi caussa agenda erat et contra Aretam ipsius regem.***
Ut Petrae multos ex primoribus interficeret iniussu suo,	***Huius enim et amicos alios sustulerat,***
et maxime Soemum virum sua in omnibus virtute honorari dignissimum;	***et Soemum Petrae omnium potentissimum;***
devinxisse autem sibi Fabatum Caesaris servum.	***quum autem grandi pecunia in suas partes traxisset Fabatum Caesaris procuratorem, eo adiutore utebatur et contra Herodem.***

Quare adseverare non dobito Fabatum a Syllaeo haudquaquam fuisse interfectum. Non igitur est, cur dubitemus, ne forte Antipater profectus fuerit serius eo tempore, quo diximus.

15 Inde autem illud consequitur, literas ab Antipatro Romam missas, ut illuc ab Augusto advocaretur, nisi duobus mensibus ut minimum, antequam Romam versus iter caperet, ea praesertim tempestate, datas esse non potuisse, hoc est, ante medium martium. Quando autem illas scripsit Antipater, iam tum sibi timere coeperat ab odio civium, atque adeo, etiam ut illud vitaret, Romam se advocari curabat (13); quare per id tempus, quo eius literae in Urbem perferebantur, atque inde Augusti responsa, putandus non est crudelis adeo consilii, ut fuit caedes illa puerorum, Herodi

[1]) *Id.* Antiq. l. c. [2]) *Id.* Bell. l. c. [3]) *Ioseph.* Antiq. l. c. coll. L. XV. c. 10. §§ 8. 9.

patri auctor esse voluisse. Ergo caedes haec ex consilio Antipatri haberi serius non potuit quam martio ineunte.

16 Quod si cuipiam illud minus probavero, quod modo adfirmavi, postremis duobus mensibus, ante quam Romam peteret, abstinuisse Antipatrum iis, quibus Iudaeorum in ipsum odia magis asperarentur, ideoque partem ipsi in immani illo facinore per id tempus esse non potuisse, rationem hanc libens praeteream, quum alia potior sit, qua rem conficiam. Etenim velim, animadvertas temporum rationes a me subductas esse, quo magis fieri poterat, presse ac praecise. Quum autem longiora etiam temporum spatia his rebus gerendis insumpta fuisse veri longe similius fiat, quam quae posuimus, nam et Vari nummi (12) satis sunt cur credatur is in provinciam cum imperio advenisse non serius, quam circa medium mensis augusti, et ea, quae de itineribus deque insidiis Herodi structis narrantur usque ad adventum Vari, vix credibile sit, facta fuisse breviore tempore quam quatuor integris mensibus, liberalius adhuc agere dicendus ero procul dubio, si dedero extremo mense aprili Antipatrum mari se commisisse, quo puerorum caedes ante medium eiusdem huius mensis habita esse dicenda erit.

17 Atque hic locus est, quo obiter moneamus, ut his, quae de tempore patratae caedis constare modo vidimus, illud, ut alias [1] diximus, comprobetur, censum orbis terrarum ab Augusto imperatum, qui quum habebatur, Christum ortum esse procul dubio est, non serius haberi aut inchoari saltem potuisse, quam aliquot mensibus ante exitum anni U. C. DCCXLVII a palilibus ducto, hoc est, aliquot mensibus ante eum diem, qui dies futurus erat a. d. XI kal. mai. an. U. C. DCCXLVIII.

CAPUT III

De bimatu

18 An aliqua aetas ab Herode fuerit praefinita veluti terminus, intra quem caedes puerorum contineretur, dubitare non est. Etenim hoc, sicut diximus, ita factum esse, non modo res ipsa credere compellit, nec veri cuiquam simile unquam fiat Herodem secus agere instituisse, quem quidem quantumvis crudelem et suspiciosum arguas licet, non tamen amentem rerumque suarum improvidum, sed praeterea Matthaeum testem locupletissimum habemus ita narrantem: *Herodes occidit ... omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra.* Imo idem ipse Matthaeus refert, ut Herodes, non pro lubitu aut inconsulto eam aetatem neci addixerit, sed *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, quod, inquam, *diligenter didicit ab eis*, ut sonat graecum verbum ἠκρίβωσε, utque id paullo superius [2] vertit latinus interpres. Cur autem in hoc tempore exquirendo talem diligentiam ab Herode adhibitam putemus, nisi quia certior, quantum poterat, fieri vellet, ex quo tempore Christus natus esset? Cur vero id voluisset, nisi quia nollet consilium, quod erat initurus, ulterius protendi, quam necesse simul simulque satis foret, ut de medio ille tolleretur, quem frustra fortasse perquisisset? Pro comperto igitur est fines aetatis ab Herode fuisse praescriptos, citra quos puerorum caedes consisteret. Quaenam autem fuerit haec aetas, minime dubium esse potest iis, qui probe tenent scriptorum Iudaeorum rationem loquendi, rerumque a Matthaeo narratarum adiuncta adtentius considerant. Sunt tamen, qui in ipsis verbis interpretandis ambigunt, atque alii aliis discrepant.

19 Constat illud *a bimatu* significare non posse eos, qui alterum aetatis annum solummodo inceperant; sic enim minime definiebatur aetas interimendorum, quum quaerendum superesset, ex quo tempore inceptus esse oporteret alter hic annus. Si dicas aetatem hanc definitam ipso initio alterius anni, iam id non foret *a bimatu et infra*, sed *ab uno anno et infra*, aut simpliciter *infra bimatum inceptum;* at loquutio *a bimatu et infra*, ob particulam *et*, praeter eos, qui aetatem agebant infra bimatum inceptum, complectitur manifeste illos quoque, qui alterum annum agebant.

20 Quorumdam opinio est, pueros ab Herode interemptos eos fuisse, qui intra biennium ab adventu Magorum orti erant. Cur ita opinentur caussam se habere aiunt in illis verbis *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, quae sic intelligunt, veluti si dixisset Matthaeus: *secundum tempus*, EX QUO *exquisierat a Magis.* Verum, ut illa praeteream, quibus ipsam hanc opinionem iam refellimus, biennium, inquam, intercessisse inter adventum Magorum et puerorum caedem (3. 5),

[1] Diss. XVIII. n. 35. [2] Matth. II, 7.

quis ferat verba *tempus, quod* eadam haberi ac *tempus, ex quo*? Adde, quod, verbis in hunc sensum acceptis, quid Herodes a Magis exquisiverit, nos luteret. Nonne denique, si illud Matthaeus exprimere voluisset, dicendum fuisset: *secundum tempus, ex quo Magi advenerant*, potius quam: *secundum tempus, ex quo exquisierat a Magis?* commemorandus videlicet potius erat Magorum adventus, quam Herodis interrogatio.

21 Euthymius [1]), Iansenius Gandavensis [2]), et Baronius [3]), volunt totam enuntiationem sic interpungi: *Occidit omnes pueros . . . a bimatu, et infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, verbaque *et infra* non cum prioribus connecti, sed cum posterioribus, ut sensus sit, interemptos fuisse pueros omnes *a bimatu*, hoc est, bimulos, *infra* vero, hoc est, de pueris nondum bimulis, caesos *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, hoc est, quotquot nati erunt ad illud tempus, quo stella primo conspecta est; ponunt enim stellam comparuisse sub ortum Christi, quod autem ad temporis spatium interiectum inter hunc ortum et puerorum caedem nobiscum consentiunt. Itaque eorum sententia de hoc bimatu, quamvis alia fortasse quod ad interpretationem verborum *a bimatu et infra*, attamen quod ad rei summam eadem ipsa est ac sententia Maldonati, quod Matthaei verba *non significant occisos esse omnes pueros, qui nati essent duobus annis, postquam stella Magis apparuisset, sed eos, qui nati essent duobus, antequam appareret, annis* [4]). Enimvero, si tunc, quum isti autumant, stella primo comparuisset, quandoquidem putari nequeat longius spatium eo, quod dictum est, intercessisse inter natum Christum puerosque interfectos (1 seqq.), rationem ea potiorem non invenies, qua explices illa verba Matthaei, quae ratio hoc insuper commendatur, quod pueros a caede excludit, quos certo constabat post Christum natos esse. Sunt tamen plura, quae sententiae huic adversentur.

22 Atque illud primum, quod veri minime simile sit, voluisse Herodem caede saevire in pueros, qui nati essent duobus ante annis, quam stella primo compareret, quamvis ea putaverit, non Christum oriturum portendi, sed iam ortum significari; stella enim, ut videtur, putanda erat vel Christi adhuc orituri praenuntia, vel nuntia nascentis aut proxime nati, non vero quae longe post natum comparuerit, quo *stella eius*, ut Magi eam vocabant, dici non poterat.

23 Quid vero quod, si haec interpretatio vera esset, Herodes dicendus foret talem iniisse rationem, quae, quum ex una parte nimietate peccabat, ex altera consilio ipsius perficiendo satis non erat. Etenim, ut modo dictum est, nesciebat Herodes, utrum Christus in lucem editus esset ante, an post quam stella primo comparuerat. Ut ergo plus nimio saeviisset iubens occidi pueros omnes, quotquot orti fuerant intra biennium ante visam stellam, quum probabile haud esset visam eam non prius fuisse, quam post annum alterum a Christi natali, ita immanis illa saevities in cassum cecidisset, si Christus, non ante, sed post stellam primo conspectam natus erat.

24 Huc accedit, quod, etsi verba *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, si per se ipsa accipiantur, cuiquam videri fortasse possint illud sonare, quod placet Maldonato, quia non magis initium quam finem biennii ipsa per se significare videntur, nemo tamen non sentit his, nou tam modum illius biennii, quam rationem edici, qua ductus Herodes neci addixerit, quotquot alterum aetatis annum non expleverant. At ratio haec patet utique, siquidem ea verba initium biennii designare credantur, non item, si finem, hoc enim posito iam non adparet, cur pueros bimulos potius quam trimos aut quadrimos Herodes interimendos decreverit.

25 Quod vero Euthymius, Iansenius, et Baronius, unicam dictionem *a bimatu et infra* in duas dividant, ipsa loquendi ratio nullo modo id patitur. Nam sicut illa *a vicesimo anno et supra* [5]), *a filio trium annorum et supra* [6]), significant sulummodo eos, qui vicesimum, qui tertium aetatis annum excesserant, ita haec *a bimatu et infra*, non secus ac illa *a filio viginti annorum et infra* [7]), nihil aliud significant, nisi eos, qui alterum annum, qui vicesimum, nondum excesserunt.

26 Quae quum ita sint, tum verba ipsa Matthaei, tum rerum adiuncta procul dubio illud evincunt, ab Herode caedi addictos de pueris Bethlehemitis, quotquot alterum annum aetatis non excesserant, hanc autem aetatem ab eo definitam *secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, hoc est, *secundum tempus stellae, quae apparuit eis*, ipsiusque stellae aetatem. Biennii tamen initium, non a stella primo conspecta, sed aliquanto altius repetendum. Quum enim incertum esset, utrum Christus ortus iam, an adhuc oriturus, ea significaretur (4), credi nequit Herodes alterutrum horum tamquam certum posuisse, sed, dubius inter utrumque, eos quoque pueros de medio tolli iussisse, qui aliquot

---

[1]) In h. l. [2]) Comment. in Concord. evang. c. 10 in h. l. [3]) Annal. eccl. an. I. §§ 33. 48. [4]) In h. l. [5]) Num. I, 3 etc. [6]) II Par. XXXI, 16 hebr. [7]) I Par. XXVII, 23 hebr. etc.

intra menses ante stellam primo conspectam orti fuerant; quo simul illud commode fiebat, ut certa ac plena aliqua aetas, bimatus, inquam, definiretur eorum, qui forent interimendi.

CAPUT IV

De puerorum interemptorum numero

27 De numero puerorum Bethlehemitarum, qui Herodis iussu interempti fuere, nihil certi dicere possumus. Quidam eos ad CXLIV millia numerant, ea ducti ratione, quod die festo horum puerorum sacra facientes legimus illa apocalypseos: *Vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia* [1]). Graecorum menaea ceterique libri liturgici exhibent numero XIV millia, quo anctore mihi quidem incompertum. Sed, quo loco ambae hae sententiae sint habendae, nemo non intelligit.

28 Quae enim ratio priori sententiae subiungitur, si quidquam momenti ea haberet, pari modo ex ea efficeretur, quotquot aeternam beatitatem consequentur, non plures futuros, quam CXLIV millia, nam kal. novembr. die festo sanctorum omnium, quum sacra facimus, leguntur ex eodem illo libro apocalypseos haec illorum gemina: *Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati* [2]). Alteram vero sententiam non dubitat Papebrochius [3]) inter graecus fabellas amandare. Sed ratio, qua utramque refellamus, manifesta est.

29 Pone enim puerorum, qui necati fuerunt, numerum ad quatuordecim millia. Constat hos omnes mares fuisse, omnesque intra biennium in lucem editos. Adde his totidem circiter femellas eosque, qui intra illud idem temporis spatium diem primum simul supremumque vixere ante ceterorum necem, quo summam conficias omnium, qui Bethlehemi duobus annis nascebantur, summaque haec triginta millibus constabit. Quare Bethlehemi quindecim millia capitum orta quotannis putanda essent, quae summa tripla est eius, quam Urbs ferre solet, ideoque et populus bethlehemites triplus fuisset populi romani, hoc est, ad quingenta millia civium. Verum, potuerit, necne, hos capere illa urbs, quae inm *κωμη*, *pagus*, *castellum*, adpellabatur [4]), facile est diiudicare.

30 Neque vero sententiae huic effugium ullum patet in illis verbis Matthaei *et in omnibus finibus eius*. Quatenus enim proteusos putemus fines unius castelli, quod Hierosolymis sex septemve passuum millibus distaret? Ceterum de numero puerorum interfectorum legere est ea, quae scripsere Serryus [5]) et Ansaldus [6]), qui tamen illum exiguiorem ponunt, quam opus esse videatur.

CAPUT V

De silentio, quo Flavius Iosephus hanc caedem praeteriit, deque Macrobii testimonio.

31 Qui historiis Flavii Iosephi fidem adimere tentant eo nomine, quod caedem puerorum Bethlehemitarum silentio praeterierit, imperite faciunt, qui vero hoc ipso negant Matthaeum vera narrare, etiam impie. Quis enim ut minus veracem unquam traduxit aut Polybium, quod quaedam retulerit, quae reticuit Livius, aut Livium, quod haec reticuerit, quae retulit Polybius? Nemo enim historicorum est, qui omnia memoriae prodiderit, neque unquam fiet, ut apud eorum aliquem aliqua legas, quae non in alio desideres, cuius rei exemplo sunt ipsi evangelistae.

32 Ceterum neminem illud movere debet, quod Iosephus hanc caedem narrare omiserit, nam neque, cur narraret, caussa ipsi erat. Sapienter Innocens Ansaldus animadvertit *necesse . . . haud fuisse Flavium factum illud memorasse, nec postulasse eius institutum aut sinere historicas potuisse leges ipsum rem tantulam historiae generalis actis atque monumentis immiscere; exiguum nempe fuisse dicimus, loci ac temporis habita ratione, interfectorum numerum. Infanticidii denique narrationem christianas potius ad res, quam ad iudaicas, spectasse* [7]). Haec autem deinceps fusius explicat atque comprobat Ansaldus.

---

[1]) Apoc. XIV, 1. [2]) Apoc. VII, 4. [3]) Acta sanctor. maii T. I. Ephemerid. graeco-mosc. p. LVII [4]) Diss. XXII. n. 5. [5]) Exercitation. histor. crit. polem. exerc. XXXIX. [6]) Herodiani infanticid. vindic. c. 9. [7]) Herodiani infanticidii vindiciae. c. 8.

33 Verum, etsi expressam mentionem caedis puerorum Iosephus non fecerit, ea tamen refert, quae, sive tempora consideres, sive caussas, sive alia quoque rerum adiuncta, cum crudeli illo Herodis facinore mire congruunt. *Pharisaei*, inquit, . . . *cum universa Iudaeorum natio iurasset se Caesaris regisque rebus fauturos esse, . . . non iurarunt, cum essent supra sex millia. Cumque eos rex mulctasset, Pherorae coniux mulctam pro eis solvit. Pro quo beneficio, ut ei gratiam referrent (credebantur enim futura scire ex adflatu divino), fore praedixerunt, ut Herodes eiusque progenies Dei decreto imperium amitterent, idque ad eam et ad Pheroram eorumque liberos deferretur. . . . Quamobrem rex Pharisaeorum nocentissimos interficit, et Bagoam spadonem, et Carum quendam regis pusionem. . . . Necavit etiam ex sua familia omnes, qui cum Pharisaeorum dictis consenserant. Fuit autem per eos elatus Bagoas, quod dicerent eum patrem beneficumque appellatum iri eius, qui ex eorum praedictione creandus rex esset* [1]). Iusiurandum hic commemoratum alias [2]) demonstravimus datum fuisse, quum census ab Augusto orbi terrarum indictus in Iudaea haberetur, per eos dies, quibus Christus in lucem editus est. Quae deinceps facta narrantur ad necem usque Pharisaeorum et familiarium Herodis, ea quidem paucis diebis fieri non potuere, sed neque longiore tempore bis gerendis opus fuit illo, quod intercessit inter ortum Christi et caedem puerorum [3]). Imo illae neces, quas Iosephus commemorat, inferri non potuerunt serius quam illo ipso tempore, nam statim subsequutae sunt suspiciones Antipatri Herodis filii, ob quas Romam se vocari curavit [4]), pueri vero Bethlehemitae interempti sunt priusquam suspiciones illae Antipatro iniicerentur (7 seqq.). Habemus itaque in hac Iosephi narratione rumores praedictionesque de futuro rege, Herodem ob eam rem anxium atque sollicitum, hinc neces etiam necessariorum ab eo patratas, idque per id ipsum tempus, in quod congruit caedes puerorum Bethlehemitarum. Quare, non modo non erat, cur inepti quidam critici in Matthaeum falsitatis suspicionem commoverent, ut qui ea narret, quae silet Iosephus, sed e contrario ea narrat Iosephus, quae cum narratis a Matthaeo omnino cohaerent, quaeque satis sunt, ut dicatur Iosephus Matthaei narrationem testimonio suo oblique confirmare.

34 Sunt, qui plurimi faciunt haec, quae Macrobius scripsit de Augusto: *Cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudaeorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quam filium* [5]). Quae quidem si quid habent momenti, id non ipsa Macrobii auctoritas iis conciliat, utpote qui, quum scriberet extremo saeculo IV, notitiam illius caedis vel a Christianis vel ab ipsis evangeliis accepisse iure creditur, sed e re nostra haec forent, in quantum ex iis consequeretur famam facinoris ab Herode admissi Romam usque ad ipsas Augusti aures fuisse perlatam. At Macrobius id, quod dixerat Augustus tunc fortasse, quum Herodes Alexandrum et Aristobulum filios supplicio adfecit, errore ductus composuit cum historia puerorum interemptorum. Ignotus enim plane est ille Herodis filius, cuius nec vola nec vestigium apud Iosephum, etsi is totam Herodis sobolem diligenter recensuerit. Nec veri simile regis filium en aetatula extra aulam urbemque regiam in agro aut in pago altum, multoque minus in eum ipsius Herodis satellites quidquam ausos fuisse. Contra ea Herodis in filios Alexandrum et Aristobulum saevitiem Augusto fuisse improbatam, comperimus ex historiis Iosephi [6]), atque adeo ex epistola, qua ipse idem Augustus sic saeviendi potestatem fecit Herodi [7]).

DISSERTATIO XXXIV

Qua quaedam declarantur in Ieremiae vaticinio de puerorum Bethlehemitarum caede adlegato a Matthaeo

1 Matthaeus post narratam caedem puerorum Bethlehemitarum haec subiicit: ***Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus multus. Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt*** **[8]). Hieronimus illud animadvertit, quod** ***nec iuxta hebraicum, nec iuxta septuaginta Matthaeus sumpsit testimonium*** **[9]). Qua de re ut quisque facile iudicet, Ieremiae verba subiungimus, ut leguntur apud ipsum Ieremiam, eiusque interpretem graecum et latinum, et apud Matthaeum eiusque latinum interpretem.**

[1]) Antiq. L. XVII. c. 2. § 4. [2]) Diss. XVIII. nn. 32—34. [3]) Conf. nn. 5. 6 et Diss. XXVII. c. III. n. 24. [4]) *Ioseph.* ib. c. 3. §§ 1. 2. [5]) Saturnat. L. II. c. 4. [6]) Antiq. L. XVI. c. 10. § 9. [7]) Ib. c. 11. § 1. [8]) Matth. II, 17. 18 ex Ier. XXXI, 15. [9]) In Ierem. XXXI, 15.

Ierem. hebraie.	*Ieremias ex hebr.*	*Ierem. ex hebr. alio modo.*	*Ierem. graec. cod. vatican.*
קול	Vox	Vox	*Φωνη*
ברמה	in Rama	in excelso	*ἐν ʽΡαμα*
נשמע	auditn est,	audita est,	*ἠκουσθη*
נהי	lamentatio,	lameutatio,	*θρηνου,*
בכי	fletus	fletus,	*και κλαυθμου,*
תמרורים	amaritudinum.	amaritudines.	*,και ὀδυρμου·*
רחל	Rachel	Rachel	*ʽΡαχηλ*
מבכה	flens	flens	*ἀποκλαιομενη*
על	super	super	
בניה	filios suos,	filios suos,	
מאנה	renueus	reuuens	*οὐκ ἠθελε*
להנחם	consolari	cousolari	*παυσασθαι*
על	super	super	*ἐπι*
בניה	filioa suos,	filios suos,	*τοις υἱοις αὐτης,*
כי	quia	quia	*ὁτι*
איננו	nou ipse.	non ipse.	*οὐκ εἰσιν.*

Ierem. graec. cod. alexandr.	*Ierem latin. Hieronym.*	*Matthaeus graec.*	*Matthaeus latin. vulg.*
Φωνη	Vox	*Φωνη*	Vox
ἐν τῃ ὑψηλῃ	iu excelso	*ἐν ʽΡαμα*	in Rama
ἠκουσθη	audita est	*ἠκουσθη,*	audita est
θρηνου,	lameutationis,	*θρηνος,*	
και κλαυθμου,	luctus,	*και κλαυθμος,*	ploratus
και ὀδυρμου	et fletus	*και ὀδυρμος πολυς.*	et ululatus multus.
ʽΡαχηλ	Rachel	*ʽΡαχηλ*	Rachel
ἀποκλαιομενης	plorantis	*κλαιουσα*	ploraus
ἐπι			
των υἱων αὐτης,	filios suos,	*τα τεκνα αὐτης*	filios suos,
και οὐκ ἠθελεν	et nolentia	*και οὐκ ἠθελε*	et uoluit
παρακληθηναι,	consolari	*παρακληθηναι,*	cousolari,
	super		
	eis,		
ὁτι	quia	*ὁτι*	quia
οὐκ εἰσιν.	non suut.	*οὐκ εἰσι.*	non suut.

Hoc unum velim animadvertas, illud *ὀδυρμος πολυς ululatus multus* apud Matthaeum periphrasin esse pro *ὀδυρμοι ululatus* numero plurali, ut plurale est illud *amaritudines* codicis hebraici.

2 Quidam opinantur illa dicta esse a Ieremia de Hierosolymitis, quos Nabuzardan dux Chaldaeorum congregavit in urbem nomine Ramam, inde Babylonem abducendos [1]). Ideo autem induci

[1]) Ierem. XL, 1.

Rachelem eos flentem, quia *commorati sunt in Ierusalem de filiis Iuda, et de filiis Beniamin, de filiis quoque Ephraim et Manasse* [1]) qui omnes, si Iudaeos demas, Rachelis genus fuere; tum Hierosolyma, tametsi Iudaei eam ceperint [2]), in tribu Beniamini censebatur [3]), saltem ex parte [4]). Sed huic opinioni cum primis illud obest, quod ea, quae apud Ieremiam tum antea tum postea leguntur, dicta sint de captivitate deque restitutione decem tribuum, ideoque inter haec locus esse nequit tribui Iudae vel Beniamini. Insuper, quamquam Beniamitae una cum Iudaeis captivi abducti fuerint Babylonem, casus tamen Hierosolymae tribum Iudae praecipue attigit, utpote quae potior erat regni pars, a qua regnum nomen habebat, et ex qua ipsi reges ortum ducebant; quamobrem Lia potius quam Rachel fuisset commemoranda. Praeterea tota huius opinionis ratio est in nomine *Rama*. At hebraicum רמה, necesse non est dicamus esse nomen urbis, quum significet etiam *excelsum*, hoc est, locum editum, illudque ברמה Ionathan, interpres graecus, prout legitur in codice alexandrino, et Hieronymus, transtulerunt *in excelso*, interpres quoque syrus forte sic transtulit, nam nominis ܪܡܬܐ, prorsus sicut hebraici רמה, quamvis urbs quoque sic vocetur, significatio est *excelsa*, arabs denique, quem habent biblia polyglotta, reddidit *in colle*. Quod autem apud Matthaeum legatur *Rama*, velut nomen foret urbis, de hoc paullo inferius.

3 Alii cum Hieronymo sentiunt de iis loqui Ieremiam, de quibus et priora et posteriora dicit, de captivitate, inquam, deque restitutione decem tribuum. Enimvero, si quaecumque in illo Ieremiae capite leguntur, in sensum proprium forent accipienda, ipse sermonis contextus quemque in eam ire sententiam tantum non compelleret. Neque obest mentio urbis Ramae, quae in nulla decem tribuum censebatur, sed in tribu Beniamini [5]). Primo enim, ut modo dictum est, רמה ut nomen urbis accipere necesse non est, imo id fieri posse negat Hieronymus contendens etiam apud Matthaeum illud *in Rama* significare *in excelso*, non autem in urbe hoc nomine vocata; ac fieri certe potuit, ut Matthaeus scriberet ברמא, qui vero graece Matthaeum transtulit, hanc ipsam vocem syrochaldaicam servaret. Attamen haberi etiam potest ut nomen urbis, cuius urbis mentio hic opportunissime fieret, utpote sitae, sicut infra demonstrabimus, prope sepulcrum Rachelis. Ieremias enim dicendus foret hanc inducere veluti e sepulcro caput adtollentem inque lacrimas et eiulatus ita effusam, ut clamor in vicinia exaudiatur, eo quod non amplius videat filios suos, id est, Ephraimitas, quae prima ac nobilissima decem tribuum toti regno nomen fecerat.

4 At Matthaei auctoritas vetat, ne alia de re, quam de caede puerorum Bethlehemitarum, Ieremias loquutus esse credatur. Id sic esse in alio loco [6]) defendimus, simulque demonstravimus, quomodo Ieremiae verba ad puerorum Bethlehemitarum caedem pertinere queant, tametsi reliqua, quae Ieremias in eo loco dicit, tum priora tum posteriora, alio prorsus spectare manifestum sit.

5 Quaerendum superest, quo pacto locorum situs cohaereant. Nam, cur Rachel potius, quam Lia, flens inducatur pueros Bethlehemitas interemptos, non alia caussa esse potest, nisi quia prope Bethlehemum esset Rachelis sepulcrum. Illic vero hoc sepulcrum situm fuisse, sunt, qui negent.

6 Etenim, inquiunt, sepulcrum Rachelis distabat ab urbe Rama, qua Samuel degebat [7]), iter paucarum horarum ea via, quae ex hac urbe ducebat Gabaam regis Saulis patriam [8]). Gabaa proximaque huic Rama [9]) urbes erant Beniamitarum [10]), illa triginta stadiis [11]), quae sunt quatuor ferme passuum millia, Hierosolyma distans ab aquilone, haec vero stadiis quadraginta, id est, quinque millibus, secundum Iosephum [12]), aut sex, secundum Eusebium et Hieronymum [13]), aut etiam septem, ut alias hic alter scripsit [14]). Distabat itaque Rama duodecim millibus Bethlehemo, quae a meridie Hierosolymae obiacet ad sextum milliarum, ideoque sepulcrum Rachelis, prope quod transibant, qui Rama iter faciebant Gabaam, situm esse non potuit in vicinia Bethlehemi. Verum haec omnia non id habent momentum, quod habere videntur.

7 Sepulcrum Rachelis etiamnum Arabes ostendunt inter Hierosolymam et Bethlehemum; sed horum testimonium exiguam fidem facit. Illud gravius quod scripsit Hieronymus de Paula, quae Hierosolyma profecta *perrexit Bethlehem, et in dextera parte itineris stetit ad sepulcrum Rachel,... atque inde Bethlehem ingressa* est [15]). His plane consonat testimonium cuiusdam Hieronymo longe vetustioris, qui Zenophilo et Dalmatio coss., an. aer. vulg. CCCXXXIII, iter Burdigalis Hierosolymam

---

[1]) I Par. IX, 3. [2]) Ios. XV, 63; Iudic. I, 8. [3]) Ios. XVIII, 28. [4]) *Reland.* Palaestin. L. III ad nom. *Ierusalem* pp. 839 seqq. [5]) Ios. XVIII, 25. [6]) De interpret. scripturar. sacr. Lib. I. nn. 407. 408. [7]) I Reg. VII, 17; VIII, 4. [8]) Ib. X, 1. 2 coll. 26, et XV, 34, et Is. X, 29. [9]) Iudic. XIX, 12. 13 coll. 9—11. [10]) *Hieron.* in Os. V, 8. [11]) *Ioseph.* Bell. L. V. c. 2. § 1. [12]) Antiq. L. VIII, c. 12. § 3. [13]) Locor. hebraicor. de libro Iosue. [14]) In Os. V, 8. [15]) Ad Eustoch. ep. CVIII al. XXVII. § 10.

confecit atque descripsit; is enim haec narrat: ***Ab Hierusalem euntibus Bethlehem millia quatuor, super strata in parte dextra, est monumentum, ubi Rachel posita est uxor Iacob. Inde millia duo, a parte sinistra est Bethlehem*** [1]. Sed dubitationem omnem eximit Moyses, ubi referens ortum Beniamini et obitum Rachelis haec scripsit, quae latine transferimus ex codice hebraico: ***Et profecti sunt de Bethele. Et erat adhuc*** כברת ***(spatium quoddam) regionis antequam pervenirent Ephratam, et peperit Rachel. . . . Et mortua est Rachel, et sepulta est in via Ephratae; haec est Bethlehem*** [2]. Quis enim haud sentiat haec dicta esse non posse nisi de vicinia Bethlehemi, quum et via commemoretur, quae illuc ducit, et loci distantia, non ab alia, sed ab hac urbe quaenam esset, definiatur; sique Rachelis sepulcrum situm erat, ubi ii autumant, quos refellimus, inter Ramam et Gabaam, in ea regione, quae Hierosolymae ab aquilone obtenditur, non Bethlehem, utpote longinquior, sed una illarum urbium aut alia, quae Iacobo iter suum pergenti omnium prima occurreret, fuisset commemoranda. Denique totum id comprobant haec Samuelis verba: ***Cum abieris hodie a me, invenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Beniamin*** [3]; si enim haec conferas cum illa narratione Moysis, quam retulimus, perspicies Samuelem, non de aquilonaribus, sed de meridianis finibus Beniamitarum essé loqnutum, atque adeo sepulcrum Rachelis esse non potuisse in ea regione, quae Hierosolyma aquilonem versus Ramam usque et Gabaam porrigebatur. Constat igitur de situ huius sepulcri.

8 Sed aeque constat non longe ab eo fuisse urbem aut oppidum nomine Ramam, id enim comprobant, non modo verba Ieremiae a Matthaeo relata, sed et Samuelis verba, quae modo retulimus. Ex his enim illud consequitur, Rachelis sepulcrum fuisse in vicinia eius urbis, qua Samuel degebat, degisse autem eum Ramae testis est scriptor primi libri Regum [4]. Verum quomodo haec componi possunt atque illa, quae prius dicta sunt de situ Ramae? Levi plane negotio, si urbes cognomines aliam aliis distinguas.

9 Harum una ea est, cuius situm supra (6) descripsimus, et de qua haec scripsere Eusebius et Hieronymus: ***Rama in tribu Beniamin civitas Saulis, in sexto milliario ab Aelia, ad septemtrionalem plagam, contra Bethel. Meminit huius et Ieremias*** [5], non quidem iis verbis, de quibus quaestio est, his enim eam urbem nominari Hieronymus expresse negat (2. 3), sed ubi legitur *sermo*, ***qui factus est ad Ieremiam a Domino, postquam dimissus est a Nabuzardan magistro militiae de Rama, quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant de Ierusalem et Iuda, et ducebantur in Babylonem*** [6]. Hanc vero Ramam aliam esse ea, qua Samuel degebat, praeter rationem modo adlatam (8), eo etiam manifestum fit, quod Rama Beniamitarum urbs distaret a Gabaa non amplius quam iter dimidiae horae [7], Saulis vero a Samuele Gabaam revertentis iter longius omnino describatur [8]; quodque caput est, Rama illa, qua degebat Samuel, alibi sita erat quam in tribu Beniamini, quum Deus Samueli nuntiaverit Saulem venturum ad ipsum *de terra Beniamin* [9], contra ea vero Saul a Samuele Ramaque regressus dicitur ad fines Beniamitarum [10].

10 Putant alii Ramam, qua Samuel domum habebat, eam fuisse, quae Ramathaimsophim vocatur, idque confirmari videtur tum eo, quod Elcanae Samuelis patri Ramathaimsophim patriam fuisse narret scriptor primi libri Regum [11], tum etiam eo, quod Rama, quam Samuel incolebat, sita dicatur in terra *Suph* [12], quod nomen videtur non differre a *Sophim* nisi ut a nomine patronymico plurali, ideoque ***Ramathaim Sophim*** idem sonare, ac si latine eam urbem vocarem ***Ramathas*** aut ***Ramas Sophaeas***, hoc est, sitas in regione *Suph*. Illud quidem exploratum certe habemus, Ramathaimsophim aliam esse Rama illa Beniamitarum, quam prius descripsimus (6. 9). Sita namque erat Ramathaimsophim in *monte Ephraim* [13], proinde in tribu Ephraimi, idque eo confirmatur, quod Elcana Samuelis pater, cui haec urbs patria fuit, Ephrataeus, hoc est, Ephraimites fuisse dicitur [14], non alia profecto de caussa, quam quia ortus fuerit in tribu Ephraimi, genere enim Levites erat [15], quod Iosephus quoque adnotavit [16]. Tum vel nomina ipsa satis sunt, cur Ramathaimsophim aliam credamus Rama Beniamitarum. Sed et Eusebius et post eum Hieronymus eas expresse secernunt aliamque ab alia distinguunt; nam de Rama Beniamitarum ea tradidere, quae superius (9) retulimus, de Ramathaimsophim vero haec plane alia scripserunt: ARMATHEM SOPHIM *civitas Helcanae et Samuelis . . . iuxta Diospolim, unde fuit Ioseph, qui in evangeliis de* ARIMATHIA (הרמתים) *scribitur* [17];

---


[1] Ap. *Reland.* Palaestin. L. II. c. 4. [2] Gen. XXXV, 16. 19. 20. [3] I Reg. X, 2. [4] I Reg. IX, 6 coll. VII, 17 et VIII, 4. [5] Locor. hebraicor. de libro Iosue. [6] Ierem. XL, 1. [7] Iudic. XIX, 12. 13 coll. 9—11. [8] I Reg. X, 2—5. [9] I Reg. IX, 16. [10] Ib. X, 2. [11] I Reg. I, 1. [12] Ib. IX, 6 coll. 5. [13] I Reg. I, 1. [14] Ib. [15] Conf. ib. et I Par. VI, 33—38. [16] Antiq. V. c. 10. § 2. [17] Locor. hebraic. de Regnor. libr.

quae magis ac magis comprobant Ramathaimsophim fuisse in tribu Ephraimi, quippe quia vicina huic urbs olim Lydda, sequiore aetate Diospolis nuncupata [1]), in hac eadem tribu sita erat, ut colligimus ex primo Machabaeorum [2]), ex historiis Iosephi [3]), exque aliis monumentis, quae situm huius urbis nos docent [4]), aliaque omnino fuit ac Lod urbs Beniamiturum [5]), secus ac putarunt Rosenmuellerus [6]) et Gesenius [7]). At, si Ramathaimsophim alia erat urbs quam Rama Beniamitarum, non tamen eadem putanda est ac Rama, in qua Samuel vitam agebat, neque ullo modo id comprobant illa duo argumenta. Etenim in primis, ut animadvertit Gesenius, *oppidum natale Elcanae . . . potest aliud fuisse ac habitatio eius* [8]). Insuper nomen patronymicum deductum a *Suph* foret *Suphim*, non autem *Sophim*, neque urbes regionesve cognomines distinguunt Hebraei nominibus patronymicis, sed nominibus propriis populorum hominumve, aut adpellativis, casu patrio, vocant enim גבעת בנימין *Collem Beniamini*, גבעת שאול *Collem Saulis*, גבעת פנחס *Collem Phineesis*, קרית ספר *Urbem libri*, קרית יערים *Urbem Silvarum*, בית לחם יהודה *Bethlehem Iudae*, פדן ארם *Planitiem Syriae*, non autem *Collem beniamiticum, saulicum, phineesicum*, nec *Urbem librariam, silvestrem*, nec *Bethlehem iudaeam*, nec *Planitiem syriaeam*, quare Ramathaim sitam in regione Sophaeorum adpellarent Hebraei רמתי צופים *Ramathe Sophim*, hoc est, *Duo excelsa Sophaeorum*, non vero רמתים צופים *Ramathaim sophim*, hoc est *Duo excelsa sophaea.* Ad haec Samuelis domicilium procul remotum fuisse a monte Ephraimi, in quo sita erat Ramathaimsophim, certo colligimus ex descriptione itineris confecti a Saule ad patris asinas conquirendas [9]). Gesenius quaerens, quaenam fuerit urbs nomine Rama, Samuelis domicilium, minus vere illud scripsit, quod hanc *Eusebius et Hieronymus . . . eandem faciunt atque Ramathaim Zophim* [10]), non enim est, cur Eusebius et Hieronymus credantur loqui de alia, quam de ea urbe, qua Samuel natus est, quaeque alia dicenda est ea, qua idem is morabatur.

11 Neutra igitur praedictarum urbium esse potuit Rama illa, qua narratur Saul Samuelem adiisse, haud procul a Rachelis sepulcro sita. Proinde nulla ab ipsis bibliis potest nobis esse difficultas, quominus pro certo habeamus et sepulcrum Rachelis haud procul Bethlehemo, nec procul ab hoc sepulcro urbem nomine Ramam sitam fuisse, quae ceteroquin aliis quoque argumentis, prout demonstravimus (7. 8), explorata sunt. Sed et Eusebius haec testimonio suo confirmat, aitque: *Ἐστι δε και Ῥαμα του Βενιαμιν περι την Βεθλεεμ· ἐνθα φωνη ἐν Ῥαμα ἠκουσθη*, quae sic latine reddidit Hieronymus: *Est autem et alius locus in tribu Beniamin iuxta Bethleem, de quo dicitur: Vox in Rama audita est* [11]); in quibus illud dumtaxat nobis minime videtur accipiendum, quod Rama haec sita dicatur in tribu Beniamini (9). Gesenius quaestionem de hac urbe ita concludit, *ut Roma Samuelis ibi quaeratur, ubi et ipsa a nonnullis Palaestinae Christianis ponitur, in vicinia Bethlehemi et ab oriente sepulcri Rachelis. V.* Prokesch p. 110. Salzbacher *Itin.* II, 164. . . . *Ibi, trium horarum spatio ab Hierosolymis, est mons Gebel* فريديس *dictus, Herodium veterum* [12]) *ita situs, ut, si ibi Ramam ponas, in descriptione itineris* I *Sam.* IX. X *nihil desideres* [13]). Haec omnia clarius ostendet regionis ichnographia, quam huic paginae adiungimus.

---

[1]) *Hieron.* ad Eustoch. ep. CVIII al. XXVII. § 8, et *Relandi* Palaestin. L. III. [2]) I Mach. XI, 34 graec. [3]) Antiq. L. XIII. c. 4. § 9. [4]) Conf. *Ioseph.* Bell. L. II c. 18. § 10 et c. 19. § 1 cum Itinerario veteri ap. *Reland.* Palaest. L. II. c. 4 p. 417, et cum Ios. XVI. 3. 5 et XXI, 22 coll. 21, et I Par. VI, 68 coll. 66, et VII, 24 coll. 20, et Ios. XVIII, 13. 14. [5]) I Par. VIII, 12; I Esd. II, 33; II Esd. VII, 37; XI, 34. [6]) Handb. II B. II Th. S. 334. [7]) Thes. philol. crit. ad v. לֹד. [8]) Thes. philol. crit. ad h. v. [9]) I Reg. IX, 3—6. [10]) L. c. [11]) Locor. hebraicor. de Regnor. libr. [12]) *Robins.* II, 392. [13]) L. c.



1 Rama Samuelis
2 Bethlehem
3 Sepulcrum Rachelis
4 Hierosolyma
5 Gabaa Saulis
6 Rama Beniamitarum
7 Bethel
8 Ramathaimsophim
9 Lydda
a Iter Saulis ad Samuelem
b Reditus Saulis

DISSERTATIO XXXV

De anno et mense emortuali Herodis

1 Temporum, quibus Christi historia continetur; praecipuas notas Lucas nobis indicavit, quarum prima est regnum Herodis Magni [1]); a postremis enim regni huius annis evangelistae scribendarum rerum exordium duxere [2]). Ne itaque, quod olim peccabatur, hoc exordium signemus aliquo anno, qui fuerit post annum, quo Herodes mortuus est, annum hunc diemque Herodis emortualem adcurate definitum habeamus necesse est. Praecipuus locus, ex quo huius quaestionis argumenta petuntur, sunt historiae Flavii Iosephi, quippe is regi Herodi suppar, huiusque pronepoti regi Agrippae amicitia coniunctus, tum ex patriis monumentis, tum ex Nicolai Damasceni Herodi familiarissimi libris, didicerat, quae de Herode narravit. Sed minime desunt alia praeterea monumenta aliorumque scriptorum testimonia, quibus Iosephi narrationem confirmemus. Ipsam quaestionem Henricus Sanclementius [3]) egregie pertractavit, ostenditque regem obiisse *vix inchoato mense legali nisan, et ante paschalia festa, . . . quae ab Hebraeis celebrata fuere anno U. C. varr.* DCCL . . . *consulibus Calvisio Sabino et Passieno Rufo*, qui annus fuit p. i. 4710, ante vulgarem aeram IV. Quare equidem libens hanc disputationem prorsus omitterem, nisi in illa Sanclementii ratiocinatione nonnulla deprehenderem, quae, etsi rei summam ea minime adficiant, tamen vel non ex vero ipse posita habuit, sibique sumpsit, vel plenius confirmare potuisset ac debuisset. Non ergo vereor, ne quis me actum agere sit existimaturus, quod meam quoque symbolam huc contulerim. Itaque praecipua argumenta a Sanclementio prolata indicabimus potius, ut verius loquar, quam exponemus, ea notando, de quibus alia nobis sententia est, addendoque, quae ab illo praeterita aut immerito insuper habita fuerunt. Ordo vero, qui brevitatem huic quaestioni aeque ac perspicuitatem conciliabit, hic erit, ut primo notionem exponamus verbo ἐνιστασθαι a Iosepho subiectam, non aliam nimirum, quam quae huius verbi propria

---

[1]) Luc. I, 5. [2]) Conf. Luc. ib.; Matth. II, 19. [3]) De vulg. aerae emendat. L. III.

est, deinde de anno et die, quo Pompeius Hierosolymam expugnavit, tum de exordio regni Antigoni, qui postremus de Hasmonaeorum genere in Iudaea ante Herodem regnavit, ad haec de duplici regni Herodis initio agamus, denique annum diemque illum quidem definite, hunc proxime, constituamus, quo is e vivis excessisse dicendus est.

CAPUT I

De notione verbo ἐνιστασθαι a Iosepho subiecta, non alia, quam huius verbi propria

2 Quum diem, aut annum, aut certum aliquod tempus designandum est, saepe Iosephus id facit adhibito verbo *ἐνιστασθαι;* quod quam vim habeat in quibusdam eius historiarum locis, fuerunt, qui dubitarent; quasi vero notio huic verbo subiecta non satis perspecta sit, aut de ea immutata Iosephus in suspicionem veniret.

3 Verum non alia verbo huic graeco vis inest, quam quae latino *instare*, hanc vero Tullius ipse nos docuit his, quae de Catilina sociisque pronuntiavit: *Quibus ego confido* IMPENDERE *iam fatum aliquod, et poenas iam diu debitas aut* INSTARE *iam plane, aut certe iam* APPROPINQUARE [1]. *Instare* igitur plus est, quam *appropinquare*, proinde non minus, quam *iam adesse* aut *incipere*; quem quidem in sensum usurpatum a Livio est, idque compluries [2]. Itaque *ἐνιστασθαι* ea dicuntur, quae ad id usque adpropinquabant quidem, imminebant, adpetebant, tamen iam incipiunt, iam adsunt. Hinc duo concludimus. Primum est latius patere huius verbi significationem atque usum, quum loquimur de tempore, cuius initia non ita certa ac definita sunt, exempli gratia, de hieme, de aestate, de senecta, de luce, de nocte, de tempore agendi aliquid, quam quum de anno, de mense, de mensis die, de diei hora, quae omnia, quum illo verbo ea enuntiamus, iam incepta esse aut fuisse significamus. Alterum est, quod verbi *ἐνιστασθαι* tempus praesens, quod grammatici vocant, ipsum horae, momentum signat, quo annus aut dies esse incipit adestque, tempus vero praeteritum aut *ἀοριστον* annum diemve sive dudum, sive iampridem, inceptum, in summa annum aut diem, qui tum ibat, quum id factum est, quod narratur.

4 Sed neque in Iosephi libris alia huic verbo subiecta notio est. In his enim, quum numquam non potest, tum plerumque necesse est in eum sensum, quem dicimus, hoc verbum accipi: si ergo ex certis incerta sunt aestimanda, quid concludendum sit, liquido constat. De Ieroboamo haec ille narrat: *Μετ' οὐ πολυ δε της σκηνοπηγιας ἑορτης ἐνιστασθαι μελλουσης* [3]. Quid, sodes, est illud *ἐνιστασθαι μελλειν*? Num ita reddita haec velles: ***Quum futurum esset, ut appropinquaret, ut appeteret dies festus scenopegiae?*** Ast quid ineptius, quam *futurum* id dicere, cuius ipsa notio est aliquid futurum? huiusmodi enim sunt, quae adpropinquant, quae adpetunt, quae imminent. Non ergo aliud est *ἐνιστασθαι μελλειν* quam *futurum esse, ut incipiat, ut adsit*, vel simpliciter *futurum esse*, illaque ita vertenda: ***Quum non multo post futurus esset dies scenopegiae.*** Praeteritum plusquam perfectum *ἐνειστηκει* ita Iosephus adhibet, ut eo designet, non modo tempus aliquod iam inceptum, ut in *Antiq.* L. XVII. c. 9. § 5; XVIII. c. 5. § 3; XX. c. 9, § 3, sed quod iam praeterierat. De anno enim, quo Salomon templum aedificare coepit, haec scripsit: *Κατ' ἐκεινον ἐτος ἠδη της ἐν Τυρῳ βασιλειας ἑνδεκατον ἐνειστηκει Εἰραμῳ,* quae recte Hudsonus ita vertit: ***Tunc undecimum in regno Tyri annum iam egerat Hiramus*** [4]; nam in alio loco Iosephus dicit templum aedificatum *δωδεκατῳ ἐτει duodecimo anno* regni Hirami [5]. Quare sic interpretari liceret etiam illud *ἐνειστηκει*, quod est in Antiq. L. XV. c. 1. § 2; non tamen necesse est (27).

5 Sed iuvat praeter eos locos, de quibus modo diximus, ceteros omnes indicare, quotquot sunt in *Antiquitatibus*, nonnullosque e libris *de Bello*, in quibus hoc verbum reperitur. Constat itaque eam, quam defendimus, significationem huic verbo esse in *Bell.* L. I. c. 13. § 3; II. c. 1. § 3; V. c. 3. § 1; VI. c. 9. § 3; in *Antiq.* L. II. c. 14. § 6; III. c. 12. § 3; IV. c. 8. § 12; IX. c. 10. § 4; c. 13. § 3; XI. c. 6. § 6 coll. Esth. III, 7. 13; *Antiq.* L. XIII. c. 2. § 3; c. 8. § 4; c. 11. § 1; XV. c. 3. § 3; XVII. c. 9. §§ 3. 5; XX. c. 5. § 3, esse autem posse in *Antiq.* L. XIV. c. 3. § 2;

---

[1]) In Catilin. or. II. § 5. [2]) Histor. L. III. § 6; V. § 6; XXVII. § 4; XXVIII. § 38; XXIX. § 35; XXXI. §§ 36. 43. 47; XXXII. § 36; XXXV. § 41; XXXVI. § 10; XXXVII. § 39 coll. 33—38. [3]) Antiq. L. VIII. c. 8. § 4. [4]) Antiq. ib. c. 3. § 1. [5]) Cont. Apion. L. I. § 18.

XVII. c. 10. § 2 ex VV. LL. De quibus autem aliqua cuiquam suprepere dubitatio posset, haec sunt. Primo in *Antiq.* L. V. c. 2. § 12 Iosephus virginum raptus Beniamitis concessum describit, aitque ab his negotium expeditum fuisse *ἐνσταση̨ς . . . της ἑορτης, . . . ante urbem*, quum illae ex aliis regionibus ad sacrum sollemne adventarent. Atqui adventabant ante ipsum diem festum. Verum considera, ut non plores essent, quam ducenti, quibus uxores dari oportebat [1]), utque nihil credere vetet multos ad urbem pervenisse ipso die festo, ut denique negotium transigi a Beniamitis, nisi semel atque uno simul tempore, potuerit; potuit ergo ipso die festo transigi. In *Antiq.* L. VIII. c. 8. § 5 legimus, quae Ieroboamus egerit *ἐνσταση̨ς της ἑορτης mense septimo*; quuo tamen temporis nota pertinet ad totius narrationis caput, ut, inquam, *illo die* Ieroboamus sacra fecerit pontificis maximi vicem; tum fieri utique potuit ut illo ipso die festo is altare etiam exstrueret. Item dicas de iis, quae leguntur in *Antiq.* L. XI. c. 4. § 8; non enim verbum *ἐνσταση̨ς* tempus signat, quo gens Hierosolymam *συνερρυη confluebat*, quam ipsum diem, quo *την ἑορτην ἠγαγον sacrum sollemne agebant*. In *Antiq.* L. XII. c. 4. § 7 illud *της προθεσμιας ἐνισταμενης* nequaquam vertendum est, ut Hudsonius fecit, *instante die praestituta*, sed *quum tempus praestitutum instaret*; scilicet tempus significatur, quo *regi numeranda erant vectigalia*, quod certe non unius quidem diei negotium erat, ubi autem hoc tempus *advenerat*, Iosephus ille procurator Syriae ea exsequebatur, quae narrantur. In *Antiq.* L. XIII. c, 8. § 1 non est dubium verbo *ἐνισταται* id significari, quod adfirmamus; sed iam ab aliis Iosephi in his narrandis error deprehensus est, putantis annum sabbaticum incepisse, quum Ioannes Hyrcanus Ptolemaeum Abobi filium obsidione premeret, tametsi e contrario obsidio haec medio anno sabbatico coepta fuerit. Lege librum primum Machabaeorum [2]). In *Antiq.* XIV. c. 11. § 5 verbo *ἐνσταση̨ς* significari diem festum a multa hora inceptum, certiores nos faciunt haec, quae sequuntur; Herodem cum suis urbem Hierosolymam intrare prohibitum, eo quod non oporteret *alienigenarum turbam in* LUSTRATAM *multitudinem admitti*. Denique in *Antiq.* XIV. c. 13. § 4 non est, cur in alium sensum verbum *ἐνσταση̨ς* accipiatur; quod enim arma illo die, qui festus erat, capta dicontur, id quidem diebus quoque festis licebat, quum paratos esse oportebat ad vim, quae forte inferretur, repellendam [3]).

6 Ceterum Iosephus, quum loquitur de tempore, quod adpetit, at nondum adest, utitur verbo *ἐφιστασθαι*, ut in *Ant.* L. XIII. c. 8. § 2; XIV. c, 2. § 2; quamquam hoc quoque verbo subinde illud ipsum designat, quod verbo *ἐνιστασθαι*, ut in *Bell.* L. I. c. 2. § 4.

CAPUT II

De anno et die, quo Pompeius Hierosolimam cepit

7 Iosephus in *Antiquitatibus* haec scripsit de Hierosolyma a Pompeio capta: *Ἁλουση̨ς της πολεως περι τριτον μηνα, τη̨ της νηστειας ἡμερα̨, κατα την ἐνατην και ἑβδομηκοστην και ἑκατοστην ὀλυμπιαδα, ὑπατευοντων Γαιου Ἀντωνιου και Μαρκου Τυλλιου Κικερωνος, οἱ πολεμιοι μεν εἰσπεσοντες ἐσφαττον τους ἐν τῳ ἱερῳ κ. τ. λ. Capta iam urbe, mense tertio, die ieiunii, olympiade centesima septuagesima nona, C. Antonio, M. Tullio Cicerone coss., hostes quidem vi ingressi eos, qui erant in templo, iugularunt, et cetera* [4]). Notae anni, mensis et diei, non receptam urbem signant, quae paullo post, quam Pompeius advenerat, sine pugna ipsi tradita fuerat [5]), sed expugnatum templum. Congruunt autem ad unam omnes in unum U. C. DCXCI, qui fuit annus p. i. 4651. Et de anno quidem nulla esse potest dubitatio; quum enim, quae in tota hac Iosephi narratione leguntur, eadem narrant, etsi non omnia omnes, Diodorus Siculus [6]), Strabo [7]), Appianus [8]), Plutarchus [9]), Dio Cassius [10]), Eutropius huiusque *μεταφραστης* Paeanius [11]), tum ex ipsa rerum a Pompeio per illos annos gestarum serie, ut ea descripta superest apud Appianum [12]), Plutarchum [13]), et Dionem [14]), necessario efficitur, ver, quo Damasci Hyrcanus et Aristobulus coram Pompeio de regno certarunt [15]), non aliud esse, quam quod illo anno fuit. Ast de die non item convenit inter eruditos, aliis

---

[1]) Conf. Iudic. XX, 47; XXI, 12. 16. 21. 23. [2]) I Mach. XVI. [3]) Conf. I Mach. II, 40. 41; *Ioseph.* Antiq. L. XIV. c. 4. § 3. [4]) Antiq. L. XIV. c. 4. § 3. [5]) Ib. § 2; Bell. L. I. c. 7. § 2. [6]) Excerpt. lib. XL in *Mai* Scriptor. veter. nova collect. T. II. p. 128. [7]) Geogr. XVI. p. 763. [8]) Bell. mithridat. p. 244. [9]) Pompei. p. 639. [10]) Hist. L. XXXVI. pp. 36. 37. [11]) Hist. L. VI. [12]) L. c. pp. 242—252. [13]) L. c. pp. 637—641. [14]) L. c. pp. 25—38. [15]) *Ios.* Ant. ib. c. 3. § 2; Bell. ib. c. 6. § 4.

mense tertio anni Iudaeorum sacri, aliis tertio anni *οἰκονομικου*, diem hunc fuisse adfirmantibus, neutris tamen ex vero. Quod ne audacius a me prolatum quis existimet, ostendam Pompeium urbem quidem Hierosolymam sub aestatis initium deditione fucta accepisse, templum vero expugnasse die decimo septimi mensis, qui est tisri, qui dies illo anno fuit a. d. X kal. octobr. aut postridie.

8 Cum primis animadverte, ut Iosephus dicat templum captum non *mense tertio* simpliciter, sed *mense tertio obsidionis*, videlicet quum tribus mensibus fuisset obsessum. Quamquam enim in *Antiquitatibus* scripserit *περι τριτον μηνα*, unde tamen horum trium mensium numerum ducat, docet nos in libris *de Bello*, in quibus est *τριτῳ μηνι της πολιορκιας* [1]). Tum Iosephus, quum anni menses commemorat, numquam non suo quemque nomine designat, tunc quoque, quum, ut subinde facit, quotus is anni mensis sit, enuntiat. Quid, quod et alii scriptores, Eutropius, Paeanius Eutropii *μεταφραστης* [2]), Orosius [3]), Zonaras [4]), rem *mense tertio* gestam dixerunt? num hos mensibus iudaicis historiarum suarum tempora distinxisse suspicabimur? Quid, quod Paeanius illud *τριτῳ της ἐφοδου μηνι tertia adgressionis mense* factum fuisse scripsit? At enim hi Iosephum exscripserunt. Esto. Attamen Iosephi verba in eum sensum, quem defendimus, ab ipsis accepta esse adparet.

9 Prueterea Iosephus testatur Pompeium templo potitum *τῃ της νηστειας ἡμερᾳ die ieiunii.* Hic dies alius non est, quam dies expiatinnis, quae agebatur die decimo mensis tisri. Etenim, etsi Iudaei aliis quoque anni diebus ieiunare solebant, tamen *κατ᾽ ἐξοχην dies ieiunii* hic vocabatur, utpote de quo Moyses legem tulerat, de aliis non item. Diem hunc ea adpellatione Iosephus alias quoque significavit; ita narrat pontificali stola pontificem maximum solitum indui *τρισιν ἑορταις ἑκαστου ἐτους και τῃ νηστειᾳ* [5]), hoc est, diebus festis azymorum, pentecostes, tabernaculorum, et *expiationis*; numquam autem alium diem sic vocavit. Adde, quod, ubi Iudaeorum sollemnia religiosasque consuetudines fuse exponit, nullius ieiunii, praeter illud unum, mentionem facit [6]). Non ergo tali nota, incomperta quippe lectoribus, ad diem designandum usus fuisset, praesertim nulla addita explicatione, ipse, inquam, qui, non modo quum aliorum sive rituum, sive sollemnium, sed etiam quum paschatis mentionem iniicit, quamquam plene et clare, de tota huius ratione lectores docuerit [7]), fere tamen aliquid addit, quo, quid hoc rei esset, denuo explicet [8]). Quid vero, quod hunc diem *ἑορτην* vocat [9])? atqui nullus ieiunii dies festus erat, nisi hic, quem dicimus. Adde huc Strabonem, qui profecto Iosephum non exscribebat, narrantem, ut Pompeius Hierosolymam expugnaverit *τηρησας την της νηστειας ἡμεραν, ἡνικα ἀπειχοντο οἱ Ἰουδαιοι παντος ἐργου observans ieiunii diem, quum omni opere Iudaei abstinent* [10]); ast huiusmodi vacatio non ceteris ieiuniorum diebus, sed illo uno, de quo agimus, praecepta erat.

10 Denique series ipsa tntius rei gestue, ut eam Iosephus descripsit, id, quod defendimus, certo evincit [11]). Pompeius *ἐνισταμενου του ἐαρος ineunte vere*, quum copias ex hibernis eduxisset, contendit in Damascenen. In itinere arcem Apameae vertit, ditionem consideravit Ptolemaei Mennaei filii, qui mille talentis se a poena sibi debita redemit, qua pecunia Pompeius militibus stipendia dedit, tum castellum Lysiada expugnavit, *cumque urbes Heliopolim et Chalcida pertransisset, montemque superasset Coelen Syriam, ut appellatur disterminantem, a Pella Damascum se contulit.* Ex his adparet, Pompeium hiemasse in aliqua Syriae regione, quae Apameae a septemtrionibus obiacet. Apamaea, perinde ac Antiochia, ad Orontem posita erat. Antiochiae Pompeium, postquam in Syriam venerat, diutius moratum, multaque Antiochenis largitum fuisse Eutropius [12]) memoriae prodidit. Antiochiam venire non potuit, nisi post confectum bellum cum Antiocho Comageno et Dario Medo, proinde non ante aestatem anni p. i. 4650; huius enim anni initio in Ponto hiemarat [13]). Antiochiae autem ad id usque eum plerumque degisse colligimus ex Eutropio; quumque nullum bellum interea temporis gesserit, liquet exercitum in Syria circa Antiochiam sedisse. Non ergo est dubitandum, quin Pompeius Antiochiae hiberna habuerit superiore hieme, intra quam annus p. i. 4651 incepit. Ceterum Apamea et Antiochia non longe distabant. Antiochia posita est in 36° 12′ lat. septemtr. ut minimum, Damascus in 33° 32′ lat. septemtr. Quamquam latitudinis gradus in illo climate paullo breviores sint gradibus aequatoris, si tamen et viarum flexus adtendas, et regionis

---

[1]) Bell. ib. c. 7. § 4. [2]) L. c. [3]) Hist. L. VI. c. 6. [4]) Annal. L. V. c. 6. [5]) Ant. L. XVIII. c. 4. § 3. Conf. Bell. L. V. c. 5. § 7. [6]) Ant. L. III. c. 10. § 3. [7]) Ib. § 5. [8]) Ant. L. II. c. 14. § 6; XIV. c. 2. §§ 1. 2; XVII. c. 9. § 3; XX. c. 5. § 3; Bell. L. II. c. 1. § 3; IV. c. 7. § 2; V. c. 3. § 1; VI. c. 9. § 3. [9]) Ant. L. XIV. c. 16. § 4. [10]) L. c. [11]) Antiq. L. XIV. cc. 3. 4; Bell. L. I. c. 6. § 4 — c. 7. § 4. [12]) Hist. L. VI. [13]) *Plutarch.* Pomp. p. 639; *Dio* Hist. L. XXXVII. p. 32.

formam inaequalem et montuosam, facile dabis ex differentia 2° 40′ consequi distare Antiochiam Damasco ducentis viginti millibus plus minus. Haec exercitus ordinario agmine undecim aut duodecim diebus conficiebant [1]). Pompeius, ut adparet ex ipsa narratione, minime festinabat. In locis, qui nominantur, vel hoc ipso, quod nominentur, aliquot diebus eum mansisse liquet. Quae si omnia perpendas, concludes Pompeium, Antiochia aut alia qua urbe magis boreali, quam Apamea, *ineunte vere*, hoc est, sub finem mensis martii, profectum pervenire Damascum ante mensem maium non potuisse.

11 Hyrcanus cum fratre Aristobulo de regno deque pontificatu disceptans, quique ab eo stabant, *ἐπειδὴ Πομπήιος ἐπιὼν τὴν Συρίαν εἰς Δαμασκὸν ἧκεν, ἐπ' αὐτὸν καταφεύγουσι*, POSTQUAM *Pompeius Syria peragrata Damascum venit, ad ipsum confugiunt. . . . Οὐδ' Ἀριστόβουλος ὑστέρει, . . . παρῆν τε καὶ αὐτός. Neque Aristobulus cessavit, . . . aderatque etiam ipse.* Pompeius vero *περὶ μὲν τῶν ἀμφισβητήσεων εἰς ὕστερον ὑπερβάλετο καιρὸν de disceptationibus cognoscere, in posterum distulit tempus*, ut Diodorus Siculus narrat [2]), *seque*, ut legimus apud Iosephum, *in terram earum profectum omnia compositurum esse dicebat, postquam Nabuthaeorum res primum inspexisset; at interea quietos se tenere iussit, θεραπεύων ἅμα τὸν Ἀριστόβουλον simul Aristobulum colens, ne regionem averteret, atque aditu* ipse Pompeius *excluderetur.* Ast Aristobulus, *οὐ ἀναμείνας οὐδὲν nulla re exspectata earum, de quibus cum eo Pompeius colloquutus erat*, in Iudaeam discessit. Quare Pompeius ipsum adgredi instituit, *assumpto exercitu, quem ducebat in Nabathaeos, et a Damasco aliaque Syria auxilio aliisque, quas habebat, legionibus romanis.* Hierosolyma Damasco distat circiter centum sexaginta millibus. Ut ergo illuc nuntius perferretur adventus Pompeii Damascum, indeque huc Aristobulus adveniret, sex minimum dies fuerunt. Disceptatio ad aliquot dies protracta est procul dubio, quum Iudaeorum legati quoque adessent de regio dominatu in Iudaea abolendo. Plusquam mille testes aderant Hyrcano adstipulantes. Ut autem Aristobulus Damasco discesserat, copiae *ἐκ τῆς ἄλλης Συρίας ex alia Syria* coactae fuerunt; quae ut advocarentur, et Damascum convenirent, decem aut duodecim dierum spatio opus fuit. Proinde Pompeius Damasco proficisci non potuit ante postremos dies mensis maii.

12 Is, quum Pellam ac Scythopolin praeteriisset, ubi Coreas ad Iudaeae fines ventum est, Aristobulum e castello Alexandrio, in quod confugerat, ad se descendere iussit. Qui, quum paruisset, coramque Pompeio cum fratre disceptasset, in castellum, adnuente Pompeio, reversus est. Hoc iterum et tertio factum fuit. Tandem coactus a Pompeio est scribere castellorum praefectis, ut huic ea traderent, indigneque id ferens inde sese proripuit, et Hierosolymam regressus bellum adparavit. Pompeius *μετὰ οὐ πολὺ haud multo post, οὐ γὰρ ἐδίδου χρόνον ταῖς παρασκευαῖς non enim tempus praebebat adparatibus* bellicis, quos Aristobulus facere instituerat, Hierosolymam discedit. Quum Hierichunta pervenisset, ibi una nocte castra habuit. *Οὐκέτι αὐτοῦ τῆς Πέτρας πολλὴν ἀπέχοντος, ἤδη δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης βεβλημένου χάρακα Quum ab urbe Petra non longe abesset, iamque illo die castra metatus esset* [3]), Hierichunte videlicet, ut Iosephus narrat, nuntium accipit de Mithridatis interitu [4]). Iter Damasco ad fines Iudaeae agmina sex diebus emetiuntur. Illic quatuor aut quinque saltem diebus Pompeium mansisse ex ipsa narratione colligimus. Nam ex illis verbis *μετὰ οὐ πολὺ* consequitur, non eodem die, quo Aristobulus ex Alexandrio Hierosolymam recesserat, Pompeium Coreis profectum fuisse; quamquam enim illa referri aeque possint ad profectionem atque ad nuntium acceptum, quum tamen hunc eodem die acceperit, quo Coreis fuerat profectus, decem enim, non amplius, millia usque Hierichunta emetienda ei fuerunt, ea consequutio manet atque obtinet. Dies ergo, quo in hac urbe pernoctavit, fuit non multo ante medium iunium.

13 Postridie mane Hierichunte discedens versus Hierosolymam contendit. Aristobulus perterritus *ἀφικνεῖται πρὸς Πομπήιον abit ad Pompeium, eique ὑπήντα occurrebat*, ac pecunias pollicens, spondensque sese una cum urbe Pompeio traditurum, hunc lenire ac mitigare studebat. Quam ob rem Gabinius mittitur, qui pecuniam urbemque recipiat, Aristobulo apud Pompeium interea manente. At Gabinius, quum neque admissus in urbem esset, re infecta revertitur. Liquet Aristobulum ad Pompeium adiisse, antequam is Hierosolymam perveniret. Substitit ergo Pompeius in via. Hierichus Hierosolyma distat decem et octo millibus. Ut Gabinius a castris Hierosolymam iret, illic rem ageret, inde reverteretur, aliquot procul dubio horas iusumpsit. Pompeius igitur, nisi postridie eius diei, quo Hierichunte discesserat, Hierosolymam non advenit.

---

[1]) *Herodot.* L. V. § 53; *Vegetius* De re milit. L. I. c. 9. [2]) Excerpt. Lib. XL in *Mai* Scriptor. veter. nova collect. T. II. p. 128. [3]) *Plutarch.* l. c. [4]) *Appian. Plut. Dio.* ll. cc.

14 Itaque ira correptus Pompeius, Aristobulum in vincula coniicit, reliquaque via confecta urbi succedit. Ac primum *περιεσκοπει ποι προσβαλλῃ. . . . Διαπορουντος δ' ἐπι πολυν χρονον, στασις τοις ἐνδον ἐμπιπτει circumspiciebat, qua parte eam oppugnaret. . . . Quum multo tempore haesitaret, incidit civitati seditio, Aristobuli quidem factione bello geri postulante regemque liberari, qui vero Hyrcano favebant, portas aperiri; hos autem multos metus efficiebat. . . . Denique victa pars Aristobuli concessit in templum, et, ponte, quo urbi iungebatur, abscisso, sese pararunt, ut vim ad extremum sustinerent. — Alii vero admisso exercitu urbem Pompeio et regionem tradiderunt.* Vides, ut Pompeius, non statim ac ad urbem pervenerat, eam fuerit ingressus, sed aliquot post diebus; proinde non ante medium iunium. Vides quoque, ut urbem acceperit sine obsidione; quare intelligimus obsidionem, quae postea describitur, non urbis esse, sed templi obsidionem. Hoc fit, ut huius obsidionis tempus inceperit post eum diem, quo Pompeius in urbem ingressus fuit.

15 Is PRIMUM *quidem iis, qui intus erant*, in templo scilicet, *de pace ineunda verba faciebat.* At POSTQUAM *nemini eorum, qui in fanum confugerant, pacem persuadere poterat, τα περιξ εἰς προβολας ηὐτρεπιζεν quaecumque circum erant, oppugnationi parabat.* Obsidio coepta censenda non est, nisi postquam de pace actum fuerat; ergo aliquot diebus post medium iunium.

16 Demum *τριτῳ μηνι της πολιορκιας tertio mense obsidionis* templum capitur *die ieiunii, olympiade centesima septuagesima nona, C. Antonio M. Tullio Cicerone coss.* [1]), qui dies fuit 22 septembris, feria II.

17 Quod Dio scripsit, Pompeium hac urbe sabbato potitum [2]), id nemo eorum, qui ante ipsum scripsere, neque Appianus, neque Strabo, neque Plutarchus, neque Iosephus, narrarunt, videturque Dio id existimasse ex eo, quod Iosephus ait, Pompeium sabbatis, ne a Iudaeis impediretur, aggeres turresque exstruxisse et machinas admovisse, quibus postridie uteretur. Tum frustra fuisset sabbato potius, quam alio die, Iudaeos adgredi, quum hostes, non quidem adoriri, sed repellere illis liceret etiam sabbato.

CAPUT III

De exordio regni Antigoni

18 Quum Pompeius Hierosolyma capta Hyrcanum in pontificatum [3]), non tamen in regnum [4]), restituisset, Aristobulum una cum liberis captivum Romam abduxit [5]). Qui, quum postea aufugisset, inque Iudaea copias collegisset, captus denuo a Gabinio Romam reducitur, eius tamen filios senatus libertate donavit, inque Iudaeam redire permisit [6]). Antigonus horum minimus, quum Parthi duce Labieno Asiae provincias invaderent, Pacorusque filius regis Parthorum Syriam subiugasset, huius ope implorata magnis pollicitationibus pervicit, ut se in patrium regnum ipse reduceret. *Parthi eam ob caussam in Iudaeam expeditionem fecerunt, Antigonum reducentes, Pacorus quidem per oram maritimam, Barzapharnes autem per mediterraneum.* Tum Pacorus regis filius Pacorum pocillatorem suum iubet in Iudaeam cum equitatu irrumpere, atque Antigono ad regnum recuperandum auxiliari [7]). Parthi Phoenicen Syriamque invaserunt circa id tempus, quo Caesar Octavianus bellum in Italia contra L. Antonium fratrem Fulviamque uxorem M. Antonii gerebat; nam huic bello finis Perusia capta impositus fuit ante id. mart. an. U. C. DCCXIV Cn. Domitio Calvino C. Asinio Pollione coss. [8]), M. autem Antonius in Aegypto nuntios de Caesaris victoria deque rebus a Labieno et Parthis in Asia, Phoenice, Syriaque gestis simul accepit [9]). Non ergo ante id tempus Antigonus versus Iudaeam cum Parthis contendit.

19 Iudaeorum manus, qui Antigono sese adiunxerant, ab eo praemissi, impressione facta in Hierosolymae regiam, sed ab Herode huiusque fratre Phasaelo repulsi, in templum confugerunt, ibique *exspectabant multitudinem ad pentecosten . . . e tota regione venturam* [10]). *Ἐνστασης δε ἑορτης Quum autem dies festus adesset*, qui sextus erat mensis sivan, inciditque illo anno in diem

---

[1]) Conf. *Appian.*; *Strab.*; *Plutarch.*; *Dion.*; *Eutrop.*; *Pacan.*; *Zonar.* ll. cc. [2]) Hist. L. XXXVII. pp. 36. 37. [3]) *Ios.* Ant. L. XIV. c. 4. § 4; Bell. L. I. c. 7. § 6. [4]) *Id.* Ant. ib. § 5; XX. c. 10. § 1. [5]) *Id.* ib. XIV. c. 4. § 5; Bell. ib. § 7. [6]) *Id.* Ant. ib. c. 6. § 1; Bell. ib. c. 8. § 6. [7]) *Id.* Ant. ib. c. 13. § 3; Bell. ib. c. 13. § 1. [8]) *Dio.* Hist. L. XLVIII. p. 365; *Sueton.* Octav. § 15; *Plutarch.* Anton. p. 929; *Appian.* Bell. civ. L. 5. p. 699. [9]) *Plut.* ib. p. 927. [10]) *Ios.* Antiq. ib. §§ 3. 4; Bell. ib. § 2.

7 iunii, multa hominum millia, partim armatorum, partim inermium, congregantur circa templum, quos Herodes et Phasaelus, in eos irruptione facta, diversos egerunt [1]). Antigonus autem et Pacorum pocillatorem rogavit, ut in urbem ad suas partes iuvandas ingrederetur [2]), et Phasaelum, at eum in urbem reciperet ad seditionem compescendam, et ad pacem inter partes conciliandam [3]). Adnuit Phasaelus.

20 Antigonus nondum Hierosolymae adpropinquaverat. Id enim colligimus tum ex ratione, qua totum hoc negotium gestum fuit, ut fraus potius, quam vis adhiberetur, quippe quia Herodes timebatur, tam ex eo, quod nulla cum Antigono pugna commissa fuit, tum denique quia illo ipso die festo, quo in urbe manus consertae sunt inter eius interque Hyrcani milites, facile ipsi facta fuisset, nec facere omisisset, ut in urbem, iis qui intus erant adiuvantibus, irrumperet, saltem id tentaret, suisque intra eam pugnantibus opem ferret. Quod quum factum haud fuerit, liquet longius iter Antigonum ab Hierosolyma tunc abfuisse, quam quod intra diurnas horas bis emetiri ita posset, ut Antigono pugnae nuntius adferetur, ipseque suis suppetias adveniret. Tum Phasaelus dicitur Pacoro *ὑπαντῆσαι obviam ivisse.* Sed ex tota historia satis clare comperimus, Antigonum extra Iudaeae fines circa Carmelum substitisse. Etenim Pacorus regis filius, postea quam advenerat Ptolemaida, equites, quique hos duceret, Pacorum pocillatorem misit cum Antigono, ut in Iudaeam irrumperent. Hi Carmelum venerunt, qui mons extra Iudaeae fines in meridiano litoris, quod maris sinum cingit, capite contra Ptolemaida adsurgit, quumque illum popularentur, *multi Iudaei ad Antigonum confluebant, seque paratos esse ostendebant, una cum eo irrumpere. Ille vero ad locum, qui Drymus appellatur, eos προέπεμψε* PRAEMISIT, *ut regionem occuparent; ubi pugna commissa depulsisque hostibus ac fugatis, Hierosolyma cursu petebant* [4]). *Cumque nonnulli occurrissent, Hierosolyma dein homines clam pergunt, et quorumdam accessione adiuti, magna manu facta, ad regiam veniebant, eamque oppugnabant* [5]), ut diximus. Drymus parva urbs erat prope Carmelum [6]). Vides, ut Antigonus non ipse in Iudaeam venerit, neque Parthos, sed Iudaeos, qui se ei adiunxerant, illuc immiserit. Carmelus Hierosolyma distat iter duorum dierum. Quare, interea dum et ille nuntius Antigono perfertur, et is ad Phasaelum mittit rogatum, ut Pacoro pocillatori urbem intrare liceat, et Phasaeli responsa redeant, et Pacorus Hierosolymam advenit, hebdomadem, haud minus, insumi oportuit, ut non ante diem 13 mensis sivan, qui dies erat 14 iunii, Parthorum equitatus duce Pacoro pocillatore in urbem ingressus fuerit.

21 Pacorus hospitio exceptus a Phasaelo, huic *ἐνέδρευον insidias struens* persuadet, ut legationem suscipiat ad Barzapharnem, qui per mediterranea progressus (18) in Galilaea substiterat. Ut multos dies hac in re Phasaelo persuadenda insumptos fuisse putare non est, ita neque veri simile est eodem die, quo Pacorus advenerat, aut postridie, Phasaelum fuisse profectum, maxime quum una cum ipso Hyrcanus quoque ipse hanc legationem susceperit; Herodes vero eam enixe dissuaderet, sed Pacorum cum suis e medio sustolli. Hic itaque Hyrcanum et Phasaelum profectos esse biduo saltem post Pacori adventum, hoc est, non ante diem 15 mensis sivan. Pacorus eos comitatus est.

22 Versabatur tunc Barzapharnes, ut ex hac historia consequitur, in mediterraneis Galilaeae, quae Ecdippae urbi maritimae ab oriente obtendantur, quod Hierosolyma profectis iter est duorum amplius dierum. Non ergo ante diem 18 sivanis illuc perventum est. Barzaphernes amice in speciem Hyrcanum et Phasaelum excepit, donisque donavit, ut autem discesserunt, iisdem insidiabatur. Unum diem hos apud illum mansisse facile dabis, atque profectos inde esse non ante diem 20 sivanis. Ecdippam ducti, quum ibi morarentur, inter cetera audierant, *ὅτι . . . προλοχίζοιντο μὲν αὐτοῖς αἱ νύκτες ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἀεὶ ipsis insidias quidem* NOCTIBUS *praestrui a barbaris* SEMPER, ac futurum fuisse, ut iam comprehensi essent, nisi *exspectaretur donec Parthi, qui ad Hierosolyma erant, Herodem cepissent* [7]). Tribus ergo saltem post diebus, ex quo Ecdippam venerant, nec ante diem 23 sivanis, haec illis nuntiata fuere. Quare Phasaelus ad Barzapharnem redit eique proditionem exprobrat. Hic vero quum peierasset *nihil verum esse eorum, quae suspicaretur*, ad Pacorum regis filium profectus est. Eo digresso Hyrcanus et Phasaelus in vincula coniiciuntur, non ante diem mensis vicesimum quartum [8]). Pacorus autem pocillator Hierosolymam remittitur, ut Herodem aliqua fraude extra urbem deductam capiat. Ecdippa Hierosolymam trium dierum iter est, proinde non ante diem vicesimum septimam Pacorus huc pervenit. Herodes vero, certior factus de fratre in

---

[1]) *Id.* Antiq. ib.; Bell. ib. § 3. [2]) *Id.* Ant. ib. [3]) *Id.* Bell. ib. [4]) *Id.* Bell. ib. § 2. [5]) *Id.* Ant. ib. § 3. [6]) *Strab.* L. XVI. p. 758. [7]) *Ios.* Ant. ib. § 5; Bell. ib. § 4. [8]) *Id.* Ant. ib. §§ 5. 6; Bell. ib. § 5.

vincula coniecto, deque epistolis, quibus monebatur, sibi a Pacoro caveret, interceptis, et ab Hyrcani filia mulierum sapientissima etiam atque etiam rogatus, ne prodiret, *Pacorum adit et Parthorum potentissimos* super iis, quae audierat. Hi autem omnia infitiari, eique suadere, ut epistolas adferentibus obviam iret. Quum id nullo pacto pervincerent, consultant inter se, quid facto opus sit. Herodes vero noctu cum suis fuga ex urbe sese proripit [1]). Si duos dies, quot minimum oportet, in his insumptos dicas, consequitur Herodem aufugisse uno ante eam noctem, quae fuit ante diem tricesimum postremumque mensis sivan, primum autem mensis iulii.

23 *Simul ac orta dies est, Parthi reliqua omnia Hierosolymitarum diripuerunt, et* REGIAM. . . . *At enim, quae in urbe erant, Parthis non sufficiebant, sed egressi suburbanam regionem affligebant, et Marissam urbem potentem everterunt* [2]). Regiam a Parthis direptam fuisse post reductum Antigonum nemo credet; quin imo Iosephus credere vetat, aperte narrans Antigonum reductum non fuisse, nisi *post istam direptionem* [3]). Proximae regionis vastatio et urbis Marissae eversio non unius diei opus fuere, neque Parthi id egissent postea, quam Antigonum Hierosolymam in regnum reduxerant, sed interea dum et ad eum nuntius de Herodis fuga perferebatur, et ipse Hierosolymam veniebat. Hae autem re confirmatur, quod superius diximus ac demonstravimus, Antigonum longe procul ab urbe tunc temporis adhuc fuisse. Tum demum, ubi in hanc ingressus fuit, Parthos eum *καταστησαι βασιλεα regem constituisse* Iosephus memoriae prodidit [4]).

24 Quae quum ita sint, ad liquidum exploratum habemus, exordium regni Antigoni haud esse potuisse ante diem tertium mensis Iudaeorum quarti, qui tammuz vocatur, qui dies illo anno p. i. 4674 cum die quarto mensis iulii concucurrit.

CAPUT IV

De duplici initio regni Herodis

25 Duplex Herodis regni initium distinguere mos est, qui mos per ipsam Herodis aetatem obtinuit, ut Iosephus nos docet. Primum est, quum Romae Caesaris Octaviani et M. Antonii triumvirorum auctoritate permotus senatus Herodem regem creavit. Alterum, quum ipse triennio post, Hierosolyma expugnata pulsoque Antigono, in regnum invasit. Decretum ea de re a senatu factum fuit inito iam anno U. C. DCCXV L. Marcio Censorino C. Calvisio Sabino coss. Quod autem Iosephus ait Herodem regnum a senatu accepisse *olympiade centesima octogesima quarta C.*, dicere voluit Cn. *Domitio Calvino iterum C. Asinio Pollione coss.* [5]), quae notae diem designant, qui inciderit in priorem partem anni U. C. DCCXIV, id non errore veri dictum ab eo est, sed quia Iudaei, non secus ac aliae quoque gentes, annos, quibus ipsorum reges regnarunt, numerare solebant initio ducto, non a die, quo hi regnum acceperant, sed ab illius anni principio, intra quem id evenerat [6]). Quare primum initium regni Herodis non aliud habebatur, quam initium regni Antigoni, videlicet neomenia nisanis anni U. C. DCCXIV, p. i. 4674, quae incidit in diem 3 aprilis. De Hierosolyma autem ab Herode capta Iosephus haec scripsit: *Τουτο το παθος συνεβη τη Ἱεροσολυμιτων πολει ὑπατευοντος ἐν Ῥωμη Μαρκου Ἀγριππα και Κανινιου Γαλλου, ἐπι της πεμπτης και ὀγδοηκοστης και ἑκατοστης ὀλυμπιαδος, τῳ τριτῳ μηνι, τῃ ἑορτῃ της νηστειας, ὥσπερ ἐκ περιτροπης της γενομενης ἐπι Πομπηιου τοις Ἰουδαιοις συμφορας και γαρ ὑπ᾽ ἐκεινου τῃ αὐτῃ ἑαλωσαν ἡμερᾳ, μετα ἐτη εἰκοσιεπτα* *Haec urbi Hierosolymitarum accidit clades M. Agrippa et Caninio Gallo coss., olympiade centesima et octogesima quinta, mense tertio, ieiunii solemnitate, tamquam recurrente in idem temporis momentum illata a Pompeio calamitate; etenim eodem die ob illo capti sunt, post annos viginti-septem* [7]). Alterum ergo regni Herodis initium adscribendum est neomeniae nisanis anni U. C. DCCXVII, p. i. 4677, quae fuit dies 1 aprilis. Haec omnia Sanclementius [8]) adeo luculenter exposuit ac demonstravit, ut nihil supra, refutatis insuper iis, quae e Dionis historiis deprompta [9]) Iosephi narrationi contraria esse videntur.

---

[1]) *Id.* Ant. ib. §§ 6. 7; Bell. ib. §§ 6. 7. [2]) *Id.* Ant. ib. § 9; Bell. ib. § 9. [3]) Bell. ib. [4]) Ib. § 10; Ant. ib. § 10. [5]) Ant. L. XIV. c. 14. § 5. [6]) Rosch haschana c. 1. § 1 et not. *Maimon.*, *Barten.*, et *Hosting.* in h. l.; *Kepler.* De anno nat. Christi c. 7; *Petav.* Doctr. temp. L. IX. c. 60 et al.; *Noris.* Ep. de numo Herodis Antipae opp. T. II. col. 656; *Maurini* L'art de vérifier les dates T. I. Diss. sur les dates p. VIII. Paris. 1784; *Sanclement.* De vulg. aer. emend. L. II. c. 9. [7]) Antiq. L. XIV. c. 16. § 4. [8]) Op. cit. L. III. cc. 5. 6. [9]) Hist. L. XLIX. p. 405.

26 Unum tamen est, quod mihi cum viro eruditissimo haud convenit. Iosephi verbis ipse, ut olim Petavius [1]), effici autumat Herodem Hierosolyma potitum esse mense tertio anni Iudaeorum, hoc est, circa aestatis initium. Ast unum dumtaxat sententiae suae argumentum, idque sane leve, alterumque haud multo maioris momenti, proferre ipse potest, quum tamen plurima sint, eaque gravia omnino, quae me cogunt credere, die decimo mensis tisri, qui septimus est, quique illo anno incepit die 25 septembris, ab Herode eam urbem captam, proinde die quarto octobris.

27 Etenim satis iam, quantum arbitror, evicimus (9) *diem ieiunii*, quo id factum fuisse legimus apud Iosephum, alium nec esse nec esse posse, quam diem festum expiationis, qui erat decimus mensis tisri; maxime quum Iosephus *ἑορτὴν* eum vocat, ceterorum autem dierum, quibus Iudaei ieiunabant, nullus festus haberetur.

28 Quo die olim a Pompeio, EODEM DIE *capta est post annos viginti septem* Hierosolyma ab Herode. Atqui et hoc demonstravimus [2]), Pompeium Hierosolyma potitum fuisse die festo expiationis, decimo mensis tisri. Iudaeorum annus tunc ille ibat, qui inceperat verno anni p. i 4651; verno igitur anni p. i. 4677, cuius anni autumno Herodes hanc urbem expugnavit, annus inceperat, quem Iudaei vicesimum septimum ex illo numerabant.

29 Antigonus, ut Iosephus testatur [3]), *tres annos totidemque menses* regnavit. Superius [4]) ostendimus hunc regem a Parthis constitutum fuisse non ante diem tertium mensis tammuz anni p. i. 4674. Inde spatium ducito trium annorum totidemque mensium; desinet hic numerus in secundum diem mensis tisri anni p. i. 4677. Sanclementius, quum animadverteret, siquidem Herodes, ut ipse autumabat, Hierosolymam mense tertio anni iudaici cepisset, fieri haud potuisse, ut Antigonus, qui multis diebus post pentecosten regnare coeperat, amplius quam tres annos regnum obtineret, rem ita explicat, veluti si Iosephus annus regni Antigoni numeraverit initio ducto a neomenia nisanis illius anni, quo is regnum adeptus est. Verum duo sunt, quae virum eruditissimum fugerunt. Primo enim, quum eo modo principatuum anni numerabantur, nulla poterat mensium ratio haberi; ut enim, quum quis postremo anni mense regnum accipiebat, hic mensis pro integro anno regnique primo habebatur, neomeniaque mensis insequentis, qui civilis anni primus erat, anno regni secundo initium faciebat, ita, quum quis primo anni mense vel mortem obibat, vel alia ex caussa regnare desinebat, primus hic mensis tamquam annus integer regnique postremus superioribus regni annis adnumerabatur, quod et Iosephus ipse fecit, ubi summam annorum collegit, quibus Herodes regnavit. Quare, si eo modo, quo Sanclementius putat, annos regni Antigoni Iosephus numerasset, non tribus annis totidemque mensibus, sed quatuor annis illius regni tempus definisset. Deinde huic modo numerandi annos, facto initio ab anni civilis principio, locus esse non potest, quum in summam colliguntur temporum spatia, quibus singulis singuli sive reges regnarunt, sive pontifices aut magistratus proprium munus gesserunt, aut certe, si illo modo id fiat, ut quisque facile intelligit, mensium nulla ratio habetur, sed neque haberi potest. Iam vero Iosephus in illo *Antiquitatum* capite summam colligit temporum, quibus pontifices singuli a sacerdotii institutione ad urbem Hierosolymam postremo eversam pontificatum gesserunt. Nulla itaque dubitatio esse potest, quin regni Antigoni annos ipse numeraverit initium ducens ab ipso die, quo is pontificatum una cum regno accepit, non autem a superiore neomenia nisanis.

30 Ubi expugnationem urbis Iosephus describit, haec ait: *Cum multa manus continenter in opere versaretur, facile illi tres aggeres ἤγερτο sunt excitati, nam et θέρος ἦν* AESTAS *erat, nihilque ad structuram impedimenti sive ab aere, sive ab operariis* [5]). Aggeres ergo exstructi sunt, quum aestas iam erat. Postea oppugnatio coepta. Quadraginta dies insumpti in primo muro occupando; tum quindecim in secundo. Post haec interior templi pars ac superior urbs expugnanda restabat, qui trium mensium labor Pompeio fuit [6]). Qui itaque credamus Herodem urbe potitum tertio anni mense, qui cum die 28 iunii finem habuit, hoc est, aestate vix inita? Non equidem diffiteor nomen *θέρος aestas* in ampliorem sensum hoc loco sumi, non tamen adeo, ut eius initium ad initum ver retro agatur.

31 Hierosolymitae obsessi *bellum ad extremum persequebantur, idque magno licet exercitu circumsessi, et fame rerumque necessariarum penuria laborantes, τὸν γὰρ ἑβδοματικὸν ἐνιαυτὸν συνέβη κατὰ ταὐτὸν εἶναι accidit namque, ut simul esset annus sabbaticus* [7]). Victus ergo penuriam, qua Hierosolymitae tunc laborabant, Iosephus non aliae caussae adsignat, quam anno sabbatico.

---

[1]) Doctr. temp. L. X. c. 68. [2]) Cap. II. [3]) Ant. L. XX. c. 10. § 1. [4]) Cap. III. [5]) Ant. L. XIV. c. 16. § 2. [6]) Cap. II. [7]) *Ios.* ib.

Atqni nemini compertnm non est, nt incommodis, quae hnins anni requiem atque otinm forte consequebantur, non ante locus esse posset, quam quum adfecta aestate consumptae superioris anni fruges iam erant, nec novae suppetebant, non vero aestatis initio, in quod tamen hanc Hierosolymae expugnationem incidisse Petavius, Sanclementius, aliique pntarunt.

32 Sed invat integram Iosephi narrationem expendere, quae est tum in *Antiquitatibus* [1]), tum in libris *de Bello* [2]). Herodes ex hibernis copias eduxit *ληξαντος του χειμωνος hieme finita.* Nec aliud significat illud *λωφησαντος*, quod pro *ληξαντος* est in libris *de Bello*; *λωφαν* enim est, *quiescere, desinere, cessare, λωφησας*que is dicitur, qui *iam desiit*. Hic dicendi modus certiores nos facit Herodem ex hibernis egressum fuisse verno ineunte, non ante neque post. Ergo Hierosolymam contendit, et prope moenia castra metatur. *Τριτον δε αὐτῳ τουτο ἐτος ἠν Tertius autem ipse hic annus erat, ex quo rex Romae fuerat renuntiatus.* Hoc anno p. i. 4677 neomenia nisanis, quae qnarto regni Herodis anno initium fecit, concucurrit cum kalendis april. Quare postremis mensis martii diebus Herodes ad urbem advenit. Id ipse Iosephus expressit in libris *de Bello* ita scribens: *Συνηγετο δε αὐτῳ τριτον ἐτος*, veluti diceret: *Colligebatur summa trium annorum.* Quum autem Herodes ea parari iussisset, quae obsidioni atque oppugnationi necessaria erant, *praefectis operi idoneis hominibus, ἱδρυμενης ἐτι της στρατιας* SEDENTE ADHUC *exercitu, ipse Samariam ad nuptias proficiscitur, filiam ducturus Alexandri Aristobuli filii.* Primum nota illud *ἱδρυμενης ἐτι της στρατιας*; nondum enim obsidio incepta esse censebatur. Deinde in *Antiquitatibus* ante Herodis discessum Samariam haec legimus: *Obsepto tribus aggeribus loco turres erigit.* Non tamen putandum est id factum ante nuptias, nam paullo post isti tres aggeres aestate excitati dicuntur; quomodo autem illa verba sint intelligenda, discimus ex libris *de Bello*, in quibus res ita narratur: *Τρια μεν ἐγειρειν χωματα και πυργους ἐποικοδομειν κελευσας Tres quidem excitare aggeres hisque turres inaedificari* QUUM IUSSISSET, ad nuptias discedit; in quibus *ἐγειρειν* legendum esse, non *ἐγειρει*, et codex Lugduni Batavorum asservatus et vetus Iosephi interpres latinus testantur. Ceterum adparet Herodem nulla ad id festinatione ductum fuisse, quippe qui, ubi obsidio urgenda erat, nuptias cogitabat alibi faciendas, *ἠδη γαρ ὑπερεφρονει τους πολεμιους iam enim hostes despiciebat*; tum Sosium exspectabat, quem cum legionibus Antonius ipsi auxilium ferre iusserat. Quot dies intercesserint inter Herodis adventum Hierosolymam interque itionem Samariam, etsi certo sciri nequeat, coniicere tamen est septem aut octo minimum fuisse. Samariae autem, non modo nuptiae factae, *βασιλικως* procul dubio pro Herodis ingenio, sed exercitus ab eo contractus triginta millium; cui contrahendo, quis neget aliquammultis diebus opus fuisse? ita ut Herodem hunc exercitum ducens ad Hierosolymae moenia reversus fuerit non ante aprilem exeuntem. Per idem tempus Sosius advenit. *Isti autem omnes ad moenia Hierosolymorum convenerunt, et a mari parte septemtrionali*, ubi copiae primum ab Herode ductae sedebant, *consederunt, exercitus ex undecim legionibus peditum et equitum millibus sex, praeter alia auxilia a Syria.* Itaque Iudaei, inquit Iosephus, *τηλικαυτης δυναμεως περικαθεζομενης πεντε μησι διενεγκαν την πολιορκιαν tanto exercitu circumsedente, quinque mensibus obsidionem pertulerunt.* Animadverte, ut Iosephus minime dicat totum obsidionis tempus, ex quo primum ante neomeniam nisanis Herodes venerat, quinque menses fuisse, sed quinque menses numeret ab eo die, quo copiae ab Herode e Samaria, a Sosio e Syria, ductae prope urbis moenia consederunt. Quum autem consederint circa initium mensis maii, quod idem fuit ac initium mensis iiar, secundi Iudaeorum mensis, si inde numerare incipias quinque menses, pertinges ad initium mensis tisri, qui septimus est, et cuius die decimo Hierosolymam ab Herode captam fuisse iam dubitare non est. Ipse Iosephus in oratione, quam habuit ad Hierosolymitas a Tito obsessos, in memoriam ipsis reduxit, ut Herodes ipsos *ἐπι μηνας ἑξ ad menses sex* obsederit [3]).

33 Nunc venio ad illa duo argumenta, quibus Sanclementius aliique inducti sunt, ut crederent, non septimo, sed tertio anni iudaici mense Herodem en urbe potitum. Horum argumentorum primum depromunt ex *Antiquitatibus*, in quibus id evenisse dicitur *τριτῳ μηνι*. Verum iam illud notavimus (8), ut Iosephus non hoc modo loquatur, quum certum aliquem anni mensem nominare vult. At enim, esto, inquiunt, non anni, sed obsidionis tertius mensis his verbis designetur; tertius tamen obsidionis mensis non alius fuit, quam sivan, qui anni iudaici tertius est; obsidio enim circa neomeniam nisanis annique initium incepta fuit. Sed quid menses illi *quinque*, quibus obsidium post mensem nisan perdurasse legimus, idque non semel, in libris *de Bello*? Si alterutrum mendosum censeri debeat,

---

[1]) Ant. L. XIV. c. 15. § 14 — c. 16. § 2. [2]) Bell. L. I. c. 17. § 8 — c. 18. § 2. [3]) Bell. L. V. c. 9. § 4.

illud profecto tale sit, in quod ceterae notae illius diei, de quo quaerimus, non congruunt; mendum ergo, non in libros de *Bello*, sed in *Antiquitates* irrepsisse dicerem, ipsi tamen Iosepho tribuendum. Qui quum hanc scriberet, animadverteretque die festo ieiunii, eodem videlicet die, quo olim a Pompeio, denuo ab Herode Hierosolymam fuisse expugnatam, atque ideo mensis ille obsidionis tertius, quo a Pompeio captam ipse paucis ante paginis narraverat, ipsius memoriae obversaretur, accidit, ut e calamo in chartam idem hic mensis tertius nec opinanti velut effugeret. Sed necesse non est *σφαλμα* hic comminisci. Quid enim si illa *τῳ τριτῳ μηνι* significent tertium mensem, non obsidionis, sed oppugnationis (30)?

34 Alterum sententiae suae argumentum, qui secus ac nos opinantur, ex his desumunt, quae Iosephus narrat post urbem expugnatam: ***Malorum modus erat nullus**, **partim propter summam dominantis, qui indigeret, avaritiam**, την δε χωραν μενειν ἀγεωργητον το ἑβδοματικον ἑναγκαζεν ἑτος, ἐνειστηκει γαρ τοτε, και σπειρειν ἐν ἐκεινῳ την γην απηγορευομενον ἐστιν ἡμιν, **partim quod terram incultam manere cogebat annus septimus, tunc enim institerat, et in illo nobis, ne terram seramus, interdictum est*** [1]. Atqui, inquiunt, annus ille sabbaticus exiit pridie neomeniae tisri, cuius die decimo urbem expugnatam fuisse contendimus. Non ergo hoc, sed tertio anni mense Herodes urbem expugnavit. Sic illi quidem. Attamen nihil efficere habent e verbis illis prioribus *την δε χωραν μενειν ἀγεωργητον το ἑβδοματικον ἑναγκαζεν ἑτος*; ex vero enim quis haec tunc quoque diceret, quum aliquot dies a fine anni sabbatici praeteriissent, siquidem hic finis foret pridie neomeniae tisri, nondum tamen tempus advenisset colendi agros; terra enim inculta adhuc **maneret**, idque propterea quia annus sabbaticus dudum exisset. Neque a verbis postremis *και σπειρειν ἐν ἐκεινῳ κ. τ. λ.* ulla nobis est difficultas; haec enim in universum dicta sunt de quocumque huiusmodi anno, additaque, ut rationem intelligamus illorum, quae modo retulimus. Restant itaque verba *ἐνειστηκει γαρ τοτε*; sed si ea recolas, quae de verbi *ἐνιστασθαι* significatione superius [2] disseruimus, nihil tibi erit, cur neges haec ita esse vertenda: ***tunc enim fuerat***. Quum tamen praeteritum huius verbi plus quam perfectum alias Iosephus usurpaverit non ita, ut tempus iam praeteritum eo significaret, id missum facio, atque aio, anni sabbatici initium esse non certum aliquem diem, sed autumni tempus, quo agros colere incipimus, quum huius anni ratio ac modus non alius esset, quam ut a semente et messe, item a putatione ac vindemia, in universum a parandis colligendisque terrae proventibus, septimo quoque anno Israelitae abstinerent. Iam vero sementis in Palaestina inchoatur post medium octobrem. Adde, quod illic vindemia fit ipso mense tisri atque insequente mense marchesvan; quare si una cum mense tisri annus sabbaticus simul incepisset, omittenda fuisset vindemia, quae vineis antea cultis parata fuerat, ea vero colligenda, quam anno insequente vineae sine cultura praebuissent, quod sane praeposterum foret existimandum; neque ulla fuisset ratio, cur Israelitae vineas anno sabbatico putare prohiberentur, siquidem vinearum proventus dominis cessurus erat; tum ipsa lex de anno sabbatico rem sic se habere, ut dicimus, aperte demonstrat, quippe quae prohiberet ea colligi, ***quae* SPONTE *gignet humus*** [3]), proinde vindemiam quoque, quam, non ineunte, sed exeunte anno sabbatico vineae ferebant. Itaque, quum Herodes Hierosolymam cepit die decimo tisri, adhuc sesquimensis ex anno sabbatico restabat.

CAPUT V

De anno, quo Herodes e vivis excessit

35 Quibus positis obvium iam est annum discere, quo Herodes vivere desiit. In Iosephi ***Antiquitatibus*** haec legimus: Herodes ***vitam finivit**, **quum regnasset post interfectum Antigonum** ἐτη τεσσαρα και τριακοντα **annos triginta quatuor**, **postquam autem a Romanis rex creatus fuerat**, ἑπτα και τριακοντα **triginta septem*** [4]); in libris autem ***de Bello**: **Mortem obit**, **quum regnasset**, **ex quo Antigono interfecto rerum potitus est**, **annos** τεσσαρα και τριακοντα **triginta quatuor**, **ex quo autem rex a Romanis declaratus fuit**, ἑπτα και τριακοντα **triginta septem*** [5]). Annus regni Herodis, qui tricesimus septimus ibat a primo regni initio, tricesimus quartus ab altero, incepit die neomeniae nisanis anni p. i. 4710, exiit pridie neomeniae nisanis anni 4711; id quod efficitur ex iis, quae hac-

[1]) Ant. L. XV. c. 1. § 2. [2]) Cap. I. [3]) Lev. XXV, 5. [4]) Ant. L. XVIII. c. 8. § 1. [5]) Bell. L. I. c. 33. § 8.

tenus exposuimus. Ex Iosephi narratione adparet Herodis obitum in eos dies incidisse, qui proxima pascha praecesserunt, non tamen utrum ante an post neomeniam nisanis, neque utrum pleni an secus fuerint illi anni, quot Herodes regnasse dicitur, proinde illud pascha, quod haud multis diebus post huius obitum fuit actum, utrum anno p. i. 4710 adscribendum sit, an insequenti, an tertio, ex ipsis Iosephi verbis efficere non est. Quare hactenus hoc unum licet concludere, Herodem ad plures abiisse intra illud biennium, quod fuit a die neomeniae nisanis anni p. i. 4710 ad diem pridie neomeniae nisanis anni 4712. Haec exposita habet Sanclementius sane luculenter [1]), eaque refutata, quae contra disputarunt Norisius [2]) aliique. Quare, ne quis me, ut qui actum agam, iure carpat, ea paucis perstringam.

36 Itaque aio Herodem obiisse non ante neomeniam nisanis anni p. i. 4710. Id constat Iosephi testimonio, quod iam retulimus. Etenim, si ante, neque annum tricesimum sextum ab illo, quo a senatu regnum acceperat, neque tricesimum tertium, ab illo quo Antigonum regno expulerat, Herodes implesset, contra ac Iosephus testatur.

37 Annum tamen tricesimum septimum a primo, tricesimum quartum ab altero regni initio minime implevit. Nam, si secus, primo anno principatus, quem Herodis filii gesserunt, citius initium esse non potuisset, quam neomenia nisanis anni p. i. 4711. Atqui fuit neomenia nisanis anni superioris 4710; id quod levi negotio vincere est.

38 Quum, Archelao Herodis filio, Iudaeae ethnarcha, in exsilium eiecto ab Augusto, regio ipsa adiecta provinciae Syriae fuisset, quod in additis imperio regionibus fieri mos erat, eius census fuit imperatus, censendique cura P. Sulpicio Quirino demandata, qui Augusti legatus in Syriam ordinaria cum potestate mittebatur, Volusio Saturnino successorus [3]). Hic ille est census, cuius mentio fit in Actis apostolorum [4]), habitus autem est *τριακοστῳ και ἑβδομῳ ἐτει anno tricesimo septimo post Antonium in Actio victum a Caesare* [5]). Liquet annos actiacos a Iosepho in hoc loco numerari initio ducto ex a. d. III non. septembr. anni U. C. DCCXXIII, p. i. 4683, quo die ad Actium proeliatum est, proinde annus ille XXXVII exiit in a. d. IV non. septembr. anni p. i. 4720, ante quem diem dicendus est census absolutus fuisse, ne dum Archelaus in exsilium profectus. Quaerere ergo oportet, quotus iulianae periodi annus adscribendus sit Archelai exsilio neomeniaeque nisan, qua postremus huius principatus annus incepit; semel autem ac id innotuerit, sciemus simul ex numero annorum, quibus ethnarchiam obtinuit, quinam horum primus fuerit, quo serius Herodem mortem obire nequivisse manifestum est. Horum annorum numerum Iosephus nos docet.

39 In *Antiquitatibus* enim haec legimus: *Δεκατῳ δε ἐτει Anno autem decimo principatus Archelai fratres ipsius cum primoribus Iudaeorum, eius crudelitatem et tyrannidem non ferentes, eum apud Caesarem accusant. . . . Quamobrem Caesar, audita accusatione, cum iratus Archelai negotiorum, quae Romae essent, procuratorem, qui et ipse Archelaus vocabatur, accersivisset, non quidem Archelao quidquam scribere dignatus est, sed: Tu, inquit, e vestigio conscensa navi, age, cum adeas, et nulla interposita mora ipsum ad nos adduc. Atque ille prima navigatione transmissus in Iudaeam venit, et Archelaum . . . ad maturandam profectionem perpulit. Ubi autem Romam venit, Caesar, postquam illum causam suam contra certos accusatores agentem audivit, cum in exsilium abegit* [6]). In libris quidem *de Bello* Iosephus prius scripserat Archelao exsilio condemnatum *ἐτει της ἀρχης ἐνατῳ anno regni nono* [7]). Non tamen haec opposita censeri debent; fuit enim annus nonus, si initium numerandi sumas ab ipso die, quo principatum Archelaus accepit, decimus, si a priore neomenia nisanis. Tum Archelaum decimum annum principatus incepisse certo constat ipsius Iosephi testimonio, qui in *Vita* sua post libros *de Bello* conscripta maiorum suorum prosapiam successionemque describens, *prout in tabulas publicas relatam* invenerat, Matthiam patrem suum natum dicit *βασιλευοντος Ἀρχελαου το δεκατον anno decimo regni Archelai* [8]).

40 Quum iam demonstraverimus (36) Herodem mortuum esse non ante neomeniam nisanis anni p. i. 4710, consequitur nec primum annum principatus Archelai ante hanc neomeniam incipere potuisse; non ergo decimum ante neomeniam nisanis anni p. i. 4719. Sed neque post neomeniam nisanis anni insequentis 4720, quum haec inciderit in annum XXXVII a proelio actiaco, qui exiit in a. d. IV non. septembr. eiusdem huius anni p. i. 4720, et intra quem Iudaeae census post Archelaum exsilio mulctatum habitus a Quirino est. Utri igitur anno p. i. 4719, an 4720, neomenia nisanis adscribenda, quae decimo anno principatus Archelai initium fecit? Anno p. i. 4720 neomenia nisanis fuit die

---

[1]) De vulg. aerae emendat. L. III. cc. 7. 8. 9. [2]) De cenotaph. pisan. Diss. II. c. 6. [3]) *Ios.* Ant. L. XVII. c. 13. § 5 — L. XVIII. c. 1. § 1. Conf. *Sanclem.* l. c. c. 4. [4]) Act. V. 37 coll. *Joseph.* Antiq. L. XVIII. c. 1. §§ 1. 6 et L. XX. c. 5. § 2. [5]) *Ios.* Ant. L. XVIII. c. 2. § 1. [6]) Ant. L. XVII. c. 13. § 2. [7]) Bell. L. I. c. 7. § 3. [8]) Vit. § 1.

6 aprilis. Quare, si inde ibat annus ille decimus, inter hunc diem interque diem secundum septembris, in quem exiit annus XXXVII a proelio actiaco, hoc est, intra spatium temporis brevius quinque mensibus, haec omnia gesta fuisse oporteret, ut e Palaestina Romam transmitterent, qui Archelaum adcusarent [1]), ut illic negotium transigeretur, ut inde Archelaus procurator in Iudaeam navigaret, tum hinc Archelaus ethnarcha ad Augustum in Urbem tenderet, ut coram Augusto caussam diceret, ut ipso in exsilium misso Iudaea Syriae provinciae contribueretur, deinde P. Sulpicius Quirinus Augusti legatus Syriae in provinciam veniret, officiumque a Volusio Saturnino, cui succedebat, acciperet, tum Iudaeam peteret, ibique censum indiceret, atque impedientibus turbis ex rei novitate exortis tandem absolveret. Num his omnibus perficiendis non multo longius, quam quinque mensium, spatium opus fuisse existimes? Itaque nullus dubites decimum annum ethnarchiae Archelai una cum mense nisanu anni p. i. 4719 simul incepisse. Id Dio Cassius quoque confirmat haec narrans: M. Aemilio Lepido C. Arruntio Nepote coss. *Herodes Palaestinus, a fratribus accusatus, trans Alpes relegatus, ac pars eius ditionis in publicum redacta* [2]). Hi consules fuerunt a kalendis ianuar. ad kal. iul. anni U. C. DCCLIX, qui est p. i. 4719. Archelaus in numis quoque *Herodes* nomen habet [3]). Constat igitur decimum ethnarchiae Archelai annum inceptum die neomeniae nisanis an. p. i. 4719, proinde primum annum una cum nisane anni 4710. Non ergo Herodes tricesimum septimum a primo, tricesimum quartum ab altero regni sui initio, annum implevit.

41 Nunc de Herode Antipa, regis Herodis filio, Archelai fratre, Galilaeae post patris obitum tetrarcha, cuius frequens mentio in Novo testamento [4]). Interea dum Herodes Agrippa, ille, qui Iacobum apostolum sustulit [5]), et cui patrui Philippi demortui tetrarchiam Caligula una cum regia dignitate concesserat, id per literas agebat, ut patruum Antipam Caligulae in suspicionem adduceret, ipse Antipas nil tale suspicans ab uxore Herodiade Agrippae sorore compulsus ad Caligulam iter faciebat sibi quoque regis adpellationem ab hoc petiturus; quem quum Baiis in Campania adiisset, pro regio nomine exsilium consequutus est, ipsius tetrarchia Agrippae regno adiecta [6]). Quod intra aestatem anni p. i. 4752 factum fuisse constat.

42 Etenim Antipas Italiam e Galilaea non petiit, nisi postquam diu multumque restiterat uxori Herodiadi hoc iter suadenti [7]). Herodias vero non prius virum ad iter faciendum compellere coepit, quam oculos sibi dolere sensit ex conspecta Agrippae fratris felicitate ac potentia, qua in regno suo maxima is fruebatur. Agrippa denique, post regnum sibi, quum Romae esset, a Caligula collatum, ad illud capessendum profectus ex Urbe est anno huius imperii secundo [8]), qui erat annus U. C. DCCXCI, p. i. 4751, *exspectatis etesiis*, hoc est, media aestate [9]), non enim nisi circa exeuntem iulium etesiae flare incipiunt, ac *prospera navigatione usus, post paucos dies, inexspectatus et improvisus Alexandriam appulit*, quumque ibi aliquot diebus mansisset [10]), inde solvens in regnum pervenit, ut adparet, non ante medium mensem augustum. Sanclementius e Philonis narratione effici autumat Agrippam initio mensis septembris adhuc fuisse Alexandriae; ast equidem id ex ea narratione adeo colligere nequeo, ut e contrario consequi putem Agrippam ante kalend. septembr. Alexandria fuisse profectum, rectene, an secus, in praesenti parum refert. Illud indubium, quod, dum Agrippa sui regni res ordinabat ita, ut soror Herodias eius felicitate ac potentia conspecta primum fratri invidere coeperit, dum exinde haec ἐλυπειτο, . . . και βαρεως ἐφερε τῃ ἐπι τοσουτον μεταβολῃ, *tristabatur . . . graviterque ferebat tantam mutationem*, et ἐπικρυπτεσθαι . . . ἠνειχετο την δυστυχιαν του φθονου *abscondere . . . sustinebat infelicitatem invidiae*, dum id ultra non valens virum suum Antipam *exstimulabat, ut Romam navigaret paremque honorem ambiret, . . . ille vero interim repugnabat, otium et quietem diligens, suspectasque habens Romae turbas, conabatur etiam uxorem meliora edocere*, dum Herodias, *quo magis virum refugientem videbat, eo magis instabat*, adeo, ut *non antea desisteret, quam eum in suam sententiam pertraxisset*, dum Antipas *omnia, quoad liceret, magnificentissime parabat, ut nihil sumptibus parceret* [11]), ergo, dum haec geruntur, hiemem instare iam saltem, aut certe adpropinquare oportuit. Per hiemem vero Antipam, qui illud iter adeo refugeret, mari se suaque commisisse a vero prorsus abhorret. Quare non ante vernum anni p. i. 4752 iter ab eo susceptum fuisse putandum est.

43 Sed neque serius, quam media aestate eiusdem huius anni, quod ex comparatis inter se

---

[1]) Conf. *Ioseph.* Antiq. l. c. cum Bell. l. c. [2]) Hist. L. LV. p. 567. [3]) *Maffei* Antiquit. Galliae p. 113; *Cavedoni* Numismatica biblica art. II. § 11. [4]) Matth. XIV, 1 seqq.; Marc. VI, 14 seqq.; Luc. III. 1. 19; VIII, 3; IX, 7. 8; XIII. 31; XXIII. 7—15. Act. IV. 27; XIII, 1. [5]) Act. XII, 1 seqq. [6]) *Ioseph.* Antiq. L. XVIII. c. 7. § 2; Bell. L. II. c. 9. § 6. [7]) Ib. [8]) *Ioseph.* Ant. ib. c. 6. § 11. [9]) *Philo* Contr. Flaccum p. 968. Francof. 1691. [10]) Ib. seqq. [11]) *Ios.* l. c. c. 7. §§ 1. 2.

narrationibus Suetonii [1]), Philonis [2]), Iosephi [3]), et Dionis [4]), luculenter demoustrarunt Norisius [5]), et Sanclementius [6]). Demonstrationis summa haec est. Caligula e Campania in Urbem regressus ante mensem septembrem anni U. C. DCCXCII, p. i. 4752, intra huno mensem iu Umbriam quum isset, indeque ad bellum iu Gallias, Lugduni tertium consulatum iuiit kalendis ianuar. insequentis anni, Romam autem reversus uou est uisi die natali suo, qui dies erat prid. kal. septembr., pauloque post Puteolos petiit, quo et rex Agrippa, qui ad Caligulam per illud tempus redierat, et Philo, qui rem narrat, quique cum aliis ad imperatorem a Iudaeis Alexandrinis legatus fuerat, se contulerunt. Ibi rex Agrippa, quum a Caligula acriter obiurgatus, quod Iudaei ipsius imaginem in templo hierosolymitano poni non sinerent, exanimis a se ipse discessisset, postridie Caligulae scripsit de tota illa re, beneficia simul commemorans sibi ab eo collata, interque alia *Galilaeam*, regno suo adiectam. Antipas igitur iam ditione sua spoliatus atque in exsilium missus fuerat. Ast id Baiis factum est, Baias autem Caligula redux e Galliis tunc temporis noudum reviserat. Factum ergo hoc fuerat ante mensem septembrem anni superioris, id est, p. i. 4752. Plura huc spectantia, si lubet, leges apud Sanclementium.

44 Itaque, quum Herodes Antipas tetrarchia deiectus fuerit aestate anni p. i. 4752, consequens est, postremum eius principatus auuus ab huius anni p. i. neomenia nisanis ire coepisse. Iam vero Antipae numi supersunt, in quorum antica facie haec leguntur: *ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ*, in postica: *ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ* L *ΜΓ*. Haec nota alios annos designare nequit, quam annos tetrarchiae. Ergo annum tetrarchiae quadragesimum tertium Antipas agere inceperat procul dubio, qui tamen annus quum serius initium habere nequiverit, quam neomenia nisanis anni p. i. 4752, liquet primum horum annorum non serius incepisse, quam neomenia nisanis anni p. i. 4710. Atqui haec neomenia anno quoque tricesimo septimo a primo, tricesimo quarto ab altero, regni Herodis exordio initium fecit. Non ergo Herodes hunc regni annum implevit.

45 Quod adtinet ad Philippum, Archelai atque Antipae fratrem, tetrarcham Trachonitidis, quaecumque argumenta Sanclementius protulit, sive e Iosephi libris [7]), sive ex aetate urbium Caesareae et Iuliados a Philippo exstructarum, sive e numis Caracallae et Aquiliae Severae, ut confirmaret initium tetrarchiae Philippi repetendum esse a neomenia nisanis anni p. i. 4710, talia quidem ea sunt, quae omnia huic sententiae omnino respondent, eorumque aliqua ad hanc comprobandam non leve habent momentum, attamen, ni mea me fallit opinio, nulla *ἀποδεικτικα* sunt, nec quae componi nequeant cum illo initio serius quoque ducto. Quare haec missa facio.

CAPUT VI

De die Herodis emortuali

46 Perfecto et concluso Herodem vita defunctum esse illo regni anno, qui tricesimus septimus a primo regni initio, tricesimus quartus ab altero erat, ibatque a die neomeniae nisanis anni p. i. 4710 ad diem pridie neomeniae nisanis anni p. i. 4711, nondum liquet, utrum eius mors inciderit iu hunc annum ineuntem, an iu exeuntem, an etiam, ut quidam putarunt, in medium.

47 Quum Herodes eo morbo tabesceret, qui ipsum confecit, accidit ut duo sophistae Iudas Saripliaei et Matthias Margalothi filius plebi persuaderent, ut aquilam auream ab Herode maximae templi ianuae impositam deiiceret. Quare Herodes illos Hierichunta pertractos vivos combussit [8]). Ut autem is vita excessit, *Archelaus . . . luctum dierum septem in honorem patris integravit; tot enim dies postulat*, inquit Iosephus, *patria consuetudo. Deinde, cum multitudinem convivio excepisset, et luctui finem fecisset, in templum adscendit*, habitaque concione et *facta re divina*, *κατ' εὐωχιαν τρεπεται ad convivium cum amicis se confert*. *Ἐν τουτῳ Simul quidam novarum rerum desiderio congregati Matthiae et eius sociorum ab Herode occisorum mortem deplorabant, qui παραχρημα in praesenti exsequiarum honore privati erant metu Herodis, . . . magnum edentes clamorem et lamentationem, insuper et convicia quaedam, quasi in mortuorum solatium in regem defunctum iactabant, factoque conventu ab Archelao contendebant, ut id facinus vindicaret* [9]). Primum animadverte, ut

---

[1]) Caligul. §§ 17. 43. 46. 49. [2]) De legat. ad Caium pp. 1018—1037. [3]) Antiq. L. XVIII. c. 8; Bell. II. c. 10. [4]) Hist. L. LIX. [5]) Epist. de numo Herodis Antipae. [6]) L. c. t. [7]) Antiq. L. XVIII. c. 4. § 6. [8]) *Ios.* Ant. L. XVII. c. 6. §§ 2—4; Bell. I. c. 33. §§ 2—4. [9]) Ant. ib. c. 8. § 4; c. 9. § 1; Bell. L. II. c. 1. §§ 1. 2.

illud *ἐν τουτῳ* ostendat haec acta et fuisse, interea dum Archelaus, ut proxime dictum est, convivium agebat. De quo si dubites, audi ipsum Iosephum haec eadem narrantem in libris *de Bello*: Archelaus luctu finito et *re divina facta cum amicis ἐν εὐωχιᾳ ἠν in convivio erat.* *Ἐνθα δη περι δειλην* IBI *igitur* SUB VESPERAM *non pauci ex illis, qui novis rebus studebant, congregati ἠρξαντο του ἰδιου πενθος, ὁτε το κοινον ἐπι τῳ βασιλει πεπαυτο proprio luctui initium fecerunt,* QUANDO *commune super rege finierat, eos lugentes, quos supplicio affecerat Herodes propter aquilam auream e templi porta excisam.* Itaque haec contigerunt vespere diei septimi, ex quo Herodes obierat, quo die regis luctui finis factus fuerat. Item animadverte, ut breve omnino temporis spatium inter Iudae Matthiaeque supplicium interque has primas turbas intercesserit, neque enim post aliquot menses adeo ea de caussa efferati adhuc fuissent civium animi, ut statim ab absoluto regis luctu hic alter exsisteret *luctus, non occultus,* sed talis, ut *magnis eiulatibus, fletu iusso, et planctibus tota civitas personaret.* Iam vero haec sub ipsum diem festum paschatis fiebant. Etenim *istis Archelaus, licet graviter eorum impetum ferret, annuebat, ἐχων την ἐπι Ῥωμης ὁδον ἀνυεσθαι προκειμενην αὐτῳ ταχος iter Romam sibi propositum quantocius conficere habens, ut voluntatem Caesaris perspiceret* supra rebus suis. Sed, quamquam omni ope turbas compescere studeret, nihil proficiebat *palamque erat tumultum valde auctum iri, magno hominum numero ad eos confluente.* *Ἐνστασης δε κατα τονδε τον καιρον ἑορτης, ἐν ᾑ Ἰουδαιοις ἀζυμα προτιθεσθαι πατριον Quum autem* HOC IPSO TEMPORE *adesset dies festus, quo Iudaeis patrium est vesci panibus non fermentatis, . . . etiam seditiosi illi Iudam et Matthiam legis expositores lamentantes, in templo consistentes* seditioni nutrimenta quaerebant, eoque res processit, ut Archelaus milites in eos immittere coactus fuerit, et *proclamari iusserit, ut omnes domum discederent; id quod illi fecerunt, et την ἑορτην sacrum sollemne, quamvis audaces propter rerum imperitiam, deteriora veriti reliquerunt. Deinde Archelaus ad mare descendit* Romam profecturus [1]). Illa verba *κατα τονδε τον καιρον*, ipse narrationis contextus, luctus super Iudae et Matthiae supplicio una cum seditione inde exorta adhuc durans die festo azymorum, Archelai festinatio, ut itineri se committeret, urgensque huius itineris quamprimum faciendi necessitas, ut Augustus de Herodis testamento deque huius regno decerneret, haec, inquam, omnia eos prorsus refellunt, non modo qui in autumnum Herodis mortem incidisse, sed etiam qui longe ante pascha hunc obiisse contendunt.

48 Utri autem anno periodi iulianae hoc pascha adscribendum, 4710, an 4711? Iosephus narrationem supplicii, quo Herodes Iudam et Matthiam interemit, ita concludit: *Και ἡ σεληνη δε τῃ αὐτῃ νυκτι ἐξελιπεν Luna autem eadem nocte defecit* [2]). Keplerus [3]), Petavius [4]), Maurini [5]), nos docent lunam anno p. i. 4710 defecisse die 13 martii, quum Hierosolymis tertia hora iret a media nocte. Idem ipse Keplerus negat ullam lunae *ἐκλειψιν* factam anno p. i. 4711 ante pascha. Sed neque ulla esse potuit anno 4710 post diem sextum septembris. Pascha igitur illud, de quo quaerimus, fuit an. p. i. 4710. Sanclementius quidem [6]), ut Pagius olim [7]), negat hanc illam esse *ἐκλειψιν*, cuius Iosephus meminit, imo dubitat, ao Iosephus de vero lunae defectu loquatur; cur dubitet, caussa ipsi est, quia exiguam sane horam, quantum ipse putat, superfuisset ante Herodis obitum iis omnibus gerendis agendisque, quae intra hoc temporis spatium facta narrantur. Quam tamen caussam non tanti fecisset, ut ideo apertissimum Iosephi verborum sensum reiiceret, ubi ad locorum distantias animum advertisset, quum Hierosolymis Hiericbus XVIII millibus distet, Hiericbunte Iordanes V non amplius, Iordane, qua hic fluvius Hierichunti proximus est, Calliroe iter octo aut decem ut plurimum horarum [8]), totamque Iudaeam tribus diebus tabellarii percurrere queant.

49 Sed rem omnino conficere est eo argumento, quod initium principatus filiorum Herodis suppeditat. Etenim, quum ea fiebant, quae superius (47) exposuimus, hi nondum principatum acceperant; Herodis enim testamentum *ratum esse non poterat nisi prius inspectum a Caesare* [9]), sic enim ipsius Herodis voluntate cautum erat [10]), quod ipse Archelaus in concione professus est [11]). Ex serie rerum post pascha gestarum ad id usque, donec Augustus Herodis regnum inter huius filios divisit, manifesto ostenditur id fieri non potuisse ante mensem iulium. Quare, si pascha, quod Herodis obitum proxime subsequutum est, illud foret, quod actum fuit anno p. i. 4711, ab huius anni nisane initium principatus Archelai, Antipae, et Philippi duceretur. Atqui ducitur a neomenia nisanis anni superioris. Illud igitur pascha fuit an. p. i. 4710.

---

[1]) Ant. ib. c. 9. §§ 2. 3; Bell. ib. § 3; c. 2. § 1. [2]) Ant. ib. c. 6. § 4. [3]) De anno nat. Chr. c. 9. [4]) Doctr. temp. L. VIII. c. 13; L. XI. c. 1; L. XIII. [5]) L'art de vérifier les dates T. I. p. 100. Paris. 1783. [6]) L. c. c. 11. [7]) Apparat. ad Annal. No. CXLII. [8]) *Rosenmüll.* Handb. d. bibl. Alterthumsk. II B. I Th. S. 218. 219. [9]) *Ios.* Ant. L. XVII. c. 8. § 2. [10]) *Id.* Bell. L. I. c. 33. § 8. [11]) *Id.* Ant. ib. § 4; Bell. L. II. c. 1. § 1.

50 Itaque iam licet diem Herodis emortualem quam proxime definire. Anno p. i. 4710 interlunium mensis, quo pascha agitur, incidit secundum Halley tabulas in diem 27 Martii, quum Hierosolymae essent hora 6^h 38' a media nocte. Hic ergo dies fuit neomenia nisanis, qua annos XXXVII a primo, XXXIV ab altero initio regni Herodis, incepit. Proinde dies paschatis, qui huius mensis dies est decimus quartus, fuit dies 9 aprilis. Ante hunc diem luctum septem dierum fuisse absolutum, colligimus e Iosephi verbis, qui narrat, ut Archelaus *luctu finito, in templum* quum adscendisset, concione habita, *et facta re divina, in convivio cum amicis* sederit, atque ἔνϑα ... περὶ δείλην IBI ... SUB VESPERAM, qua hora videlicet agni immolandi erant, siquidem hic dies mensis decimus quartus fuisset, populus non sacra sollemnia, sed seditionem cogitaverit, quae statim totam urbem pervasit, nec sollemne paschatis nisi post haec Iosephus, ut quod iam adesset, commemorat. Septimus ergo dies, quo luctus fuit absolutus, esse non potuit post diem 13 mensis nisanis, qui octavus fuit mensis aprilis, primus autem septem dierum non serior die 7 nisanis, hoc est, die 2 aprilis. Quae quum satis, ut opinor, liqueant, tandem concludimus Herodem ad plures abiisse intra eos dies, qui fuerunt a die 28 martii ad diem 2 aprilis anni p. i. 4710.

DISSERTATIO XXXVI

De Christi reditu ex Aegypto

1 Quonam tempore Christus ex Aegypto in patrias regiones reductus fuerit, facile est definire. Certum enim indicium illius diei, post quem id contigit, Matthaeus nobis suggerit, sed et aliud probabile omnino illius diei, ante quem contigisse oportet. Quibus indiciis efficitur Christum ex Aegypto reductum fuisse per eos dies, qui fuerunt inter diem IV kal. et inter id. april. an. U. C. DCCL.

2 Etenim Matthaeus haec narrat: *Defuncto . . . Herode, . . . Ioseph . . . accepit puerum et matrem eius, et venit in terram Israel.* Herodem vita defunctum haud esse ante diem IV kal. april. an. U. C. DCCL paullo ante demonstravimus [1]. Quare Ioseph, nisi post hunc diem, ex Aegypto reverti non potuit.

3 Sed neque serius idib. huius ipsius mensis. Quum enim reverteretur, audivit, *quod Archelaus* REGNARET *in Iudaea pro Herode patre suo.* Archelaus dici nequit regnasse nisi paucis illis diebus, qui intercessere inter patris obitum atque ipsius iter in Urbem ad Augustum, ut is Herodis testamentum, quo ipse Archelaus eadem matre Malthace Samaritide genitus ac Herodes Antipas [2], sed maior natu [3], heres in regno paterno inque regia dignitate scriptus erat, ratum haberet. Hoc iter serius coeptum non est idibus aprilis. Quare nec Ioseph serius reversus esse dicendus est.

4 Archelaum non serius hoc die ex Iudaea profectum esse procul dubio est. Etenim, quum septem diebus patri parentasset, *luctu finito*, inquit Flavius Iosephus, *in templum ascendit. . . . Et hinc facta re divina ad convivium cum amicis se recepit* [4]. Ad vesperam vero seditio exorta est [5]; quae res eo maxime gravis accidit Archelao *quod illi iter instaret, quod ad Romam quam ocyssime facere proposuerat, ut voluntatem Caesaris de se perspectam haberet* [6]. Die autem festo azymorum in ipso templo pugnatum est inter cives, quum hostiis mactandis operam dabant, interque milites Archelai, donec, interfectis ex turba illa seditiosa tribus hominum millibus, reliqui vel in proximos montes aufugerunt, vel iussu Archelai domum se receperunt, sollemneque relictum est [7]. Continuo autem narrat Iosephus Archelaum Romam profectum esse; id vero, si non illo ipso die festo, at certe non serius quam postridie aut die perendino factum fuisse evincit tum modus narrationis, tum festinatio, qua Archelaus ad iter adripiendum agebatur. Dies festus azymorum eo anno incidit in a. d. IV id. april.; quare procul dubio est Archelaum serius idib. profectum non esse.

5 Quod autem per eos dies, quot fuere inter Herodis obitum atque iter ab Archelao adreptum, is ut rex habitus fuerit, regiumque exercuerit dominatum, tametsi regis adpellatione abstinuerit, idem ipse Flavius Iosephus memoriae prodidit. Archelao namque Herodes pater regni partem regiamque dignitatem testamento reliquerat [8]. Utque illud resignatum est lectumque coram militibus, hi eum regem salutarunt [9], cogeruntque, ut diadema sibi imponeret, quod tamen facere renuit [10]. Sed et

---

1) Diss. XXXV. 2) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 1. § 3; Bell. L. I. c. 28. § 4. 3) *Id.* Antiq. ib. c. 6. § 1; Bell. ib. c. 32. § 7. 4) Antiq. L. XVII. c. 8. § 4; Bell. L. II. c. 1. §§ 1. 2. 5) Bell. ib. § 2. 6) Antiq. ib. c. 9. § 1. 7) Ib. § 3. Bell. ib. § 3. 8) Antiq. ib. c. 8. § 1. 9) Ib. § 2. 10) Ib. § 4.

populus iis honoribus eum est prosequutus, *ut qui iam certus rex foret* [1]). Quin et in aureo solio considens ita populum adloquutus est, ut qui minime dubitaret regnum sibi manere [2]), nec secus deinceps se gessit, atque egit, ac si illud iam foret adeptus [3]). Quapropter, ut venit ad Augustum, adcusatus est eo crimine, quod regnum, antequam Augustus ipse veniam daret, sibi adrogaverit [4]).

6 Quod denique regia potestas Archelai diutius haud steterit, quam quoad itineri se commisit Romam versus, facile est demonstrare. Etenim, *postquam Archelaus Romam solvit, . . . Sabinus* procurator Caesaris *Hierosolyma profectus palatium occupat. Deinde, accersitis praesidiorum praefectis omnibusque rerum administratoribus, demonstrat se rationes exigere, et de castellis statuit arbitratu suo* [5]). Mox *seditionem fecit universa natio. . . . Sabinus . . . castella vi conabatur occupare, et ad pecunias regias vestigandas impetu animi magno acrique ferebatur* [6]). Die festo pentecostes Hierosolymae Iudaei manus conseruere cum legione Romanorum, quam post priores turbas compositas Varus propraetore Syriae illic reliquerat [7]), milites vero Archelai defecerunt ad Romanos [8]). *Eodem autem tempore alia millia turbarum exorta Iudaeam occupabant* [9]), nec defuere, quos regnandi libido incesseret, impelleretque ad diademata sibi imponenda [10]). Tandem seditione omni repressa *Iudaeorum legatio, Varo genti mittendi potestatem faciente, Romam veniebat ad postulandam suis legibus vivendi libertatem. Et legati quidem ex decreto totius gentis missi quinquaginta erant, illis vero Romae sese adiunxerunt supra octo Iudaeorum millia. . . . In summa autem hoc erat, quod postulabant, ut regno et huiusmodi principatu liberati Syriae contribuerentur, praetorumque romanorum administrationi subiicerentur* [11]). Quin, et *regis quotquot fuere consanguinei, ab Archelao stare recusabant* [12]), *cupientes ante omnia liberi esse et sub romani praesidis administratione* [13]). *Caesar autem hisce auditis dimisit concilium; at aliquot post diebus Archelaum quidem regem non declarat, sed eius ditionis, quae Herodi erat subiecta, in partem dimidiam ipsum constituit ethnarcham, pollicitus regii nominis honorem, si dignam rege virtutem praestitisset* [14]); hunc tamen honorem numqnam est consequutus.

7 Quare ad liquidum, opinor, explorata res est, si Ioseph ex Aegypto remeasset post discessum Archelai, haudquaquam eum auditurum fuisse, *quod Archelaus regnaret in Iudaea*, quum non modo is abesset dubius adhuc, an sibi regno tandem aut dominatione aliqua potiri daretur, sed nec dominum eum, nedum regem, Iudaei habere vellent, proinde nemo Iosepho narrasset illum in Iudaea regnare.

8 Quod autem Iosephi reditus dilatus non fuerit post reditum Archelai, id, praeter eam, quae modo dicta est, alia quoque ratio comprobat petita ex illis Matthaei verbis: *Defuncto autem Herode,* ECCE *angelus Domini etc.*, qui, sicut alias [15]) animadvertimus, modus est narrandi res haud longo temporis intervallo disiunctas. At Archelaus ex Urbe redux in Iudaeam pervenire non potuit citius, quam postremis diebus mensis augusti eiusdem illius anni, quo in Urbem contenderat, hoc est, quatuor mensibus et dimidiato post obitum patris, ut adparet ex serie rerum gestarum, quas supra (4. 6) enumeravimus. Eo anno dies pentecostes incidit in diem IV kal. iun. Ingens Iudaeorum frequentia, quae Hierosolymam ad sollemne convenerat, gravissimam illam seditionem commovit contra Sabinum, qui ex obsessa arce, in quam se receperat, statim Antiochiam literas misit ad Varum auxilia petens. Varus duas legiones, ex illis quae erant in Syria, copiasque auxiliarias foederatorum Ptolemaida convenire iussit; dumque Hierosolymam cum exercitu contenderet plura ab eo gesta referuntur. Compressa urbis seditione, in eos, qui hac illac in tota regione rebellabant, copiarum partem misit, ac tandem re perfecta Antiochiam reversus est. Tunc demum Iudaeorum primores in legationem profecti ad Augustum, quod putet citius fieri nullo modo potuisse, quam mense iunio exeunte. Adde temporis spatia in itinere legatorum impensa, in rebus Romae gerendis, in reditu Archelai, perspiciesque hunc, nisi post medium mensem augustum, Hierosolymam reducem ab Urbe pervenire minime potuisse. Quare, si modum adtendas, quo Matthaeus rem narrat, minus veri simile tibi videbitur reditum Iosephi post Archelai reditum fuisse dilatum. Aliud huius rei argumentum haud leve mox (13) proponetur.

9 Ioseph dicitur iussus fuisse reverti *in terram Israel*, quam quidam sic vocari putant, ut quae distingueretur a Iudaea, quo cum bene cohaeret illud, quod Ioseph redux secesserit *in partes Galilaeae*. Equidem priorem illam regionem ea adpellatione distinctam a posteriore semel reperio in

---

[1]) Bell. L. II. c. 1. § 1. [2]) Antiq. l. c. [3]) Ll. cc. et seqq. [4]) Antiq. ib. c. 9. § 5; Bell. ib. c. 2. § 5. [5]) Antiq. ib. § 3. [6]) Ib. c. 10. § 1. [7]) Ib. § 2. [8]) Ib. § 3. [9]) Ib. § 4. [10]) Ib. §§ 5—8. [11]) Ib. c. 11. §§ 1. 2. [12]) Ib. § 1. [13]) Ib. c. 9. § 4. [14]) Ib. c. 11. § 4. Lege et Bell. L. II. cc. 2—6. [15]) Diss. XXVII. c. III. n. 12.

vetere testamento [1]); attamen dubito, an hoc idem alias factum possis ostendere. Hoc autem loco id minime fieri, sed *terram Israel* vocari totam Israelitarum regionem, ut quae Iudaeam quoque complecteretur, dubitare non est. Nemo enim non videt sic illam vocari respectu Aegypti, ubi Ioseph tunc erat, et unde illuc proficisci iubebatur. Sique ea adpellatione excludebatur Iudaea, hoc ipso prohibitus fuisset Ioseph, ne in Iudaeam iret; qui igitur fieri potuit, ut vir sanctissimus in hanc contendere instituerit, ut adparet ex ipsa Matthaei narratione [2])? Denique advenientibus ex Aegypto prima omnium regionum israeliticarum Iudaea patebat, pro eo ac regnante Herode haec terminabatur, paullo autem post ea verba Matthaeus illud narrat, quod Ioseph, ut *venit in* TERRAM ISRAEL, *audiens, quod Archelaus regnaret in Iudaea, . . . timuit illo ire*, ideoque constat in his adpellationem *terram Israel* significare id, quod adfirmamus, imo non aliam regionum israeliticarum partem ea designari, quam ipsam Iudaeam. Quare, si Ioseph perveniens in Iudaeam dicitur pervenisse *in terram Israel*, ad quam videlicet reverti iussus fuerat, non est, cur verba, quibus id fuerat iussus, dicantur significare regionem distinctam a Iudaea, sed dicantur necesse est nullo modo id significare.

10 *Defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri.* Verba haec eorum gemina sunt, quibus Deus iussit Moysem ex ea regione, qua exsulabat, reverti in Aegyptum: *Mortui sunt enim omnes, qui quaerebant animam tuam* [3]). Ex quorum parallelismo perperam arguunt nonnulli haec Matthaei verba de uno Herode dicta esse [4]), sicut, inquiunt, illa Moysis de uno Pharaone dicta sunt. Imo hoc ipso, quod illa quoque plurali numero sint, concludimus non de uno Pharaone ea dicta esse, idque eo certius, quo evidentius facit addita vox *omnes*, utque legimus in codicibus hebraicis, *omnes homines*, atque ex hoc discimus alios quoque cum Pharaone contra Moysem conspirasse. Hebraeis *quaerere animam alicuius* idem valet, ac eius necem machinari.

11 Ioseph *audiens, . . . quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire*; propositum igitur ipsi erat in Iudaeam contendere. Hinc duae quaestiones exstant, altera, quamnam ob caussam Ioseph illuc ire voluerit, altera, cur, quominus iret, notitia regnantis Archelai eum deterrnerit.

12 Quod adtinet ad priorem quaestionem, in alio loco [5]) diximus Iosephum post Mariae purificationem Nazarethum remeasse, ut, rebus domesticis compositis, Bethlehemum transmigraret, quum non alia ratione cohaerere posse ea videantur, quae in hoc evangelii capite narrat Matthaeus, atque ea, quae Lucas narrat gesta post purificationem Mariae [6]); sed et rationem hanc comprobari hoc ipso, quod Ioseph redux ex Aegypto, non Nazarethum, sed in Iudaeam ire vellet. Quare putandus est id voluisse ideo, quia, antequam in Aegyptum aufugeret, in Iudaea domum haberet. Adde quod in id tempus, quo Iosephum ex Aegypto reversum esse demonstravimus (1 seqq.), inciderit eo anno dies festus paschatis, quo lex iubebat omnes mares Hierosolymam convenire [7]), quam legem, quum semper alias [8]), tum eo anno Ioseph studiose servasse credendus est.

13 Caussam, cur Ioseph timuerit ire in Iudaeam, legimus in ipso evangelio, eaque fuit, *quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo*; id quidem duobus modis potest intelligi, utrovis autem intelligas, ille Iosephi timor confirmat ipsum ex Aegypto rediisse per eos dies, quos supra (1 seqq.) diximus. Etenim, si, ut multi opinantur, Iudaeae imperantem Archelaum timebat Ioseph, eo quod Herodis filius foret, siquidem ex Aegypto reversus esset post Archelai reditum ab Urbe, aeque timuisset Antipam imperantem Galilaeae, utpote et ipsum Herode genitum. Antipas enim, etsi Galilaeae heres testamento scriptus esset ab Herode patre [9]), non tamen prius ea potitus est, quam ipse et Archelaus frater, eodem tempore Romam profecti [10]), propriam uterque ditionem decreto Augusti simul acceperunt [11]). Reversus igitur est Ioseph ex Aegypto iis diebus, quibus Iudaeam quidem regebat Archelaus, at nondum Antipas Galilaea potiebatur, qui dies esse non potuerunt nisi ante eum diem, quo Archelaus ad Urbem iter facere coepit (6). Neque ex facili quis credat caussam, cur Archelaum, non autem Antipam timuerit Ioseph, fuisse diversum utriusque ingenium diversosque mores; diversitas enim haec sese prodere non potuit nisi post aliquot saltem menses, ex quo suas ditiones illi acceperant, ideoque Iosephi reditum, secus ac suadet Matthaei loquutio (8), dilatum fuisse in aliquot menses post reditum Archelai, credere oporteret. Sin autem credatur Ioseph sibi timuisse a regno Archelai, non quia is Herodis filius foret, sed ob turbas exortas sub finem illorum dierum, quibus regium dominatum is exercuit, quas Ioseph redux ad Iudaeae fines

[1]) II Par. XXX, 25. [2]) Matth. II, 22. [3]) Ex. IV, 19. [4]) Diss. XXXIII. n. 8. [5]) Diss. XXVII. c. V. P. II. [6]) Luc. II, 39. [7]) Deut. XVI, 16. [8]) Luc. II, 41. 42. [9]) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 8. § 1. [10]) Ib. c. 9. § 4. [11]) Ib. c. 11. § 4.

perveniens fama accepit, magis atque magis constabit de tempore, quo eum reversum esse adfirmamus.

14 Quid caussae fuerit, cur Ioseph in Iudaeam ire reformidans Nazarethum secedere iuberetur, non est, cur quaeramus, patet enim, quum illic prius domum habuerit. Cur vero Matthaeus huius rei meminerit, ratio ea ipsa est, ob quam praesertim in hoc evangelii capite ea narrare instituit, quae pro ipsius consilio darent occasionem referendi vetera oracula de Christo dicta, atque Iudaeis, quibus scribebat, ostendendi, ut horum oraculorum πλήρωμα Iesum esse Messiam evinceret; illius namque rei narrationi, sicut suus est mos, continuo subiungit verba sacrorum vatum ad eam pertinentia, aitque illud factum esse, *ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur.*

DISSERTATIO XXXVII

De adpellatione NAZARAEI

1 De vaticinio, quo praedictum fuerat Iesum *Nazaraeum* vocatum iri, unde illud Matthaeus deprompserit, in magna quaestione est. Hieronymus ipse haec scripsit ad Damasum: *Illud neque in graecis neque in latinis codicibus possumus invenire* [1]; et in alio loco: *Illud . . . omnes quaerunt ecclesiastici et non inveniunt, ubi scriptum sit* [2]. Constat quidem inter omnes haudquaquam quaerenda esse in libris veteris testamenti ipsa haec verba *Nazaraeus vocabitur*, non enim verba alicuius prophetae haec sunt, sed ipsius Matthaei id referentis, quod sive ex uno aliquo sive ex pluribus vaticiniis colligebatur, futurum, ut Christo nomen *Nazaraeus* apte conveniret; id iam Hieronymus animadverterat [3]. Utrum autem unum ac singulare, an plura fuerint, et quaenam ea vaticinia, discors sententia est; utramque retulit Hieronymus.

2 Sunt enim, qui sentiunt non vaticinium, aliquod singulare hoc esse, sed quoddam plurium ac diversorum vaticiniorum consectarium. Nam Matthaeus, sicut Hieronymus animadvertit, *si fixum de scripturis posuisset exemplum, numquam diceret: Quod dictum est per prophetas, sed simpliciter: Quod dictum est per prophetam; nunc autem pluraliter prophetas vocans ostendit se non verba de scripturis sumpsisse, sed sensum* [4]. Neo aliter autumabat auctor *Operis imperfecti in Matthaeum.* Quo autem pacto dici queat ex prophetarum vaticiniis illud consequi, quod Iesus vocandus esset *Nazaraeus*, sic explicat Hieronymus: *Nazaraeus sanctus interpretatur; sanctum autem Dominum futurum, omnis scriptura commemorat* [5]. Verum nomen *Nazaraeus*, quod a Nazaretho Iesus habuit, non a נזר, unde נזיר *sacratus, consecratus*, sed a נצר deductum videtur, quum ab Hebraeis scribatur נוצרי; est autem נצר idem ac *ramus, surculus.* Christus a prophetis praenuntiatus est sub imagine surculi [6], ramusculi [7], floris [8], germinis [9], hisque nominibus adpellatus. *Eadem* . . . צמח GERMINIS *imagine*, inquit Rosenmuellerus, *principem illum e stirpe davidica oriundum sistit Ieremias* XXIII, 5; XXXIII, 15, *nec non Ezechiel* XVII, 22. 23. . . . *Confer Zachar.* III, 8; VI, 12 [10]. Gesenius vero haec nuperrime scripsit: *Messias haud dubie intelligendus est Ier.* XXIII, 5; XXXIII, 15 *ubi Davidi promittitur* צמח צדיק, צמח צדקה *germen iustum, id est, soboles iusta, et Zach.* III, 8; VI, 12, *ubi Messias ellipt.* צמח *soboles, scilicet Davidis, appellatur* [11]. Si ergo, ut aiebat Hieronymus, Matthaeus dicatur *non verba de scripturis sumpsisse, sed sensum*, perspicis iis, quae Matthaeus in hoc loco habet, non aliam subesse posse sententiam, praeter hanc: Quod Iesus Nazaraeus vocatus fuerit, eo factum esse, ut implerentur ea vaticinia, in quibus Iesum nomine *surculo* aut similibus τροπικῶς vocatum legimus. Vereor nihilominus, ut haec interpretatio, omnibus sese probet. Neque enim, quod Christum sub imagine rami, germinis, et similium, praenuntiaverint prophetae, ex hoc sequebatur Christum adpellandum quoque sic fuisse, neque, quod haec adpellatio a patria ei facta sit, hoc ipso illorum vaticiniorum πλήρωμα haberi ex facili quis credet. Quare nec vera videtur sententia haec prior.

3 Ut autem ideo, quia Christo nomen illud patrium fuerit, vaticinium aliquod impletum vere dici queat, necesse foret, vel prophetam praedixisse Christi patriam Nazarethum futurum, vel ipsum illo

---

[1]) Ad Damas. ep. XX al. CXLV. § 2. [2]) In Is. XI, 1. Lege etiam Ad Pammach. ep. LVII al. CI. § 7. [3]) Ad Pammach. l. c. [4]) In h. l. [5]) Ib. [6]) Is. XI, 1. [7]) Ezech. XVII, 22. 23. *Rosenmuell.* in h. l. [8]) Cant. II, 1. [9]) Is. IV, 2; XLV, 8; etc. [10]) Schol. in Is. XI, 1. [11]) Thesaur. philol. crit. ad v. נצר.

nomine vocandum, vel saltem ita eum a propheta adpellatum esse, ut oblique praediceretur futura ipsi haec adpellatio. Quod ad illa duo prima, neutrum eorum factum reperies ab ullo prophetarum, si modo eius verba in *literalem* sensum accipias; quod cur addiderim, infra adparebit (5). Secus autem dicendum de postremo; atque haec est altera sententia, quam post illam priorem (2) Hieronymus refert ita pergens: ***Possumus autem et aliter dicere, quod etiam eisdem verbis iuxta hebraicam veritatem in Isaia scriptum sit*** [1]: ***Exiet virga de radice Iesse, et Nazaraeus de radice eius conscendet*** [2]. Ad Pammachium autem ita scripsit: ***Respondeant λογοδαίδαλοι et fastidiosi aestimatores omnium tractatorum, ubi legerint, discantque in Isaia positum. Nam . . . in hebraeo iuxta linguae illius ἰδίωμα ita scriptum est: Exiet virga de radice Iesse, et Nazaraeus de radice eius crescet*** [3]. Ubi vero Isaiam ipsum interpretatur, Hebraeos ipsos sententiae huius auctores sibi esse dicit: ***Illud, quod in evangelio Matthaei omnes quaerunt ecclesiastici, et non inveniunt, ubi scriptum sit: Quoniam Nazaraeus vocabitur, eruditi Hebraeorum de hoc loco (Isaiae) assumptum putant*** [4]. Et quidem hoc Isaiae vaticinium ad Christum spectare ipsumque Christum vocabulo נצר in eo significari certo credunt, non modo patres atque omnes Catholici, sed et Ionathan Uzielis filius et Talmudistae, et Iudaei bibliorum enarratores plerique omnes [5], sed et nobilissima Rationalistarum capita, Dathius, Eichhornius, Gesenius, Rosenmuellerus. Isaias igitur adludens immutatione vocabuli simul Christi patriam patriumque nomen indicavit. Illud vero, quod apud Isaiam non legamus ipsum nomen נוצרי *Nazaraeus*, sed נצר, neminem movere potest, qui meminerit, Hebraeos in nominibus propriis efferendis, non tam ipsarum literarum atque ipsius vocabuli habuisse rationem, quam significationis, qua de re alias disseruimus [6].

4 Neque officit huic interpretationi illud *per prophetas.* Syri enim iisdem literis ܢܒܝܐ scribunt nomen singulare *prophetam* et plurale *prophetas*, ideoque facile fuit graeco interpreti Matthaei vocabuli similitudine in errorem duci, ac plurale nomen pro singulari ponere. Sed *per prophetam* legimus apud interpretes bibliorum syrum, aethiopem, saxonem, persam, atque etiam apud latinum, ut habent huius exemplaria vetustissima, vercellense ab Eusebio episcopo eodemque martyre conscriptum, veronense, brixianum, colbertinum, corbeiense, et bodleianum [7]. Verum non est, cur opem quaeramus a discrepantia sive interpretum sive codicum, quandoquidem illud nomen plurale neque Hieronymum impediverit, quominus ad hanc sententiam deveniret, quamquam prius ex illo ipso duxisset argumentum prioris sententiae (2). Imo neminem impediet, qui vel semel legerit scriptores ceteros novi testamenti; hi enim, non secus ac Matthaeus, *prophetas* plurali numero nominant, ubi unius alicuius prophetae verba referunt; sic semel fecit Ioannes in evangelio [8], sic saepius Lucas in Actis [9].

5 Diximus supra (3), praeter hoc Isaiae vaticinium, aliud non reperiri, cui is literalis sensus subesse queat, in quem Matthaeus accepit vaticinium illud, quod retulit. Quod si Matthaeus spiritalem alicuius vaticinii sensum explicuisse putetur, ipsissima haec verba reperiemus dicta de Samsone: כי נזיר אלהים יהיה ***Quoniam Nazaraeus Dei erit*** [10]. Novimus enim in sacris scripturis ***vocari*** et ***esse*** interdum unum atque idem valere [11]. Quum autem nulla sit ratio, cur dubitemus, Samsonem Christi typum fuisse, sed imo optima, cur id credamus, utique verbis illis τυπικῶς praenuntiari potuit id, quod Matthaeus factum narrat, fore, ut, sicut Samson Christi τύπος Nazaraeus vocatus est, sic quoque, etsi alia de caussa, vocaretur Christus Samsonis ἀντίτυπον. Huic tamen interpretationi obest discrepantia literarum. Etsi enim hebraicum nomen Nazarethi neque in bibliis neque in talmude scriptum reperiatur, scribendum tamen esse litera צ, non autem ז, colligimus tum ex nomine patrio נוצרי, tum ex interpretatione syriaca novi testamenti, tum denique ex his, quae Hieronymus Paulae et Eustochii nomine scripsit ad Marcellam: ***Ibimus ad Nazareth, et, iuxta interpretationem nominis eius, videbimus*** FLOREM ***Galilaeae*** [12]. Quamobrem ab ea interpretatione, quam secundo loco (3) retulimus, censeo non esse recedendum.

---

[1]) Is. XI, 1. [2]) In Matth. h. l. [3]) Ad Pammach. l. c. [4]) In Is. XI, 1. [5]) *Schoettgen* De Messia Lib. II ad h. l. Isaiae et ad Ps. LXXII, 1; Lib. III. thes. 4; *Frischmuth* Dissert. de Is. XI, 1 in Thesauro theologico philolog. T. I. Amstelaed. 1701. [6]) Diss. IX. c. III. n. 5. [7]) Ap. *Millium* N. T., *Sabatier* Latin. version. antiq., *Bianchinium* Evangeliar. quadrupl. [8]) Io. VI, 45. [9]) Act. VII, 42; XIII, 40; XV, 15. [10]) Iudic. XIII, 5. 7. [11]) Diss. VII. n. 7. [12]) Ad Marc. ep. XLVI al. XVII § 12.

DISSERTATIO XXXVIII

De anno aetatis Christi duodecimo

CAPUT I

De temporum designatione

1 Postremum eorum, quae de Christi pueritia evangelistae literis consignarunt, illud est, quod legimus apud Lucam, ut Christus cum parentibus iverit Hierosolymam ad celebrandum diem festum paschatis, eisque insciis illic manserit, ac demum *post triduum* repertus fuerit in templo. Haec a Christo gesta fuisse, *cum factus esset annorum duodecim*, idem ipse Lucas nos docuit; illud incertum, quum Christus duodecimum annum adhuc ageret, an eo iam completo. Si primum, quum Christus ortus sit an. U. C. DCCXLVII [1]), gesta haec fuisse dicenda sunt, anno urbis conditae DCCLIX, aerae vulgaris VI, quo anno dies festus azymorum fuit circa diem postrid. kal. april.; si alterum anno insequente, hoc est an. U. C. DCCLX, aerae vulgaris VII, quo anno dies ille festus actus est circa eum diem, qui fuit a. d. XI kal. april.

2 Quid hac de re sentire oporteat certo definiri nequit. Sunt tamen argumenta, quibus coniiciamus illa evenisse, quum Christus duodecimum aetatis annum iam expleverat, anno inquam aerae vulgaris VII.

3 Horum argumentorum primum suggerit ipsa Lucae loqutio. Neque enim gesta ea dicit a Christo *anno aetatis duodecimo*, aut *quum* is *duodecimum annum ageret*, quae loquendi rationes utique significarent, annum duodecimum vertentem, sed *ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα*, quae ad verbum sic latine vertas: *quando factus est annorum duodecim*. Atqui verius dicitur *factus esse annorum duodecim* ille, qui duodecimum aetatis annum iam egit, quam ille, qui hunc adhuc agit (12).

4 Iudaei legibus non tenebantur ante pubertatem. Qua de re haec scripsit Maiemonides: ***Pueri annos tredecim et diem unum agentes, si pubertas illorum iam exstiterit, ad omnia praecepta habentur sicut maiores natu*** [2]); utque scripsit Bartenora, ***ante illam aetatem non subiecti sunt poenis legis*** [3]). Peculiariter autem, ubi in mischna exponitur lex iubens mares omnes ter in anno Hierosolymam convenire ad celebrandos dies festos paschatis, pentecostes, et tabernaculorum [4]), parvuli excipiuntur [5]). Elias vero, unus de secta Karaeorum, haec scripsit do dono, quod Deo ferebatur die festo paschatis: ***Summa est, sapientes nostros, supra quos pax, decidisse dicendo, nullos ad hoc teneri nisi mares iam pubertatem adeptos*** [6]). Attamen, ut annum duodecimum aetatis compleverant, moris erat eos adsuefacere legibus observandis. Id colligimus ex iis, quae de observando ieiunio constituta leguntur in mischna [7]), quo in loco Maiemonides haec adnotavit: ***Mares duodecim annorum integrorum . . . totum diem ieiunant ex constitutione sapientum, ad erudiendos illos in praeceptis.*** Item haec ipsius mischnae verba huc spectare videntur: ***Leniter agat homo cum filio suo ad annum eius duodecimum. Exinde et ultra***, id est, post annum duodecimum, ***descendat cum eo in vitam eius***, id est, poenis etiam cogat [8]). Iam vero morem hunc spectasse videtur Lucas, quum illa narrans Christi aetatem edixit, qua gesta sunt, ac dicere voluisse Christum Hierosolymam ductum fuisse a parentibus ad celebrandum diem festum paschatis, quia iam ea erat aetate, qua pueri legem observare incipiebant. Nec ratio deest, cur hanc verborum Lucae sententiam esse credamus. Etenim Christum eo anno primum illius religionis gratia Hierosolymam ivisse colligimus ex ipsis Lucae verbis, qui proxime narravit, ut irent ***parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni paschae***, non tamen Christi una cum iis illuc euntis meminit, etsi potior caussa esset, cur huius, quam illorum, mentio fieret, siquidem et ipse illuc ire solebat. Hoc autem posito vix dubitare est, notationem aetatis Christi eodem pertinere, quo notationem diei octavi, ubi Ioannis Baptistae [9]), atque ubi Christi [10]), circumcisionem idem ipse Lucas narravit, et dierum quadraginta, ubi Mariae purificationem descripsit [11]), ut tempus videlicet designaretur lege aut consuetudine praefinitum his rebus gerendis.

---

[1]) Diss. XX. [2]) Manus fortis. Tract. de solemnit. expiation. c. 2. § 11. [3]) In Ioma c. 8. § 4. [4]) Deut. XVI, 16. [5]) Chagiga c. 1. § 1. [6]) In Addereth ap. *Triglandium* De secta Karaeorum c. 4. p. 28. [7]) Ioma c. 8. § 4. [8]) Chethuboth f°. 50 ap. *Lightfoot*. Hor. hebr. in Luc. II, 42. [9]) Luc. I, 59. [10]) Ib. II, 21. [11]) Ib. 22.

5 Denique Archelaus Iudaeorum ethnarcha, ut in alio loco [1]), demonstravimus, ab Augusto in exsilium pulsus est mediis mensibus an U. C. DCCLIX, aerae vulgaris VI, quum Christus annum aetatis duodecimum adhuc ageret. Proinde, si ea, de quibus sermonem habemus, facta fuere postquam Christus hunc annum iam compleverat, illud quoque peropportune accidisset, ut is primo Hierosolymam iret, quum non amplius illic dominaretur Archelaus; ideoque Ioseph iam solutus esset eo metu, quo olim redux ex Aegypto impeditus fuerat, ne Christum in eam urbem adduceret [2]).

6 Atque haec sunt, quae, etsi non certam, probabilem tamen omnino praestant sententiam, in qua sumus, ea, quae de Christo duodenne a Luca narrantur, facta fuisse anno aer. vulg. VII, ipsumque Christum in templo repertum a parentibus mense martio exeunte aut aprili ineunte (13).

CAPUT II

Explanatur narratio

7 Haec historiae pars initium capit a versiculo quadragesimo, proinde hic, non prioribus, ut quidam faciunt, sed posterioribus iungendus est. Id nos docent particulae δε, qua versiculus iste quadragesimus, et και, qua insequens versiculus quadragesimus primus, inchoantur. Lucas enim, ubi alia prioribus longo temporis spatio interposito narrare adgreditur, utitur particula δε, numquam vero particula και, nisi vel de eadem persona loqui pergat ipso initio posterioris narrationis [3]), vel usurpet illam diversarum narrationum veluti commissuram, aliis quoque evangelistis imo etiam scriptoribus veteris testamenti, atque adeo ipso initio librorum usitatam, *και ἐγενετο et factum est*, neo aliquid certi reperias in evangelio Lucae, imo vix quidquam dubii, quod opponas. Iam vero in versiculo quadragesimo primo, qui particula και inchoatur, non loquitur Lucas de Christo, de quo loquebatur in quadragesimo, sed de Christi parentibus. Tum in versiculo quadragesimo est ipsa propositio, quam excipit, ac comprobat haec narratio.

8 ***Puer autem crescebat, et confortabatur.*** Sic interpretes vulgatus et coptus, nec non utraque pagina, graeca et latina, codicis cantabrigensis, duoque codices graeci apud Millium [4]), sic etiam de patribus graecis Origenes interprete Hieronymo [5]) et auctor Commentarii Titi Bostrensis nomine inscripti. At exemplaria graeca pleraque omnia, ceteriquo interpretes, et latinus codex brixiensis [6]), habent *et confortabatur spiritu*; eademque prorsus Lucas prius dixerat de Ioanne Baptista [7]). Quaeritur autem, qui dici potuerit Christus *confortatus spiritu*. Id ita explicat Salmeron: ***Hoc ad interiorem hominem pertinet, quod scilicet per aetatis incrementa augebatur robur spiritus. . . . Quod quidem non est ceterorum more hominum intelligendum, quibus id, quod nondum assecuti erant, accidit; sed nimirum sinebat apparere pro corporis incremento interioris hominis perfectionem*** [8]). Neo aliter Cornelius a Lapide Theophylactum et Euthymium sequutus: ***Non quasi Christus internum spiritus robur in dies maius acceperit, cum a primo instanti conceptionis suae plenus fuerit gratia et Spiritu sancto, sed quod exterius per sermonem et opera maiora magis illud exercuerit, et ostenderit*** [9]). Sed forte, quid hac in re verum sit, perspexerunt interpretes aethiops et persa, qui graecum πνευματι verterunt ***Spiritu sancto***; sensusque foret, corpus Christi, utpote opus Spiritus sancti [10]), non sine peculiari eiusdem huius Spiritus numine et providentia *incrementa* et *robur* cepisse. Enimvero et ipsa haec res indubia est, et nomen πνευμα absque adposito alias quoque Spiritum sanctum significat [11]), vel certo Spiritus sancti operationem [12]).

9 Pro verbis *plenus sapientia*, sunt etiam inter patres, qui scripsere ***implebatur sapientia.*** At cavesis, credas quibusdam bibliorum enarratoribus, qui aiunt sic sonare graeca Lucae verba; hi quippe vehementer errant, nam illa verba sunt *πληρουμενον σοφιας*, idemque plane sonant ac latina verba translationis vulgatae *plenus sapientia*. Quae notatio inferius nos iuvabit (18).

10 ***Et gratia Dei erat in illo***, graece *και χαρις θεου ἠν ἐπ' αὐτο*, vel, ut legitur in quibusdam codicibus, *ἐπ' αὐτῳ*, utque in aliis, *ἐν αὐτῳ*. De hac enuntiatione haec scripsit Rosenmuellerus:

---

[1]) Diss. XXXV. n. 40. [2]) Matth. II, 22 Diss. XXXVI. n. 13. [3]) Diss. XXVII. c. III. n. 13. [4]) Nov. Test. gr. in h. l. [5]) In Luc. hom. XIX. [6]) Ap. *Bianchinium* Evangeliar. quadrupl. [7]) Luc. I, 80. [8]) Comment. T. II. Tract. 46 in h. l. [9]) In h. l. [10]) Luc. I, 35. [11]) Matth. IV, 1; Marc. I, 10. 12; Luc. IV, 14; Io. I, 32. 33; Act. II, 4; etc. [12]) Matth. XXII, 43; Luc. II, 27; IV, 1; etc.

DIVINA VENUSTAS EI INERAT. *Nam genitivus θεου saepe adiective sumtus superlativum efficit, et χαρις* GRATIA, IUCUNDITAS, VENUSTAS. *Ea erat venustas et dignitas formae in puero, ut omnes intelligerent a Deo ita ornatum esse* [1]). *Haec est Wetstenii et Raphelii interpretatio. Praefero tamen eorum sententiam, qui vertunt:* DEUS EI FAVEBAT, *ut χαρις θεου sit* FAVOR DEI ET CURA SINGULARIS, . . . *ut sensus sit: Omnes facile perspiciebant, Deum huic puero singulari cura adesse. Si de* VENUSTATE *sermo esset, dicendum fuerat: χαρις θεου ἦν ἐν αὐτῳ* vel potius: *ἦν αὐτῳ.*

11 *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni paschae.* Mares quidem iam puberes (4) tenebantur lege, quae eos iubebat Hierosolymam convenire ad celebrandos dies festos paschatis, hebdomadarum, et tabernaculorum [2]), non tamen mulieres [3]), erat tamen pietatis eas quoque, etsi lege non tenerentur, ad aliquod saltem illorum festorum celebrandum in eam urbem convenire [4]), idque Christi mater observabat.

12 Praeterire non est codicem cantabrigensem, in quo versiculus quadragesimus secundus sic legitur: *Ὡς ἐγενετο αὐτῳ ἐτη ιβ, ἀνεβησαν οἱ γονεις αὐτου, ἐχοντες αὐτον, κατα το ἐθος της ἑορτης των ἀζυμων Ut facti sunt ei anni* XII, *ascenderunt parentes eius, habentes eum, secundum consuetudinem festi azymorum*; haec enim fortasse nobis suffragantur, quum adfirmamus haec, quae refert Lucas, gesta fuisse, quum Christus annum aetatis duodecimum compleverat, cumque tunc primo Hierosolymam ductum ad dies festos azymorum celebrandos. Apud Ambrosium [5]) et in codice veronensi legimus, ut in cantabrigensi: *Cum facti essent illi anni duodecim*, in vercellensi autem: *Cum essent illi anni duodecim.*

13 *Consummatisque diebus*, hoc est, post dies festos azymorum, qui septem numero erant. Iosephus quidem haec scripsit: *Per* OCTO *dies festum celebramus, quod dicitur Azymorum* [6]), etsi alias idem ipse scripserit septem illos fuisse [7]). Sed utrumque verum est. Nam Israelitae initium diei ducebant a solis occasu, quo spectat illud: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra* [8]). Dies festi azymorum numerabantur ab initio diei decimae quintae mensis primi, qui abib et nisan nomen habuit, ad exitum diei vicesimae primae [9]). Sacrum vero illud, quo agnus insequente nocte comedendus immolabatur, quodque pascha vocabant, fiebat die decima quarta ad solis occasum [10]). Quare, si hanc quoque diem decimam quartam computes, octo dies erunt. Atque hoc modo intelligenda esse verba Iosephi adparet ex his, quae scripsit in alio loco: *Mense autem Xanthico, qui nobis nisan vocatur, et anni initium est, die decimaquarta secundum lunam, sole in ariete existente (hoc enim mense liberati a servitute sumus aegyptiaca) sacrificium etiam, quod tunc egredientes ex Aegypto nos fecisse iam dixi, pascha nominatum, quotannis mactare* (*Moyses*) *lege sancivit. Et quidem per contubernia illud celebramus nihil victimarum in crastinum servantes. Die autem quintadecima paschalem excipit azymorum festivitas septem dierum. . . . Secunda autem azymorum die, illa autem decimasexta est, . . . hoc modo illi hordei primitias offerunt etc.* [11]). Ceterum, si memineris, in quem diem inciderit primus dies azymorum eo anno, quo Christus annum aetatis duodecimum compleverat (1), ex his, quae Lucas hoc in loco narrat, colliges rationem, cur superius diximus, Christum in templo repertum fuisse a parentibus mense martio exeunte vel ineunte aprili (6).

14 *Existimantes autem illum esse in comitatu*, eorum videlicet, qui post dies festos Hierosolyma ad sua remeabant, quique quum ingenti numero essent, mirum non est parentes Iesu huius absentiam minime animadvertisse.

15 *Post triduum μεθ' ἡμερας τρεις invenerunt illum*, hoc est, die tertio. Nam Hierosolyma profecti *venerunt iter diei*, altero die hoc idem iter remensi sunt, die demum tertio Iesum invenerunt in templo. Sic quoque ipse Iesus aiebat: *Post tres dies resurgam* [12]), id est, *tertia die*, ut alias loquutus est [13]). Invenerunt autem *sedentem in medio doctorum*, non qui doctoris personam sustineret, ut quidam putant, etsi falso, quos reffellunt verba, quae mox sequuntur *audientem illos, et interrogantem eos*, sed quia *stupebant . . . omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius*, ideoque concessum ei fuerat, ut coniicit Lightfootus, *in ipsis subselliis patrum esse pro tempore, cum aptum se approbasset ad proponendum quaestiones vel respondendum; nam ad sua subsellia admiserunt et alios alia etiam ex caussa. Sanhedr. fo.* 40, 1 [14]).

---

[1]) Act. VII, 20. [2]) Ex. XXIII, 17; XXXIV, 23; Deut. XVI, 16. [3]) Conf. Chagiga c. 1. § 1. [4]) *Schoettgen.* Hor. hebr. et talmud. in h. l. [5]) In Luc. L. II. § 63. [6]) Antiq. L. II. c. 15. § 1. [7]) Ib. L. III. c. 10. § 5; L. IX. c. 13. § 3. [8]) Lev. XXIII, 32. [9]) Ex. XII, 18. [10]) Ib. 6; Lev. XXIII, 5; Deut. XVI, 6. [11]) Antiq. L. III. c. 10. § 5. [12]) Matth. XXVII, 63; Conf. Marc. VIII, 31. [13]) Matth. XVI, 21; XVII, 22; XX, 19. [14]) Hor. hebr. et talmud. in h. l.

16 ***Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia et responsis eius.*** Quidam adnotarunt, illud *super prudentia et responsis* dictum esse καθ' ἐν δια δυοιν pro *super prudentibus responsis.* Autumant etiam, quum prius dicatur Iesus *interrogasse* illos doctores, *responsa* hic habere eum sensum, in quem sumitur verbum *respondere* a scriptoribus hebraeis, etiam ab evangelistis [1]), atque adeo ab ipso Luca [2]), eumdem, ac ille, qui est hebraico verbo ענה, quod non semper idem significat, ac latinum *respondere*, sed *in universum significare videtur* LOQUI ITA, UT ALTERUM RESPICIAS [3]), ac simpliciter *incipere loqui.*

17 Quae matri conquerenti Christus respondit, ea sic graece retulit Lucas: *Ὁτι ἐν τοις του πατρος μου δει εἰναι με.* Interpretes syrus et persa pro verbis *ἐν τοις του πατρος μου* reddiderunt *in domo patris mei*, hoc est, in templo, quod viris quibusdam eruditis placuit, idque defendunt prolatis similibus loquutionibus graecorum scriptorum [4]). Ast latinus interpres vulgatus in alium plane sensum ea accepit, vertitque *in his, quae patris mei sunt*, aptius profecto concinniusque. Enimvero illud *oportet me esse in templo* oppido friget, neque rebus Christi gestis respondet.

18 ***Et Iesus proficiebat sapientia, aetate, et gratia apud Deum et homines.*** Utrum ἡλικιᾳ, quod versum est *aetate*, significet hoc in loco vitae tempus, an corporis staturam et magnitudinem, disputant viri eruditi. Lege hac de re disserentes Wolfium et Mazochium [5]). ***Manifestum est***, inquit Thomas, ***quod gratia Christi non potest augeri, . . . unde in eo non potuit esse gratiae augmentum*** [6]); et, ***quantum ad ipsum habitum scientiae, manifestum est, quod habitus scientiae infusae in eo non est augmentatus, cum a principio plenarie fuerit sibi omnium scientia infusa, et multo minus scientia beata in eo augeri potuit*** [7]). Hoc ipsum nos docuere partim ipse Lucas paullo prius, ubi scripsit: ***Puer autem crescebat, et confortabatur,*** PLENUS ***sapientia*** (9), partim Ioannes, qui Christum dixit ***plenum gratia*** [8]). Quales itaque fuerint hi profectus, discere poteris ex Cyrillo Alexandrino [9]), ex Thoma [10]), et ex Petavio [11]). Ceterum totum hunc versiculum praecise simul atque perspicue, ut solet, interpretatus est Thomas his verbis: ***Dicendum, quod in sapientia et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos habitus sapientiae et gratiae augmentatos; et sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus, in quantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit; et sic Christus proficiebat sapientia et gratia sicut et aetate, quia secundum processum aetatis perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret et in his, quae sunt ad Deum, et in his, quae sunt ad homines*** [12]).

19 Libet omnes has quaestiones, quas de historia Christi adhuc pueri hactenus habuimus, concludere his verbis Rosenmuelleri, sententiam continentibus geminam eius, quam alibi [13]) eruimus ex quibusdam verbis ipsius Lucae: ***Ceterum hausisse videtur Lucas has narrationes e traditione Mariae, apostolorum, testium αὐτοπτων, aliorumque Christi amicorum. Nam sine dubio Maria, Elisabetha, Zacharias, saepissime haec aliis narraverunt*** [14]).

DISSERTATIO XXXIX

De anno quintodecimo imperii Tiberii

1 Caesare Augusto XIV kal. septembr. an. U. C. DCCLXVII, vita defuncto successor Tiberius ***principatum, quamvis neque occupare confestim neque agere dubitasset***, inquit Suetonius, ***diu tamen recusavit impudentissimo mimo, . . . tandem quasi coactus . . . recepit imperium*** [15]), non ante XV kal. octobr., quo die templum et caelestes religiones Augusto decretae [16]). Proinde annus quintus decimus, ex quo Tiberius Augusto successerat, initium habuit u. d. XIV kal. sept. vel XV kal. octobr. an. U. C. DCCLXXXI; composito autem huius anni initio cum civilis anni [17]), Romanis quidem inchoari debuit proximis prioribus kalendis ianuar., Iudaeis die neomeniae tisri superioris anni DCCLXXX [18]), die denique neomeniae dii item anni superioris Antiochenis, nam et horum ratio

[1]) Matth. XI, 25; etc.; Marc. IX, 4; etc.; Io. II, 18 etc. [2]) Luc. XIII, 14; XIV, 3. 5; XXII, 5. [3]) *Winer.* Lexic. ad h. v. [4]) *Wolf.* Curae crit. in h. l.; *Mazochii* Spicileg. bibl. in h. l.; *Rosenmuell.* Schol. in h l. [5]) LL. cc. [6]) 3. q. 7. a. 12. c. [7]) 3. q. 12. a. 2. c. [8]) Io. 1, 14 [9]) In Io. I, 14. [10]) LL. cc. [11]) De incarnat. L. XI. c. 2; c. 6. § 6. [12]) 3. q. 7. a. 12. ad 3. [13]) Diss. XXIV. no. 8. [14]) Schol. in Luc. II, 52. [15]) Tiber. § 24. Conf. *Tacit.* Annal. L. I. §§ 3. 11. [16]) Conf. *Tacit.* Annal. L. I. § 11. et kalendarium amitern. ap. *Fogginium* Fastor. anni rom. p. 113. Romae 1779. [17]) Lege Diss. XIX. n. 28. [18]) Lege Gemar. Rosch hasschana c. 1. n. 1, et adnotata ad h. l. ap. *Surenhusium.*

habenda est io hac qoaestione, quam nobis facit Locas patria Antiochenus. Quom vero Ioannes Baptista longe ante aonum huoc, secus ac Petavios sensit [1]), munos snum ndgressos esse putandus omnino sit, quod alio loco [2]) demoastrabimus, alterutrum necessario consequitur, vel a Luca, quum annum quiotumdecimum imperii Tiberii commemorat, designari tempus, quo, non id, quod continuo subiuagit io sua historia, exordium, inquam, moneris a Ioanne soscepti, sed aliod qoid factum fuerat, quod esse neqnit oisi Christi mors, quae Sanclementii sententia est [3]), vel, si illud exordiom Lucas designare voluit, eum enumerandi annos imperii Tiberii altius, quam ab obito Augusti, initiom fecisse, quae est Pagii [4]) sententia. Quare utramque seotentiam iam expeodemus.

CAPUT I

An munus coeptum a Ioanne notet hic annus, et quodnam exordium imperii Tiberii secundum hanc sententiam

2 Enimvero ipsa orntionis series ipseque contextus id flagitare videtor, ut illius anoi meatio dicator signare tempos, quo Ioannes Baptista munus suum adgressus est; ita eoim est: *Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Caesaris . . . factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium.* Tum optima caossa erat, cur Lucas id faceret, quum eios historia spatio doodevigiati anaorum veloti siluerit, iis praetermissis, qaaecumqoe Christos gessernt iotra id tempos. De patrum nmaero oe unuo quidem reperias, qui expresse tradiderit his Locae verbis significari illud, quod dicimns. Implicite tamen plerique omoes id fecisse putandi sant, quotquot memoriae prodidere Christum ad Ioannem adiisse anno quiotodecimo imperii Tiberii; utromqne eoim, secundom hanc primam de isto anno sententiam, paucos admodom intrn menses accidisse, oequit in dubium revocari. Verum qood ita illi senserint, noa hoc eorum aactoritate omnimodis in hac quaestione iuvamor. Sive enim ii sint, qui eodem illo aano Christum croci fixum dixerunt, sive qui triennio post, omaes loqoebantor de anno quintodecimo, postquam Tiberius Augusto successerat, tametsi exploratum sit aliqaot ante annis Christum ad Ioannem, nedum Ioannem in deserta, advenisse. Attamea illi patres, iique omnes, nobis id adsentiri sant dicendi, quod crederent eum aooom, quo Christus ad Ioanoem adiit, proinde et quo Ioannes venerat in deserta, a Luca coiamemorari. Itaque, si Locas exordium muoeris a Ioaooe suscepti his verbis voluit designare, proinde anaus quintusdecimus, cuius meminit, non ille esse queat, qui foret, si initium annis imperii Tiberii fieret ab Augusti decessu, quaerendus superest aoaas Urbis conditae, a quo ioitium istud ducatur.

3 Tiberius, postquam de Pannoniis triomphavit, par cum Aagusto, ooo qoidem Urbis, sed provinciarum atque exercitnum imperiom, Augusto ipso id patres rogaate, adeptus est, illudque ex aeqao deiaceps cum eo gessit. Velleius, Tiberii legatus comesqae triumphi, haec memoriae trndidit: *Eadem et virtus et fortuna subsequenti tempore ingressa animum imperatoris Tiberii fuit, quae initio fuerat. Qui . . . cum . . . senatus populusque romanus, postulante patre eius, ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus esset, . . . in Urbem reversus iam pridem debitum, sed continnatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum* [5]). Tacitos ita loquitur: *Druso . . . pridem exstincto*, Tiberius *Nero solus e privignis* Augusti *erat; illuc cuncta vergere, filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis, adsumitur, omnisque per exercitus ostentantur* [6]). Suetoaios autem: *A Germania*, iaquit, *in Urbem post biennium regressus triumphum, quem distulerat, egit. . . . Ac non multo post, lege per consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret, condito lustro, in Illyricum profectus est* [7]). Quae quidem omoia his illustrantur, quae oarrat Dio: *M'Aemilio Lepido autem et Statilio Tauro consulibus Tiberius et Germanicus . . . impressionem in Celticam fecerunt. . . . Haud ita procul a Rheno discesserant, sed prope eum usque ad autumnum morati, ludis in honorem natalium Augusti actis . . . in Italiam reversi sunt. . . . Post haec consulatum Germanicus nondum praetura functus occepit. . . . At vero Augustus senectute iam gravis Germanicum senatui, senatum Tiberio scripto commendavit, quod ipse quidem (voce enim destituebatur)*

---

[1]) De doctrina tempor. L. XI. c. 7. [2]) Diss. XLIII. [3]) De anno dominicae passion. in fine operis De vulgar. aerae emendat. pp. 516. seqq. [4]) Critic. historico-chronol. ad an. 11. J. C. [5]) Hist. rom. L. II. § 121. [6]) Annal. L. I. § 3. [7]) Tiber. §§ 20. 21.

non recitavit, sed Germanicus, ut consueverat. Petiit deinde a senatu, excusatione belli germanici praelata, ne ipsum posthac domi suae salutarent, neve in malam partem acciperent, si deinceps non convivaretur cum eis [1]). Constat igitur vivo Augusto *par* cum eo imperium in provincias Tiberio fuisse, easque, quum hic illi demortuo successit, non ideo novum dominum accepisse. Proinde habuere provinciae, unde in computandis annis imperii Tiberii initium ducerent aliud eo, quod ab Augusti obitu ducere mos fuit. Ab hoc initio exorsum esse Lucam in numerandis annis imperii Tiberii illi adfirmant, nosque cum iis, quorum sententiam enarramus. Id autem eo confirmari putant, quod Lucas nomen *Augustum* Tiberio non indiderit, huiusque imperium, non ἀρχὴν *principatum*, sed ἡγεμονίαν vocaverit, ἡγεμόνες autem adpellatio praesidibus provinciarum constanter fit a scriptoribus novi testamenti [2]), atque adeo ab ipso Luca eodem hoc ipso loco sic adpellatur Pontius Pilatus praeses Iudaeae; eademque ratione Iosephus nomina haec ἡγεμονίαν [3]) atque ἡγεμόνα [4]) usurpavit, quamquam etiam imperium ἡγεμονίαν dixerit [5]); quae tamen argumenta missa facimus, quippe quibus, quum tuto carere queimus, tum impediremur magis, quum invaremur, neque enim dicimus illum annum quintumdecimum esse potestatis proconsularis, sed principatus atque imperii, quod Tiberius prius, quam Augusto vita defuncto in universam rempublicam, eo vivo in provincias acceperat. Disquiramus ergo, quo anno illud imperium Tiberius acceperit.

4 Bellum contra Germanos is absolvit M'. Aemilio Lepido T. Statilio Tauro coss., ut Dio expresse narrat [6]), et manifesto colligimus ex historiis Velleii [7]), et Suetonii [8]). His consulibus notatur annus **U. C. DCCLXIV**. E Germania in Italiam Tiberius reversus non est ante autumnum huius anni, *ludis in honorem natalium Augusti actis* [9]), hoc est, post IX kal. octobr. [10]); triumphum vero egit Urbem ingressus anno insequente U. C. DCCLXV Germanico Caesare C. Fonteio Capitone coss. [11]), a. d. **XVII** kal. febr. [12]), non autem *anno illo* DCCLXV *exeunte*, ut perperam putavit Dodwellus [13]). Quum autem, sicut Suetonius narrat, cuius narrationi ea consonant, quae exscripsimus ex Dione (3), *non multo post* lex per consules lata fuerit, *ut provincias cum Augusto communiter administraret*, consequens est primum annum, quo Tiberius provinciarum imperium gessit, eum fuisse, qui a. U. C. DCCLXIV a neomenia tisri, si de Hebraeis quaestio sit, sin de Antiochenis, a neomenia dii, initium habuit.

5 Hoc posito manifestum est quintum decimum annum, ex quo Tiberio imperium illud delatum fuerat, Iudaeis et Antiochenis incepisse anno U. C. DCCLXXVIII, illis a neomenia tisri, his a neomenia dii. Quum vero Lucas ea, quae narrat, ab apostolis Christique discipulis, gente Iudaeis, didicerit, sicut ipse profitetur [14]), neque sit, quod nos credere cogat eum curasse, ut rationem computandorum annorum, quam Iudaei sequebantur, ad illam redigeret, quae erat Romanorum aut Antiochenorum, iure etiam creditur annum illum quintumdecimum sic posuisse, sicut acceperat, proinde hic esse annus iudaicus initio ducto a neomenia tisri. Qua ratione patet Ioannem munus suum suscipere potuisse eo tempore, quo necesse fuit [15]), ut Christus, ortus an. U. C. DCCXLVII [16]), dici possit ad Ioannem adiisse annos natus, ut ait Lucas, *quasi triginta* [17]), in crucem vero actus an. U. C. DCCLXXXII. Sed eadem hac ratione quaedam refelluntur eorum, quae contra sententiam, quam exponimus, dici solent.

6 Aiunt enim incertum esse, an eo anno, quo diximus, Tiberius imperium in provincias acceperit, nam Suetonius id *non multo post*, quam ille triumphavit, Velleius tamen, cui utpote Tiberii legato maior fides hac in re est, factum narrat ante triumphum. Quod argumentum equidem non una ratione refellere possem. Nam illud Velleii caput male mulctatum a librariis alii aliter legunt, nos vero transcripsimus, sicut placuit Rhenano. In prioribus Velleii exemplaribus, utrum is loquatur de senatus populique romani decreto, an solum de Augusto senatum populumque romanum rogante, ut par cum ipso ius in provincias Tiberio foret, nemo dicet pro certo. Ipsa autem pugna, quae esse videtur inter Velleium et Suetonium, suspectam faciunt Rhenani coniecturam. Quare Suetonio credendum, qui rem aperte et perspicue narrat, cuius narrationi consonant Dionis verba, quem denique, *non*

---

[1]) Histor. rom. L. LVI. pp. 586. 587. Hanoviae 1606. [2]) Matth. XXVII, 2. etc.; Luc. II, 2; XX, 20; Act. XXIII, 24. etc.; XXIV, 1. 10; XXVI, 30. [3]) Antiq. L. XVIII. c. 4. § 2. [4]) Ib. c. 1. § 1; Bell. L. I. c. 33. § 5; L. II. c. 12. § 5. [5]) Antiq. L. XVIII. c. 2. § 2; c. 6. §§ 9. 10; etc.; Bell. L. II. c. 12. § 8; etc. [6]) L. c. [7]) Hist. L. II. §§ 103—121. Lege *Dodwell.* Annales velleian. et vitae vellei. synopsin chronologic. [8]) Tiber. §§ 15—20. [9]) *Dio* l. c. [10]) Lege *Sueton.* Octav. § 5; kalendar. maffei. capran. pincian. ap. *Foggin.* l. c. [11]) Lege *Pagii* Critic. ad annal. Baron. ad h. ann. et *Dodwell.* l. c. [12]) *Verrii Flacci* Fast. ed. *Foggin.* pp. 14. 105. [13]) Vitae vellei. synops. ad ann. 765. [14]) Luc. I, 2. [15]) Diss. XLVII. c. I. [16]) Diss. XX. nn. 4 seqq. [17]) Luc. III, 23.

praepostere res narrare, sed temporum libenter observare ordinem, ostendit Norisius in epistola ad Antonium Pagium [1]), et consentit Fabricius [2]). Insuper, licet Velleius, pro eo ac legitur a Rhenano, rem gestam fuisse diceret ante Tiberii triumphum, non tamen ante reditum e Germania, proinde neque ante exeuntem annum U. C. DCCLXIV, post initium igitur anni, qui a proxima neomenia mensis tisri Iudaeis, mensis dii Antiochenis, inceperat, quum Tiberius Urbem triumphans ingressus sit XVII kal. febr. insequentis anni U. C. DCCLXV. Ad haec, si prius, quam dicimus, ea res facta fuisset, melius foret, ac est, opinioni, quam defendimus; hoc enim posito, altius quoque, quam fecimus, initium petere esset temporis, quo Ioannes suo munere functus est. Verum, quod caput est, illud exploratum habemus, Tiberium ad provincias cum Augusto regendas nec ante adgressum esse, quantum legimus apud Velleium, quam bellis in Germania finem imposuisset, hoc est, ut colligimus ex Dionis historia, non ante autumnum anni U. C. DCCLXIV, nec multo post, quam triumphum egerat, sicut scripsit Suetonius, proinde, non multo post XVII kal. febr. a. U. C. DCCLXV; non igitur, nisi intra annum iudaicum, qui inceperat die neomeniae tisri anni U. C. DCCLXIV, et exiit in diem pridie neomeniae tisri insequentis anni U. C. DCCLXV, neomenia autem tisri anni DCCLXIV non serius esse potuit, quam a. d. XV kal. octobr.

7 At enim commentitium plane est recensque excogitatum initium illud duplex imperii Tiberii. Enimvero non equidem regeram sive adpellationem imperatoris Tiberio factam, quam urget Pagius [3]), sive eos, quos ille recenset, a quibusdam imperatoribus socios principatus sibi adiunctos [4]), sive nummum his notis inscriptum TI. CAESAR AVG. F. AVGVSTVS [5]), ex quo coniiceret quis Augusti nomen Tiberio additum vivo Octavio Augusto, quum huic DIVI adpellatio in eo nummo facta non legatur. Imo et illud dabo, quod volunt, si sermo sit de supremo universae reipublicae principatu, qualem gerebat Augustus, et post Augustum gessit Tiberius, ac ceteri post hunc, in Urbem aeque ac in provincias. Attamen etiam hoc posito nulla ratione illud consequitur, ut non alio tempore provinciis cum imperio praeesse Tiberius coeperit, alio autem toti reipublicae, quod tamen manifesto conficitur testimoniis superius prolatis. Initium illud prius, non *τῆς ἀρχῆς* fuit, sed *τῆς ἡγεμονίας*, non universae reipublicae, sed provinciarum (3), deque hoc Lucas loquutus dicitur; sique duo haec, ut debent, inter se distinguantur, facile videbuntur frustra ii fuisse, qui de duplici initio imperii Tiberii accipiendo aut explodendo certaverunt. Nam pro priore initio imperii Tiberii strenue inter ceteros propugnavit Pagius [6]), acriter illud impugnavit Petavius [7]), acrius vero Sanclementius [8]). Consentiunt hi quidem Tiberio concessam esse potestatem, quam narrant Velleius et Suetonius, verum, ideo duplex initium ponendum esse in numerandis annis imperii Tiberii, Pagius ait, negant Petavius et Sanclementius. Attamen, si eos legas, perspicies, ut omnia Petavii et Sanclementii argumenta evincant unum fuisse initium imperii, quod Tiberius gessit in rempublicam universam, omnia autem argumenta Pagii aliud eo fuisse initium imperii in provincias; utrumque autem certum plane est.

8 Sed, inquiunt, ubinam gentium id moris fuit, ut tempora nuuis imperii proconsularia notarentur? In ipsa republica, inquam. Supersunt enim numi sub Tiberio in Africa percussi, quorum aetas his notis indicatur: C. VIBIO MARSO PRO COS. II [9]), item C. VIBIO MARSO PRO COS. III [10]), itemque: PERMISSV L. APRONI PROCOS. III [11]); sed et Cypriorum numi, quorum antica pars has notas praefert: *ΘΕΟΝ ΣΥΓΚΛΗΤΟΝ Deum senatum*, postica autem: *ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ Γ ΚΥ Procos. Eprio Marcello* III *Cypriorum* [12]). Quod autem hic mos rarius ac minus late, in Asia praesertim, obtineret, aperte id nos docuit Tullius his verbis: *Praeclarum est summo cum imperio fuisse in Asia triennium* [13]); raro, inquam, fiebat, saltem in Asia, ut quis pluribus annis, quam uno aut altero, gereret proconsulatum. Sed, quod caput est, non hic agitur de ordinaria potestate proconsulis, sed de imperio, quod in provincias aequum cum Augusto ita habuit Tiberius, ut, quum is Augusto vita defuncto successit, nihil auctoritatis adcreverit huius in illas imperio, nec novum dominum provinciae acceperint, eaque de caussa illarum gentes pro aliis atque aliis diebus, a quibus civilis anni initium facere solebant, aliae, ut Syri et Iudaei, tertium annum imperii Tiberii, aliae, ut Graeci, quartum numerare pergerent.

---

[1]) Opp. T. II. p. 760. [2]) Bibliotb. lat. T. II. c. 24 ed. *Ernesti.* [3]) Crit. historico-chron. ad an. 11. J. C. no. 12. [4]) Ib. an. seqq. et ad ann. 51. 97. [5]) Ap. *Vaillant.* Numism. imperator. T. I. pp. 4. 335. Romae 1743. [6]) L. c. nn. 2 seqq. [7]) Doctr. temp. L. XI. c. 7. [8]) De anno dominicae passion. in fine op. De vulgaris aerae emend. pp. 513 seqq. [9]) Vaillant Numism. aer. imperator. p. 70. [10]) Ib. pp. 89. 90. [11]) Ib. p. 92. [12]) *Harduinus* Nummi antiq. p. 274. Paris. 1684. *Havercamp.* Thesaur. morellian. T. I. p. 164. [13]) Ad Quint. fratr. L. I. ep. 1. § 2.

9 At enim, inquit Sanclementius, *sicut Romani annos . . . suorum principum per tribunicias potestates ex die natali imperii, paucis exceptis exemplis, numerare solebant, ita Antiocheni, qui epochas eum annis suis civilibus coniunctas supputabant, . . . annos tamen principum romanorum ex natali imperii die multiplicasse probantur* [1], proinde etiam annus ille quintusdecimus imperii Tiberii in provinciis non incepisset ante exitum an. U. C. DCCLXXVIII (4. 6); quo posito iam locus deesset iis, quae a Ioanne gesta ante Christi baptismum refert Lucas.

10 Equidem viro eruditissimo plane adsentio de eo, quod *apud omnes eruditos satis compertum est, tribuniciam potestatem, ut scribit Dio, postquam Augustus in consulatu XI eam receperat, certa quadam lege in hereditatem subsequentium imperatorum transiisse, quam propterea una cum imperio susciperent, et quolibet anno, natali imperii die, iterarent. Vel, si illam recepissent ante initum imperium, ut de Tiberio, de Traiano, de Caracalla, aliisque, constat, ab eo cardine eiusdem multiplicandae initium facerent, ut et illi, qui aliqua peculiari de caussa, non ab ipso die natali imperii, sed a praecedentibus kalendis ianuariis computandam primo decrevissent*, quod non ante Antoninum fieri coeptum exinde autem semper observatum demonstrat Eckhel [2]. *Omnes tamen, ut dictum est, certa constantique lege, anno revertente, tribuniciam potestatem iterabant*; *idque perpetuo servatum ab omnibus imperatoribus testantur nummi omnis generis, innumerique propemodum lapides, aliaque monumenta.* Ad summam *certum est per tria ferme saecula . . . eam methodum iterandae tribuniciae potestatis, quam diximus, non interrupte servatam fuisse, ab eaque propterea certa argumenta peti posse, ut anni cuiuslibet imperatoris definiantur* [3]; certissimum, inquam, indicium, quot annos imperium gesserint Romanorum principes, debemus notis tribuniciae potestatis, quas exhibent numi ceteraque vetustatis monumenta. Maiores quoque nostros, in marmoribus inscribendis, in numis cudendis, in actis conficiendis, inque similibus rebus, *annos suorum principum ex die natali imperii numerare* solitos fuisse, non vero ex prioribus kalendis ianuar., usque ad Antonini imperium, ex quo tempore ipsi Augusti *anno revertente tribuniciam potestatem iterabant* kalendis ianuar., nemo, nisi morosius, in dubium revocaret. Sic, quod ad Tiberium ipsum adtinet, Suetonius narrat eum obiisse *anno tertio et vicesimo imperii* [4], qui tamen annus fuisset quartus et vicesimus, si a prioribus kalendis ianuar. initia annorum imperii sumere fuisset mos. Sed et Dio Cassius, qui tamen scribebat ducentis annis, postquam in morem venerat, ut anni tribuniciae potestatis Augustorum kalendis ianuar. inciperent, haec retulit: *Omnem vero tribuniciam potestatem, quanta unquam maxima fuit,* Augusti *accipiunt, et iuxta eamdem imperii quoque sui numerant annos* [5]. Neque huic contradicit Censorinus ipsius aequalis, narrans eos, *qui vocantur anni Augustorum, . . . ex kalendis ianuariis*, initium duxisse [6]; non enim loquitur de annis imperii singulorum Augustorum, sed de annorum summa, qui sunt ab eo die, quo C. Octavius Caesar agnomine *Augusto* ornatus fuit. Quod vero ad Antiochenos et Seleucienses, horum numi percussi sub Tiberio [7] et sub Nerone [8] inscriptos annos imperii una cum ipsius gentis annis ita exhibent, ut manifestissime ostendant illos non idem initium atque hos habere. De his ergo omnibus Sanclementio omnino adsentimus, etsi ea commemoranda esse duximus, ne quis suspicaretur nos iis ignoratis parumve expensis adgredi ad disputandum contra sententiam viri eruditissimi.

11 Verum longe aliud est loqui de numis publice potestatum cura percussis, itemque de ceteris illiusmodi monumentis, quae diximus, aliud de vulgari more; non ergo satis sunt illi numi, neque enim argumenta alia suppetunt, cur ipsi Antiocheni credantur non una cum annis suis annos principatus Augustorum vulgo inchoasse. Sed de Antiochenis et Seleuciensibus sentias licet, quod lubet. Nam, quod maxime nostra refert, una de his, sed de Iudaeis sermo nunc est, a quibus, sicut praediximus (5), annum illum quintumdecimum imperii Tiberii Lucas didicerat. Iam vero ipse Sanclementius luculente demonstrat [9] alias fuisse gentes, ut Aegyptios, Cyprios, item Tyrios Iudaeis conterminos, apud quas unum idemque initium erat annis imperii Augustorum atque ipsarum annis civilibus. Id ipsum apud Iudaeos quoque in more positum fuisse dubitare non est, tum quia, ut suarum consuetudinum tenacissimi erant, sic et ab extraneis consuetudinibus, ea praesertim aetate, maxime abhorrebant, tum etiam quia suorum regum annos hoc modo numerabant. Insuper Iudaeos annis lunaribus tempora dimetiri solitos fuisse constat testimoniis luculentissimis, non illius modo, sed et

[1]) Op. cit. L. II c. 9. p. 261. [2]) Doctrina numor. veter. Vol. VIII. Observata general. ad P. II. c. 10. [3]) Op. cit. L. I. c. 1. p. 4. [4]) Tiber. § 73. [5]) Hist. rom. L. LIII. p. 508. Hanoviae 1606. [6]) De die natali c. 21. [7]) Ap. *Sanclement.* Op. cit. De anno dominicae passion. pp. 515. 516. [8]) Ib. L. II. c. 2. pp 182. 183. [9]) Op. cit. L. II. c. 9. p. 261.

superiorum et insequentium aetatum, Siracidae [1]), inquam, imo et psaltae [2]), Aristobuli [3]), utriusque Agathobuli [4]), Philonis [5]), Iosephi [6]), et Galeni [7]), utque huius ipsius rei argumento est dies festus paschatis. Quum autem horum annorum menses mensibus anni solaris nullo pacto responderent, adparet eos, qui hac forma annos numerabant, nec facile, nec commode, imo neque ob rem, potuisse deinceps numerare annos imperii Augustorum inceptos ab ipso die, quo illud initum ab his fuerat, sicut Antiocheni poterant ceteraeque gentes, quae annis solaribus utebantur, nisi forte, quum, non, quoto imperii anno aliquid gestum fuerat, esset edicendum, sed ipsam summam enuntiandam annorum, mensium, ac dierum, quibus Augusti imperium tenuerant.

12 Restat diluere argumentum omnium gravissimum, quo sententiam hanc de anno quintodecimo imperii Tiberii convellere adortus est Sanclementius, Pontium Pilatum in Iudaeam pervenire non potuisse *ante ineuntem aestatem anni* DCCLXXIX [8]), hoc est, nisi anno decimosexto τῆς ἡγεμονίας Tiberii, si annos istos praedicta ratione computemus, sexque saltem mensibus post Christi baptismum, novem autem, ex quo Ioannes munus suum inierat, tametsi Lucas, ut eius narrationem interpretamur, scripserit hoc alterum accidisse, quum Pilatus Iudaeae iam praeerat. Verum rem aliter habere, ac ille sentit, in alio loco [9]) ostendemus.

CAPUT II

An sit annus quintusdecimus ex quo Tiberius Augusto successerat, notaque temporis, quo Christus cruci fixus est.

13 Nunc venio ad opinionem Sanclementii, illum annum imperii Tiberii esse quintumdecimum, ex quo is Augusto successerat, a Luca autem ideo commemorari, ut nos doceret tempus, quo Christus in crucem actus est, proinde hoc loco esse temporis huius notam. Haec autem non uno argumento Sanclementius docere studet.

14 Lucas historiam universam in duas partes tribuit. Prior divini verbi ἐνανθρώπησιν, ortum, et pueritiam, duobus capitibus complectitur; altera capitibus viginti et uno, hoc est, a versu decimoquarto quarti capitis ad finem libri, ea exhibet, *quae supremo vitae suae tempore egerat Christus . . . uno tantum anno . . . postremoque, . . . tum eius praecipue passionem.* Sicut autem priori parti Lucas adscripserat notam temporis, quo Christus natus est [10]), ita putandum omnino est nota illa multiplici, quae legitur initio capitis tertii, non aliud tempus signari, nisi illud, quod Christo supremum fuit. Profecto tum Lucae scribenti, tum nobis legentibus, ut parum referebat, ediceretur nec ne tempus, quo *factum est verbum Domini super Ioannem* [11]), ita maxime annus, quo Christus cruci fixus illud *Consummatum est* [12]) pronuntiavit [13]). Sed et Pontius Pilatus, quem Lucas narrat anno quintodecimo imperii Tiberii Iudaeam procurasse, illuc advenisse non potuit, prout arguit Sanclementius, ante aestatem anni U. C. DCCLXXIX, hoc est, sex saltem mensibus post Christi baptismum, pluribus autem, postquam Ioannes in desertis docere coeperat [14]). Denique quorsum Annae mentio inter ceteras temporis notas, si hae notae pertinerent ad res a Ioanne gestas? An non longe potior ratio mentionis huius, quin Lucas illus memoriae prodere voluerit, Annam, inquam, et Caipham, quibus, ut liquido intelligimus, si Ioannis evangelium legamus [15]), in nece Christo moliendo primae partes fuere [16])? Porro opinionem hanc adseverat Sanclementius vetustissimis patribus probatam [17]), utpote qui Christum anno quintodecimo imperii Tiberii cruci fixum narrarunt [18]). De quorum numero nominare fortasse poterat Tertullianum, qui non modo haec scripsit, quae et multi alii: *Huius*, Tiberii, inquam, *quintodecimo anno imperii passus est Christus* [19]), sed etiam: *Dominum ab anno imperii* UNODECIMO *revelatum esse* [20]).

15 Ut autem difficultate illa extricemur, quae nobis est ab orationis contextu, *non improspere*, ait Sanclementius, *ut ego quidem existimo, id assequi licet uno interiecto puncto inter verba* ANNA

---

[1]) Eccli. XLIII, 6—8. [2]) Ps. CIII, 19. [3]) Ap. *Euseb.* H. E. L. VII. c. 32. [4]) Ib. [5]) De vita Moysis L. III. p. 686; De septenario et festis pp. 1179. 1189. 1191. [6]) Antiq. L. III. c. 10. § 5. [7]) In Hippocrat. de morbis. vulgarib. L. I. non longe post init. [8]) Op. cit. De anno domin. pass. pp. 521 seqq. [9]) Diss. XL. nn. 3 seqq. [10]) Luc. I. 5; II, 1. 2. [11]) Ib. III, 2. [12]) Io. XIX, 30. [13]) *Sanclemen.* l. c. pp. 516—519. [14]) L. c. pp. 521—523. [15]) Io. XVIII, 13. 14. 24. 28. 35. [16]) *Sanclemen.* l. c. pp. 523—526. [17]) L. c. p. 521. [18]) Conf. ib. p. 517. [19]) Adv. Iudaeos c. 8. [20]) Adv. Marc. L. I. c. 15.

ET CAIPHA *et subsequentium* FACTUM EST VERBUM, *quo posito dissidium omne componitur, orationis nexus nitidusque eius sensus et ordo restituitur. Tunc enim epocham initio praemissam intelliges non ad narrationem brevi verborum ambitu contractam, aut ministerii Ioannis, aut baptismi, aut denique quadragesimalis ieiunii a Christo Domino in deserto suscepti, referri, quae omnia ante necessario delibanda fuerant ad rectam rerum deinceps narrandarum intelligentiam, sed ad integram universamque gestorum et passionis Christi historiam, qua postremus vitae Christi annus . . . continetur, idque ex mente et scopo, quem ipse sacer historicus sibi proposuit, quemadmodum suo loco probatum est* (14). Prolatis autem in exemplum aliquot scriptorum sacrorum enuntiationibus, *ut pateat non semel ad naturalem legitimumque sensum percipiendum unius puncti, vel commatis, vel literae, omissionem, aut vocis translationem, obesse,* sic concludit: *Atque haec exempla sufficiant, ut, non sine ratione epochae a divo Luca capite tertio praemissae unico puncto adiecto, annum XV imperii Tiberii Caesaris, vetustissimis patribus approbantibus, atque historia vitae Christi tot praeclaris monumentis comprobata ita exposcente, ad annum dominicae passionis referamus* [1]). Haec ille.

16 Verum hac de re tota a viro sapientissimo dissentire cogor, quum neque suis argumentis illud conficiat, quod contendit, neque ferenda videatur ratio illa, qua Lucae narrationem explanare nititur, nec denique ulla caussa sit, cur ad alteram hanc sententiam priore relicta deveniamus.

17 Etenim illud, quod primum ait, Lucam posterioribus capitibus viginti et uno ea solum complexum esse, *quae egerat Christus uno tantum anno postremoque*, a veritate prorsus abhorret. Lucas enim, sicut alias demonstravimus [2]), huic historiarum suarum parti initium fecit ab iis, quae gesta fuerant duobus tribusve mensibus ante postremum Christi biennium. Quo facilius id pervideas, en tibi seriem atque ordinem rerum gestarum, quae a Luca et a Ioanne narrantur, ab adventu Ioannis Baptistae ad illius biennii initium.

Lucas	*Ioannes*	*Series rerum gestarum*
III, 1—38		Ioannis adventus trans Iordanem. Christi baptismus.
IV, 1—13	I, 19—II, 1—12	Ioannis et Christi res gestae post baptismum usque ad diem festum paschatis.
	II, 13—23	Primum quatuor postremorum paschatum [3]).
	II,24—III,1—21	Res Christi gestae in Iudaea post primum pascha.
	III, 22. 23. 24.	Christus in Iudaea et Ioannes in Aennone citra Iordanem [4]) baptismum ministrant.
	III, 25—36	Postremum Ioannis de Christo testimonium.
IV, 14	IV, 1—3	Ioanne in vincula coniecto [5]) Christus e Iudaea Galilaeam versus proficiscitur [6]).
	IV, 4—43	Christi per Samariam in Galilaeam iter.
IV, 14—15	IV, 44—45	Res a Christo gestae in Galilaea, antequam Nazarethum veniret.
IV, 16	IV, 46—54	Secundum signum a Christo in Galilaea patratum.
IV,17—V,1—39		Christus venit Nazarethum.
VI, 1		Cetera a Christo gesta ante alterum pascha.
		Secundum quatuor postremorum paschatum [7]) et initium postremi biennii, quod Christus vixit.

At enim, inquit Sanclementius, Lucas partem hanc historiae Christi exorsus *statim eum inducit in synagogam Nazareth . . . atque ex libro Isaiae prophetae ea verba legentem: Spiritus Domini super*

[1]) L. c. pp. 520. 521. [2]) L. 1. c. III. n. 77 et De interpretat. scripturar. sacr. L. 1. no. 197. [3]) Diss. XLVII. no. 5. [4]) Conf. Io. III, 26. [5]) Conf. Matth. IV, 12; Marc. I, 14. [6]) Diss. XLIII. n. 11. [7]) Conf. Io. IV, 35, et V, 1, et VI, 4. 5 seqq., cum Luc. IX, 12 seqq.

me . . . misit me praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis, ac testimonium insuper perhibentem: Quia hodie impleta est hoce scriptura in auribus vestris [1]). Verum, si hoc testimonio prolato illud se vincere posse putat vir doctissimus, quod contendit, eodem hoc testimonio quisque vincere neque poterit, illis viginti et uno capitibus ea solum a Luca narrari, quae uno die vitae postremo, aut certe, quae uno anno et uno die dumtaxat, Christus egerat. Ceterum id iam occupaverat Irenaeus Valentinianos, qui hoc ipso testimonio abutebantur, quo probarent Christum uno tantum anno docuisse, his verbis refellens: *Duodecimo autem mense dicunt eum passum, ut sit anno uno post baptismum praedicans, et ex propheta tentant hoc ipsum confirmare, scriptum est enim: Vocare annum Domini acceptum et diem retributionis; vere caecutientes. . . . Neque enim de die, quae duodecim hororum habet spatium, dictum est in propheta*, ideoque nec de anno duodecim mensium habente mensuram. . . . *Dies ergo retributionis dictus est, in qua retribuet Dominus unicuique secundum opera sua, hoc est, iudicium. Annus autem Domini acceptabilis, tempus hoc, in quo vocantur ab eo hi, qui credunt ei, et acceptabiles fiunt Deo, hoc est, omne ab adventu eius tempus usque ad consummationem, in quo, ut fructus, eos, qui salvantur, acquirit. Sequitur enim, secundum dictionem prophetae, annum dies retributionis; et erit mentitus propheta, si anno tantummodo Dominus praedicavit, et de eo dicit. Ubi est enim dies retributionis? Transivit enim annus, et nondum dies retributionis est* [2]).

18 Quod opportune Lucas dixisset, quo anno Christus mortuus sit, non negaverim, non tamen necessario, quum neque ceteri evangelistae id dixerint. Ast inopportunum fuisset, quam quod maxime, id eo loco dicere, ubi illa referebat, quae ferme quadriennio ante gesta fuerant, atque ita dicere, ut nec Oedipus coniiceret eum loqui de die Christi supremo. Mihi quidem illud pro explorato est, si Lucas nos hunc annum docere voluisset, id eum praestiturum fuisse, ubi ipsam Christi necem descripsit. Tum, non quintumdecimum, sed decimumsextum annum Tiberii post Augustum imperium gerentis numerabant Iudaei, quum Christum cruci fixerunt (1. 5). Ceterum non minus opportune factum est, ut memoriae proderetur annus, quo Christus, baptismo a Ioanne ablutus in publicum prodiens, munus sibi a patre demandatum docendi genus humanum caelestem sapientiam adgressus est; haec autem contigere eodem illo anno quintodecimo aequae cum Augusto potestatis Tiberio factae regendarum provinciarum, quo anno Ioannes quoque docere coeperat, ut conficitur ex dictis superius (2. 5. 17), nosque in alio loco fusius edisseremus [3]). Ex hoc autem adparet etiam, cur Lucas illam temporis notam, non unam, sed multiplicem huic historiarum suarum parti praescripserit.

19 Pontium Pilatum ad illas regiones adpellere non potuisse ante aestatem anni U. C. DCCLXXIX, aerae vulgaris XXVI, esse plane commentitium, sicut pollicitus sum (12), inferius [4]) probabo. Cur Annae mentio fiat a Luca, caussam esse longe aliam ea, quam putat Sanclementius, facile intelliges, si legas, quae scripsimus de principibus sacerdotum Israelitarum [5]).

20 Quo autem iure haec sententia patrum vetustissimorum suffragium priori sententiae ademptum vindicare sibi queat, non equidem intelligo, nisi forte unius Tertulliani (14); qui tamen, etsi scripserit Christum *anno . . . duodecimo revelatum esse*, mortem autem obiisse anno quintodecimo principatus Tiberii, scilicet quem is gessit post Augustum, at nullam re ipsa sententiae Sanclementii auctoritatem conciliat, quum ne levem quidem det suspicionem se illam sequutum esse. Patres autem illos vetustissimos testes sententiae suae citat Sanclementius eo, quod *unum annum praedicationi Christi assignaverint, ut acceptam ab apostolis traditionem de Geminorum consulatu, cui passio et mors Servatoris nostri illiganda esset, sancte retinerent* [6]). Sed, nisi omnia me fallunt, ex hac ratione contrarium efficitur, ac Sanclementius vellet, nimirum hos ipsos patres probe sensisse, illam notam a Luca positam esse, qua designaret annum, quo, quum Ioannes suo munere fungi iam coepisset, Christus, baptismo ab ipso Ioanne tinctus, initium fecit divino operi, ad quod perficiendum missus fuerat. Etenim, ut patres isti *unum annum praedicationi Christi assignaverint*, ideo factum est, quia ab apostolis quidem publicisque actis didicerant, Christum cruci fixum C. Fufio Gemino L. Rubellio Gemino coss., hoc est, anno quintodecimo imperii Tiberii post Augustum, apud Lucam vero legebant item *anno quintodecimo imperii Tiberii* tum Ioannem tum Christum docere coepisse, ergo, concludebant, uno tantum anno Christus docuit, utraque eumdem hunc unum annum et baptismum suscepit, et mortem obiit. Quod si putassent ea nota annum a Luca designatum esse, non quo

[1]) L. c. p. 517. [2]) Adv. haeres. L. II. c. 22 al. 38. §§ 1. 2. [3]) Diss. XLVII. [4]) Diss. XL. nn. 3 seqq. [5]) Diss. XXVIII. nn. 21. 25. [6]) L. c. p. 517.

Ioannes et Christus docere coeperunt, sed quo hic mortuus est, profecto nulla iam caussa superesset cur *unum annum praedicationi Christi assignaverit*. Neque enim illam accipere possumus, quam Sanclementius dicit, opinionem hanc ex eo ortam quod *non recte a vetustis patribus tam graecis quam latinis constituto cardine nativitatis Christi in anno U. C. varr.* DCCLI, *quem diximus, ne illi Christum trigesimo aetatis anno, praeeunte scriptura, ad baptismum accessisse negarent, simulque retinerent, passionis et mortis Christi annum et consulatum, quem compertum exploratumque habebant, unum praedicationi Christi annum assignare cogebantur* [1]). Etenim e contrario ideo Christum natum anno illo U. C. DCCLI palilibus incepto triginta annos vixisse sunt opinati, quia noverant mortuum anno quintodecimo principatus Tiberii Gemino et Gemino coss., hoc est, an. U. C. DCCLXXXII, aerae vulgaris XXIX, legebantque apud Lucam anno item quintodecimo imperii Tiberii docere coepisse *quasi annorum triginta* [2]). Audi ipsum Sanclementium: *Notatu dignum censeo in tanto patrum scriptorumque numero, qui prioribus illis quatuor ecclesiae saeculis floruerunt, neminem inveniri, qui ortum Christi Domini aut eius incarnationem per consules indigitaverit; quod mea quidem sententia certo argumento esse debet, salutiferae quidem passionis tempus sive consulatum per universam late ecclesiam a suo ipsius exordio maxime innotuisse, incarnationis vero non item, ac propterea illius traditionem certamque notitiam, primis praesertim ecclesiae saeculis, incorrupte servatam, huius vero vel nullam vel certe minus perspicuam extitisse* [3]). Ergo patres dicendi sunt ex notitia, quam certam habebant, anni, quo Christus mortuus est, collegisse, quo anno ad baptismum venerit, exin, quo anno ortus fuerit, porro autem quot vixerit annos, non autem e contrario.

21 Quo autem loco habenda sit interpunctio excogitata a Sanclementio, ut Lucae narrationem cum sua opinione componeret, vel ipse testis est, ubi, quam parum idem ipse in ea excogitatione sibi placuerit, non potuit, quin proderet. Cur enim, quo eam in tuto collocaret, probare adnisus est, Lucam maxima libri sui parte referre ea dumtaxat, quae postremo vitae anno a Christo gesta sunt, cur, quaeso, nisi quia voluit, ut ad haec quoque pertineret illa temporis nota, de qua quaestio est? Id autem cur voluisse dicatur, nisi quia sentiret et ipse, ut incommode atque inconcinne puncto interposito nota haec seiungatur ab iis, quae continuo sequuntur, velletque, saltem ex parte, incommodo huic aliqua ratione prospicere? Etsi enim re ipsa minime prospiciatur, quum nihil referat, plura an pauciora, quae pluribus, an quae uno anno, gesta fuerant, narrando inserantur inter illam notam, siquidem ea diem designaret, quo Christus obiit, interque huius obitus historiam, hac ipsa tamen de caussa, quod, inquam, nulla ratio foret contrahendi intra unius anni spatium ea, quae Lucas narrat, quum nihilominus Sanclementius hoc ipsum egerit, nihil aliud restat credere, quam eum velut tentasse, si illi rei hoc pacto prospiceret. Quid vero, quod negat eam notam ad Christi baptismum pertinere posse, quia orationis contextus id minime patitur [4])? Id equidem et ipse accipio, non ut qui in dubium revocare velim eodem anno Ioannem legatione fungi coepisse Christumque baptismo tinctum esse, sed quatenus verba *Anno autem quintodecimo et cetera*, non cum baptismi huius narratione, sed cum illius legationis, uno ac perpetuo orationis contextu coniuncta sunt. At puncto adhibito, quod Sanclementius excogitavit, num orationis contextus, de hoc enim uno nunc loquimur, magis fortasse patiatur eam notam ad remotiora referri quam ad proximiora, ad Christi, inquam, cruciatus atque obitum, qui extremo libro narrantur, quam ad baptismum, qui paullo infra? Sed, age, ipsa Lucae verba sic, ut sunt a Sanclementio interpuncta, consideremus. Dic, sodes, quid eorum initio agat illud *δὲ autem*? Nimirum ut ea copulet cum superioribus. Sed num cum superioribus haec copulanda, quae nullam sententiam efficiunt, carent enim verbo, nec sunt nisi quidam veluti titulus illorum, quae longe procul hinc posita in fine libri leguntur? Contra ea vero cur nulla coniunctione copulantur cum superioribus ea, quae Lucas continuo dicere incipit de Ioanne Baptista? quae tamen copulanda omnino fuissent, ut Lucas semper facere solet, quandoquidem ille titulus secundum Sanclementii sententiam pars narrationis non est, sed quid παρένθετον atque extra locum, proinde historiae seriem interrumpere aut turbare minime putandus est. Si dixeris, ea, quae de Ioanne narrantur, superioribus non iungi, quia altera historiae totius pars inde initium capit, fatearis quoque necesse erit, hac eadem ipsa de caussa multo minus iungi superioribus debuisse verba *Anno autem quintodecimo et cetera*, quod tamen secus factum est.

---

[1]) L. c. p. 504. [2]) Luc. III, 23. [3]) L. c. p. 503. [4]) L. c. p. 519.

CAPUT III

Conclusio

22 Quae quum ita sint, licet tandem quaestionis huius vela contrahamus. Ratio potissima, quae Sanclementium impulit in eam opinionem, cuius modo momenta omnia examinavimus, non alia fuit, quam quod inextricabilia putaret esse argumenta, quae contra opinionem alteram superius a nobis expositam possunt adferri. Verum, quum, quantum arbitror, argumenta haec prorsus dissolverimus, itemque ea, quibus ille sententiam suam nobis probare studuit, securi concludimus, annum imperii Tiberii a Luca commemoratum quintumdecimum esse, ex quo Tiberius in Iudaeam, aeque ac in ceteras provincias, parem cum Augusto potestatem adeptus fuerat, notamque esse temporis, quo Ioannes Baptista ad suum munus fungendum adgressus est, Iudaeis autem incepisse die neomeniae tisri, qui dies fuit III aut prid. id. septembr. an. U. C. DCCLXXVIII. Hanc ipsam sententiam, etsi fortasse nec opinans, Chrysostomus sequutus est [1]).

DISSERTATIO XL

De Pontio Pilato, eiusque actis, et procuratione

1 Altera nota, qua Lucas designavit exordia muneris gesti a Ioanne Baptista, est Pontii Pilati procuratio Iudaeae. Quum enim Augustus postremis mensibus an. U. C. DCCLIX, aer. vulg. VI [2]), pulso in exsilium Archelao, Herodis Magni filio, ethnarcha Iudaeae, regionem hanc Syriae provinciae adiecisset [3]), ei procuratores suos praefecit [4]), quorum quintus fuit Pontius Pilatus [5]). Si ea, quae de hoc homine scripta sunt, sive vera sive falsa, discere lubet, Wolfius [6]) tibi suggeret, quos legas; qua autem ratione munus suum is gesserit, disces ex Philone [7]) et ex Iosepho [8]). Sententiae in Christum ab eo latae meminere Iosephus et Tacitus. Apud illum haec legimus: *Eo etiam tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est, . . . quem eum Pilatus ab hominum nostrorum primis delatum crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant* [9]). Apud alterum haec: *Vulgus Christianos adpellabat. Auctor nominis eius Christus, Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat* [10]). Narrat autem Eusebius, eum carnificis vice in se ipsum functum violentas sibi manus intulisse anno tertio imperii C. Caligulae [11]), aut anno primo secundum exemplar armeniacum Chronici Eusebii.

2 Quae circumferuntur *Acta Pilati* alia atque alia, quorum de numero liber quoque est, cui titulus *Evangelium Nicodemi*, nemo non novit ea esse male feriatorum hominum figmentum. Lege libros primum et nonum Historiae ecclesiasticae Eusebii cum adnotationibus Henrici Valesii [12]). Ceterum, sententiam a Pilato in Christum latam literis exceptam fuisse relatamque in acta provinciae, dubitare non est. Non modo enim patres vetustissimi Iustinus [13]) et Tertullianus [14]) acta Pilati adlegarunt, idque ita, ut qui illa germana ac sincera existimarent, sed fuit hoc in more positum, ut sententiae, quae in caussa capitis ferebantur, non secus ac quae in ceteris, mandarentur scriptis [15]), inque acta referrentur [16]). Ceterum, quae a maioribus scripta sunt de *Actis Pilati*, ea collegit Albertus Fabricius multisque adnotationibus illustravit [17]); cuius huc de re curis suas quoque Thilo dudum adiecit [18]).

3 Sed, quod maxime nostra refert in praesenti, illud est, ut definiamus, quo tempore Pilatus Iudaeae praeesse coeperit, quo certius constet de illis, quae in superiore de *anno quintodecimo imperii Tiberii* quaestione disputavimus.

---

[1]) Diss. XIX. n. 93. [2]) Diss. XXXV. nn. 38—40. [3]) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 12. § 5; Bell. L. II. c. 8. § 1. [4]) *Id.* Antiq. L. XVIII. c. 1. § 1; Bell. ib. [5]) *Id.* Antiq. ib. c. 2. § 2. [6]) Cur. critic. in Matth. XXVII, 2. [7]) De legat. ad. Caium pp. 1033. 1034. Francofurti 1691. [8]) Antiq. L. XVIII. c. 3. §§ 1—3; c. 4. § 2; Bell. L. II. c. 9. §§ 2—4. [9]) Antiq. l. c. c. 3. § 3. [10]) Annal. L. XV. § 44. [11]) H. E. L. II. c. 7; Chronic. an. 2055. [12]) H. E. L. I. c. 9; L. IX. c. 5. [13]) Apolog. I. §§ 35. 48. [14]) Apologet. c. 21. Lege etiam c. 5 et adnotation. *Readingii* in *Euseb.* H. E. ll. cc. et L. II. c. 2. [15]) Lege *Ammian.* L. XXII. c. 3 cum adnotat. *Valesii*; *Gothofred.* in Cod. Theodos. ll. 4. 5 de custod. reor.; ll. 1. 2. de sententiis ex periculo recitat. [16]) Lege *Apulei.* Floridor. § 8 al. L. I. sub. fin. [17]) Cod. apocryph. Nov. Test. T. I. pp. 214—301; T. III. pp. 455—485. [18]) Cod. apocr. N. T. T. I.

4 Legimus apud Iosephum a Vitellio propraetore Syriae Pilatum Romam iussum proficisci, *quum decem annos in Iudaea degisset* [1]). Idem ipse Iosephus et Tacitus indicia dant, quibus consulibus id contigerit; quod ubi certo innotuerit, et illud constabit, quod nobis nunc in quaestione est. Nam Vitellius in Syriam propraetore legatus est C. Cestio Gallo M. Servilio Noniano coss., an. U. C. DCCLXXXVIII, aer. vulg. XXXV [2]), idque ea comprobabunt, quae mox dicemus; non ergo ante hunc annum e Iudaea Pilatus discesserat. Sed neque serius. Post huius enim discessum narrat Iosephus, ut Vitellius venerit Hierosolymam, quum sollemne paschatis ageretur [3]); hoc autem pascha aio non aliud esse, quam quod incidit in ipsum illum annum U. C. DCCLXXXVIII. Etenim Vitellius Antiochiam regressus [4]) inde profectus est ad bellum inferendum Artabano regi Parthorum [5]), quod bellum aestate coeptum [6]) quum altera aestate confecisset [7]), in Syriam remeavit [8]). Post id tempus, quum iussu Tiberii exercitum duceret contra Aretam regem Arabum [9]), digressus via *ascendit Hierosolyma Deo in festo Iudaeis patrio, quod instabat, sacrificaturus. . . . Illic vero quarto, postquam venerat, die . . . literas, quae Tiberii obitum significarent*, accepit [10]). Quare, quum Tiberio supremus dies fuerit XVII kal. april. an. U. C. DCCXC, aer. vulg. XXXVII, Vitellius vero ad Syriam adpulerit an. U. C. DCCLXXXVIII, liquet aestates illas duas, quibus vivo adhuc Tiberio bellum contra Artabanum inceptum confectumque est, esse alteram an. U. C. DCCLXXXVIII, alteram DCCLXXXIX. Vivo, inquam, Tiberio; huius namque rei testem citare possumus, non modo Iosephum, sicut vidimus, et Dionem [11]), sed etiam Tacitum. Etenim is scripsit, Vitellium bello absoluto profugoque Artabano, quum, sicut Tiberius mandaverat [12]), Tiridates Artabani regno iam esset potitus, cum legionibus in Syriam remeasse [13]), nosque continuo commonefacit a se coniunctim ea relata esse, quae duabus aestatibus gesta fuerant [14]), quarum primam esse aestatem an. U. C. DCCLXXXVIII patet hoc ipso, quod haec narret, ubi praescripserat consules huius anni, mox temporum ordinem repetens consules nominat, qui anno insequente DCCLXXXIX fuerunt, Q. Plautium Sex. Papinium [15]), denique post commemoratas illustrium quorumdam virorum neces his consulibus patratas, ea refert, quae *per* IDEM *tempus* Tiridati novo regi Parthorum primo fausta tum adversa evenere [16]). Tiridates igitur hoc anno DCCLXXXIX regnabat, proinde alteram illam huius eiusdem anni aestatem esse iam dubitare non est. Porro haec confirmare est eo, quod Tiridates regnum eodem illo ipso anno, quo ceperat, amiserit, hic autem annus fuit ante illum, quo Tiberius vita decessit. Dio enim haec loquitur: *Neque tamen diu Teridates regnum tenuit; etenim Scytharum auxilio eum Artabanus regno expulit* [17]); Tacitus vero, postquam eadem haec fusius exposuit, sic pergit: IDEM *annus gravi igne urbem adficit. . . . Neque . . . multo post supremi Tiberio consules Cn. Acerronius C. Pontius magistratum occepere* [18]). Postremo autem hoc argumento illud effugium praeclusum est, ne forte Tacitus ea, quae serius gesta sunt, narrando praeverterit; quod tamen annalium scriptores committere non solent, aut, si quando quid tale committant, lectores de eo commonere minime omittunt, ut ab ipso Tacito factum modo advertimus.

5 Quae quum ita sint, illud pascha, quo, post dimissum ex Iudaea Pilatum et ante bellum contra Artabanum susceptum, Vitellius Hierosolymae fuit, dicendum est incidisse in an. U. C. DCCLXXXVIII, aer. vulg. XXXV, ideoque Pilatus hoc ipso anno ante illud pascha ex Iudaea profectus, *quum decem annos* in ea *degisset*, potuit utique illius regionis procurationem coepisse verno tempore an. U. C. DCCLXXVIII, aer. vulg. XXV, ita ut ipse iam Iudaeae praeesset, quum Ioannes docere coepit, Ioannes vero id coeperit aliquot mensibus ante Christi baptismum, porro autem Christus ad baptismum venerit ante postremos dies eiusdem anni, anno primo et tricesimo aetatis nondum expleto.

6 Sanclementius, ut vincat Pilatum in Iudaeam advenire non potuisse ante aestatem anni U. C. DCCLXXIX, ideoque annum quintum decimum imperii Tiberii [19]), quo, sicut Lucas ait, Pilatus Iudaeam iam procurabat, initio ducto ab obitu Augusti esse numerandum, contendit Vitellium non adpulisse ad Syriam nisi sub exitum anni U. C. DCCLXXXVIII aut initio DCCLXXXIX [20]). Qui autem id defendat, negat ea, quae de bello gesto contra Artabanum narrat Iosephus, contigisse sub Tiberio, sed sub Caligula, opponens Iosepho Suetonium et Dionem; pascha autem, quo Vitellium primo Hierosolymam venisse legimus apud Iosephum, ait incidisse in annum DCCLXXXIX, imo verius DCCXC. Equidem vix oculis meis credebam, quum deprehenderem virum talem tam multi-

---

[1]) Antiq. L. XVIII. c. 4. § 2. [2]) *Tacit.* Annal. L. VI. §§ 31. 32. [3]) L. c. § 3. [4]) Ib. [5]) Id. §§ 4. 5. [6]) *Tacit.* L. c. §§ 33. [7]) Ib. § 38. [8]) Ib. § 39; *Ioseph.* l. c. § 5. [9]) *Ioseph.* l. c. c. 5. § 1. [10]) Ib. § 3. [11]) Histor. L. LVIII. p. 637. Hanoviae 1606. [12]) *Tacit.* l. c. § 32. [13]) Ib. § 37. [14]) Ib. § 38. [15]) Ib. § 40. [16]) Ib. §§ 41 – 44. [17]) L. c. [18]) L. c. § 45. [19]) Diss. XXXIX. n. 12. [20]) De aer. vulg. emendat. De anno dominicae pass. pp. 522. 523. 524.

plici errore captum tantaque oblivione eorum, quae procul dubio legerat in Tacito, nosque in hanc paginam retulimus.

7 Neque enim Suetonii aut Dionis historiae historiis Iosephi adversantur; quippe alia ea sunt, quae hic scripsit, alia, quae ex illorum libris [1]) exscripsit Sanclementius, illa sub Tiberio, haec sub Caligula, gesta fuerant a Vitellio. Priora, non modo Iosephus, sed etiam Tacitus (4), imo hic pleuius illo, literis mandarunt, atque adeo ipse etiam Dio perstrinxit [2]); de posterioribus silet Iosephus, nec quidquam superest in Taciti Annalibus. Iosephus vero id unum peccavit, quod uni Artabano tribuerit, quae partim huic, partim Tiridati, erant tribuenda. Ceterum, quantumvis errore veri deceptus fuerit Iosephus, non hoc hilum proficiet Sanclementius contra Taciti testimonium, quo manifestum fit Vitellium ante festum diem paschatis an. U. C. DCCLXXXVIII provinciam Syriam iam coepisse administrare.

8 Hoc eodem testimonio iam evicimus hoc pascha fuisse, quo Vitellius primo Hierosolymam venit. Mirari enimvero est, ut Sanclementius tam fidenter pronuntiet illud incidisse in an. U. C. DCCLXXXIX, quo tamen anno Vitellius a Syria abfuit usque ad aestatem bello contra Artabanum distentus, aut verius in an. DCCXC, quo anno nuntium de obitu Tiberii accepit Vitellius, utique quum diem festum ageret Hierosolymae (4), non tamen primo, sed iterum. Profecto intelligere nequeo, qui illud fugerit Sanclementium, in Iosephi narratione duo haec sollemuia, quae utraque Vitellius Hierosolymae egit, adeo aperte alterum ab altero distingui ac separari, ut in medium tempus duo bella duce Vitellio incidisse dicantur, alterum inceptum confectumque contra Artabanum, alterum instructum ac motum in Aretam.

9 Neo pondus multo gravius inest alteri argumento, quod Sanclementius urget [3]). Sic autem est. Tiberius, postquam Augusto successerat, in locum Annii Rufi procuratorem Iudaeae suffecit Valerium Gratum [4]), qui, prout verba Iosephi interpretatur Sanclementius, undecim annis integris plenisque eo munere functus est; quare quum Iudaeam adtingere non potuerit ante extremum annum U. C. DCCLXVII, aut potius non ante inceptum DCCLXVIII, nec inde discessisse ante ver an. DCCLXXIX dicendus est. Successorem habuit Pilatum, ut patet, non ante aestatem illius eiusdem anni. Hic autem, quum decem annos integros ac plenos degerit in Iudaea, certe non prius inde abscessisse dicetur, quam sub autumnum anni DCCLXXXIX. Haec Sanclementius.

10 Sed pervides, quantum arbitror, virum eruditissimum nimis commode rem suam gessisse, ampliores que omnino temporum rationes subduxisse, quam opus foret, etiamsi daremus plenos atque integros fuisse annos, quibus Gratus et Pilatus in Iudaea commorati sunt. Cur enim non brevi omnino post coeptum imperium Tiberius Valerium Gratum in Iudaeam misisse dicatur, id est, ipso autumno anni DCCLXVII, quum adhuc tempestas illi itineri maxime omnium opportuna erat, praesertim quum ille post Augusti decessum *principatum*, sicut Suetonius narrat, *neque occupare confestim neque agere dubitasset*, sed solum recusaret *impudentissimo mimo* [5]); quae Tacitus testimonio suo confirmat [6]). Advenerit itaque Gratus in Iudaeam illo autumno; iam annus undecimus integer exiisse dicetur in autumnum anni DCCLXXVIII. Nec est, cur putemus Pilatum illuc non pervenisse nisi post Grati discessum, imo longe probabilius est ante, quam is discederet, advenisse, qui ei sufficiendus erat, proinde, ut decem annos integros ac plenos Pilatus illic degisse dicatur, satis foret, quod inde discesserit intra autumnum anni U. C. DCCLXXXVIII, ut necesse non sit id factum contendamus sub autumnum anni insequentis.

11 Sed nec illud ullo pacto Sanclementius evincet, annos, quibus hi duo res Caesaris in ea regione procurarunt, integros plenosque habendos esse. Nonne enim idem ipse Iosephus ait mortuum Herodem Magnum *cum regnasset, post interfectum Antigonum, annos triginta quatuor, postquam autem a Romanis rex creatus fuerat, annos triginta septem* [7])? tametsi annum hunc sive tricesimumquartum sive trigesimumseptimum Herodis vix inceperit [8]), quod ipse Sanclementius, neo sine optima ratione, contendit, ubi hoc Iosephi testimonio, quodam veluti fundamento posito, superstruxit totam compagem suorum argumentorum, quibus defenderet Christum ortum an. U. C. DCCXLVII a palilibus incepto [9]). Pone ergo Gratum in Iudaeam venisse autumno an. DCCLXVII, indeque abscedentem vere aut etiam aestate anni DCCLXXVIII reliquisse illic successorem Pilatum, huncque ex ea regione dimissum fuisse a Vitellio ante diem festum paschatis an. DCCLXXXVIII, iam omnia narrata

---

[1]) *Sueton.* Vitell. § 2; *Dio.* Histor. L. LIX. p. 661. [2]) Hist. L. LVIII. p. 637. [3]) L. c. pp. 521. 522. [4]) *Ioseph.* Antiq. L. XVIII. c. 2. § 2. [5]) Tiber. § 24. [6]) Annal. L. I. §§ 5. 7. [7]) Antiq. L. XVII. c. 8. § 1. [8]) Lege Diss. XXXV. n. 37. [9]) Op. cit. L. III. et L. IV. c. 7.

a Iosepho constabant, nec quidquam impediet, quominus dicamus Iudaeae procurationem susceptam a Pilato non serius illo anno, qui Iudaeis quartusdecimus erat, ex quo Tiberio suprema potestas provinciarum tradita fuerat [1]).

12 Illud procul dubio longe gravius est, non tamen inextricabile, quod Sanclementius adtulit depromptum ex Iosephi narratione de Pilati discessu, quae sic est: ***Pilatus decem annis in Iudaeae provincia exactis Romam properabat, Vitellii mandatis, quibus nihil contradicere audebat, obsequutus. At, priusquam Romam appelleret, decessit Tiberius*** [2]). Quum enim Tiberius obierit XVI kal. april. an. U. C. DCCXC, vix credibile est Pilatum, qui, tametsi Romam properaret, non tamen pervenit ante illum diem, vix credibile, inquam, est non serius quoque ex Iudaea profectum fuisse, quam Sanclementius dicit, nedum veri cuiquam simile fiat duobus annis, non minus, illud iter ab eo confectum, quod tamen ex iis, quae ipsi proposuimus, consequeretur.

13 Equidem fatear oportet gravissimum hoc esse omnium argumentorum, imo unicum, quo quis impugnare ea posset, quae de primo anno procurationis Pilati hactenus disseruimus, proinde illa quoque, quae de anno quintodecimo imperii Tiberii in superiore quaestione. Verum quum haec ipsa, quae proposuimus, plane manifesta sint, exque his necessario efficiatur diem festum paschatis, ante quem Pilatus discessit, incidisse in annum U. C. DCCLXXXVIII, non simile dumtaxat veri, sed plane exploratum esse, si Iosepho credimus, dicendum est, biennio ante obitum Tiberii ex Iudaea illum abscessisse. Neque est in verbis Iosephi, quod nos cogat credere properasse Pilatum coeptum iter conficere, sed solummodo itineri se dare; hoc, inquam, non illud, necessario colligitur ex huius properationis caussa, quam Iosephus subiecit his verbis: ***Vitellii mandatis, quibus nihil contradicere audebat, obsequutus***, quorum postrema graece sunt οὐκ ὂν ἀντειπεῖν, sicque rectius vertenda: ***quum non liceret renuere.*** Quod autem duorum annorum spatium itineri impenderit, id vel casu aliquo fieri potuit, vel etiam consulto, sequestra nimirum Tiberii socordia desidiaque, qui postremis principatus annis reipublicae curam fere omnem abiecerat [3]).

14 Ne quid tamen videar velle dissimulare, aio, illud mihi opponi posse, ut Iosephus Pilati discessum, quod plerique omnes historici interdum solent, προληπτικῶς narraverit; quo posito nihil obstaret, quominus Pilatus dicatur pulsus a Vitellio anno U. C. DCCLXXXIX post confectum bellum contra Artabanum. Enimvero, ut id, si sola Iosephi verba adtendamus, probare nemo poterit, ita neque nos possumus refellere. Hac tamen via ad id tandem aliquando ventum est, ut tota haec controversia de primo anno procurationis Pilati ideoque et de quintodecimo imperii Tiberii, et quidquid ea habet difficultatis, simpliciter ac presse iam proponi queat. Quaeritur enim, utrum praestet, πρόληψιν hanc a Iosepho admissam ponere, quo defendere queas Lucae verba, invita syntaxi aliisque rationibus repugnantibus [4]), eo modo esse interpungenda, quo vult Sanclementius, idque, ut simul, nihil pensi habitis non paucis nec levibus argumentis, quibus tum opinio haec refellitur [5]), tum nostra suadetur [6]), vincas annum illum imperii Tiberii, quem Lucas commemorat, esse quintumdecimum ab obitu Augusti eumque, quo Christus cruci fixus est, an potius accipere annum hunc esse quintumdecimum, ex quo Tiberius parem cum Augusto potestatem provinciarum acceperat, apud Iosephum vero nullam haberi πρόληψιν, sed observari ordinem rerum ac temporum, quantumvis mirum alicui fortasse videatur Pilatum itineri ad Urbem biennium impendisse. Aio itaque primum utrumque fieri posse, ut et πρόληψις sit in narratione Iosephi, et nihilo secius annus quintusdecimus imperii Tiberii, de quo agitur, ille sit, quem diximus. Hic annus apud Iudaeos initium habuit die neomeniae mensis tisri an. U. C. DCCLXXVIII [7]), qui dies eo anno esse debuit a. d. III id. septembr. aut postridie; in eiusdem mensis diem V vel IV id. incidere debuit neomenia mensis tisri an. U. C. DCCLXXXIX. Venerit Pilatus an. U. C. DCCLXXVIII mense tisri iam incepto, discesserit an. U. C. DCCLXXXIX mense tisri nondum incepto, undecim annos minime explevisset in Iudaeae procuratione; bino decem illi anni, quot, non plures, Iosephus numeravit. Tum equidem sancte profiteor vix ullam mihi difficultatem creari eo biennio, ipsamque Lucae narrationem argumento esse, quo nullam πρόληψιν videam in narratione Iosephi; attamen, etsi biennium istud inextricabiles, quod eam πρόληψιν non acciperem, difficultates mihi necteret, malle me potius mendum suspicari in numero annorum, quibus Iosephus Pilatum Iudaeae procurationem gessisse narrat, nec nisi hoc pacto πρόληψιν accipere, aut etiam ipsum Iosephum errore veri scripsisse Tiberium vita functum, antequam Pilatus in Urbem perveniret, nam et Sanclementius subinde Iosepho fidem abrogandam esse docet

[1]) Lege Diss. XXXIX. [2]) Antiq. L. XVIII. c. 4. § 2. [3]) *Sueton.* Tib. § 41; *Ioseph.* Antiq. L. XVIII. c. 6. § 5. [4]) Diss. XXXIX. n. 21. [5]) Ib. nn. 13—20. [6]) Ib. 2—12. [7]) Ib. n. 5.

quod ad illa, quae iudaica non sunt, ipseque abrogat (6) quod ad historiam rerum a Vitellio contra Artabanum gestarum, ut probet nec Vitellium ad Syriam adpellere nec Pilatum inde discedere potuisse ante extremum annum U. C. DCCLXXXVIII aut inceptum insequentem [1]), profiteor ergo malle me haec de Iosephi historia suspicari, quam ad id adigi, ut, dum Lucae sententiam ad annum emortualem Christi adcommodare aduitor, eam depravem, ac veluti distorqueam interpunctione illa, quam Sanclementius excogitavit.

DISSERTATIO XLI

De tribus tetrarchis deque duobus principibus sacerdotum, quos Lucas commemoravit

1 Nunc de ceteris notis a Luca adhibitis ad tempus designandum, quo ea evenere, quae narraturus est. Sunt autem hae notae *τετραρχια* Herodis, Philippi, et Lysaniae, item principatus *ἱερατικος* Annae et Caiphae. Quaestio haec erit de personis, altera secundum hanc de regionibus, quas Lucas nominat.

2 Herodes Magnus decem uxoribus ductis [2]) ex septem earum quindecim liberos susceperat, decem mares et quinque feminas [3]). Eius posteritas intra centum annorum spatium adeo excreverat, ut ex ea, quorum in historiis Iosephi mentio habetur, supra quinquaginta nominentur [4]). De hac vero scripsit Iosephus, ut argumento ea fuerit, *quod nihil prosit numerosa soboles, neque ulla potentia, quae in hominibus dominatur, absque pietate erga Deum; siquidem intra centum annos contigerit, ut Herodis posteri, qui sane permulti erant, fere omnes interierint. Accedit, quod humano generi documento sit eorum perspectam habere infelicitatem* [5]). E decem Herodis liberis quinque sunt, quorum evangelistae meminere. Horum unus Antipater est natu maximus ipsins patris iussu interfectus, cuius, implicite tamen, mentionem Matthaeus fecit [6]). Quatuor reliqui, quos patri superstites fuisse constat, et quorum nomina expressa leguntur in evangeliis, sunt Archelaus ethnarcha Iudaeae et Samariae [7]), Herodes Philippus, cuius uxorem Herodiadem Antipas frater rapuit [8]), alter Philippus tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis [9]), atque Herodes Antipas tetrarcha Galilaeae [10]) fratrum omnium minimus. Alibi de Antipatro [11]) deque Archelao [12]) loquuti sumus. Restat loqui de tetrarchis Philippo et Herode Antipa, quos Lucas in hoc loco nominat, simulque occasio dabitur dicendi aliqua de Herode Philippo.

3 Philippus, matre Cleopatra Hierosolymitide [13]), cum fratribus Archelao et Antipa Romae educatus [14]), vir quietus mitique ingenio [15]), quum heres in parte regni, adpellatione tetrarchae, a patre scriptus fuisset testamento [16]), quod Augustus mox ratum habuit [17]), Paneadem ad Iordanis fontem sitam denuo exstruxit, et Caesaream vocavit [18]), quae in evangeliis [19]) Caesarea Philippi, non secus ac apud Iosephum [20]), nomen habet, *vicum etiam Bethsaidam lacui genesaritico adsitum*, sed alium eo, quae patria erat apostolorum Petri, Andreae, et Philippi [21]), *cum ad dignitatem urbis perduxisset, multisque habitatoribus et caetera opulentia auxisset, nomen ei dedit ab Iulia Caesaris filia* Iuliadem [22]), inque hac urbe, quum tetrarchiam suam rexisset annis trigintaseptem, diem vixit supremum, anno principatus Tiberii, haudquaquam vicesimosecundo, ut quidam, veterem latinum Iosephi interpretem sequuti praveque tempora computantes, imperite rescribere iubent in huius Antiquitatibus, sed vicesimo [23]), hoc est, anno uer. vulg. XXXIII aut XXXIV.

4 A vero errant magnopere, qui putant tetrarcham Philippum eumdem esse ac Philippum illum alterum, cui frater Herodes Antipas tetrarcha Galilaeae Herodiadem uxorem surripuit [24]). Nam ille

[1]) Op. cit. De anno Domin. pass. p. 524. [2]) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 1. § 3; Bell. L. I. c. 28. § 4. [3]) Ib. et Antiq. L. XIV. c. 12. § 1; Bell. L. I. c. 22. § 2. [4]) *Noldii* Histor. Idumaeae; *Relandi* Palaestina L. I. c. 30. [5]) Antiq. L. XVIII. c. 5. § 3. [6]) Matth. II, 20. Lege Diss. XXXIII. n. 8. [7]) Matth. II, 22. [8]) Matth. XIV. 3 graec.; Marc. VI, 17. [9]) Matth. XVI, 13; Marc. VIII, 27; Luc. 3, 1. [10]) Matth. XIV, 1. etc.; Marc. VI, 14. etc.; Luc. III, 1. etc. [11]) Diss. XXXIII. nn. 8 seqq. [12]) Diss. XXXV. nn. 38—40; Diss. XXXVI. nn. 3—8. 13. [13]) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 1. § 3; Bell. L. I. c. 28. § 4. [14]) *Id.* Antiq. ib. et c. 4. § 3; Bell. L. I. c. 31. § 1. [15]) *Id.* Antiq. L. XVIII. c. 4. § 6. [16]) *Id.* ib. L. XVII. c. 8. § 1; Bell. ib. c. 33. § 7. [17]) *Id.* Antiq. ib. c. 11. § 4; Bell. L. II. c. 6. § 3. [18]) *Id.* Antiq. L. XVIII. c. 2. § 1; Bell. ib. c. 9. § 1. Lege *Relandi* Palaestin. L. III. [19]) Matth. XVI, 13; Marc. VIII, 27. [20]) Antiq. L. XX. c. 9. § 4; Bell. L. III. c. 9. § 7; L. VII. c. 2. § 1; Vit. § 12. [21]) Io. I. 44. *Relandi* l. c. [22]) *Ioseph.* Antiq. et Bell. ib. [23]) *Id.* Antiq. ib. c. 4. § 6 et adnotat. ed. *Havercamp.* [24]) Matth. XIV, 3. 4 graec.; Marc. VI, 17.

alter Philippus, quem Iosephus Herodem vocat [1]), matrem aliam habuit, Mariamnem Simonis Pontificis filiam [2]). Hic idem ipse uxorem duxit Herodiadem [3]) Aristobuli fratris filiam [4]) ipsoram autem filiam Salomen [5]) duxit Philippus tetrarcha [6]), qui siue prole decessit [7]). Quod autem in evangeliis Herodes Philippus, non Herodes, sed Philippus nominetur, a Iosepho autem, numquam Philippus, sed Herodes, nemo id mirabitur, qui animadverterit a Dione Cassio non alio nomine quam Herodem vocari [8]) eum, cui Matthaeus [9]) et Iosephus nomen aliud non faciunt quam Archelao, Galilaeae autem tetrarchae, quem Iosephus modo Antipam modo Herodem dicit, in evangeliis, numquam Antipae, sed solum Herodi nomen esse. Sed neque illud mirum alicui videbitur, duos Philippos fuisse inter filios Herodis Magni; nam et duo Antipatri fuere, Antipas enim idem nomen est ac Antipater [10]), et quatuor Herodes, Archelaus, inquam, qui, ut diximus, Herodes vocatur a Dione, Herodes Philippus, de quo agimus, Herodes eadem matre Cleopatra ac Philippus tetrarcha [11]), atque Herodes Antipas, de quo mox. Ceterum hunc Herodem Philippum pater secundum heredem in regno instituerat [12]); at non multo post tempore, quum eius matrem Mariamnem deprehendisset consciam insidiarum in ipsum structarum, *repudiavit eam Herodes, eiusque filium de testamento suo expunxit* [13]).

5 Herodes cognomento Antipas [14]) Herodis Magni filius natu minimus [15]), eadem atque Archelaus matre Malthace Samaritide [16]), cumque eo et Philippo (3) Romae institutus [17]), cui pater, mutato testamento atque Antipatro et Herode Philippo exheredatis (4), regnum prius legaverat [18]), postea vero supremis tabulis Galilaeae et Peraeae tetrarchiam scripsit [19]), quod mox Augusti auctoritate sancitum est [20]), hic, ergo ille Herodes est, cuius post Herodem patrem non infrequens mentio in evangeliis, quique Herodi Philippo fratri uxorem Herodiadem surripuit [21]), et Ioannem Baptistam interfecit [22]), et cui Pilatus eorum, de quibus Christus adcusabatur, cognitionem concessit. Hic idem in honorem Tiberii urbem Tiberiadem, cum primis claram et nobilem in evangeliis, ab inchoato exstruxit [23]); *item, quum Betharamphtha, ipsa enim urbs erat* in Peraea, *moenibus einxisset, Iuliadem ab uxore imperatoris eam appellavit* [24]). Postremo a C. Caligula exsilio mulctatus est, ut in alio loco [25]) narravimus, anno aer. vulg. XXXIX, ex quo autem tetrarchiam obtinuerat, XLIII. Eum Iosephus non alio nomine quam Antipam vocat, quum illa refert, quae ante susceptam ab eo tetrarchiam gesta sunt, exinde vero Herodem solammodo nominat [26]); quod unum nomen is habet etiam in evangeliis, in quibus, quae de eo scripta sunt, omnia ad illud tempus pertineat, quo iam diu tetrarchia potitus fuerat. Marcus eum regem dicit [27]), Lucas tetrarcham [28]); Matthaeus veluti litem componit utrumque eum et tetrarcham [29]) et regem [30]) adpellans.

6 Obscura plerisque videtur quaestio de Lysania tetrarcha Abilenes, cuias, inquiunt, apud unum Lucam mentio est, nulla vero apud Iosephum, nedum apud alios, nisi Lysaniae regis Chalcidis, hoc Lysania longe vetustioris; neque enim locus nunc esse potest Lysaniae, quem Polybius [31]) numerat inter Asiae dynastas, quo tempore vivebant adhuc Seleucus Callinicus rex Syriae et Antigonus rex Macedoniae, ante unn. U. C. DXXXII. Quinam ergo fuit alter iste Lysanias?

7 Henricus Valesius [32]) levi negotio, una, inquam, vocula transmutata, rem totam conficit, pro *και Λυσανιου της Ἀβιληνης et Lysania Abilinae* legens *και της Λυσανιου Ἀβιληνης et Abilinae Lysaniae*, ut sensus sit Philippum tetrarcham fuisse Ituraeae, Trachonitidis, et Abilenae, quam Lysanias habuerat. Quin imo nihil ea transmutatione opus est, quum codices supersint, qui, ulla dumtaxat interpunctione, omissoque illo postremo *τετραρχουντος tetrarcha*, quod, si Valesii coniectura obtineret, superfluum omnino fieret, ita habent: *Φιλιππου δε του ἀδελφου αὐτου τετραρχουντος της Ἰτουραιας και Τραχωνιτιδος, χωρας και Λυσανιου της Ἀβιληνης, ἐπι ἀρχιερεων κ. τ. λ. Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis, regionis etiam Lysaniae Abilenae, sub prin-*

[1]) Antiq. L. XVIII. c. 5. §§ 1. 4. [2]) Ib. L. XVII. c. 1. § 3; Bell. L. I. c. 28. § 4. [3]) *Ioseph.* Antiq. L. XVIII. c. 5. §§ 1. 4. [4]) Ib. L. XVII. c. 1. § 2; Bell. ib. § 2. [5]) Matth. XIV, 6; Marc. VI. 22. [6]) *Ioseph.* Antiq. L. XVIII. c. 5. § 4. [7]) Ib. et c. 4. § 6. [8]) Hist. L. LV. p. 567. Hanoviae 1606. [9]) Matth. II, 22. [10]) Lege. Diss. IV. c. III. no. 8; *Ioseph.* Antiq. L. XIV. c. 1. § 3. [11]) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 1. § 3; Bell. L. I. c. 28. § 4. [12]) *Id.* Antiq. ib. c. 3. § 2; Bell. ib. c. 29. § 2. [13]) *Id.* Antiq. ib. c. 4. § 2; Bell. ib. c. 30. § 7. [14]) *Id.* Bell. L. II. c. 9. § 1. [15]) *Id.* Antiq. ib. c. 6. § 1; Bell. L. I. c. 32. § 7. [16]) *Id.* Antiq. ib. c. 1. § 3; Bell. ib. c. 28. § 4. [17]) *Id.* Antiq. ib. [18]) *Id.* ib. c. 6. § 1; Bell. ib. c. 32. § 7. [19]) *Id.* Antiq. ib. c. 8. § 1; Bell. ib. c. 33. § 7. [20]) *Id.* Antiq. ib. c. 11. § 4; Bell. L. II. c. 6. § 3. [21]) *Id.* Antiq. L. XVIII. c. 5. § 1. [22]) *Ib.* § 2. [23]) *Id.* ib. L. XVIII. c. 2. § 3; Bell. L. II. c. 9. §. 1. [24]) *Id.* Antiq. ib. § 1; Conf. Bell. ib. [25]) Diss. XXXV. n. 44. [26]) Bell. L. II. c. 9. § 1. [27]) Marc. VI. 14. 26. [28]) Luc. III, 1. 19; IX, 7; Act. XIII, 1. [29]) Matth. XIV, 1. [30]) Ib. 9. [31]) Hist. L. IV. p. 430 coll. 428. [32]) Adnotat. *in Euseb.* H. E. L. I. c. 10.

cipibus et cetera [1]). Verum, praeterquam quod codices plerique potissimaque auctoritate atque omnes interpretes, qui Lucae evangelium in alias linguas transtulerunt, suadeant illos codices nihil pensi habere, adfirmare non dubito horum codicum interpunctionem ac Valesii coniecturam historiae veritati adversari, quum neque Philippus Abilenem unquam possederit, nec, qui a Luca nominatur, Lysanias ille vetustior sit, Ptolemaei filius, Mennaei nepos, rex Chalcidis, a M. Antonio interemptus, nec iunioris huius Lysaniae mentio apud Iosephum desideretur; quae omnia adeo certa mihi sunt atque explorata, ut nequeam non mirari dubitationem de his incidere viris eruditis potuisse.

8 Etenim integrum Herodis regnum, sicut ipse testamento caverat [2]), ita eius filiis Augustus dispertivit [3]). Philippo hac partitione obvenere Trachonitis, Auranitis, Batanaea, Gaulanitis, Paneas [4]); ast Abilene inter haec non numeratur. Sed neque insequente tempore Abilenem obtinuit Philippus; Iosephus quippe, non modo eam non nominat, ubi narrans obitum Philippi regiones enumerat, quas hic rexit [5]), sed, loquens in alio loco de Philippi iam vita functi tetrarchia, ab hac apertis verbis separat Abilam Lysaniae [6]). Quid vero, quod Abilene Herodis regno numquam adiecta fuerit? qua tamen de re in alio loco [7]).

9 Quod si Philippus Abilenem numquam obtinuit, necessario consequitur, non modo commentitiam esse Valesii coniecturam, sed insuper Lysaniam tetrarcham Abilenes a Luca nominatum, quam tetrarchiam suam regeret *anno quintodecimo imperii Tiberii*, illum esse non posse, qui sexaginta ferme ante annis a M. Antonio, ut legimus apud Iosephum [8]) et Dionem [9]), fuerat interemptus [10]).

10 Porro autem pro comperto esse contendimus hunc quoque Lysaniam tetrarcham Abilenes in historiis Iosephi commemorari. Grotius quidem [11]) aliique post hunc, ut id evincant, animadvertere iubent, ut Iosephus regiones, quas *Domum Lysaniae* vocaverat [12]), postquam eas a Zenodoro conductas fuisse narravit, non Lysaniae, sed Domum Zenodori vocet, idque ubi Herodis regnum huius filiis ab Augusto dispertitam narrat [13]), exinde vero tetrarchiae Lysaniae non semel meminerit (8), numquam vero *Domus Zenodori*; cur autem, inquiunt, nisi quia, quae olim Lysaniae ditio fuerat, tum Zenodori, eam postremo alius Lysanias obtinuerit? Quod argumentum vi aliqua minime destitueretur, si verum foret easdem esse regiones, quibus pro aliis dominis alia nomina fiunt apud Iosephum. Ast hoc oppido falsum, illam, cui apud hunc *Domus Zenodori* adpellatio est, eamdem esse atque illam, quam *Domum Lysaniae* is prius adpellaverat, idque inferius demonstrabimus [14]). Quare alia via incedendum nobis est, ut Lysaniam hunc iuniorem in libris Iosephi reperiamus.

11 Ad hunc finem inutile non erit adtendere, quod, ubi certum est de Lysania maiore mentionem haberi a Iosepho et Dione, qui soli de eo loquuntur, numquam tetrarcham eum nec eius ditionem tetrarchiam dici videmus; imo eum regem a M. Antonio iussum fuisse memoriae prodidit Dio [15]), et regem adpellat Iosephus [16]). Sed neque illud animadvertere omittas, ut neque Strabo [17]), neque Dio, Abilam nominent, ubi de regionibus loquuntur, quas Ptolemaeus huiusque filius Lysanias habuere, imo neque Iosephus, ubi de Ptolemaeo loquitur, deque Lysania hoc maiore eum loqui certo constat [18]). Quo posito illud utique consequitur necessario, qui contendunt Lysaniam tetrarcham Abilae, qui est in historiis Iosephi, alium non esse quam Lysaniam, Ptolemaei filium, Mennaei nepotem, nullum huius rei argumentum eis suppetere, nisi quod suggerit ὁμωνυμία aut summum regionum situs; quorum primum quid valeat, nemo nescit, alterum quam leve sit, probe intelligunt, qui norunt, quam multi illa aetate reges, reguli, ethnarchae tetrarchae, toparchae, illis terrarum tractibus Syriae provinciae finitimis particulatim per idem tempus imperitarent [19]). Attamen, etsi dedero Abilam ad prioris quoque Lysaniae ditionem pertinuisse, eumque etiam, si sic lubet, tetrarcham fuisse, priusquam ad regiam dignitatem eveheretur a M. Antonio, num haec impedirent, quominus posteriore aetate alius Lysanias tetrarcha Abilae esse quiverit?

12 Enimvero, quod rem sic se habere plane demonstrat, ostenditque hunc alterum Lysaniam notum fuisse Iosepho, loquens is de Lysaniae tetrarchia, ubi ea narrat, quae gesta sunt circiter octuaginta et nonaginta annis post interemptum Lysaniam Ptolemaei filium, ab huius ditione ipsam

1) *Griesbach.* N. T. Luc. III, 1. 2) *Joseph.* Antiq. L. XVII. c. 8. § 1. 3) *Id.* ib. c. 11. § 4; Bell. L. II. c. 6. § 3. 4) Diss. XLII. n. 4. 5) Ib. L. XVIII. c. 4. § 6. 6) Conf. Antiq. ib. c. 6. § 10 et Bell. L. II. c. 9. § 6 cum Antiq. L. XIX. c. 5. § 1 et Bell. ib. c. 11. § 5. Lege et Antiq. L. XX. c. 7. § 1; Bell. ib. c. 12. § 18. 7) Diss. XLII. n. 27. 8) Antiq. L. XV. c. 4. § 1. 9) Hist. L. LIII. p. 411. 10) Diss. XLII. n. 21. 11) In Luc. III, 1. 12) Antiq. L. XV. c. 10. § 1; Bell. L. I. c. 20. § 4. 13) Antiq. L. XVII. c. 11. § 4; Bell. ib. 14) Diss. XLII. nn. 21—22. 15) L. c. 16) Bell. L. I. c. 22. § 3. 17) Geograph. L. XVI. p. 753. 18) Diss. XLII. n. 21. 19) Lege *Joseph.* Antiq. L. XIII. c. 8. § 1; c. 12. § 2; c. 13. §§ 3. 5; c. 14. § 3; c. 16. § 3; L. XIV. c. 8. § 1; c. 12. § 1; etc.

tetrarchiam ita distinguit, ut necesse sit hanc aliam omnino ea fuisse aut solummodo aliquam eius partem. Iosephi hac de re testimonia in insequente quaestione adferemus [1]).

13 Itaque, Abilene fuerit, aut secus, pars ditionis possessae olim a Ptolemaeo eiusque filio Lysania, pro comperto tamen atque explorato habemus alium hoc Lysania Ptolemaei filio esse Lysaniam tetrarcham Abilae, cuius etiam pluries meminit Iosephus, hunc vero alterum illum ipsum esse, qui legitur in evangelio Lucae, nemo, qui sapiat, in dubium revocabit. Is autem putandus est Zenodoro vita functo aut insequente tempore ab Augusto aut a Tiberio tetrarchia Abilenorum donatus esse, ita ut adhuc eam regeret *anno quintodecimo imperii Tiberii*; ab ipso autem Abila Lysaniae nuncupationem invenisse dicenda est.

14 Quae de Anna et Caipha dicta iam sunt in alio loco [2]), ea in hoc omittimus. Quo tempore uterque pontificatu functus fuerit, legere est apud Iosephum. Etenim de Anna, quem Ananum nominat, haec scripsit: *Quirinus, postquam Archelai pecuniam addixit, et census finem imposuit, qui factus est anno trigesimo septimo post Caesaris actiacam victoriam Antonii*, hoc est, inter autumnum anni U. C. DCCLIX et autumnum anni insequentis [3]) *Ioazarum pontificem, cui cum plebe contentio fuerat, dignitate atque honore abdicavit, eiusque muneri Ananum Sethi filium praefecit.* A Tiberio *praetor in Iudaeam missus est Valerius Gratus, qui Ananum pontificatu privavit* [4]), non ante medium autumnum anni U. C. DCCLXVII [5]). De Caipha vero Iosephus haec narrat: *Valerius Gratus. . . . Ananum pontificatu privavit, et eum Ismaeli Phabi filio tribuit, atque hunc non multo post abdicavit, et id munus Eleazaro Anani pontificis filio commisit. Uno autem post anno sacerdotium huic ademptum Simoni Camithi filio tradidit. Cumque is dignitatem non ultra anni spatium tenuisset, Iosephus, cui etiam Caiphas nomen fuit, ei successit* [6]). Quare Caiphas munus capessere non potuit ante annum U. C. DCCLXX. *Vitellius autem in Iudaeam profectus, Hierosolyma ascendit*, quumque nonnulla fecisset, *ut a gente gratiam iniret, et Iosepho pontifici, cui etiam Caiphae nomen fuit, sacerdotium abrogasset, Ionatham Anani pontificis filium in eius locum substituit* [7]), quod factum est per dies festos paschatis anni U. C. DCCLXXXVIII [8]). Quorsum Annae mentio hoc in loco, et cur in plerisque codicibus graecis, non Caiphas, sed Annas dumtaxat ἀρχιερεὺς adpelletur, etsi *anno quintodecimo imperii Tiberii*, non Annas, sed Caiphas pontificatum gereret, iam diximus [9]).

DISSERTATIO XLII

De tetrarchiis a Luca commemoratis

1 Si quis obiter legat ea, quae Iosephus multis in locis scripsit de tetrarchiis deque regionibus, quas Lucas in hoc evangelii capite enumerat, facile accidet, ut credat Lucam et Iosephum inter se de his dissentire. Id tamen falso credi, maximi refert, ut evincamus; ad quod praestandum nos compellunt tum gratus animus, quo prosequi decet Iosephi nomen de historia rerum nostrarum, quae prima illa aetate gestae sunt, bene meriti, tum mala mens recentiorum quorumdam hominum, qui sibi ipsi plaudunt, quum occasionem nactos se esse arbitrantur, qua scriptores bibliorum et Iosephum pugnantium more committant. Itaque aliquantulum fusius quaestio haec, ad quam adgredimur, habenda erit.

2 Nomina τετράρχης et τετραρχία, quod utrumque latina civitate donatum est, originem a Thessalis et Gallograecis ducunt. Demosthenes haec narrat de Philippo [10]). *Sed Thessaliae quis status? Nonne et urbes et usitatas apud eos reipublicae formas ademit, et τετραδαρχίας constituit?* Apud Harpocrationem haec leguntur: *Philippus . . . apud Thessalos non constituit decadarchias, uti scriptum est in Philippica sexta Demosthenis, sed tetrarchias* [11]). Alio autem loco: *Tetrarchia. Demosthenes in Philippicis. Quum quatuor Thessaliae partes essent, unaquaeque earum τετρὰς vocabatur, auctore Hellanico in Thessalicis. . . . Sed et Aristoteles in communi Thessalorum republica sub Aleva Pyrrho in quadrantes divisam memorat. Quare Demosthenes dixit tetrarchiam. Quod vero Philippus cuique quadranti suum principem praefecerit, tum alii docuerunt, tum Theo-*

---

1) Diss. XLII. nn. 23. 24. 2) Diss. XXVIII. nn. 21. 25. 3) Diss. XXXV. n. 38. 4) Antiq. L. XVIII. c. 2. §§ 1. 2. 5) Diss. XL. n. 11. 6) Antiq. ib. 7) Antiq. L. XVIII. c. 4. § 3. 8) Diss. XL. nn. 4. 5. 9) Diss. XXVIII n. 21. 10) Philipp. III. p. 117. ed. *Reiske.* 11) Lexic. ad v. *Δεκαδαρχία.*

pompus libro XLIV [1]. Lege, quae de his Harpocrationis verbis scripsit Mazochius [2]. Strabo haec de Galatia literis consignavit: *Quum autem sint tres gentes eadem utentes lingua, . . . singulas earum quatuor in partes diviserunt, quarum unamquamque tetrarchiam vocarunt, quae proprium habebat tetrarcham* [3]. Subsequutis aetatibus nomina haec usurpari coeperunt etiam, ubi ditio non unius τετραδος finibus terminabatur, sed vel totam gentem continebat [4], vel quamlamcumque huius partem [5], atque postremo hoc modo tetrarchae adpellati fuerunt Herodes Antipas, Philippus, et Lysanias. Lege Mazochii dissertationem de tetrarchiae significatione [6] auctoresque, quos citat, et Hadriani Relandi opus, cui titulus est *Palaestina ex monumentis veteribus illustrata* [7].

3 De Iudaea iam in alia loco [8] diximus aliqua, aliaque alias dicemus [9], cetera vero, quae in universum de ea dici possent, item, quae de Herodis Antipae tetrarchia, non multum habent quaestionis, nec desunt, qui adcurate de his egerint [10]. Quare nobis dicendam superest de Philippi deque Lysaniae tetrarchiis, idque non obiter, sed adcuratius, quo ex disquisitione deinceps habenda certiores fiamus, numquae de his duabus tetrarchiis Iosephus scripserit, ut quidam autumant, illorum contraria, quae scripserat Lucas.

4 Philippi tetrarchia quatenus pateret, paucis Iosephus indicavit: *Gamalitica et Gaulanitis, et Batanaea, et Trachonitis, . . . partes sunt regni Agrippae*, olim tetrarchiae Philippi. *Ista autem regio, incipiens a monte Libano et Iordanis fontibus, usque ad lacum Tiberiadis latitudine panditur; longitudo vero eius a vico, cui nomen Arpha, usque ad Iuliadem protenditur* [11]. Arpha haec ignota; hoc unum ex dictis colligimus, eam in orientali plaga tetrarchiae sitam fuisse. Paneas et Auranitis, quas etiam possedit Philippus [12], hoc in loco Iosephus non nominat, sed priorem Gaulanitidis, posteriorem Trachonitidis namine comprehendit, ut adparet ex iis, quae de utraque dicemus (8. 15). Lucas unam solummodo harum regionum commemorat Trachonitidem, verum addit Ituraeam, quam Iosephus non nominat; sed hoc quoque demonstrabimus (13. 16), quod non ideo Lucas et Iosephus contraria loqui putandi sint. De harum regionum finibus discrepant sententiae, fuse autem lateque disputarunt Lightfootus [13], Cellarius, Relandus, Rosenmuellerus [14], aliique. Nos ea adferemus, quae certius ex historia colliguntur, praesertim vero ex adtenta lectione et comparatione librorum Iosephi, nec non ex scriptis eorum, qui per illas plagas iter fecerunt; ea enim pro comperto habemus satis superque esse, ex quibus illas fines, quantum satis est, ediscamus.

5 De Gaulanitide et Batanaea haec memoriae tradita reperimus. Quidquid terrarum trans Iordanem Israelitae bello cepere, prius in duo regna contribuebatur [15]. Horum unum, quod a septemtrionibus erat, regnum Basanis vocabatur, obvenitque dimidiae tribui Manassae [16]. Huic termini fuere ab ortu prope terminum aquilonarem (8. 10) Trachonitis, deinceps (14. 15) Auranitis, postremo Arabia [17], a meridie alterum regnum Amorrhaeorum, a quo ipsum maxima ex parte disterminabat torrens Iaboc [18], ab occasu Iordanes [19], quantus protenditur ab ipso fonte, qui est sub monte Hermone (8), ad extremitatem meridianam lacus Cenerethi, qui est *mare Tiberiadis* [20], ab aquilone denique Hermon [21]. Meridiana huius regni plaga pars erat Galaaditidis [22], reliqua regio in septemtriones porrecta Basan proprio nomine vocabatur, quae sequioribus aetatibus in Gaulanitidem et Batanaeam tributa est, tametsi alterutro dumtaxat nomine integram Basanitidem interdum nuncupatam videamus; sicut factum est a Iosepho, qui hanc totam nonnumquam Gaulanitidem [23], alias Batanaeam [24], dicit, atque regiones enumerans, quas post Herodem Philippus filius, Agrippa nepos, Agrippa pronepos, obtinaere, modo utramque nominat [25], modo unam Batanaeam [26], imo illam ipsam Basanitidis partem, quae Gaulanitis nomen habuit, Batanaeam semel vocavit [27].

---

1) Ib. ad v. *Τετραρχια*. 2) Spicileg. bibl. T. III. p. 159 Dissertat. I. ad Luc. III, 1. 3) Geograph. L. XII. pp. 566. 567. 4) *Cicer.* Or. pro Deiot. § 15; De divinat. L. I. § 15; *Hirt.* De bello alexandr. §§ 67. 78; *Strab.* l. c. 5) *Plin.* Hist. nat. L. V. §§ 18. 32; *Ioseph* Antiq. L. XVII. c. 8. § 1; L. XVIII. c. 2. § 1; c. 6. § 10; L. XX. c. 7. § 1; etc.; *Dio* Hist. L. LIV. p. 526. 6) L. c. 7) L. I. c. 30. 8) Diss. XXVII. c. VII. nn. 5—9. 9) Diss. XLIII. nn. 13 seqq. 10) Lege *Lightfoot.* Hor. hebr. et talm. Chorograph. de Matth. et Luc.; *Cellar.* Notit. urbis antiq. L. III. c. 13; *Relandi* op. cit.; *Rosenmuell.* Handb. der bibl. Alterthumsk. 11) Bell. L. III. c. 3. § 5. 12) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 8. § 1; c. 11. § 4; L. XVIII. c. 2. § 1; Bell. L. II. c. 6. § 3; c. 9. § 1. 13) Op. cit. Chorograph. de locis Luc. III. cap. 1. 14) Opp. citt. 15) Deut. III, 8; IV, 46—49; Ios. XII, 1—6. 16) Ios. XIII, 29—31; XVII, 1. 5. 17) *Ioseph.* Bell. L. III. c. 3. § 3; *Reland.* op. cit. L. I. c. 16. 18) Conf. Num. XXI, 24; Deut. II, 32—37; III, 13 coll. 16; Ios. XII, 4. 5 coll. 2; XIII, 29. 31 coll. 15—28; Iudic. XI, 13. 22; *Ioseph.* Antiq. L. IV. c. 5. §§ 2. 3. 19) Deut. III, 8; etc. 20) Conf. Deut. III, 17 et Ios. XII. 3 et XIII, 27. 21) Deut. III, 8; IV, 48; Ios. XII, 1. 22) Deut. III, 13 coll. 12; Ios. XII, 4. 5 coll. 2; XIII, 29—31 coll. 24—27. Conf. *Ioseph.* Antiq. L. IV. c. 5. § 3. 23) Antiq. L. IV. c. 5. § 3; L. VIII. c. 2. § 3. 24) Ib. L. IX. c. 8. § 1. 25) Antiq. L. XVII. c. 8. § 1; L. XVIII. c. 4. § 6; Bell. L. II. c. 12. § 8; L. III. c. 3 § 5. 26) Antiq. L. XVII. c. 11. § 4; L. XX. c. 7. § 1; Bell. L. II. c. 6. § 3. 27) Antiq. L. IV. c. 7. § 4.

6 Gaulanitidi nomen factum est ab urbe principe, quae Golan et Gaulon vocatur in bibliis graecis aeque ac latinis [1]); hinc nomen regionis alia forma Gaulonitis. Urbem hanc in Basanitide sitam scriptores sacri semper dixere, quoties eius meminerunt [2]). Eusebius et Hieronymus de ea haec scripsere: *Gaulon Γαυλὼν sive Golan Γωλαν in tribu Manasse, civitas sacerdotalis et fugitivorum in regione Basanitide. Sed et nunc* GAULON *vocatur villa praegrandis in Batanaea, ad cuius nomen et regio sortita vocabulum est* [3]); quae Hieronymi verba manifesto confirmant promiscuum fuisse usum nominum Gaulanitidis et Batanaeae (5). Iosephus, qui hebraicis nominibus graecam formam induere solet, Gaulanam eam adpellat, atque in uno loco urbem dicit esse (5) Batanaeae [4]), in alio Gaulanitidis [5]), nisi, quod verius est, Gaulana in hoc altero loco, non urbis, sed superioris Gaulanitidis (7) nomen est. Etiamnum Giavlan nomen retinet haec pars veteris Basanitidis [6]) una cum Batanaea.

7 Situm ac terminos Gaulanitidis proprie dictae, de hac enim nunc loquimur, ut, inquam, haec altera pars erat totius Basanitidis, non difficile est definire. Ea quippe a Galilaea separabatur, atque etiamnum separatur [7]), medio Iordane, qui Basanitidis plagam occidentalem terminabat, utque colligimus ex scriptis Iosephi [8]), postremis saltem aetatibus, protendebatur Gaulanitis a termino aquilonari totius Basanitidis, id est, ab Hermone (8), ad Gadaridem, quae erat aquilonaris regio Peraeae ab inferis lacus Tiberiadis orientem versus excurrens [9]). Gaulanitis alia superior erat, Gaulana proprie vocata, alia inferior, Gamalitica [10]). Gamaliticae nomen fecit *Gamala urbs ultra lacum* Tiberiadis *Tarichaeis obversa* [11]). Tarichaeae iacebant in ora occidentali lacus [12]), triginta stadiorum intervallo proxime Tiberiadem, non a meridie, ut Plinius scripsit [13]), sed a septemtrionibus. Etenim Vespasianus, Tiberiadem Tarichaeasque oppugnaturus, Scythopoli, quae CXX stadiis Tiberiade meridiem versus distabat [14]), profectus *ad trigesimum a Tiberiade stadium mansione, … cui nomen Sennabris, castra metatur* [15]); tum Tiberiade potitus [16]) atque *ab ea digressus inter ipsam et Tarichaeas castra metatur* [17]). Quod si Tarichaeae Tiberiadi a meridie adiacebant, cur illas Vespasianus Scythopoli veniens non ante hanc expugnavit? cur, qui Tiberiade aufugiebant illo adventante, Tarichaeas se proripiebant [18]), quo tamen hosti occurrissent? Extremitas meridiana lacus, ut colligimus ex comparatis diversarum urbium distantiis [19]), aberat Tiberiade stadiis XXX, ideoque Tarichaeis, sexaginta, hoc est, septem amplius millibus; quare quum *Gamala urbs ultra lacum Tarichaeis obversa* esset, necesse est finem australem Gamaliticae non amplius quam septem millibus ab illa eadem lacus extremitate abfuisse. Attamen duobus ut minimum aut tribus. Gamaliticae enim a meridie Gadaris, quae Galaaditidis pars erat [20]), adiacebat, eamque aeque ac Gamaliticam lacus ab occasu contingebat [21]), infra Gadaridem autem Hippene lacu adluebatur usque ad huius extremitatem [22]). Quod vero adtinet ad terminum Gaulanae et Gamaliticae, superioris videlicet et inferioris Gaulanitidis, is statutus esse nequivit infra ingressum Iordanis in lacum Tiberiadis; nam Iuliadem, olim Bethsaidam, aliam Bethsaida Galilaeae [23]), ad lacum Tiberiadis sitam [24]), qua Iordanes in eum influit [25]), Iosephus nos docet in inferiore Gaulanitide fuisse [26]). Quo certius hos terminos definiamus, historia nihil suggerit. In quantam longitudinem pateat Gaulanitis ab Hermone ad Gadaridem, coniicere est praeter propter ex tractu, quem Iordanes emetitur a fonte, qui est sub Panio, usque ad eius egressum ex lacu Tiberiadis, qui tractus extenditur ad millia circiter quadraginta [27]).

8 Suprema Gaulanitidis pars ab aquilone erat Paneas, etsi hanc Iosephus, non modo ab inferiore Gaulanitide [28]), sed et a Gaulanitide universa [29]) distinxerit subinde. Sunt, qui putent Paneadem Galilaeae fuisse contributam, sed hoc verum minime est, saltem non omni ex parte. Etenim Iosephus

---

[1]) Conf. Deut. IV, 43 et Ios. XX, 8; *Euseb.* et *Hieron.* in Locis hebr. [2]) Deut. ib.; Ios. ib.; XXI, 27; 1 Par. VI, 71. [3]) L. c. [4]) Antiq. L. IV. c. 7. § 4. [5]) Bell. L. IV. c. 1. § 1. [6]) *Rosenmuell.* op. cit. II B. 1 Th. S. 127; II. Th. S. 7. [7]) *Maltebrun* Geograph. univ. L. I. pp. 135. 136. Milano 1815. [8]) Bell. L. III. c. 3. § 1. [9]) *Reland* op. cit. L. III. p. 771 Gadara Peraeae. [10]) *Ioseph.* Bell. III. c. 3. § 5; L. IV. c. 1. § 1. Conf. L. II. c. 9. § 1. [11]) *Id.* ib. L. IV. c. 1. § 1. [12]) *Id.* Bell. L. II. c. 21. §§ 8. 9; L. III. c. 10. § 1. [13]) H. N. L. V. § 15. [14]) *Ioseph.* Vit. § 65. [15]) *Id.* Bell. L. III. c. 9. § 7. [16]) Ib. § 8. [17]) Ib. c. 10. § 1. [18]) Ib. c. 9. § 8. [19]) *Cellar.* op. cit. pp. 298. 299. 303. 392. 393; *Reland.* op. cit. L. II. c. 5. p. 423; c. 9. pp. 452. 453. 454. [20]) *Ioseph.* Antiq. XIII. c. 13. § 5. [21]) Marc. V, 1 graec.; Luc. VIII, 26 graec. [22]) *Ioseph.* Vita § 31; Bell. L. III. c. 3. § 1; *Plin.* H. N. L. V. § 15; *Cellar.* ll. cc. [23]) Io. XII, 21. Lege *Reland.* op. cit. Lib. III. ad h. v. [24]) *Ioseph.* Antiq. L. XVIII. c. 2. § 1; *Plin.* L. V. § 15. [25]) *Ioseph.* Bell. L. III. c. 10. § 7. [26]) *Id.* ib. L. II. c. 9. § 1. [27]) Conf. *Ioseph.* Bell. L. III. c. 10. § 7; L. IV. c. 1. § 1; *Rosenmuell.* op. cit. 1 B. II Th. S. 253; II B. 1 Th. S. 176. 178. 198. 199. [28]) Bell. L. II. c. 9. § 1. [29]) Antiq. L. XVII. c. 8. § 1.

nomine Gaulanitide[1]) proiude et Batauaea[2]) Paaeadem quoque complectitur, imo Paneadem a Galilaaa apertis verbis distingnit, ac separat[3]). Attamen fortasse Paueadis pars aliqaa Iordaui adiacebat ab occasn, ut ex sitn fontium Iordanis veri simile adparet; hoo autem posito, Paneas putauda esset prioribus aatatibus coatrihata ex parte fuissa regionibas Israelitarum, qaae erant cis Iordanem, proiude pars haec Paneadis faisset in Galilaea. Carta quoque res est, secus ac sensit Relaudus[4]), Paneadem regiouis nomen esse[5]). Veram sic dicta est etiam urbs[6]), quam tetrarcha Philippus iu meliorem formam exstraxit, deqae uomine Caesaris Caesaream vocavit[7]), ea, iaquam, quae Caesarea Philippi nominatur in evangeliis[8]) et a Iosepbo[9]), Regionis buius fiues certissimi sunt. Caesarea euim, quod vetusti quoque uumi nos docent, condita erat sub Panio moute[10]), qui Hermonis pars est[11]), et ex cuius untro capnt orientale ac nobilissimum Iordanis manifestnm erumpit[12]); proinde urbs fuit Basanitidis. A septemtrionihus Libauum, in quautum et Antilibanus hoc nomiue significatur, terminum Paneadi fuisse colligimns ex descriptione facta a Iosepho[13]), tametsi terminus aquilouaris Basanitidis, uon Libanus faerit, sed Hermon (5). Verum, sicut modo diximus, aliqua fortasse pars Panaadis secus occideatalem ripam Iordauis excurrebat, ideoque olim contribuehatur in terras, quas Israelitue cis Iordanem habuere, et quarum terminus aquilouaris erat Libanus[14]), quemadmodum Hermon terminus erat aquilonaris terrarum trans Iordanem. Ceterum Iosephas, aequo ac ceteri quoqae scriptores vetusti, nomine Libano aat Antilibano Hermonem quoqne comprebendunt (10). Itaque Paueas, si qua erat, cis Iordanem ab uquiloae Libano terminabatnr, trans Iordanem autem Hermone, qui totias Basauitidis limes fuit, ab occasu Galilaea[15]), a meridie reliqau Gnulanitide, ab ortu Trachouitide[16]).

9 Nomen Bataaaea est ipsum, uomen בשן *Basan*, commutata litera ש cum litera ת, quod accidere solet vocibus chanaauiticis, quum in linguam aramaicam transferuntnr. Limitibus Gaulanitidis, ut fecimas, descriptis, levi uegotio discimus Bataaaeae situm, quum supra (5) iam descripserimas integram Basanitidem, quae iu has duas regiones tribuehatnr. Adparet Batanaeam longe minns ia Aquilonem protensam fuisse quam Gaulanitidem, ntpote quod septemtrionali Gaulanitidi Trachonitis ah oriente adiaceret (8). Quam aatem constet Trachonitidem Batanaeae qnoque fuisse couterminam[17]), id esse non potuit, ut efficitur ex dictis, nisi ah ortn et prope aquilonarem Batauaeae extremitatem, qaa videlicet, Trachouitide et Gaulauitide latera coniungentibus, ea veluti intercipiebatur, ac finiehatur. Ptolemaei quoque testimoniam haec confirmat: Batanaeae, inquit, *ab ortu adiacet Saccaea, et huius sub Alsadamum montem Trachonitae Arabes*[18]). Quae hodie El Botthin nnuoupatur, an, sicut Rosanmnellerus contendit[19]), sit ipsa vetus Basanitis aut Batanaea, apprime dubitabit, qui contnlerit ea, quae de illa regione ex Seetzenio ipse Rosenmaellerus exscripsit[20]), cum iis, quae de Basanitide nos docueruut scriptores hibliorum; prorsns antem uagahit, qui animadverterit, ut El Botthin, quod adparet ex iis quoque, quae idem ipse Rosenmuellerus ait[21]), iufra Gadaram in meridiem proteuderetar; Gadara autem Peraeae capat erat[22]), Peraea pars fnit tetrarchiae Herodis Antipae adtingens meridiaua tetrarchiae Philippi[23]). Nec uominum similitudo ea est, quaa Rosenmuelleri sententiam comprobet. Ad haec Arabes geograpbi *Batauaeam* simili prorsus nomiue nuucupant البثنية[24]). Illud verius, ea regione, cui Giavlau nomeu est (6), uon Gaalanitidem modo, sad etiam Batanaeam ex parte saltem comprebendi; confiaes quippe sunt Giavlan et Chavran, qaae vetus Auranitis est (14), illaque huias terminus occidentalis[25]), et Auraaitis proprie dicta Gaulanitidem uon adtiugehat, quum iater utramque Bataaaea ud Tracbonitidem (10) usque porrigeretur.

10 Quaestio de fuibus Trachoaitidis, quae proprie sic vocatar, vix quidqnam uegotii nobis facit, si ea posita siat, quae de Basaaitide bactenas disputavimus. Liquet fuisse eam Damascenae finitimam[26]) atquo etiam Arabiae. A Trachouitide euim latroaes iu Damasceuem prorumpere solebant[27]),

[1]) Conf. Antiq. L. XVIII. c. 2. § 1 et Bell. L. II. c. 9. § 1 cum Antiq. ib. c. 4. § 6 et Bell. ib. c. 12. § 8. [2]) Conf. ll. cc. cum Antiq. L. XVII. c. 11. § 4 et Bell. ib. c. 6. § 3. [3]) Antiq. L. XV. c. 10. § 3; L. XVII. c. 8. § 1; L. XVIII. c. 2. § 1; Bell. ib. c. 9. § 1. [4]) Op. cit. Lib. III. Paneas. [5]) *Ioseph.* Bell. l. c.; *Plin.* H. N. L. V. c. 18. [6]) *Ioseph.* Antiq. L. XVIII. c. 2. § 1; etc. [7]) Ib. [8]) Matth. XVI, 13; Marc. VIII, 27. [9]) Antiq. L. XX. c. 9. § 7; etc. [10]) *Reland.* l. c. [11]) *Id.* op. cit. L. I. c. 49; *Hieronym.* De locis Iosuae ad v. Aermon. [12]) *Ioseph.* Bell. L. III. c. 10. § 7. Conf. Antiq. L. V. c. 1. § 22; L. VIII. c. 8. § 4; L. XV. c. 10. § 3; Bell. L. 1. c. 21. § 3; L. IV. c. 1. § 1. Lege *Rosenmuell.* l. c. § 9. [13]) Bell. L. III. c. 3. § 5. [14]) Ios. XI, 17; XII, 7; XIII, 5. [15]) *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 10. § 3; Bell. L. III. c. 3. § 1. [16]) *Id.* Antiq. ib. [17]) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 2. § 1; Bell. L. 1. c. 20. § 4. [18]) Geograph. L. V. c. 15. [19]) Op. cit. II B. I Th. S. 127. 139. [20]) Ib. p. 128. [21]) Conf. ll. cc. et II Th. S. 19. [22]) *Ioseph.* Bell. L. IV. c. 7. § 3. [23]) Q. 3. n. 5. [24]) *Abulfed.* Syria ed. *Koehler.* p. 97 cum addit., et *Ibn al Vardi* ib. p. 170. [25]) *Rosenmuell.* l. c. p 7; *Maltebrun* l. c. p. 136. [26]) *Ioseph.* Antiq. L. I. c. 6. § 4. [27]) *Id.* ib. L. XV. c. 10. § 1; Bell. L. I. c. 20. § 4. Conf. *Strabon.* Geograph. L. XVI. pp. 755. 756.

ubi vero quis arma eis inferret, in Arabiam confugiebant [1]), ipsique incolae *Trachonitae Arabes* dicuntur a Ptolemaeo [2]), et Sex. Aurelius Victor M. Iulium Philippum imperatorem Arabem Trachonitem fuisse narrat [3]), denique Eusebius et Hieronymus [4]), aperte tradunt Trachonitidem Arabia terminari. Porro Damascenae inter occasum hyemalem et meridiem, Arabiae ab occasu, obtentam fuisse Trachonitidem, facile demonstramus. Paneas (8), Galilaeae et Trachonitidi interiacens, illam in occasum spectabat, proinde hanc in ortum; at Damascene Paneadem spectabat in occasum hyemalem, Trachonitidem igitur inter hunc et meridiem; idque Iosephus quoque nos docet, ubi eam inter Palaestinam et Coelensyriam mediam esse [5]). Ipsi Trachonitidi ab occasu hyemali contigua erat Batanaea (9), cuius reliquus terminus orientalis fuit Auranitis, proinde eadem haec ipsa plagam Trachonitidis meridianam finiebat; restat igitur, ut Trachonitis Arabiam in ortum spectaret. Nec alia his de situ Trachonitidis loquitur Strabo. Etenim, Coelensyriam describens utque a septemtrionalibus ad meridianna progrediens, postquam de urbe Damasco loquutus est, *Superimminent*, inquit, *ei duo colles, qui Trachones appellantur. Postea versus partes Arabum (et) Ituraeorum sunt montes asperi et altis speluncis insignes* [6]), quos etiam describit. Vides, ut arbitror, regionem hanc montanam Damascenae in tractibus meridianis obiecisse proximamque Arabibus itemque Ituraeis, scilicet qui Auranitidem incolebant (13); eam vero esse ipsam Trachonitidem nullus dubitabis, ubi consideres, ut regio haec a Strabone descripta Trachonibus collibus adiaceret, ut bene nomen Trachonitidem a sua sibi natura invenisset, Graecis enim τραχων est locus asper et confragosus, ut latrocinio infamis ea foret ac Damascenis infesta, donec Romani malo remedium attulerunt *sublatis latronibus, qui erant cum Zenodoro* [7]), quae eadem atque ipsissima narrat Iosephus de Trachonitide [8]), ut regionis fines a Strabone designati iidem ipsi forent, qui Trachonitidis, ut plane gemina descriptio Trachonitidis legatur apud Iosephum [9]), ut denique ipse Strabo dixerit paullo prius, Libanum et Antilibanum coniunctim, hoc est, ut adparet ex situ ipso, Hermonem, quem Hebraei dumtaxat scriptores nominant, nunquam vero ceteri, nec ipse Iosephus, sed nomine Libano, utpote huius partem, comprehendunt [10]), desinere *prope montes Arabiae, qui sunt supra Damascenem, et Trachonitarum illic vocantur* [11]). Qui regionem Damascenae obtentam inter occasum hyemalem et meridiem dudum viserunt, eam narrant esse soli naturam et formam, eaque locorum et montium nomina, quae naturae et nomini Trachonitidis omni ex parte respondeant [12]). Ceterum Trachonitis et Auranitis, non duae, sed una olim atque eadem regio fuisse iure creduntur (15).

11 Priusquam de Auranitide, aliquid dicere oportet de Ituraea a Luca commemorata. Ituraei ab auctore gentis Ieture Ismaelis filio [13]) nomen invenere, quod nemo nisi morosius in dubium revocaret. Etenim, non modo a Hieronymo, sed longo tempore ante hunc a graecis interpretibus bibliorum in paralipomenis pro nomine *Ieture* redditum est *Ituraei* [14]), idque, ubi narratur bellum cum his gestum a tribubus Israelitarum trans Iordanem degentibus, qui regionum situs e re nostra plane est. Adde, quod Ituraeorum simul et Arabum meminerunt scriptores aliquot [15]), quod scriptor paralipomenon [16]) Ituraeos iungit Agaraeis, quos Arabas fuisse constat [17]), quod Dio Cassius expresse eos Arabas dicit [18]); plures autem Arabiae populos ab Ismaele prognatos scimus [19]). Denique Ituraeos in illo capite paralipomenon coniunctos videas non modo cum Agaraeis, qui ab Agare Ismaelis matre nomen traxisse videntur, sed etiam cum posteris Naphis, qui Ieturis frater erat, aeque ac Ietur, Ismaelis filius [20]).

12 Ituraeorum mentionem factam reperies apud scriptores praeclarissimos, Tullium [21]), Virgilium [22]), Hirtium [23]), Strabonem [24]), Tacitum [25]), Lucanum [26]) Plinium [27]), Dionem Cassium [28]), apud Iosephum tamen, quod fortasse mireris, nisi semel, ubi quaedam Timagenis verba refert [29]), et iterum ubi Soemum quemdam adpellat Ituraeum [30]). Etsi vero adeo, ut ex his adparet, nota esset ipsa gens, Ituraeam tamen regionem, quod ego sciam, nisi Lucas in hoc loco, nemo vetustiorum scriptorum nominavit, si Christianos demas, qui eam ex Luca didicerunt; in vulgatis enim exemplaribus operum Iosephi, ubi legimus πολεμησας Ἰτουραιαν *debellata Ituraea* [31]), rescribendum omnino

1) *Ioseph.* Antiq. L. XVI. c. 9. § 1. 2) L. c. 3) De viris illustr. Urbis. 4) De locis ad vv. Ituraea, Trachonitis. 5) Antiq. L. I. c. 6. § 4. 6) Geograph. L. XVI. p. 756. 7) *Strabo* l. c. 8) Antiq. L. XV. c. 10. § 1; Bell. L. I. c. 20. §. 4. 9) Antiq. ib. 10) *Cellar.* l. c. c. 13. p. 376; *Rosenmuell.* op. cit. I B. II Th. pp. 235. 236. 11) L. c. p. 755. 12) *Burckhardt* ap. *Rosenmuell.* op. cit. II B. II Th. S. 3. 13) Gen. XXV, 15. Conf. I Par. V, 19 hebr. 14) I Par. ib. 15) *Strab.* ll. cc. 16) L. c. 17) *Gesenius* Thesaur. philolog. crit. ad v. יטור. 18) Histor. L. III. an U. C. 718 p. 411; L. LIX. an. U. C. 791 p. 649. 19) Conf. Diss. XXVII. c. II. n. 8. 20) Gen. XXV, 15; I Par. I, 31. 21) Philipp. II. §§ 8. 44. 22) Georg. L. II. v. 448. 23) Bell. afric. § 20. 24) LL. cc. 25) Annal. L. XII. § 23. 26) Phars. L. VII. v. 230. 514. 27) L. V. § 19. 28) LL. cc. 29) Antiq. L. XIII. c. 11. § 3. 30) Ib. L. XV. c. 6. § 5. 31) Ib. L. XIII. c. 11. § 3.

est πολεμησας Ἰτουραιους vel Ἰτουραιοις *debellatis Ituraeis*, ut legitur in aliis exemplaribus, inque illis, quibus usus est Raffinas, aut quivis ille faerit, qui primo Iosephum latinum fecit, utque orationis contextus flagitat, continuo enim haec sequautur: *και πολλην αὐτων της χωρας κ. τ. ἑ. et multam partem* IPSORUM *regionis etc.* Ad haec Ituraeos in diversis regionibus, non tamen longe inter se distantibus, degentes, infra Damascenem [1]), supra et infra Chalcidem [2]), in Cyrrhestica [3]) at nullam Ituraeorum urbem usquam reperimus. Nemo enim, puto, mihi opponet *castellum* illud ἀνωνυμον Ituraeorum, quod Q. Aemilius secaudus cepisse narratur in quodam titulo [4]), nam hoc ipso, quod illius nomen non effertur, adparet manifesto non aliud illad faisse, quam locum, in quo Ituraei castra metati fuerant. Quae quum ita sint, veri omnino simile, nisi certum, cuivis fiet, Ituraeorum gentem Nomadum more olim vixisse, nullis sedibus fixis, postea autem inter Syriae populos dispertitam quidem, non tamen his fuisse commixtam, nec ulli regionum, in quibus constitere, proprium ipsius regionis nomen nomine Ituraea fuisse commutatum, ita ut nulla fuerit Ituraea proprie dicta; Ituraeam vero, quam Lucas nominat, non proprium regionis alicuius nomen esse, sed sedium, quas in tetrarchia Philippi aliquot Ituraeorum tribus obtinebant. Rem sic se habere eo insuper argumento confirmare est, quod Iosephus, qui pluries tum in Antiquitatibus, tum in Bello iudaico, enumerat regiones illius tetrarchiae, inter eas tamen Ituraeu aut Ituraeorum nec semel meminit.

13 Quaerendum itaque est, quaenam harum regionum pars Ituraeis habitata fuerit utque ab hisce incolis cognomen istud adepta. Si ponas hanc a Trachonitide esse distinguendam, sicut Lucas facere videtur, non multis opus est, ut deprehendamus ea adpellatione significari montana Auranitidis. Etenim tetrarchia Philippi pars intra fines priscae ditionis Israelitarum continebatur, pars extra illos protendebatur; illa erat Basanitis, hoc est, Gaulanitis et Batanaea (5), haec Trachonitis et Auranitis. Ituraei nullas Israelitarum terras unqaam incoluerunt, non longe tamen a Basanitide sedem aliquam ipsis fuisse colligimus ex primo libro paralipomenon (11); non igitur in Basanitide Ituraea Lucae quaerenda. Sed neque in Trachonitide, utpote quam ponimas ab ea esse distinguendam. Non ergo alia Ituraea haec, quam Auranitis, non quidem tota, quum maxima eius pars in planitiem latissime excurreret (16), sed qua in montes adsurgit, qaibus cognomen Ituraea ex incolis factum esse putandam est. Porro huic sententiae comprobandae commode illud facit, quod ab historicis nonnulla de qaibusdam Ituraeorum sedibus relatu legamas, ut ea sunt, quae ex Strabone descripsimus (10), iis plane respondentia, quae argumento esse possunt situi Auranitidis definiendo; utraque autem haec agentes de Auranitide mox adferemus. Ceterum illa Lucae *tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis* verius forsitan autumes esse ἐν δια δυοιν, qao illud etiam pertinet, quod Eusebias et fortasse Hieronymus [5]) Ituraeam unam eamdemque dixerint ac Trachonitidem; sed de hac re tota paullo infra (16).

14 Quae Graecis Auranitis, qaae Ezechieli חורן *Chavran*, quae Arabibas item حوران *Chavran*, vocatur, unam eam atque camdem regionem esse, tum nomina ipsa, tum locorum situs, aperte demonstrant. Etenim nomen hebraicum ab interprete latino versum est *Auran*, a graeco Αὐρανιτις [6]); neque enim de aspiratione exprimenda solliciti erant Graeci aut Latini, quum usiana nomina efferebant [7]). Chavran ab Ezechieli extra Israelitarum fines iacens ia vicinia Damascenae et Basanitidis describitar, atque ideo Arabiae conterminum, quod facile colliges ex dictis de Trachonitide; hicque ipsissimus sitas est regionis ab Arabibus eodem illo nomine nuncupatae [8]). Neo alius esse potuit situs Auranitidis, quae et pars erat tetrarchiae Philippi, et Trachonitidi contigua [9]) nec non Arabibus, utpote quibus Zenodorus Paneadis tetrarcha eam olim vendiderat [10]). Ea regio, quae uno Chavran vocatur, a septemtrionibus finitur montibus, quos Damasceni inter meridiem et occasum hyemalem inspiciunt (10), extenditurque in meridiem usque Bostram, ubi patent Arabiae deserta [11]), a quibus plagam Auranitidis orientalem disterminat mons cognominis [12]), occidentalem excipit regio, quae Giavlan (6) nomen habet [13]). His terminis prorsus respondent ea, quae ad fines Auranitidis inveniendas, praeter iam dicta, ex vetustis monumentis depromere est. Haec quippe regio non potuit reliquae ditioni Philippi ita coniuncta esse, ut a Trachonitide in aquilonem excurrens orientalem Damascenae plagam ab Arabia separaret, siquidem Damascenis exitus in Arabiam haccqae illis

---

1) *Strabo* l. c. p. 756. 2) Ib. p. 755. 3) *Plin.* l. c. 4) Ap. *Orsati* Marmi eruditi p. 276, et *Murator.* inscript. p. DCLXX. n. 1. 5) De locis. 6) Ezech. XLVII, 16. 7) Lege Diss. IX. c. III. n. 9. 8) *Burckhardt.* ap. *Rosenmueller.* op. cit. I B. II Th. S. 255; II B. II Th. S. 8. 9. 9) *Ioseph.* Bell. L. I. c. 20. § 4; *Strabo* op. cit. L. XVI. p. 756. 10) *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 10. § 2. 11) *Burckhardt.* ap. *Rosenmuell.* ll. cc. 12) *Rosenmuell* ib.; *Maltebr.* l. c. pp. 135. 136 coll. L. LII. p. 175. 13) *Maltebr.* op. cit. L. I. p. 136; *Rosenmuell.* op. cit. II B. II Th. S. 7.

confinis esse non poterat, nisi illac dumtaxat, quum illorum regio a meridie Trachonitide, ab occasu et ab aquilone reliqua Coelesyria clauderetur; contiguam autem Arabiae fuisse Damascenem vix in dubium revocare licet [1]), praesertim quum, Aretam illum, qui Damascenis imperitabat, quando Paulus illic morabatur [2]), fuisse regem Arabiae [3]), non paucorum sententia sit. Quum Ituraea Lucae alia non esset nisi montana Auranitidis, quae Ituraei incolebant (13), quumque, ut ex Strabone colligimus (10), montana haec Ituraeorum, alia illis, quae ipse in Mursya circa Chalcidem sita prius dixerat [4]), in meridianis Trachonitidis adsurgerent, iam intelligis, ut ex hac quoque parte Auranitidis situs situi regionis, quae Chavran vocatur, apte congruat.

15 Auranitidem et Trachonitidem ut duas regiones distinctas inter se postremis aetatibus rei iudaicae fuisse habitas ea comprobant, quae de his hactenus narravimus; olim tamen indistinctae et nisi una uniusque nominis regio ambae fuere. Mitto illud, quod Trachonitae (10) aeque ac Ituraei (11), qui Auranitidis montana incolebant, Arabes habiti sint [5]). Nomen Chavran, ut scripsit Iacutus Arabs [6]), regioni illi est, quae a Damascene in meridiem porrigitur [7]); ut a Damascene in meridiem porrigebatur Trachonitis (10). Nulla Trachonitidis mentio in vetere testamento, sed unius Auranitidis. Iosephus autem, sicut nomine Batanaea Gaulanitidem quoque integram comprehendit (5) nomine autem Gaulanitide et Gumaliticam (7) et Paneadem (8), ita etiam Trachonitidem et Auranitidem simul ambas uno nomine Trachonitide subinde nuncupavit [8]). Idem hoc Eusebius et Hieronymus fecere, qui Trachonitidem extendi narrant inter Damascum et Bostram [9]), idem Talmudistae, qui memoriae prodiderunt Trachonitidem meridiem versus usque Bostram protendi [10]). Philippus autem imperator, utpote Bostrae ortus [11]), quae ideo, ut videtur, metropolis adpellatur in numis sub Philippo percussis [12]), Arabs Trachonites habitus est (10); at Bostra, quam Abulfeda [13]) quinquaginta circiter et quingentis ab hinc annis scripsit esse ***metropolin regionis Chavran***, etiamnum praecipua regionis huius urbs habetur [14]). Verum id, quod defendimus, prorsus evincit terminatio terrae Israelitarum, quae legitur in Ezechiele [15]), non alia, quam quae sub Moyse facta fuerat [16]), ut nobis alteram cum altera adcurate conferentibus adparet manifesto. Moyses statuit terminum aquilonarem ***a mari magno . . . usque ad . . .*** חצר עינן ***Chatzar Enan*** [17]), item Ezechiel [18]), a quo Chatzar Enon, sic enim apud eum scriptum est חצר עינון, confinis Damasco esse dicitur; postremus autem locorum, quae enumerat inter mare et inter fines Damasci termino huic aquilonari adiacentia, est חצר התיכון אשר אל גבול חורן ***Chatzar Hatticon, qui ad terminum Chavrani***, vel, ut haec vertit Hieronymus, ***Domus Thicon, quae est iuxta terminum Auran***, id est, Auranitidis, ut nomen Chavran vertit interpres graecus. Vides terminum aquilonarem ductum a mari mediterraneo desinere in confinia Damascenae et Auranitidis, ideoque in hoc loco nomine Auranitide eum comprehendi, quae postea Trachonitis vocata est; haec enim, non vero Auranitis, in quantum a Trachonitide distinguitur, fines Israelitarum et Damascenorum contingebat, sicut evincit utriusque descriptio, quam supra exhibuimus. Progreditur Moyses ad terminum orientalem, cui initium est Chatzar Enan, fines vero ***Mare salis***, lacus, inquam, Asphaltites [19]), Ezechiel vero terminum hunc his verbis describit, quae referimus, sicut leguntur in exemplari hebraico: ***Et extremitatem orientis, de inter Chavran, et de inter Damascum, et de inter Galaad, et de inter terram Israelis, Iordanes; de termino ad mare orientale mensurabitis. Et ista extremitas orientem versus*** [20]). Adtende primum, ut Galaad, quae tamen pars erat terrae Israelitarum, a terra Israelis dividatur; quumque nomen Galaad significet interdum totam Israelitarum regionem trans Iordanem sitam [21]), concludas oportet, nomina ***Galaad*** et ***terram Israelis*** in hoc loco idem valere ac utramque regionem Israelitarum, tum quae trans Iordanem, tum quae citra, iacebat. Animadverte praeterea loca regionesque ab Ezechiele nominatas haudquaquam illas esse nec esse posse, per quas limes ille orientalis ex ordine duceretur; quod si foret, iam nec Oedipus illorum verborum sententiam adsequi valeret, quin etiam

---

[1]) *Cellar.* op. cit. L. III. c. 14. p. 425. [2]) I Cor. XI, 32 coll. Act. XI, 24. 25. [3]) Conf. *Ioseph.* Antiq. L. XVIII. c. 5. § 1. [4]) Geograph. L. XVI. p. 755. [5]) Conf. *Strab.* l. c. [6]) Ap. *Golium.* Lexic. ad h. v. [7]) *Relandi* op. cit. L. I. c. 22; *Mallebr.* op. cit. L. I. p. 135. [8]) Antiq. L. XVII. c. 8. § 1; L. XVIII. c. 4. § 6; Bell. L. II. c. 12. § 8; L. III. c. 3. § 5. [9]) De locis ad v. Trachonitis. [10]) Gemar. hieros. Schebiith fo. 36. 3 ap. *Lightfoot.* op. cit. Chorograph. Lucae c. 1. sect. 4. [11]) *Cedren.* p. 257. Paris. 1647; *Zonar.* T. I. p. 625. Paris. 1686. [12]) *Mediobarb.* p. 347. Mediolani 1730; *Eckhel* Doctr. numor. vet. T. III. p. 501. [13]) Tab. Syriae apud *Reland.* op. cit. L. III. ad h. v. et ap. *Rosenmuell.* op. cit. II B. II Th. S. 25. [14]) *Cellar.* op. cit. L. III. c. 14. p. 423; *Reland.* op. cit. L. III; *Burckhardt.* ap. *Rosenmuell.* l. c. [15]) Ezech. XLVII, 15—20. [16]) Num. XXXIV. 3—12. [17]) Ib. 7. 9. [18]) Ezech. ib. 15. 17. [19]) Num. ib. 10. 12. [20]) Ezech. ib. 18. [21]) Deut. XXXIV, 1; Iudic. XX, 1; II Reg. II, 9; IV Reg. X, 33; XV, 29; I Par. XXVII, 21; Zach. X, 10.

aliquid absurdum atque a locorum situ abhorrens illa verba sonerent. Ezechiel itaque sicut Moyses, fecerat in libro Numerorum, edixit tantummodo, nade et qnatenus limes orientalis esset ducendus, videlicet ex eo loco, quo Iordanes clauditur inter Auraaitidem, Damescenem, Gaulanitidem, et Galilaeam, usque ad locum, quo prope *mare orientale*, hoc est, prope lacum Asphaltitem, limes meridianus incipiebat [1]). Locus, quo Iordanes inter illas regiones coacluditur, suat ipsi eins fontes monsque Hermon, qui illic situs est (8). Erat igitur Chavran, id est, Auranitis, tum Damascenae, tum Gaulanitidi, conterminum, proinde eum qnoque tractum compreheudebat, qui iasequeatibns eetatibus nomiae Trachouitide ab Auraaitide distinctus est.

16 Qnod si coaiecturae locus daretur, quae dictis ad amussim cohaererct, eaque belle componeret, ac veluti inter se coaciliaret, dicerem meridianum Auranitidis tractnm, qui in planitiem versus Bostram Arabiaeque deserta excurrit, id nomen retinaisse, montaaa vero quae sunt in septemtrionelibus, Trachones, ipsamqne septemtrioaalem plagem Trachonitidem, eb ipsa loci aatura nomen iuvenisse (10). Neque opiaio haec ergumeatis destituitur, quibus cnivis sese probet. Eteaim Eusebio Itureee, quem Lucas nominat, elia non est, quam Trachonitis [2]), idque eo coafirmatur, quod Trachouitis sedes foret peropportuna latroaibns [3]), quales fuere Ituraei, qui a Strabone *malefici omnes* dicuntur [4]), quosque Tullius *homines omnium gentium maxime barbaros* edpellavit [5]); superius autem osteadimus hanc Ituraeam esse montana Auranitidis (13). Iosephus vero uarrat, ut Zenodorns, priusquam Trachouitis, in qua latrocinium exercebat, ipsi eb Augusto adimeretur, *de suis rebus iam desperans* Auranitidem Arabibus vendiderit quinquaginta talentis [6]); quare quivis perspicit Auranitidem hanc Tracbonitide necessario esse distiagueadam seinngendumque. At Trachonitis, nt adparet ex ipsa eius descriptione, quem Iosephus facit in hoc loco, illa ipsa est plaga aquilonaris, iaculta, saxea, et confragosa; proiade Anreaitis, qnae vocatur, sit oportet meridiena regionis plaga plaaitiesque intra Arabiam excnrrens, atque adeo apta, quam Arabes ditioni suae contribuerent, et qua distracta, utpote adoreae feracissima, qualis anne saltem est [7]), rebus suis prospicerct Zenodorus. His autem positis dicendns est Lucas, ubi Itnraeum a Tracbonitide dividere videtnr, handquaquam revera dividere, sed ntrumqne nomea unacupasse *κατα το ἓν δια δυοιν*, neo aliud soaere aomine *Ituraeae et Trachonitidis*, qnam Trachoaitidem Itnraeornm sedem, cuius loquutionis exempla non pauca reperire est ia scripturis sacris [8]); remque totam illud comprobat, quod, sicnt nullam Ituraeorum nrbem a veteribus memoratam reperimus (12), ita et Trachonitarum nullum, *quippe quibus nec oppida, nec agrorum possessiones erant, sed tantum receptacula subterranea et speluncae, ubi vitam cum pecoribus suis communem agerent* [9]). Cui Iosephi testimonio haudquaquam adverseri putenda est graeca inscriptio in Syria a Burckbardto reperte, cuins exordium ita est: *Σεντιος Σατουρνινος Φαινησιοις μητροκωμια του Τραχωνος χαιρειν*; non enim Trachouiterum, sed Trachonis, hoc est, Trachouitidis, *μητροκωμια* haec dicitur, iamque alii [10]) animadverterunt hoc illud fortasse oppidum esse, quod Iudaeis e Babyloaia evocatis in illins regionis medio contra incolarum latrociaia Herodes condiderat [11]).

17 Nuno venimus ed Lysaniae tetrarchiam regionemque Abilenem. Nomen *Abilene*, cuins loco latinus interpres, pro receatiore modo effereadi graecam literam, scripsit *Abilinam*, patrium esse, eoque vocsri regionem cuius princeps urbs Abila fuit, manifestum est, sicnt patria suat *Damascene* [12]), *Hippene* [13]), *Philadelphene* [14]), *Chalcidene* [15]), *Apamene*, *Laodicene*, *Palmyrene* [16]), regionesque sic vocaatur, quarum principes urbes fnere Damascus, Hippos, Philadelphie, Chalcis, Apamea, Laodicea, Palmyra.

18 Non una fuit urbs nomine Abila [17]). Eam, de que loquimur et a qua huius tetrarchiae nomen deductum est, constat sitem fuisse in Coelesyria proprie dicte iater Heliopolim, quae bodie Baalbek vocatur, et Demascum. Missam facio Abilam Caelessyriae, cuius memiait Polybius [18]), qui nomea Coelensyriau in ampliorem seasum accipere videtur et loqui de Abila Bataaaeae [19]). Ptolemaeus inter Coelessyriae proprie dictae urbes Abilam eaumerat [20]). Idem ipse Ptolemeeus, itemqne auctores *Itinerarii Antonini* nomine inscripti [21]), veteris *Tabulae itinerariae*, quae *Peutingeriana*

[1]) Conf. Num. ib. 3. [2]) De locis. [3]) *Strabo* Geograph. L. XVI. p. 756; *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 10. § 1; L. XVI. c. 9. § 1; Bell. L. I. c. 20. § 4. [4]) L. c. p. 755. [5]) Philipp. II. § 44. [6]) Antiq. L. XV. c. 10. §§ 1. 2. [7]) *Burckhardt* et *Maltebrun* ll. cc. [8]) *Glassii* Philolog. sacr. Lib. I. Tract. I. can. 6. ed. *Dathe.* [9]) *Ioseph.* Ant. L. XV. c. 10. § 1. [10]) Nouveau Journal asiatique T. II. pp. 380 seqq. Paris. 1828. [11]) *Ioseph.* Ib. L. XVII. c. 2. § 1. [12]) *Strabo* l. c. p. 755. [13]) *Ioseph.* Bell. L. III. c. 3. § 1. [14]) Ib. § 3. [15]) *Plin.* H. N. L. V. c. 19. [16]) *Ptolem.* Geograph. L. V. c. 15. [17]) *Relandi* op. cit. L. III. [18]) Histor. L. V. p. 414 B coll. 411 B. Francofurti 1619. [19]) *Reland.* ib. p. 525. [20]) L. c. [21]) Ap. *Reland.* l. c. p. 527; *Bertii* Theatr. geograph. veter. T. II. p. 12.

dicitur [1]), *Notitiae graecorum episcopatuum* [2]), inter Heliopolim et Damascum enumerant urbem nomine Abilam. Inter episcopos, qui Chalcedone primae et secundae actioni concilii adfuere, post Iosephum episcopum Heliopoleos legitur Iordanes episcopus Abilae [3]). Adsurgit inter Heliopolim et Damascum mons sublimis atque praeruptus, tantum fere distans ab utraque urbe, quantum Abila distabat secundum Antonini itinerarium, cuius in vertice locus est veteres aedificiorum ruinas ostendens, quem incolae *Nebi Habil*, *Prophetam Abilem*, vocant [4]), huius autem nominis originem Rosenmuellerus censet [5]) procul dubio repetendam esse ex errore, quod crederent nomen urbis Abilam esse هابيل *Habila*, id est, Abelem Adami filium. Non ergo dubitare est, an inter Damascum et Heliopolim urbs fuerit nomine Abila. Sed certum aeque est, Abilam hanc Coelessyriae, positam inter Damascum et Heliopolim, fuisse illam, in qua Lysanias ἐτετράρχει. Etenim eam Ptolemaeus *Abilam Lysaniae* expresse vocat [6]); eiusque testimonium satis foret efficiendo id, quod volumus, scribebat enim ea aetate, qua certe urbi adpellatio haec adhuc manebat, sub Antonino Pio quinquaginta aut summum sexaginta annis, postquam Iosephus libros Antiquitatum absolverat, quod fecit anno vitae suae LVI, imperii Domitiani XIII [7]), aer. vulg. XCIII exeunte aut XCIV ineunte, et annis etiam paucioribus post obitum regis Agrippae minoris, qui Abilam tetrarchiamque Lysaniae obtinuerat [8]), vitaque decesserat anno III principatus Traiani [9]), aer. vulg. C. Ad hoc in illa ipsa regione monumenta quaedam supersunt, quae magis ac magis comprobant id, quod defendimus. Inter vetusta aedificia, quae servat Nebi Abil, visuntur reliquiae templi, intraque illud inclusus parieti titulus lapideus graeca lingua, sed extremis versibus mutilus, in quo *Lysanias tetrarcha* et femina quaedam nomine *Eusebia* commemorantur [10]). Huc fortasse pertinent etiam duo fragmenta sive unius sive duorum titulorum, quae sunt Heliopoli, quaeque ex Pocockio veluti unicum titulum ac solidum Boeckhius exscripsit [11]). Nil quidem pertinerent, si talia ea forent, qualia apud hos ea leguntur, sique, ut Boeckhius, ea interpretaremur. At sodalis meus Maximilianus Ryllo, quum ann. MDCCCXXXVII Heliopoli versaretur, verba ipse legit, non omnia in uno lapide, sed partim in uno, partim in altero, ut infra, paullo aliter ac apud illos duos, scripta ea damus.

ΘΥΓΑΤΗΡ ΖΗΝΟΔΩΡΩ ΛΥΣ...
. ΥΙΟΙΣ Μ.......Σ ΧΑΡΙΝ

ΤΡΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΛΥΣ...
ΑΝΕΘΗΚΗ

Si quis autem illud opponere mihi vellet, constare quidem urbem aliquam nomine Abilam illic fuisse positam, ubi diximus, eamque Lysaniae subditam, non tamen liquere Lysaniam hunc esse illum, quem Lucas nominat, proinde neque Abilam hanc illam esse, ex qua nomen Abilene factum est tetrarchiae, cuius etiam mentio est apud Lucam, quum alia urbs cognominis fuerit in Batanaea [12]), aliaque insuper in Peraea [13]), qui ergo haec opponeret, is vellem primum animadverteret, ut hoc ipso, quod harum duarum urbium altera fuerit in Batanaea, altera in Peraea, neutra esse potuerit urbs princeps, a qua tota tetrarchia nomen invenisset; tum etiam meminerit Batanaeam Philippo (4), Peraeam Herodi Antipae [14]), ab Herode patre fuisse testamento legatas.

19 Itaque iam licet concludere, atque adseverare Abilenem a Luca commemoratam aliam non esse, quam Coelessyriae regionem inter Heliopolim et Damascum, quae ab Abila urbe principe nomen invenit.

20 Sed modo difficultates removere oportet, si quae sunt, quae ab historiis Iosephi huic quaestioni atque Lucae narrationi esse feruntur. Quod adtinet ad Ituraeam, iam lis composita-

[1]) *Rel.* ib. p. 528. [2]) In fine oper. *Codini Curopalatae* p. 360. Paris. 1648. [3]) Concilior. collect. ed. *Mansi* T. VI. coll. 570. 943. Florentiae 1761. [4]) *Pococke* Voyages en Orient. T. III. pp. 347, suiv. Neuchâtel 1773. [5]) Op. cit. I B. II Th. § 258. [6]) L. c. [7]) Antiq. L. XX. c. 11. § 2. [8]) *Ioseph.* Antiq. ib. c. 7. § 1. [9]) *Iustus Tiberiensis* ap. *Photium* cod. XXXIII. Lege *Noldii* Histor. idum. § 70. [10]) *Boeckhius* Corpus inscription. graec. n. 4521. [11]) Ib. n. 4523; *Pocock.* Inscr. antiq. c. 1. p. 1. 3. [12]) *Reland.* op. cit. L. III. p. 525. [13]) Ib. p. 524. [14]) Diss. XLI. n. 5.

superius fuit (13. 16), quod vero ad Abilenem et Lysaniae tetrarchiam, difficultas in eo est, quod, inquiunt, Lysanias iste Iosepho ignotus fuerit, quum alius omnino sit Lysanias, cuius is meminit non semel [1]). Verum difficultatem hanc nullam esse adparebit, ubi ostenderimus a Iosepho prorsus distingui ac separari haec tria, Domum Lysaniae, Domum Zenodori, et tetrarchiam Lysaniae, quibus adpellationibus, saltem prima et postrema, creditus est Iosephus unum atque idem significare voluisse.

21 Etenim, prout Iosephus narrat, quum Antiochus Dionysus Grypi filius, et Seleucidarum postremus, qui Damasci regnavit, proelians contra Arabas occidisset [2]), non serius an. U. C. DCLXX [3]), huius regnum, quantum ex Iosephi historiis colligimus, Ptolemaeo Mennaei filio obveniebat [4]), qui a Damascenis reiectus regnoque exclusus proximam regionem retinuit [5]), Heliopolim, Chalcidem, Marsyam, et montana Ituraeorum [6]). Nullam tamen earum regionum, quae postea Philippo Herodis filio hereditate venere, possedit Ptolemaeus. Tetrarchia enim Philippi tota infra Damascenem iacebat, supra vero Ptolemaei ditio, ut haec describitur a Strabone [7]), utpote colligimus ex eo, quod Pompeius, post bellum gestum contra Mithridatem, regressus ex Armenia ante ver an. U. C. DCXCI [8]), quum Coelesyriam obibat, *in Damascenem contendit, et in transitu arcem Apamiae . . . funditus evertit, et Ptolemaei Mennaei filii regionem consideravit, . . . cumque urbes Heliopolim et Chalcida pertransisset, et montem superasset Coelesyriam, ut appellatur, disterminantem, . . . Damascum se contulit* [9]). Tum, si Ptolemaeus regionem quoque infra Damascenem possedisset, haud facile fuisset Damasci incolis ipso reiecto alium sibi regem adsciscere, utpote qui, hoc posito, intra ipsius ditionem fere essent conclusi. Legimus insuper apud Iosephum, ut Alexandra regis Alexandri Iannaei vidua, Aristobulum filium miserit Damascum opem huic urbi laturum contra Ptolemaeum an. U. C. DCLXXXIII aut non multo prius [10]); at transitus ex Iudaea in Damascenem Aristobulo patere non poterat nisi per Trachonitidem; non ergo Trachonitis subdita erat Ptolemaeo. Sed neque Gaulanitis, quam Alexander Iannaeus an. U. C. DCLXXIII Iudaeae regno denuo adiecerat, ereptam, non Ptolemaeo, sed Demetrio principi [11]). Hac autem de caussa neque Auranitidem, neque Batanaeam, Ptolemaeus possedisse dicendus est, utpote a reliqua ipsius ditione mediis Trachonitide et Gaulanitide separatas. Tenes itaque, quatenus patuerit Ptolemaei ditio, in qua, ut id obiter animadvertam, Abilam non reperimus. Ptolemaeo demortuo successit Lysanias filius biennio post adventum M. Antonii in Asiam, anno U. C. DCCXIV [12]). Hunc Antonius primum regia dignitate regisque adpellatione auxit [13]), ideo etiam a Iosepho regem adpellatum [14]), deinde, suadente Cleopatra, interemit [15]), partemque regni Ituraeis habitatam filiis, quos ipse Antonius ex Cleopatra susceperat, addixit [16]) eo anno, quo in Armeniam contendit [17]), qui fuit an. U. C. DCCXX, hoc est, annis fere sexaginta, antequam Ioannes Baptista ad munus suum adgrederetur [18]). Hic Lysanias ille est, de quo non Iosephum loquutum esse, et cuius ditione non aliam esse illam, quam hic *Domum Lysaniae* dixit a Zenodoro conductam [19]), multi contendunt. Horum primum an vere adfirment, infra disquiremus. Alterum si neges, nemo te argumento ullo revincere valebit, praeter *ὁμωνυμίαν* [20]). Illud autem indubium videtur, adpellationem *Domum Lysaniae* a Iosepho factam esse non posse, secundum Iudaeorum morem loquendi, toti ditioni, quam Lysanias Ptolemaei filius tenuit. Etenim, etsi apud Israelitas plurima essent nomina urbium propria composita ex בית *domus* alteroque vocabulo, ut sunt *Bethlehem*, *Bethel*, *Bethaven*, *Bethania* [21]), Syri vero praeterea regiones vocare solerent *Domum* illius gentis, a qua regio nomen duxerat, verbi gratia, *Domum Garamaeorum*, *Domum Persarum*, *Domum Romanorum* [22]), quo nomen *Domus* propriam sibi significationem servabat, illa enim significant *habitationem Garamaeorum*, *Persarum*, *Romanorum*, numquam tamen integrum regnum, integram tetrarchiam, vocari videas *domum eius*, qui rex esset aut tetrarcha; cui rei

---

1) Diss. XLI. n. 6. 2) *Ioseph.* Antiquit. L. XIII. c. 15. § 1; Bell. L. I. c. 4. § 7. 3) Conf. *Petav.* De doctr. temp. L. c. c. 47 et Rationar. tempor. P. I. L. IV. c. 15. 4) Conf. *Ioseph.* Antiq. ib. § 2; Bell. ib. § 8. 5) *Id.* Antiq. ib. c. 16. § 13; L. XIV. c. 3. § 2; Bell. ib. c. 5. § 3. 6) *Strab.* Geogr. L. XVI. p. 753; *Ioseph.* Antiq. L. XIV. c. 7. § 4; Bell. L. I. c. 9. § 2. 7) L. c. 8) Diss. XXXV. n. 7. 9) *Ios.* Antiq. L. XIV. c. 3. §§ 1. 2 coll. c. 4. § 3. 10) Antiq. L. XIII. c. 16. §§ 1. 3. 4; Bell. L. I. c. 5. §§ 1. 3. Conf. *Livii* Epitom c. 95; *Appian.* Bell. Mithrid. pp. 227 seqq. ed. *Steph*, 1592; *Plutarch.* Lucull. §§ 19. 21; *Froelich.* Annal. regum Syriae Prolegg. P. III. c. 5. 11) *Ioseph.* Antiq. ib. c. 15. §§ 3. 4; Bell. ib. c. 4. § 8. 12) *Id.* Antiq. L. XIV. c. 13. § 4; Bell. L. I. c. 13. § 1. Conf. *Dion.* L. XLVIII. p. 358 B. 13) *Dio* Hist. L. LIII. p. 411. 14) Bell. L. I. c. 22. § 3. 15) *Dio* ib.; *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 4. § 1; Bell. ib. 16) *Dio* ib. 17) *Ioseph.* Antiq. ib. coll. § 2; Bell. L. I. c. 18. § 4 coll. § 5. 18) Diss. XXXIX. n. 5. 19) Antiq. L. XV. c. 10. § 1; Bell. L. I. c. 20. § 4. 20) Diss. XLI. n. 11. 21) *Gesen.* Thesaur. philol. crit. ad v. בית. 22) *Michaelis* Supplem. ad Lexic. syr. ad v. ܒܝܬ.

illustrandae exemplum opportunissimum praesto nobis est, ***Domus Zenodori***, quam Iosephus nominat, simulque distinguit ab integra Zenodori ditione, sicut mox videbimus. Tum qui credatur Zenodorus, qui Domum Lysaniae conduxit, conduxisse etiam integrum huius regnum, quamquam ***non satis magnos reditus habebat, eos vero latrociniis . . . exercendis augebat supplebatque*** [1])? Atque haec satis superque sunt, quibus intelligamus, quid fuerit ***Domus Lysaniae***, quae est in historiis Iosephi, non aliud nimirum, quam certa quaedam veluti particula totius ditionis vel regni istius Lysaniae, ac peculiare privumque eius patrimonium, sic etiam DOMUM ***Salomae in Archelai ditione positam*** dixit Iosephus [2]) huius feminae patrimonium, quod ex Herodis fratris testamento atque Augusti beneficio ei advenerat, sic ipse Iosephus a ***ditione Archelai*** distinxit ***Archelai domum*** in uno eodemque loco, ubi illam Syriae adiectam dixit, hanc confiscatam [3]), quamque ***Archelai domum*** in hoc loco, alias *τα Ἀρχελαου χρηματα* [4]) aut *την ουσιαν* [5]) vocavit.

22 Sed iam ad Zenodorum veniamus. De huius tetrarchia, sic enim Dio eam adpellat [6]), haec narrat Iosephus: Augustus ***post primam actiada adiecit ipsius*** Herodis ***regno regionem Trachonem vocatam eique finitimas Batanaeam et Auranitidem, hac de caussa. Zenodorus, qui Lysaniae Domum conduxerat, nihil sibi ad latrones e Trachone Damascenis immittendos reliqui faciebat*** [7]). ***Vicini autem hac re vexati adversus Varronem, qui tunc praeses erat, vociferabantur, et, ut Caesari de Zenodori iniuriis scriberet, flagitabant*** [8]). ***Qua re cognita rescripsit Caesar dandam esse operam, ut tolleretur latrocinium. Varro igitur, ducto in eos exercitu, et regionem latronibus purgabat, et Zenodoro eam aufert, quam postea Caesar, ne latronum contra Damascum receptaculum fieret, Herodi largitur*** [9]). ***Cum autem iam annum decimumseptimum in regno egisset Herodes, venit Caesar in Syriam, ac tum . . . Zenodorus . . . vita decessit Antiochiae in Syria. Quamobrem et huius*** *μοιραν* ***sortem patrimoniumque Caesar Herodi dedit, quae erat non parva inter Trachonem et Galilaeam posita, scilicet Ulatham et Paneadem agrumque finitimum*** [10]), idque factum est verno an. U. C. DCCXXXIV [11]). Ex his adparet, quatenus Zenodori ditio protenderetur; quod aliis quoque rationibus demonstrare est. Nam Iosephus Auranitidem *της ἐπαρχιας μερος τι* ***partem aliquam ditionis*** Zenodori esse dixit, ab eoque venditam Arabibus [12]); illud magis confirmatur, etiam Trachonitidem a Zenodoro fuisse possessam; alioquin Auranitis a reliqua eius ditione fuisset separata. Quod ad Batanaeam adtinet, satis sit ipsa narratio, quam exscripsimus, ut eam Zenodorus sibi vindicet. At Gaulanitis minime huic addicta fuit, utpote regno Iudaeorum pridem adiecta a rege Alexandro Iannaeo (21). Atque ea quidem, quam diximus, est ditio Zenodori, a qua tamen ***Domum Zenodori*** distinctam fuisse Iosephus nos docet quam apertissime. Narrat enim, ut Augustus Philippo Herodis filio concesserit ***Batanaeam, Trachonitidem, Auranitidem, cum quadam parte Domus Zenodori*** [13]). Batanaea igitur, Trachonitis, et Auranitis, quae utique erant in Zenodori ditione, non tamen partes ***Domus Zenodori*** fuere. Quaenam ergo haec ***Domus Zenodori***? Facile comperimus. Nam Philippus, praeter Batanaeam, Trachonitidem, et Auranitidem, etiam Gaulanitide et Paneade potiebatur [14]). At Gaulanitidem, ut diximus, Zenodorus numquam obtinuit. Paneas ergo sit oportet, ***pars*** illa ***Domus Zenodori***, quam Philippo addixerat Augustus, ipsa autem ***Domus Zenodori*** ea, quam Iosephus in alio loco dixit Zenodori *μοιραν* ***sortem patrimoniumque***, quaeque ***inter Trachonem et Galilaeam posita Ulatham et Paneadem agrumque finitimum*** complectebatur [15]), alia prorsus, quod nemo non videt, ac regnum aut ***Domus Lysaniae.*** Quae quum ita sint, compertum est, ut Iosephus, non unam et eamdem, sed aliam atque aliam esse ***Domum Lysaniae*** et ***Domum Zenodori*** aperte tradiderit.

23 Verum non minus clare nos docuit aliam utraque hac esse Lysaniae tetrarchiam, quam prius Agrippae maioris, tum minoris regno Claudius addidit. Etenim hunc, ut ipse narrat, Abila fuit [16]), quam ***regnum Lysaniae*** etiam adpellat [17]); ast ubi loquitur de regno, quod tenuit Lysanias Ptolemaei filius, Abilam minime nominat, quam neque Dio nominavit, imo nec Strabo, qui tamen regni huius loca regionesque enumeravit, atque descripsit [18]). Regnum hoc, quod Lysaniae Ptolemaei filio fuit, ab urbe Chalcide denominatur apud Iosephum, quippe qui Ptolemaeum Lysaniae patrem

---

[1]) *Ioseph.* Antiq. l. c. [2]) Antiq. L. XVII. c. 11. § 5; Bell. L. II. c. 6. § 3. [3]) Antiq. L. XVII. c. 13. § 5. Conf. ib. L. XVIII. c. 1. § 1; Bell. L. II. c. 7. § 3; c. 8. § 1; c. 9. § 1. [4]) Antiq. L. XVIII. c. 1. § 1; c. 2. § 1. [5]) Bell. L. II. c. 7. § 3. [6]) Hist. L. LIV. p. 526. [7]) Bell. L. 1. c. 20. § 4. [8]) Antiq. L. XV. c. 10. § 1. [9]) Bell. ib. [10]) Ant. ib § 3. Conf. *Strab.* l. c. p. 756. [11]) *Dio.* Hist. L. XIV. p. 525. 526. [12]) Antiq. l. c. § 2. [13]) Antiq. L. XVII. c. 11. § 4; Bell. L. II. c. 6. § 3. [14]) *Ioseph.* Antiq. L. XVII. c. 8. § 1; L. XVIII. c. 2. § 1; Bell. L. II. c. 9. § 1. [15]) Antiq. L. XV. c. 10. § 3. [16]) Antiq. XIX. c. 5. § 1; L. XX. c. 7. § 1. Conf. L. XVIII. c. 6. § 10. [17]) Bell. L. II. c. 11. § 5; c. 12. § 8. [18]) L. c. p. 753.

Chalcide potitum dominatumque esse refert [1]; Lysaniae vero regnum regno utriusque Agrippae deinceps adiectum idem ipse Iosephus ab Abila denominat [2]. Refert insuper, ut Herodes Agrippae maioris frater regno Chalcidis, videlicet quod Lysanias Ptolemaei filius habuerat, a Claudio donatus fuerit simul, ac ipse Agrippa adeptus est illam tetrarchiam aut, nam sic etiam vocatur, illud regnum Lysaniae [3], de quo quaerimus, hoc est, Abilenem; itemque, ut Herode hoc rege Chalcidis demortuo regnum eius Claudius Agrippae minori maioris filio tradiderit [4], tum huic eidem Chalcidis regnum ademerit, inque huius vicem paternum regnum regnumque Lysaniae concesserit [5]. Quid his apertius, sodes, quaerere est, ut intelligamus dun haec regna prorsus inter se distingui, atque adeo alium esse Lysaniam, qui Chalcide, alium, qui Abilae regnavit, utrumque autem a Iosepho commemorari?

24 Quod si contendere velis Abilam a Iosepho vocari *regnum Lysaniae*, quia hanc quoque Lysanias Ptolemaei filius possederit, quod tamen nulla unquam ratione vinces, haec omnia simul demonstres necesse erit. Primum, qui fieri potuerit, ut Abila *regnum Lysaniae*, eius nimirum, qui Ptolemaeo patri successerat, vocari pergeret tunc, quum Agrippa minor eam accepit, post sex et octoginta annos, ex quo Lysanias fuerat interemptus, quum tamen Chalcis, quae sub Lysania sedes regni princepsque urbs erat, non amplius ea adpellatione vocaretur. Deinde, cur Iosephus, qui, ubi retulit res vivo Lysania huiusque patre Ptolemaeo gestas, horum ditionem a Chalcide denominaverat, non vero ab Abila, cuius tunc ne meminerat quidem, cur ergo in eo loco, in quo ea refert, quae tam longo tempore post Lysaniam vita defunctum gesta sunt quum de Chalcide simul deque Abila loquitur, hanc, non vero illam, *regnum Lysaniae* adpellet. Postremo, qui potuerit Abila sic adpellari tunc, quum Agrippae maiori data est, quum per id tempus Lysaniae huius regnum, si non integrum, at certe maximam partem potissimamque, inter Soaemum et Herodem Agrippae fratrem esset divisum. Etenim Lysaniae regnum, ut diximus, Iosephus a Chalcide denominat, Dio Cassius ab Arabibus Ituraeis [6], ideo, quia Chalcis prima erat regni urbs, Ituraei vero maximam regni partem incolebant, quae etiam Strabo memoriae prodidit [7]. Iam vero, quum Agrippa maior Abila, quam Iosephus *regnum Lysaniae* dicit, potitus est, Chalcidis regnum Herodi eius fratri addixit Claudius, ut legimus apud ipsum Josephum (23), regnum vero Arabum Ituraeorum, ut narrant Tacitus [8] et Dio [9], iam tenebat Soaemus, qui illud acceperat a C. Caligula [10].

25 Constat ergo in historiis Iosephi (20) tetrarchiam Lysaniae aliam fuisse tum *Domo Lysaniae*, tum *Domo Zenodori*, proinde illud quoque exploratum est, Lysaniam minorem, tetrarcham Abilenes, cuius mentio est apud Lucam, etiam Iosepho notum fuisse; neque iam ulla, quod adtinet ad istas tetrarchias, narrationi Lucae ab historiis Iosephi difficultas esse potest, quum e contrario hae illam comprobent, atque confirment.

26 Quaeritur autem, quid caussae esse potuerit Lucae, cur Lysaniam hunc commemoraret, qui tamen nulla cognatione Herodem huiusve filios adtingebat, nec erat nisi unus multorum regulorum in ea vicinia imperitantium, quorum tamen neminem alium Lucas nominavit.

27 Sunt, qui putent, ideo Lysaniam commemorari, quia eius tetrarchia pars fuerit regni Herodis, cuius regni partitio inter quos facta esset, Lucas narrare voluit; sed errore veri sic putant. Etenim regnum Herodis ultra terminum aquilonarem veteris ditionis Israelitarum non pertingebat, ideoque intra illud esse non potuit Abilene, quae Damascenae a septemtrionibus obtendebatur. Idque ipsum comprobant supremae Herodis tabulae [11], qui quum integrum regnum filiis partite legasset, quod Tacitus quoque [12] et Philo [13] testantur, quaenam regni pars cuique filiorum obvenerit, novimus, nemini tamen Abilenem legatam legimus. Denique Iosephus referens, ut Claudius regno Agrippae maioris Iudaeam et Samariam adiecerit, haec subiunxit: *Atque haec quidem, ut* COGNATIONIS IURE EI DEBITA, REDDEBAT, nimirum quia Herodes avus ea possederat, *Abilam vero, quae Lysaniae fuerat, . . .* ADIUNGEBAT [14]; non ergo Agrippae eo titulo, quod Herodis nepos esset, ius ullum erat in Abilenem, etsi fuerit in illa priora. Id ipsum narrat Iosephus in libris de Bello iudaico his verbis: *Claudius . . . Agrippam protinus donavit πατρῴᾳ βασιλείᾳ πάσῃ paterno regno universo*, id est, avito, quod Herodes avus tenuerat, nam Aristobulus Agrippae pater haud regnaverat, *adiiciens insuper, et quae ab Augusto datae fuerant Herodi, Trachonitidem et Auranitidem*, PRAETER HAS *autem* ALTERUM *regnum Lysa-*

---

[1]) Antiq. L. XIV. c. 7. § 4; Bell. L. I. c. 9 § 2. [2]) Conf. Antiq. L. XVIII. c. 6. § 10 et Bell. L. II. c. 11. § 5 et c. 12. § 8 cum Antiq. L. XIX. c. 5. § 1 et L. XX. c. 7. § 1. [3]) Antiq. L. XIX. c. 5. § 1; Bell. L. II c. 11. § 5. [4]) Antiq. L. XX. c. 5. § 2; Bell. L. II. c. 12. § 1. [5]) Antiq. L. XX. c. 7. § 1; Bell. L. II. c. 12. § 8. [6]) Hist. L. LIII. p. 411. [7]) L. c. pp. 753. 756. [8]) Annat. L. XII. § 23. [9]) Hist. L. LIX. p. 649. [10]) *Dio.* ib. [11]) Diss. XLI. no. 3. [12]) Hist. L. V. § 9. [13]) Orat. contra Flacc. p. 968. [14]) Antiq. L. XIX. c. 5. § 1.

niae appellatum [1]). Si itaque Herodes Abilenes numquam potitus est, adparet caussam, cur Lucas huius etiam regionis mentionem habuit, non illam esse, quam opinantur.

28 Quaenam autem caussa haec fuerit, si coniicere liceat, talem adferem quod Lucas haec scriberet tunc, quum has regiones, tetrarchiam, inquam, quae Philippo fuerat, partesque aliquot tetrarchiae, quae Herodi Antipae, et Abilenem, quae Lysaniae fuerat tetrarchia, Agrippa Agrippae filius, Herodis Magni pronepos [2]), obtinebat, volueritque prodere memoriae, quinam illa aetate, cuius historiam scribere adgrediebatur, dominarentur in regionibus, tum quibus ante eos Herodes Magnus, tum quibus, quum ipse Lucas scribebat, Agrippa Herodis pronepos, potiebatur.

DISSERTATIO XLIII

De Ioannis Baptistae ministerio

1 De Ioannis Baptistae ministerio, utpote quod fuerit quaedam veluti praeparatio *του κηρυγματος* Christi, evangelistae omnes loquuti sunt. Quum tamen, quae in evangelio Ioannis leguntur huc spectantia, postquam Christus ad baptismum venerat, facta fuerint, imo horum pars post quadraginta dies, quibus ieiunium servaverat [3]), ea in praesenti missa facimus. Itaque edisseremus, quae narrant Matthaeus, Marcus, et Lucas, quaeremusque, quando Ioannes munere suo fungi coeperit, quamdiu illud gesserit, quibus in locis, quodnam fuerit munus istud; item de baptismo, quem ipse ministrabat, de concionibus ab eo habitis, de testimonio, quod Christo dedit, de victu eius deque vestitu.

CAPUT I

De tempore, per quod Ioannes munere suo functus est

2 *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris* Ioannem suo munere fungi coepisse testis est Lucas [4]). Annum ostendimus esse quintumdecimum, ex quo Tiberius, non in rempublicam universam post obitum Augusti, sed in provincias ex aequo cum Augusto imperium exercere coeperat, ideoque apud Iudaeos initium habuisse extrema aestate an. aer. vulg. XXV [5]). At Christus, ut in alio loco demonstrabimus [6]), baptismum a Ioanne non serius accepit, quam sub postremos dies huius eiusdem anni. Consequens igitur est Ioannem Baptistam docere coepisse intra autumnum anni XXV.

3 Henricus Sanclementius [7]) nobiscum sentit de anno deque anni tempore, quo Christus baptismum accepit, attamen de temporis spatio, quod *intercessit inter initium ministerii Ioannis praecursoris et baptismum a Christo Domino in Iordane ab eo susceptum*, haec scripsit: *Quantumvis . . . intervallum istud imminuere et coarctare lubeat, concedas tamen, oportet, annum* SALTEM *integrum excessisse.* At quanam de caussa? Ideo, inquit, quia, quum, *antequam baptizaretur Christus, praecesserit Ioannis Baptistae vox clamantis in deserto et praedicantis baptismum poenitentiae, magnamque ille de se opinionem excitaverit, adeo, ut* EXISTIMARET POPULUS, ET COGITARENT OMNES IN CORDIBUS SUIS, NE FORTE IPSE ESSET CHRISTUS, *ut iterum verbis utar divi Lucae ex eodem cap.* III. *v.* 15, *diuturnum sane temporis spatium admittendum est, ut eam praecursor sibi famam et auctoritatem conciliare posset, antequam accederet Christus ab eo in Iordane baptizandus.* Suam hanc sententiam porro confirmare adnititur Sanclementius pluribus evangelistarum testimoniis atque etiam Pauli [8]). Totam autem argumentationem concludit his verbis: *Divus Lucas de baptismo sermonem instituit, quem Christum Dominum suscepisse narrat, cum Ioannes cursum suum impleret, et baptizaretur ab eo omnis populus.*

4 Equidem profiteor me aegre illud ferre, quod viri sapientissimi sententias identidem refutare cogor in his quaestionibus habendis. Nam animadvertam opus est, plerisque illorum testimoniorum id unum effici, Ioannem docere coepisse aliquanto tempore ante Christum, nullis autem id, quod

---

[1]) Bell. L. II. c. 11. § 5. [2]) Act. XXV, 13. [3]) Io. I, 15. 19—37 coll. 26. 32. 33. [4]) Luc. III, 1. 2. [5]) Diss. XXXIX. cap. I. [6]) Diss. XLVII. c. I. [7]) De vulg. aerae emendat. Exercitat. de anno domin. passion. pp. 518. 519. [8]) Act. XIII, 25.

vellet Sanclementius. Certe Ioannes legatus a Deo fuit, non ad Christi baptismum praenuntiandum, sed ad viam veluti consternendam huius *κηρυγματι* atque doctrinae, hoc, non illud, sonant oracula, quotquot de Ioanne edita fuerant [1]); non igitur Christus, ut ad baptismum accipiendum accederet, opus habebat, ut Ioannis fama nomenque late manaret. Quod si id fuisset opus, quum integram Israelitarum regionem intra paucos dies quisque quoquoversus percurrere queat, nonne illi rei satis erat unus mensis aut alter, praesertim per illud tempus, quum spes Christi mox venturi excitatos intentosque Iudaeorum animos habebat? Denique, velim consideres, quod Ioannes evangelista narrat, ut miserint *Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et Levitas ad* Ioannem, *ut interrogarent eum: Tu quis es?* [2]). Id factum esse post, quam Iesus ad Ioannem venerat, tinctusque ab eo fuerat, adparet ex his, quae Baptista legatis respondens dixit: *Medius autem vestrum* STETIT, *quem vos nescitis* [3]). At num credibile cuiquam fiat, non primo quoque tempore, ex quo fama de Ioanne percrebuerat, sed multos demum post menses, imo, ut fert Sanclementii sententia, post annum, legationem ad Ioannem super ea re missam esse?

5 Falso autem Sanclementius adfirmat a Luca narrari Christum accessisse ad baptismum, *cum Ioannes cursum suum impleret*, neque Pauli sermo ullo pacto suadet in hunc sensum accipere ea, quae Lucas narrat. Paulus enim ita loquitur est: *Cum impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego; sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum solvere* [4]). Quid autem in his, quod iubeat nos credere dicta haec a Ioanne fuisse ante Christi baptismum? At enim ante referuntur a Luca. Nempe; sed minime ait ante dicta fuisse a Ioanne; tum ante refert etiam, ut Ioannes ipse in carcerem traditus fuerit. Ceterum haec Ioannem loquutum esse, postquam Christo baptismum ministraverat, certo colligimus ex Ioannis evangelistae narratione [5]).

6 Denique haec Lucae verba: *Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Iesu baptizato et orante apertum est caelum et cetera* [6]), nullo modo significant Christum postremum omnium aut inter postremos aquis Iordanis ablutum a Ioanne, quod Ioannis evangelistae testimonio adversaretur [7]), sed tantumdem valent, quod probe intellexit interpres latinus, ac per id tempus, quo omnes ad baptismum veniebant. Neque nobis officit illud *ἀοριστον*, quo Lucas utitur, *ἐν τῳ βαπτισθηναι ἁπαντα τον λαον*, quasi vertendum foret: *quum baptizatus esset totus populus*, nam et Matthaeus haec ipsa narrans ita scripsit: *Τοτε παραγινεται ὁ Ἰησους . . . προς τον Ἰωαννην του βαπτισθηναι ὑπ᾽ αὐτου* [8]), quae nemo sic verteret: *Tunc venit* (SI PRESENTA) *Iesus . . . ad Ioannem*, UT BAPTIZATUS ESSET *ab eo*, sed: UT BAPTIZARETUR, sicut vertit interpres latinus, et Lucas ipse paullo superius haec scripserat: Ioannes *dicebat ergo τοις ἐκπορευομενοις ὀχλοις βαπτισθηναι ὑπ᾽ αὐτου*, *ad turbas, quae exibant*, UT BAPTIZARENTUR, non autem UT BAPTIZATAE ESSENT *ab ipso* [9]).

7 Verum Sanclementius argumenta quaeritabat, quibus veluti fulciret interpunctionem illam suam priorum verborum Lucae [10]), ostenderetque, neque annum quintumdecimum imperii Tiberii, licet provinciarum imperium id foret, neque Pilati procurationem potuisse a Luca commemorari tamquam notas temporis, quo Ioannes munus suum gerere coepit.

8 Ceterum sponte illud dabo, ex narrationibus evangelistarum effici, inter munus initum a Ioanne interque baptismum Christo administratum intercessisse aliquod temporis spatium, non tamen longius uno aut altero, summum tertio mense, ita ut Ioannes docere coeperit primo quoque tempore illius anni, qui Iudaeis erat annus quintusdecimus imperii Tiberii.

9 Porro autem docuit mensibus duodecim aut quindecim usque ad mensem novembrem aut decembrem anni aer. vulg. XXVI; quod facile demonstramus.

10 Etenim Matthaeus [11]), Marcus [12]), et Lucas [13]), narrationem rerum a Christo post baptismum ieiuniumque gestarum exordiuntur ab eius reditu in Galilaeam. Quaeritur, num omnes de uno eodemque reditu loquantur. Ita scilicet. Nam Matthaeus et Marcus scripsere id factum, ut Ioannes Baptista in custodiam traditus fuerat. Lucas vero post mentionem huius reditus narrat, quid Christus egerit Nazarethi [14]), continuoque ea ipsa, quae Matthaeus et Marcus [15]). Iam vero, quum Christus post pascha, quod primum fuit ab eius baptismo, *venit . . . in terram Iudaeam, et illic demorabatur, . . . et baptizabat* [16]), *erat . . . et Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim, quia aquae multae*

---

[1]) Is. XL, 3; Mal. III, 1; Luc. I, 17. [2]) Io. I, 19. [3]) Ib. 26. [4]) Act. XIII, 25. [5]) Io. I, 27 coll. 26. Lege Lib. II. adn. XVI. [6]) Luc. III, 21. [7]) Io. III, 22. 23. [8]) Matth. III, 13. [9]) Luc. III, 7. [10]) Diss. XXXIX. nn. 15 seqq. [11]) Matth. IV, 12. [12]) Marc. I, 14. [13]) Luc. IV, 14. [14]) Luc. IV, 16—30. [15]) Luc. IV, 31—37 et Marc. I, 21—28; Luc. IV, 38—41 et Matth. VIII, 14—16 et Marc. I, 29—34. [16]) Io. III, 22 coll. I, 29—II, 23.

erant illic, et veniebant, et baptizabantur; NONDUM *enim* MISSUS FUERAT IOANNES IN CARCEREM [1]); haec legimus in evangelio Ioannis. Paullo autem post: *Ut ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisaei, quod Iesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Ioannes, . . . reliquit Iudaeam, et abiit iterum in Galilaeam* [2]). Hic ille ipse reditus idem est, a quo ceteri tres evangelistae narrationem *κηρυγματος* Christi exordiuntur. Etenim legimus apud Lucam, ut Christus in Galilaeam reversus venit Nazarethum, famam ibi iam percrebuisse ostentorum, quae fecerat Capharnaumi [3]), quorum tamen primum fuit illud, quod Ioannes narrat [4]) post reditum ex Iudaea [5]); non ergo reditus, cuius illi tres meminere, prior est reditu, cuius meminit Ioannes hoc in loco. Sed neque posterior. Nam hoc iter ex Iudaea in Galileam, quod Ioannes descripsit, Christus fecit quatuor non amplius mensibus ante pascha, quod secundo egit post baptismum, idque mox ostendemus. Huius alterius paschatis Lucas quoque, implicite tamen, mentionem habuit [6]), multaque retulit a Christo gesta per id tempus, quod intercessit inter huius reditum ex Iudaea in Galilaeam, a quo hanc historiae partem ipse aeque ac Matthaeus et Marcus exordiuntur, et inter hoc alterum pascha; ea vero pauciora esse, quam quibus gerendis quatuor fere mensium spatium impenderetur, haud quaquam tibi videbuntur, si memineris, ut evangelistae, nisi admodum pauca de plurimis, quae Christus egit, literis consignarint.

11 Comperto itaque, ut omnes evangelistae de uno eodemque Christi reditu ex Iudaea in Galilaeam loquantur, ab evangelio Ioannis docemur iter istud confectum, ut diximus, quum quatuor fere menses superessent ante pascha alterum a quatuor, quae Christus egit post baptismum. Nam in hoc evangelio legimus, eum inter illud iter ita discipulos esse adloquutum: *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit* [7])? at messis peragebatur eo temporis spatio, quod est inter pascha et pentecosteo [8]). Quare Christus dicendus est illud iter fecisse intra mensem novembrem aut decembrem an. aer. vulg. XXVI, proinde Ioannes Baptista proxime id temporis in vincula coniectus fuisse.

CAPUT II

Quibus in locis Ioannes docuerit, et baptismum ministraverit

12 Si unumquodque evangeliorum per se ipsum legas, haud magnum negotium tibi facessent loca, in quibus Ioannes Baptista ministerium suum egisse narratur, secus, si evangelia omnia compares inter se. Id tamen facile extricabis, si locorum situs ipsaque narrationum verba accurate edidiceris, atque attente consideraveris. Eam ob rem situs hosce primum exponemus.

13 Matthaeus scripsit Ioannem adfuisse *in deserto Iudaeae* [9]). A vero errant magnopere, qui putant nomen *Iudaeam* regionibus quoque ultra Iordanem sitis factum esse sive a scriptoribus bibliorum, sive a Iosepho, neque ullo pacto id evincit Relandus [10]) iis testimoniis, quae adfert. Ait enim Iosephum meminisse *της Ἰουδαιας περαν του Ἰορδανου*. Falso; nam en Iosephi verba: *Οὑτος ὁ τοπος ἐστι μεταξυ της τε Ἀραβιας και της Ἰουδαιας, περαν του Ἰορδανου, οὐ ποῤῥω της Ἑσσεβωνιτιδος* ***Iste locus est inter Arabiam et Iudaeam, trans Iordanem***, hoc est, in regione trans Iordanem, ***non procul ab Hessebonitide*** [11]); verba *περαν του Ἰορδανου* iungenda sunt verbis *ὁ τοπος ἐστι*, minime vero verbis *της Ἰουδαιας*. Adfert etiam Relandus haec verba Matthaei: ***Cum consummasset Iesus sermones istos, migravit a Galilaea, et venit in fines Iudaeae*** *περαν του Ἰορδανου* ***trans Iordanem*** [12]); at, quomodo haec sint intelligenda, Marcus nos docuit, qui sic ait: ***Et inde exurgens venit in fines Iudaeae*** *δια του περαν του Ἰορδανου* ***per regionem ultra Iordanem*** [13]). Istud *περαν* semel legitur apud Lucam, saepe apud ceteros evangelistas. Ioannes illud semper usurpavit ut praepositionem, ceteri numquam, nisi Marcus fortasse, idque semel atque ita scribens: ***Multa turba a Galilaea et Iudaea secuta est eum, et ab Ierosolymis, et ab Idumaea,*** *και περαν του Ἰορδανου* ***et trans Iordanem*** [14]), quod tamen constat dictum esse pro *ἀπο περαν του Ἰορδανου* ***a regione trans Iordanem***, repetita ex prioribus praepositione *ἀπο* ***ab***, ut *περαν* hoc etiam in loco, sicut semper alias apud Marcum, aeque ac apud Matthaeum et Lucam, non sit praepositio, sed nomen significans regionem ipsam, eam plerumque, quae est ultra Iordanem, tametsi interdum absolute positum significet

---

[1]) Ib. III, 23. 24. [2]) Ib. IV, 1. 3. [3]) Luc. IV, 23. [4]) Io. IV, 54 coll. 46—53. [5]) Ib. coll. 3. [6]) Luc. VI, 1. Lege Diss. XXXIX. n. 17 et *Patrit.* De interpret. scripturarum sacr. L. I. n. 197. [7]) Io. IV, 35. [8]) Deut. XVI, 9, 10 coll. Lev. XXIII, 10—16. [9]) Matth. III, 1. [10]) Palaestin. L. I. c. 6. [11]) Antiq. L. XII. c. 4 al. 5. § 11. [12]) Matth. XIX, 1. [13]) Marc. X, 1. Lege Lib. II. adnot. XCI. [14]) Marc. III, 7. 8.

illam, quae citra Iordanem iacet [1]), est enim nomen relationis. Quare sensus verborum Matthaei est, Iesum e Galilaea in Iudaeam contendisse per regiones trans Iordanem. Denique illud יהודה הירדן, quod Relandus deprompsit ex libro Iosuae [2]), vertique vult *Iudaeam Iordanis* aut *Iudaeam trans Iordanem*, explodunt omnino accentus, quibus sententia interpungitur, nedum ipsa grammatica ipsaque ratio loquendi, quae vetant sive *Iudaeam Iordanis* sive *Iudaeam trans Iordanem* hebraice dici יהודה הירדן.

14 Sed neque totam Israelitarum regionem, quanta citra Iordanem est, sive scriptores bibliorum sive Iosephus *Iudaeam* unquam vocavere [3]). Quid autem sonent Iosephi verba [4]), quae Relandus [5]) huic alteri sententiae favere existimabat, in alio loco [6]) exposuimus.

15 Attamen pro comperto est nomen *Iudam* post defectionem decem tribuum coeptum subinde usurpari ad significandum illum Chanaanitidis tractum, qui utriusque tribus, Iudae et Beniamini, regiones complectebatur, porro autem obtinuisse subsequentibus deinceps aetatibus hanc nominis significationem, eamque solam nomini *Iudaeae* subiectam fuisse, ex quo tota Chanaanitis, hoc est, tota Israelitarum olim regio, quae cis Iordanem iacet, dividi coepit in Iudaeam, Samariam, et Galilaeam, quae divisio Iuda Machabaeo rempublicam gerente iam in usu erat [7]), imo etiam prius [8]).

16 Itaque terminos habemus, intra quos *desertum Iudaeae* a Matthaeo commemoratum quaeramus, videlicet intra regiones, quas olim sive tribus Iudae sive tribus Beniamini possederant. Utraque regio sua habuit deserta, vel, ut verius loquar, unus idemque tractus desertus per utramque regionem atque ulterius in septemtriones extendebatur.

17 Pars illa, quae erat in regione tribus Iudae, etiam a vetustioribus bibliorum scriptoribus מדבר יהודה *desertum Iudae* [9]) vocata est. In titulo psalmi LXIII dicitur David psalmum hunc edidisse, *quum esset* במדבר יהודה *in deserto Iudae.* Si compertum foret psalmi argumentum, notitia haec nos iuvaret ad definiendum deserti huius situm. Lightfootus [10]) autumabat psalmum compositum a Davide, quum is regem Saulem fugiens *habitavit in locis tutissimis Engaddi* [11]). Contra ea Dathius et secundum hunc Rosenmuellerus [12]) haec edoctarunt: *Quanquam in exilio propter Sauli persecutiones David saepe et diu in deserto Iudae viveret* [13]), *tamen, ad illa tempora hunc psalmum referri non posse, iam plures interpretes recte observarunt. Nam in versu* 12 *se regem vocat, quod nomen vivente Saulo numquam sibi tribuit.* Non tamen felicius res cessit ipsis Dathio et Rosenmuellero, quum psalmi argumentum sic exposuere: *Igitur haud dubie inscriptio de exsilio propter seditionem Absalomi explicanda est, cum traiecto Iordane in deserto Iudae, quod latius, quam vulgo sumitur, patuit, castris fortasse saepe mutatis, degeret.* Profecto gravius, quam Lightfootus, peccarunt hi duo, quum nomine מחנים *Machanaim*, quod in illa historia oppidum est (19), putarunt significari *castra*, quumque *deserta Iudae* trans Iordanem, inque plagas, quae Beniamitae in orientem medio flumine spectabant, idque regnante Davide, protraxere. Argumentum igitur psalmi non satis claret, proinde eo minime iuvemur in hac quaestione.

18 Attamen clara satis sunt, quae legimus in libris Iosuae et Iudicum, et quibus efficitur *deserta Iudae* a meridianis huius tribus [14]), per eius plagas orientales lacui Asphaltitae adiacentes [15]), in septemtriones porrecta fuisse usque ad confinia Iudaeorum et Beniamitarum [16]), quae confinia ab exitu Iordanis in lacum praedictum paullo inferius versus occasum extenduntur [17]).

19 Partem hanc desertorum, quae *deserta Iudae* nomen habuit, continuo excipiebat pars alia excurrens per orientalem plagam Beniamitarum secus Iordanem [18]) ultra horum terminos aquilonares [19]). Ad eius situm illustrandum aliquid confert descriptio itineris, quod fecit David Absalomum filium fugiens [20]). Nam profectus Hierosolyma, quae saltem ex parte in tribu Beniamini censebatur [21]), dicitur Cedrone transmisso tenuisse viam, quae ducebat ad deserta [22]), superasse iuga montis Oliveti [23]), ac substitisse בערבות המדבר *in campestribus deserti* [24]) prope Iordanem [25]), eoque mox

---

[1]) Matth. XIV, 22; XVI, 5; Marc. V, 21; VI, 45; VIII, 13. [2]) Ios. XIX, 34. [3]) Diss. XXVII. c. VII. n. 7. [4]) Antiq. L. I. c. 6. § 2. [5]) L. c. p. 35. [6]) Diss. XXVII. c. VII. n. 8. [7]) Ib. n. 7. [8]) Iudith I, 8. 9. [9]) Iudic. I, 16; Ps. LXIII, 1. [10]) Horae hebr. et talmud. Decas chorograph. in Marc. c. 2. § 2. [11]) I Reg. XXIV, 1. [12]) Schol. in Ps. LXIII, 1. [13]) I Sam. XXII, 5; XXIII, 14. 15. 26. [14]) Iudic. I, 16 coll. Num. XXI, 1 et XXXIII, 40. Lege *Reland.* op. cit. L. III ad nom. *Arad.* [15]) Ios. XV, 61. 62 coll. 6 hebr. et coll. Ezech. XLVII, 8. 10. Lege *Rosenmuell.* Schol. in h. l.; *Id.* Handb. der bibl. Alterthumsk. II B. I. Th. S. 169. 171; II Th. S. 162. 163; *Reland.* op. cit. L. I. c. 56; L. III ad nom. *Engedi.* [16]) Ios. XV, 61 coll. 6 hebr. [17]) Ios. ib. 5 hebr. et XVIII, 19. [18]) II Reg. XV, 23. 28; XVII, 29; *Ioseph.* Bell. L. IV, c. 8. § 3. [19]) Conf. Ios. VIII, 15. 20. 24 coll. 11. 13; XVI, 1; *Ioseph.* Bell. L. III. c. 10. § 7. [20]) II Reg. XV, 14 seqq. [21]) Diss. XXXIV. n. 2. [22]) II Reg. XV, 23. 28. [23]) Ib. 30. 32; XVI, 1. [24]) Ib. XVI, 28; XVII, 16. 29. [25]) Ib. XVII, 16. 21.

transmisso [1]) venisse Machanaim [2]), quod Hieronymus, ut solitus fuit pro hebraicis nominibus propriis reddere ipsorum significationem, vertit *Castra*, id enim significat nomen istad, at falso putarunt Dathius et Rosenmuellerus [3]) haec esse castra a Davide locata post transmissum Iordanem, quum ipsa historia nos doceat urbem eam fuisse [4]), illam videlicet, quae in tribu Gadi sita erat [5]). Ex hac narratione adparet Davidem Hierosolyma egressum, ut deserta peteret, iter tetendisse versus orientem, nam Oliveti iuga urbi Hierosolymae ab oriente adsurgunt [6]); atqui illac eundum erat, quum Beniamitarum deserta petebantur, siquidem deserta haec fuerunt, ubi diximus. Neque suspicari est Davidem deflexisse iter ad deserta tribus Iudae, dum fugeret Absalomum, qui Hebrone urbe Iudaeorum Hierosolymam contendebat [7]), contra ea, quum Machanaim confugere vellet, quae triginta circiter passuum millibus in aquilonem summota magis est quam Hierosolyma [8]), fugamque, ubi opus foret, traiecto Iordane celerare [9]), necesse habuit ita versas orientem tendere, ut simul ad septemtriones aliquantulum deflecteret, qua amnis traiectus Hierosolyma profectis viam omnium brevissimam Machanaim praebebat. Imo non aliter facere potuit, quippe qui Iordanem petebat; Iordanis enim exitus in lacum Asphaltitem est ab ortu aestivo Hierosolymae. Haec quum ita sint, certius esse adparebit, quod ex illa narratione colligere est, Davidem tunc Iordanem illac transmisisse, qua Iosue totaque gens Israelitarum primo transmiseraat [10]). Non enim modo ipse situs regionum docet traiectum hunc omnium opportunissimum fuisse fugae Hierosolyma Machanaim versus celerandae, sed, quum David ex hac in illam urbem regrediens, non secus ac quam ex illa in hanc confugerat, viam brevissimam ivisse credendus sit, utque legimus in ipsa historia, amnem traiecerit, qua olim tota gens duce Iosue [11]), iure concludimus hac quoque transmisisse, quum fugeret. Iam vero illac ex orientali ripa Iordanis traiectas erat in Galgala [12]) inter Hierichuntem et Iordanem posita [13]), proinde in regione Beniamitarum [14]). Tum nullus esse potuit traiectus Iordanis in tribum Iudae, quam hic fluvius nullam partem adlaebat, quum ab huius exitu in lacum Asphaltitem excurrerent versus occasum hiemalem confinia duarum tribuum Iudae et Beniamini [15]). Constat igitur *campestria deserti*, in quibus David Hierosolyma profugus substitit, autequam transiret Iordanem, posita fuisse iatra Beniamitarum fines secus Iordanem, proinde deserta, de quibus quaerimus, illac quoque protendi.

20 Id ipsum concludes ex historia oppugnationis urbis Hai, siquidem adtendas, ut Hierichus et Galgala, ubi Iosue castra tunc habebat [16]), illam urbem in septemtriones spectarent [17]); hac re, inquam, intelliges, deserta, quorum in hac historia mentio est [18]), non alibi esse potuisse, nisi in orientali plaga Beniamitarum, quam Iordanes terminabat [19]).

21 Utrum ergo putandum est, a Matthaeo nomine *deserto Iudaeae* designari totum tractum, qui a meridianis Iudaeae ad huius usque et Samariae confinia porrigebatur, an eam dumtaxat illius tractus partem, quae continebatur intra priscam ditionem tribus Iudae? Profecto, quoniam *desertum Iudaeae* legimus hoc in loco, non vero *desertum Iudae* dubitare haud est, non יהודא, quod est *Iudas* nomen viri et tribus, usurpatum fuisse a Matthaeo, sed יהוד, quod regionem ipsam significat, ut alias [20]) diximus, sive quae unius tribus Iudae terminis, sive quae huius et Beniamini, finiebatur, atque a graecis latinisque scriptoribus Iudaea vocata est. Quare nihil ex nomine colligere praeterea est, quam hoc *desertum* neque in Galilaea fuisse, neque in Samaria, neque trans Iordanem, sed intra plagas orientales regionum, quas olim tribus Iudae et Beniamini possederant. Quum vero Ioannes Baptista ortus sit *in civitate Iuda* [21]), quae procul dubio urbs fuit tribus Iudae [22]), atque adhuc puer moratus dicatur *in desertis, usque in diem ostensionis suae ad Israel* [23]), si quis contendat deserta haec, in quibus Ioannes muneri suo administrando initium fecit, non longe fuisse ab eius patria, atque adeo in ipsa regione tribus Iudae, equidem, non modo haud obsistam, sed plenissime adsentiam; verum id manet, utracumque notio subsit nomini *Iudaeae* in his verbis Matthaei.

22 Lucas haec scripsit: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto* [24]), additque eum venisse εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον *in omnem regionem Iordanis* [25]). Quum Lucas superius dixerit Ioannem a pueris moratum esse *in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel* [26]), liquet haec ipsa esse deserta, in quibus *factum est verbum Domini super Ioannem*.

[1]) Ib. 22. [2]) Ib. 24. [3]) L. c. [4]) II Reg. XVIII, 3. 24. 33; XIX, 3. [5]) Ios. XXI, 37. Lege *Reland.* op. cit. L. III ad nom. *Machanaim.* [6]) Zach. XIV, 4. [7]) II Reg. XV, 9. 10. 37. [8]) Reland. l. c. [9]) Conf. II Reg. XV, 28 et XVII, 16. 21. 22. [10]) Ios. III, 14 – IV, 19 [11]) II Reg. XIX, 15. 40 coll. Ios. IV, 19, [12]) Ib. [13]) Ios. IV, 19 coll. III, 17. [14]) Ib. XVIII, 21. [15]) Ios. hebr. XV, 5; XVIII, 19. [16]) Ios. IV, 19; VII, 2; IX, 6. [17]) Ib. VII, 2 coll. XVI, 1. [18]) Ib. VIII, 15. 20. [19]) Conf. ib. hebr. 2. 4. 9. 12. 14. 15. 20. [20]) Diss. XXVII. c. VII. nn. 6. 7. [21]) Luc. I, 39. [22]) Diss. X. c. I. [23]) Luc. I, 80. [24]) Luc. III, 2. [25]) Ib. 3. [26]) Ib. I, 80.

Atqui ratio est, ut modo diximus (21), cur deserta haec non alia esse credantur, quam quae intra fines tribus Iudae iacebant.

23 Quam Lucas vocavit *περιχωρον* Iordanis, quaeque etiam a Matthaeo [1]) nominatur, eam esse, quam Hebraei ככר הירדן [2]) dicebant, aut simpliciter et *κατ᾽ ἐξοχην* הככר [3]), docent nos Septuaginta interpretes, qui pro his vocabulis hebraicis reddiderunt *την περιχωρον του Ἰορδανου* [4]) aut *την περιχωρον* [5]). Hebraeis ככר, aeque ac Graecis *περιχωρος*, est *terrae tractus circumiacens* (*i contorni*); quare ככר הירדן et *περιχωρος του Ἰορδανου* est plaga Iordani utrinque adiacens (*i contorni del Giordano*), medius, inquam, ille tractus regionis Israelitarum, quem Iordanes secat. Eam huius tractus partem, quae Iordani ab occasu adiacet, sed solum quanta ab agris hierichuntinis usque ad australem extremitatem lacus Asphaltitae porrigitur, distincte ac definite indicat liber deuteronomii [6]). · Partis oppositae secusque orientalem fluminis ripam excurrentis, sed eius dumtaxat, quae urbi Machanaim (19) proxima erat, non longe infra lacum Tiberiadis [7]), mentio habetur in altero libro Samuelis [8]). Commemoratur ככר הירדן etiam in narratione de templo exstructo a Salomone [9]), utrum vero orientalis an occidentalis, incertum; quamquam, si adtendas id, quod ibi narratur, occidentalem dices.

24 Adparet ככר *την περιχωρον* Iordanis eam ipsam esse, quae *μεγα πεδιον magnus campus* etiam nomen habuit [10]), quamque Iosephus ita descripsit: Urbi Hierichunti *imminet mons nudus ac sterilis longissimus. Nam versus boream Scythopolitarum usque ad terram protenditur, versus austrum vero usque ad Sodomitarum regionem et fines lacus Asphaltitae; est autem totus inaequalis, et propter sterilitatem incultus. Isti ex adverso opponitur alter mons, qui ultra Iordanem situs incipit versus boream a Iuliade, et porrigitur versus austrum usque ad Somorra, quae Petram Arabiae disterminat. . . . Quae vero inter duos illos montes interiacet regio, Magnus Campus dicitur, a vico Ginnabri ad lacum usque Asphaltiten pertingens, . . . medius secatur a Iordane, et lacus habet Asphaltiten et Tiberiensium* [11]). Idem hic tractus hodie apud incolas الغور *El-Ghor*, id est, *regio profunda*, nomen habet [12]).

25 Sed et illud adnotare iuvat, quod inferius [13]) conducet explicationi vaticinii ab Isaia editi de Ioanne Baptista, tractum hunc, de quo loquimur, non esse nisi partem eius, qui הערבה *Haaraba*, hoc est, regio *inculta*, simpliciter et *κατ᾽ ἐξοχην* vocatur in bibliis, a quibusdam autem graecis scriptoribus *Αὐλων vallis.* Hanc ita describit Hieronymus post Eusebium: *Aulon . . . appellatur . . . vallis grandis atque campestris, in immensam longitudinem se extendens, quae circumdatur ex utraque parte montibus sibi invicem succedentibus et cohaerentibus, qui incipientes a Libano et ultra usque ad desertum Pharan perveniunt. Suntque in ipso Aulone, id est, valle campestri, urbes nobiles, Scythopolis, Tiberias, stagnumque prope eam; sed et Hiericho, mare Mortuum, et regiones in circuitu, per quas medius Iordanes fluit, oriens de fontibus Paneadis, et in mare mortuum introiens* [14]). Vallem hanc totam, quanta in longum protenditur, commode tripartito dividas; in aquilonarem, per quam defluit Iordanes, perpetua declivitate devexam ab huius fontibus usque ad exitum in lacum Asphaltiten, per millia amplius centum et viginti quinque, in mediam, quam lacus secat extensus per millia fere quadraginta octo, in australem, etiamnum العربة *El-Araba* vocatam, quae a lacu adsurgit versus sinum Elaniticum per millia circiter sexaginta octo, usque ad loca editissima inter lacum et sinum, quae *El-Sate* nomen habent [15]).

26 His, quae diximus, plane respondent ea, quae de Haaraba legimus in bibliis. Moyses haec narrat: *Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam* הערבה Haaraba, *de Elath et de Asiongaber*, quae urbes erant ad sinum Elaniticum, *venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab* [16]). En tibi vallem australem, quae erat extra ditionem Israelitarum. Vallis mediae partem, quae est in plagis orientalibus tribus Iudae, quas terminat ab ortu lacus Asphaltites, memoravit Ezechiel [17]). Ipsi lacui Asphaltitae scriptores bibliorum ים הערבה *mare Haaraba* subinde fecere nomen [18]); cur vero, quamque apte, ex dictis adparet manifesto. Sed vallis aquilonaris mentio apud illos longe frequentior, tametsi solum, quanta est inter lacus Genesarethicum et Asphal-

---

1) Matth. III, 5. 2) Gen. XIII, 10. 11; III Reg. VII, 46; II Par. IV, 17. 3) Gen. XIII, 12; XIX, 17. 25. 28. 29; Deut. XXXIV, 3; II Reg. XVIII, 23. 4) Gen. XIII, 10. 11. 5) Ib. XIX, 17. 28. 6) Deut. XXXIV, 3. 7) Conf. Ios. XIII, 24. 26. 27. 8) II Reg. XVIII, 23 coll. XVII, 24. 27. 9) III Reg. VII, 46; II Par. IV, 17. 10) I Mach. V, 52. 11) Bell. L. IV. c. 8. § 2. 12) *Reland.* op. cit. L. I. c. 55. p. 365; *Rosenmuell.* Handb. II B. I Th. S. 145. 162. 13) Diss. XLV. n. 9. 14) De locis ad n. *Aulon.* 15) *De Berton* Voyage depuis les sources du Jourdain jusqu'à la mer Rouge. 16) Deut. II, 8. 17) Ezech. XLVII. 8 coll. 1. 2. 9—12. 18) Deut. III, 17; IV, 49; Ios. III, 16; IV Reg. XIV, 25.

titeu, tum ultra Iordanem atque orientem versns [1]), terminans occidentales plagas Rubenitarum et Gaditarum [2]), tum citra [3]), a meridianis urbia, cui nomen erat Cinnereth [4]) aut Cenereth [5]), prope lacum cognominem eumdem ac Genesarethicum positae [6]) in ditione Nephtalitarum [7]), excurrens, perque plagas Beniamitarum orientales [8]), usque ad vallem mediam lacumque Asphaltiten [9]).

27 Quibus positis nemo non perspicit, quosnam illarum terrarum tractus signent nomina מדבר *desertum*, הערבה *Αὐλων vallis Haaraba*, ככר הירדן ἡ περιχωρος Iordanis vel *Μεγα πεδιον Magnus campus*, qua in re conciuant, qua discrepent. Vallis quippe per media deserta porrigebatur [10]) a septemtrionibus in meridiem, tractum vero vallis inter duos lacus, olim vero et ipsum lacum Asphaltiten, ἡ περιχωρος Iordanis continebat, ita ut tractus iste adpellaretur omnibus illis nominibus; atque hinc illud, quod Iosephus de Iordane per tractum hunc defluente sic loquitur: *Secat medium lacum Gennesar, deinde multam emensus ἐρημιαν* SOLITUDINEM *exit in lacum Asphaltiten* [11]).

28 Nunc de locis, in quibus Ioannem Baptistam fuisse narrat Ioannes evangelista. Haec loca duo sunt; alter Bethania [12]), *ubi erat Ioannes baptizans primum* [13]), alter *Aennon iuxta Salim*, in quo *aquae multae erant* [14]).

29 Bethania haec trans Iordanem sita alia erat oppido, quod idem ipse Ioannes ceterique evangelistae non semel commemorarunt, ad montem Olivetum posito [15]), prope Hierosolymam [16]), nec inde longius *stadiis quindecim* [17]). Utrum haec quoque oppidum foret, an locus campestris, incertum. Nec modo trans Iordanem, sed, quoniam, qui ad Ioannem Baptistam veniebant, *baptizabantur ab eo in Iordane* [18]), liquet proximam flumini eam fuisse, utque ideo inter duos lacus, quandoquidem την περιχωρον Iordanis, intra quam solam Ioannes baptismum ministravit [19]), ab aquilone terminabat lacus Genesarethicus. Proinde etiam vides, ut haec Bethania contineretur tum desertis, tum valle Haaraba, tum τῃ περιχωρῳ Iordanis.

30 Quum Bethania ista numquam alias compareat, nihil praeterea nobis biblia suppeditant, quo eius situm magis definiamus, nisi forte si quid ob rem exspectare est ab exemplaribus graecis evangelii, in quorum bene multis pro *Bethania* legitur *Bethabara*. Etenim, quod alii iam animadverterunt [20]), utrique nomini eadem notio subest, quum אניה sit *navis*, et עברה *navicula qua transmittimus*. Suicerus [21]) illud opponit, quod haec Bethania iisdem literis graecis scribitur ac Bethania altera Hierosolymae proxima, propterea non alia uni quam alteri esse possit significatio. Atqui altera Hierosolymae proxima, prout docet syriaca evangeliorum translatio, iudaice vocabatur בית עניא, nomen autem עניא nil minus sonat, quam navim. Verum quam vellem, edixisset Suicerus, quibus graecis literis discrimen literarum hebraicarum א et ע exprimi queat. Quod vero positum habere videtur, nomina hebraica uno alterove elemento disparia, quum graecis literis scribuntur, disparitatem hanc servare, id biblia ipsa prorsus refutant, in quibus, exempli gratia, pro הבל Adami filio [22]) aeque ac pro אבל urbe Israelitarum [23]) legitur *Ἀβελ*, item *Βαλακ* tum pro בלק Moabitarum rege [24]) tum pro בלע urbe Pentapoleos [25]), sic etiam *Γαι* pro עי [26]) aeque ac pro גיא [27]), *Ἰησους* pro יהושוע [28]) et pro ישוע [29]), *Ἰσμαηλ* pro ישמעאל [30]) ac pro ישימאל [31]), *Μαχιρ* pro מחיר [32]) ac pro מכיר [33]), *Σηων* pro סיחן rege Amorrhaeorum [34]) ac pro שיאן, quod alterum nomen habet mons Hermon [35]). Ceterum, quod *Bethania* et *Bethabara* in hoc loco *συνωνυμα* sint, propterea quoque credimus, quia hoc posito patet caussa, cur prima ipsa aetate post Christum [36]) librarii iam unum pro altero ponerent. Iam vero haec Bethaniae et Bethabarae *συνωνυμια* credere suadet nomen utrumque usu fuisse receptum ad unum et eumdem locum nominandum, neque proprium oppidi aut urbis alicuius illud esse, oppida enim et urbes duo nomina per idem tempus habere non solent, sed alterutroque aulitum designari locum ad ripas Iordanis, unde viatores navicula flumen traiiciebant.

31 Plures fuere hi traiectus celebriores, qua Magnus campus patebat [37]), sed omnium celeberrimus, qui ab Hierichunte sex circiter millibus distabat. Hic idem ille est, cuius pluries mentio

---

[1]) Deut. IV, 49; Ios XII, 1. 3. [2]) Deut. III, 17. [3]) Ios. XI, 16; XII, 8. [4]) Ios. XI. 2. [5]) Conf. Num. XXXIV, 11 et Ios. XIII, 27 cum Ios. XII, 3. [6]) Ib. [7]) Ios. XIX, 35; III Reg. XV, 20. [8]) Ios. VIII, 14 coll. 11—13 et VII, 2; II Reg. II, 29 coll. 8. 24 hebr.; IV Reg. XXV, 4 coll. 5; Ier. XXXIX, 4 coll. 5; LII, 7 coll. 8. [9]) Ios. XVIII, 18 coll. 19. 20. [10]) Conf. Deut. I, 1. [11]) Bell. L. III. c. 10. § 7. [12]) Io. I, 28. [13]) Ib. X, 40 coll. III, 23. 26. [14]) Ib. III, 23 coll. 26. [15]) Marc. XI, 1; Luc. XIX, 29. [16]) Matth. XXI, 17. 18; Marc. XI, 1. 11. [17]) Io. XI, 18. [18]) Matth. III, 6; Marc. I, 5. [19]) Luc. III, 3. [20]) Lege *Wolf.* Cur. crit. in Io. 1, 28; *Rosenmuell.* Handb. II B. II Th. S. 36. [21]) Thesaur. ecclesiast. ad v. *Βηθανια*. [22]) Gen. IV, 2. [23]) III Reg. XX, 14. 15. 18. [24]) Num. XXII, 2. [25]) Gen. XIV, 2. [26]) Ios. VII, 2. [27]) I Par. IV, 39. [28]) Ex. XVII, 9. etc. [29]) I Esd. II, 2 etc. [30]) Gen. XVI, 15. [31]) I Par. IV, 36. [32]) Ib. 11. [33]) Ib. VII, 14. [34]) Deut. IV, 46. [35]) Ib. 49. [36]) *Origen.* in Io. 1, 28. [37]) *Lightfoot.* Hor. hebr. et talmud. Disquisit. chorograph. Ioanni praemiss. c. 1. §§ 2—5.

in bibliis, quo Israelitae primum duce Iosue [1]), quo David Absolomum filium fugiens (19), quo Elias in caelum iam iam evehendus [2]) Iordanem transmisere. Ibi autem עברה *navis ad traiiciendum* fuisse in promptu, diserte narrat scriptor libri secundi Regum, sic enim legitur: ועברה העברה לעביר את בית המלך *Et traiecit navis ad traiiciendum domum regis* [3]); quae res adpellationem בית עברה *domum*, id est, *locum navis* illustrat simul, et comprobat. Ipse loci situs propter frequentiam illac commeantium, quia traiectus iste viam ex Iudaea in regiones ultra Iordanem positas praebebat omnium brevissimam, ostendit, quam opportuna Ioanni Baptistae sedes ea foret. Quibus omnibus argumentis si illud adiungas, quod suggerit ipsa ad Ioannem adeuntium frequentia, nulla iam, ut arbitror, de Bethabarae situ supererit dubitatio.

32 Quibusdam creditur Bethabara non alia esse, quam quae in libro Iudicum בית ברה *Bethbara* [4]) nominatur [5]). Equidem, si *Bethbara* dixeris esse idem nomen ac *Bethabara*, sed contractius, tecum non luctabor, secus vero, si eumdem locum, nam, ut illud omittam, quod altera in altera Iordanis ripa esset, neque ea, quae narrantur in libro Iudicum, sinunt Bethbaram in meridiem summoveri illuc usque, ubi Bethabaram positam diximus, neque Bethabaram in aquilonem usque ad Bethbarae locum transferre possumus, quin dicta superius (31) susque deque habeamus.

33 Etenim in libro Iudicum, ubi narrantur Gedeonis res gestae, dicuntur Madianitae, contra quos ille pugnaturus erat, castra metati esse *in valle Iezrael* [6]). Urbs Iezrael erat prope fines meridianos Issacharitarum [7]), vallis, quae ab urbe nomen traxit, porrigebatur versus meridiem in regiones Manassitarum [8]), ab occasu urbis Bethsanis [9]), quae in horum plagis aquilonaribus olim sita [10]) sequioribus aetatibus Scythopolis dicta est [11]), nunc vero Bisan, sex amplius millibus distans a Iordane in occasum. Madianitae tubis ac lampadibus Gedeonis perterriti [12]) fugerunt *usque ad . . . crepidinem Abelmehula* [13]). Etiam haec urbs Manassitarum erat [14]), ad decimum milliarium a Scythopoli [15]), meridiem versus [16]). Illa autem *crepido Abelmehulae* est ripa Iordanis Abelmehulae proxima, sicut ait Gesenius [17]), secus ac sensisse videtur Rosenmuellerus [18]) laudans interpretationem Ionathanis, qui verba עד שפת אבל מחולה ita vertit: *usque ad finem planitiei Abelmeholae*. Verum standum omnino est a Gesenio. Quorsum enim fugae veluti terminus Abelmehula commemoretur? Nempe, vel quia ibi Madianitae media in fuga substiterant, vel quia illac transmiserant Iordanem in proprias regiones recessuri. Substitisse illos non modo verisimile haud est, sed plane falsum; constat quippe trans Iordanem omnes aufugisse, quum ne unum quidem eorum, dum fugerent, citra Iordanem ab Israelitis interfectum legamus, contra vero, transmisso Iordane, Ephraimitae primum [19]), tum Gedeon eiusque socii trecenti [20]), narrentur ingenti clade illos adfecisse [21]). Itaque ripam Iordanis Abelmehulae proximum significant illa שפת אבל מחולה, eaque ripa commemoratur, utpote qua Madianitae in fugam acti flumen traiecere. Porro autem id confirmat historia ipsa narrans, ut Ephraimitae, qui a meridie Manassitarum degebant, Gedeonia iussu fugam hostibus interceperint occupato Iordane [22]). Non ergo fines Ephraimitarum adtigerunt Madianitae, dum fugiebant. At proxima his finibus Abelmehula; distabat quippe decem millibus in meridiem a Scythopoli, ut diximus, a qua millibus viginti et uno in occasum hyemalem aberat, quae nunc est Neapolis [23]), olim Sichem, urbs Ephraimitarum, horum autem fines aquilonares sex saltem millibus supra ipsam Neapolim fuisse oportet, quum tantumdem fere versus aquilonem ab hac distaret Samaria [24]), quae *caput Ephraim* [25]) habebatur, et vocabatur. Quum igitur Ephraimitae, quo Madianitas traiectu Iordanis prohiberent, occupaverint *aquas atque Iordanem usque Bethbera* [26]), liquet Bethbaram magis in austrum fuisse positam, quam Abelmehulam, inque tribu Ephraimi, quod comprobat, etiam huius tribus et Abelmehulae vicinitas, attamen non procul ab eius finibus aquilonaribus, Ephraimitae enim obsederunt *Iordanem usque Bethberam* occurrentes adversus Madianitas, qui meridiem versus aufugiebant. Non igitur situm, quem Bethabarae adsignamus, Bethbarae esse potuit.

34 Sed neque contra. Nam Bethbara erat in Samaritide, quippe olim intra terminos Ephraimi-

---

[1]) Ios. III, 14—IV, 19. [2]) IV Reg. II, 8 coll. 1—7. [3]) II Reg. XIX, 18. [4]) Iudic. VII, 24. [5]) *Reland.* op. cit. L. III. ad hh. vv.; *Gesen.* Thesaur. ad v. בית ברה; *Rosenmuell.* Handb. II Bd. II Th. S. 37. [6]) Iudic. VI, 33. [7]) Ios. XIX, 18. Lege *Rosenmuell.* Schol. in h. l. [8]) Ib. XVII, 16. [9]) Conf. I Reg. XXIX, 1. 11 et XXXI, 1. 10. Lege *Rosenmuell.* Handb. II B. I Th. S. 111. [10]) Ios. XVII, 11. *Rosenmuell.* Schol. in h. l. [11]) Iudic. I, 27 graec.; II Mach. XII, 29 coll. 30 et I Mach. V, 52; Iudith III, 10 graec. [12]) Iudic. VII, 20. 21. [13]) Ib. 23. [14]) III Reg. IV, 12 coll. Ios. XVII, 11. [15]) *Euseb.* et *Hieron.* de locis libri Regnor. [16]) Ib. et III Reg IV, 12. [17]) Thesaur. ad v. טבת. [18]) Schol. in Iudic. VII, 23. [19]) Iudic. VII, 24. 25. [20]) Ib. VIII, 4. [21]) Ib. 10—13. [22]) Ib. VII, 24. [23]) Vetus Itinerar. hierosol. ap. *Bertium* Theatr. geograph. vet. T. II. p. 43. Amstelod. 1619. [24]) *Rosenmuell.* Handb. II B. II Th. S. 118. [25]) Is. VII, 9. [26]) Iudic. VII, 24.

tarum. At in Samuritide aut in ripa Iordunis regioni huic opposita Ioannem unqnam muuns suum exercuisse, credibile uon est, qunm ueque ulli Samaritarum ad Ioannem venisse narrentur, ueque buiusmodi commoratio ea fuisset, quue Ioanni tautam Iudaeorum frequentiam couciliuret, quuntam legimus iu evungeliis. Neque illud obest, qnod ud eum adiisse dicatur *πασα ἡ περιχωρος του Ἰορδανου tota regio Iordaui adiacens* [1]), ipseque in banc regiouem uuiversam veuisse [2]); nota enim est vis quae subest uomiui *πασα omnis* iu bibliis, sicque paullo post legimus apud Lucam: *ἐν τῳ βαπτισθηναι ἁπαντα τον λαον cum baptizaretur omnis populus* [3]), ex quo nemo coucludat omues Iudaeos ad uuum baptismo ablutos a Ioauue [4]).

35 Utrum autem *Bethania* au *Bethabara* positum fuerit ab ipso Ioanne evangelista, nostrum nou est defiuire. Nam Bethabarum defenduut Origenes [5]) et Chrysostomus [6]). Attamen *Bethania*, uou modo interpretum vetustissimorum latini et syri, uedum recentiorum arabis, aethiopis, et persae, auctoritute sese tuetur, sed et a graecis evaugeliorum exemplaribus, contra ac Suicerus secure nimis uarrat [7]), eam opem praesto habet, quae Griesbachium eo impulit, ut in ipso evaugelio, extrusa inde *Βηθαβαρᾳ*, reponeret *Βηθανιᾳ*. Quid vero, quod Origeues [8]) ipse testatur, *in omuibus fere exemplaribus* aetate sua legi: *Haec in Bethania facta sunt?* Quid, quod, sicut ipse adfirmat, *videtur hoc etiam antea factum fuisse*, il est, prima ipsa aetate post editum evangelium? Quid, quod *in Bethania* idem ipse legit etium apud Heracleouem, qui floruit initio saeculi II, et Ioannem evangelistam, qui extremo saeculo superiore obierat, uosse cumque eo conversari potuit? Proinde missos facio Nonnum Panopoliten [9]), Cyrillum Alexaudriuum [10]), ceteros, qui post Origenem vixere, et apud quos *Bethania* uomiuatur, ubi verba Ioannis referuutur. Lege Rosenmuellerum [11]).

36 Locus alter, iu quo Iounnem Baptistam commoratum esse dicit Ioannes evangelista, fuit *Aennou iuxta Salim* [12]). Aenuou erat in plagis cis Iordanem iacentibus, sicut idem Iounnes uos docuit [13]). Recte auimadvertit Rosenmuellerus [14]), Salim mugis uotum fuisse, quam Aenuou, qnum huius situm situ illius Ioanues definierit. Iam vero, ubi foret Salim, Eusebius et Hieronymus memoriae prodiderunt his verbis: *Aenuon. Ostenditur usque nunc locus in octavo lapide Scythopoleos, ad meridiem, iuxta Salim et Iordanem* [15]; in alio loco: *Salem. In octavo quoque lapide a Scythopoli in campo vicus Salumias appellatur* [16]); eamdemque urbem esse, quae iu vetere testamento Salem vocatur, et in qna regnaverat Melchisedech [17]), adfirmuvit olim Hierouymus [18]), nuper vero iudubium dixit Rosenmuellerus [19]). Scriptor libri Iudithae commemorat *την αὐλωνα Σαληµ* [20]), id est tractum vallis Haaraba (25), in quo erat Salem; vix autem dubitem banc esse urbem, quam diximus, fuit enim in Campo maguo ab occasu Iordanis, ut adparet ex ipsa narrutionis serie, a meridio Scythopoleos [21]), et a septemtriouibus Iudaeae [22]).

37 Itaque Aenuou, utpote magis in septemtriones recedens, quam Abelmehula (33. 36), alius pluue locus est quam Bethbara, neque iu Samaritide, buec enim Abelmehulae obtendebatur u meridie (33. 34), sed in ditione Scythopolitarum, quorum Scythopolis *urbs maxima Decapoleos* dicitur a Iosepho [23]). Etsi autem non procul a Iordane distaret locus iste, tamen, ut videtur, uou erat iu ipsa fluminis ripa; Ioauues enim eo iu loco manebat, *quia aquae multae erant illie* [24]), quae caussa uibili foret, si flumiue locus ipse adlueretur, ibique *erat . . . baptizans, . . . et veniebant, et baptizabantur* [25]), uon autem iu flumine, sicut fiebat, dum Ioauues fuit iu Bethauia, ubi *baptizabantur ab eo in Iordane* [26]). Quare putarem Aeunou ibi quaerendum, ubi labitur rivus, quem Arabes Ain Phirun bodie uominant, octavo milliario a meridie urbis, quae nunc Bisau uomeu hubet [27]), seu verius servat, est enim ipsa vetus Bethsan postea Scythopolis dicta (33). Nec modo situs ipse canssam suggerit, cur ita putem, sed et ipsa plagae forma atque conditio. Num ab austro illius rivi, post medium milliarium, moutes, udversis crepidiuibus veluti concurrentes, adeo in angustam vallem coarctare iucipiunt, ut, quae ab orieute Bisanis septem circiter millia iu latum patebat [28]), mox, clivis in praeceps ad aquas nsque Iordanis utriuque decurreutibus, uulla adpareat [29]), neo deuuo pateat, uisi post dno et viginti passuum millia [30]).

---

[1]) Matth. III, 5. [2]) Luc. III, 3. [3]) Ib. 21. [4]) Conf. Luc. VII, 29. 30. [5]) In Io. I, 28. [6]) In Io. ib. hom. XVII al. XVI. § 1. [7]) L. c. [8]) L. c. Conf. *Epiphan.* Haer. LI. § 13. [9]) Paraphras. in Ioann. evangel. c. I. v. 100. [10]) In Io. I, 28. [11]) Handb. II B. II Th. S. 35. [12]) Io. III, 23. [13]) Ib. coll. 26. [14]) Loc. c. p. 134. [15]) De locis ad n. *Aennon.* [16]) Ib. ad v. *Salem.* [17]) Gen. XIV, 18. [18]) Ad. Evangel. ep. LXXIII al. CXXVI. § 8. [19]) L. c. p. 135. [20]) Iudith IV, 4 graece. [21]) Conf. ib. III, 9. 10 graece. [22]) Ib. IV, 2—4. [23]) Bell. L. III. c. 9. § 7. [24]) Io. III, 23. [25]) Ib. [26]) Matth. III, 6. 13. 16; Marc. I, 5. 9. 10. [27]) *De Berton* op. cit. pp. 43. 44. [28]) *Id.* ib. p. 43. [29]) *Id.* ib. p. 44. [30]) *Id.* ib. p. 46.

38 Locis, in quibus Ioannes Baptista moratus est ad munus suum fungendum, accurate, ut fecimus, definitis, facile animadvertes Matthaeum et Ioannem evangelistas ea narrare de Ioanne Baptista, quae prima specie inter se pugnare videntur. Nam si Matthaeum legas, intelliges Ioannem Baptistam ministerio suo initium fecisse *in deserto Iudaeae* [1]), quod cis Iordanem iacebat (16); sin Ioannis evangelium, id factum dices *in Bethania . . . trans Iordanem* [2]), *ubi erat Ioannes baptizans primum* [3]). Attamen, si adtentius utrumque perlegas, atque alterum cum altero compares, iam pugna omnis evanescet; quippe perspicies seriem historiae hanc esse. Primum *factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto* [4]), utique Iudaeae (21), ubi a pueris is vixerat [5]); atque haec a Luca referuntur. Baptismum administrare Ioannes haudquaquam continuo coepit, sed, ut par erat, prius *venit*, hoc est, *παραγίνεται adest (si presenta) praedicans in deserto Iudaeae*, in illo ipso, in quo *factum est verbum Domini super* eum, *et dicens*: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum* [6]); atque haec ea sunt, quae narrat Matthaeus. Mox, sicut Lucas narrare pergit, Ioannes Baptista *venit in omnem regionem Iordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum* [7]), verum, sicut Ioannes evangelista nos docuit, prius in Bethaniam ultra Iordanem, ibique primo populos baptismo abluere coepit [8]), tum cis Iordanem *in Aenon iuxta Salim* [9]).

CAPUT III

Quodnam Ioannis munus

39 Nemo unus secundum Christum unquam fuit, qui sui rerumque a se gestarum tales praenuntios, testes, historicos, laudatores, ostentare ac iactare quiverit, quos Ioannes Baptista, Isaiam [10]), inquam, Malachiam [11]), Zachariam patrem [12]), evangelistas omnes [13]), Paulum apostolum [14]), Gabrielem archangelum [15]), Christum denique ipsum [16]). Hi autem omnes ipseque Ioannes [17]), quidnam muneris ipsi demandatum fuerit, nos docuere, videlicet ut viam Christo adventanti faciundam curaret.

40 Hanc muneris huius veluti summam primus praedixerat Isaias, tum etiam Malachias; Gabriel vero Zachariae Ioannis Patri ortum filii praenuntians id ipsum repetiit, sed aperte ac proprie, id est, nulla immutatione verborum: *Ipse praecedet*, inquit, *ante illum . . . parare Domino plebem perfectam* [18]), simulque rationem exposuit, qua id praestiturus esset [19]). Haec eadem, atque adeo plenius, orto iam filio, vaticinatus est Zacharias ipse ita canens: *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum per viscera misericordiae Dei nostri* [20]). Consona his de munere Ioannis memoriae prodiderunt evangelistae. Etenim adferunt Isaiae et Malachiae vaticinia [21]), aiuntque utrisque illud munus fuisse praemonstratum, impletum vero a Ioanne, quum *venit praedicans in deserto Iudaeae et dicens: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum* [22]), ac *fuit in deserto baptizans et praedicans baptismum poenitentiae* [23]). Ad haec narrant Ioannem a Deo missum [24]) venisse *in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum* [25]). Eadem Paulus praedicabat commemorans, ut Deus a Davidis stirpe eduxerit *Israel salvatorem Iesum, praedicante Ioanne ante faciem adventus eius baptismum poenitentiae omni populo Israel* [26]). *Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum* [27]). Neque alia his de se deque munere, quod gerebat, ipse Ioannes Baptista loquutus est: *Ego*, aiebat, *vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domino, sicut dixit Isaias propheta* [28]). *Ego . . . missus sum ante illum* [29]). *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans* [30]). Deus *misit me baptizare in aqua* [31]). *Ego . . .*

---

[1]) Matth. III, 1. [2]) Io. I, 28. [3]) Ib. X, 40. [4]) Luc. III, 2. [5]) Ib. I, 80. [6]) Matth. III, 1. 2. [7]) Luc. III, 3. [8]) Io. I, 28; X, 40. [9]) Ib. III, 23. [10]) Is. XL, 3. [11]) Mal. III, 1. [12]) Luc. I, 76—79. [13]) Matth. III, 1—3. etc.; Marc. I, 2—8. etc.; Luc. I, 24. etc.; Io. I, 6—8. etc. [14]) Act. XIII, 24. 25; XIX, 4. [15]) Luc. I, 13—17. [16]) Matth. XI, 7—14. 18; XVII, 12. 13; XXI, 32; Luc. XVI, 16; Io. V, 32—35. [17]) Io. I, 23. 31; III, 28. [18]) Luc. I, 17. Lege Diss. IV. n. 8. [19]) Luc. I, 16. 17. [20]) Ib. 76—78. Lege Diss. XIV. n. 3. [21]) Matth. III, 3; Marc. I, 2. 3; Luc. III, 4—6. [22]) Matth. III, 1. 2. [23]) Marc. I, 4; Luc. III, 3. [24]) Io. I, 6; III, 34. [25]) Ib. I, 7. [26]) Act. XIII, 23. 24. [27]) Ib. XIX, 4. [28]) Io. I, 23. [29]) Ib. III, 28. [30]) Ib. I, 31. [31]) Ib. 33.

baptizo . . . in aqua in poenitentiam[1]). Denique omnia haec Christus testimonio suo confirmavit, haec loquens de Ioanne: *Quid existis in desertum videre? . . . Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.... A diebus autem Ioannis Baptistae usque nunc regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Omnes enim prophetae et lex usque ad Ioannem prophetaverunt; et, si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est*[2]). *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo, quaecumque voluerunt*[3]), quae *intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis*[4]). Alias ita de Ioanne loquutus est: *Vos misistis ad Ioannem, et testimonium perhibuit veritati. . . . Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius*[5]).

41 Itaque, sicut ex dictis liquido adparet, Ioannis officium, quod fuit *parare viam Domino*, hoc est, *parare Domino plebem perfectam*, tribus rebus continebatur; eius quippe erat hortari Israelitas ad resipiscentiam poenitentiamque admissorum, eo quod *appropinquaret regnum caelorum*, tum *baptizare in aqua baptismo poenitentiae in remissionem peccatorum*, sed illud potissimum, quo et priora haec duo pertinebant, *ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum*, atque is *manifestaretur in Israel*, verbo, ut doceret Israelitas Christum agnoscere. De horum singulis aliqua singillatim edisseramus.

PARS I

De baptismo ministrato a Ioanne

42 Multiplicem quaestionem habet baptismus, quem Ioannes ministrabat. Primo, quis auctor? Deus, an ipse Ioannes? Christus hoc idem interrogavit principes sacerdotum: *Baptismus Ioannis unde erat? e caelo, an ex hominibus*[6])? illud agens, ut ad incitas veluti redigeret malum eorum animum, utpote qui primum dicere nollent, alterum timerent; at, si vere dicere primum nequivissent, aliquid minus aequum prae se tulisse videretur captiosa haec interrogatio. Cur autem alterum respondere timuerint, ideo fuit, quia *plebs universa*, aiebant, *lapidabit nos; certi sunt enim Ioannem prophetam esse*[7]). Negare igitur Deum esse baptismi huius auctorem tantidem Iudaeis erat ac negare Ioannem esse prophetam; ast hoc alterum pro certo habuere, ergo et primum. Eorum enim mentibus ita anticipatum veluti erat, ut divina ab origine repeterent baptismum, quem Dei legatus ministraret, sicut credidere e contrario legatum a Deo esse oportere, qui talem ministraret baptismum, qualem Ioannes, ut adparet ex illa interrogatione: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque proheta*[8])? Demum ipse Ioannes protestatus est Deum, non alium, esse qui ipsum *misit . . . baptizare*[9]).

43 Secundo quaeritur, num quid baptismus iste illum praestaret, quem Israelitae in usu iam habebant. Etenim legibus Moysis cautum erat, ut polluti haberentur, quos accideret certa quaedam ab eo enumerata agere aut pati, tametsi citra culpam atque adeo necessario, hanc autem quasi maculam piarent certis quibusdam ritibus ac totius corporis lotione, hoc est, baptismo[10]). Praeterea hoc lustrari lex iubebat etiam sacerdotes[11]) ac levitas[12]) inaugurandos aut sacris quibusdam sollemnioribus operaturos[13]). Lustrales alias corporum lotiones, praeter has, invexere Pharisaei[14]). Sed illa peculiarem mentionem meretur, qua mos erat lustrare גרים *proselytos*, hoc est, homines ex aliis gentibus, qui civitate donabantur, quod tantumdem valebat, ac iisdem, non modo iuribus, sed et religionibus censeri incipere, quibus Israelitae[15]). Huius, quem Iudaei vocavere טבילת גרות *baptismum proselytismi*, primordia narrari hi putant a Moyse in libro geneseos, ubi *Iacob . . . convocata omni domo sua ait: Abiicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, et mutate*

[1]) Matth. III, 11; Marc. I, 8; Luc. III, 16; Io. I, 26. [2]) Matth. XI, 7. 9—14. Conf. Luc. VII, 24—28. [3]) Matth. XVII, 12. [4]) Ib. 13. [5]) Io. V, 33. 35. [6]) Matth. XXI, 25; Marc. XI, 30; Luc. XX, 4. [7]) Luc. ib. 6; Matth. ib. 26; Marc. ib. 32. [8]) Io. I, 25. [9]) Ib. 33. [10]) Lev. XIV, 8. 9; XV, 5—8. etc.; XVI, 24. 26. 28; XVII, 15. 16; XXII, 6; Num. XIX, 7. 8. 19; Deut. XXIII, 11; Eccli XXXIV, 30. [11]) Ex. XXIX, 4; XL, 12; Lev. VIII, 6. [12]) Num. VIII, 7. [13]) Lev. XVI, 4. [14]) Marc. VII, 4; Luc. XI, 38. [15]) *Lightfoot*. Hor. hebr. et talmud. in Matth. III, 6; *Iahn*. Archaeolog. bibl. § 325; *Ackermann*. Archaeolog. bibl. § 313.

vestimenta vestra [1]). Attamen, si locum hunc excipias, de quo licet sentias, qaod lubet, baptismi huius mentionem nullam reperies in libris sacris. Si plura de eo nosse capis, adi sis Lightfootum [2]) et Iabuam [3]) aut Ackermannum [4]). Quod iu praesenti nostra refert, hos baptismos Iudaeis usitatos cum illo conferemus, qaem Ioannes praedicabat ministrabatque.

44 Itaque ex his, qaae diximus, adparet haudquaquam novum qnid atque inauditum Iudaeis videri potuisse id, quod Ioanaes agebat. Hinc *ratio*, inquit Lightfootus, *cur synhedrium a Ioanne per nuntios suos non quaesiverit* [5]) *de ratione baptismi, sed de auctoritate baptizantis, non quid sibi vellet baptismus, sed unde licentia illi ita baptizandi* [6]). Neque aliud in caussa esse putandam est, sicut ait Mazochius, cur, *quoties de Iohannis baptismate loquitur evangelium, non quasi de re nova et inusitata, sed quasi de usurpato alias a prophetis ritu, sic loquitur. Neque enim pensi habent evangelistae, quid sibi vellet nova haec Iohannis mersatio, exponere; ac prorsus sine ulla* προπαρασκευῇ *de* BAPTISMO POENITENTIAE *a Iohanne adhibito fit mentio, quasi alioqui notum esset, quid hoc demum esset* BAPTISMUS POENITENTIAE [7]).

45 Dubitare nefas est illorum qaoque baptismatum Deam auctorem faisse, utpote quae Dei iussu Moyses instituerat [8]). Atque hinc quoque fortasse illud repetendam, qaod iam adaotavimus (42), ut Iudaei in ea essent senteutia, nemini licere religiosas buiasmodi ablutiones, nisi ex aactoritate Dei, in popalum iaducere.

46 Neque praetereauda aualogia novi haius baptismi ac veteris illius, quo proselyti initiabautur. Ut eaim *baptismus proselytorum fuit traductio Gentilium in religionem iudaicam*, ita *baptismus Ioannis in religionem aliam* [9]). Id vero subolaisse percoatantibus Ioannem, quinam ipse esset, curve ea ageret, couiicere est ex illa istorum interrogatione: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque* ὁ προφήτης (IL PROFETA) [10])? nam Iudaei *ad adventum Messiae immutandam plane rerum faciem merito opinati sunt, idque ex oraculis prophetarum, qui uno ore tempora Messiae pro mundo novo descripserunt* [11]).

47 Sed hacteuus de conveuieatia priorum baptismatum atque eius, quod Ioaaues praedicabat; uuac, quanam re hoo illis praestaret. Etenim an praestiterit, nemo uaus de numero patrum in dubium revocavit, plerique de eo ita loquuntur, ut adpareat maaifesto inter ipsos ea de re certo coastitisse, aliqui demum aperte diserteque id udfirmaruat, ut scriptor libri de *Rebaptismate* [12]), Eusebius [13]), Cyrillus Hierosolymitanas [14]), Basilius ὁ ψευδώνυμος [15]), Gregorius Nazianzenus [16]), Chrysostomus [17]), Augustinus [18]), Victor Antiochenus [19]), vetus scholiastes [20]) e bibliotheca vaticana nuper extractus editusque ab Angelo Maio V. E. [21]).

48 Qaauam autem re praestaret, scriptores uovi testamenti nos docuere, qaam illum dixerunt *baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum* [22]), quo tingebantur Iudaei *confitentes peccata sua* [23]), *ut manifestetur* Christus *in Israel* [24]), *in eum, qui venturus esset, . . . ut crederent, hoc est, in Iesum* [25]); ast illa vetustiora Israelitarum baptismata nil tale propriam habebaut, erantque merae quaedam ac nudae caerimoniae, qaae nibil couferebant animorum puritati ac sanctimoniae. Haec summatim expressere aactor Quaestionam ad Orthodoxos, vocans baptismum bunc *prooemium evangelii gratiae* [26]), et Cyrillus Hierosolymitanus, a quo idem hic baptismus dicitur *veteris testamenti finis et initium novi baptismus* [27]), adpellatione *novi testamenti* in ampliorem significationem accepta; urbanius autem, ut solet, Chrysostomas his verbis: *Baptisma . . . Ioannis iudaico longe sublimius erat, nostro autem humilius, veluti pons quidam utrorumque horum baptismatum, ab illo ad hoc per se manu ducens* [28]).

49 Tertio quaeritur, au idem hic baptismus ac noster, cuius auctor Christus. Olim id docuit Petilianus, quem Augustinus [29]) castigavit, postremis autem aetatibus Calvinus [30]) ceterique *Protestantes, contra Lutheri sententiam, docuerunt* [31]). At ue uaum quidem, pato, de patribus adstipulatorem, vel ia speciem, homines reperturi sunt.

---

[1]) Gen. XXXV, 2. Lege *Aben Esram* in h. l. [2]) L. c. [3]) L. c. [4]) L. c. [5]) Io. I, 25. [6]) L. c. p. 221. [7]) Spicileg. bibl. in Io. I, 25. [8]) Conf. Hebr. IX, 10. [9]) *Lightfoot.* l. c. p. 225. [10]) Io. I, 25. Lege *Patrit.* De interpr. scriptur. sacr. L. II. q. VIII. nn. 16. 17. [11]) *Lightf.* l. c. et in Io. I, 25. [12]) Inter. opp. *Cypriani* § 2. [13]) De theophania L. II. fragm. III in *Mai* Scriptorum veter nova collect. T. I. P. I. p. 115. [14]) In Luc. III, 3 ap. *Nicetam* Collect. expositionum in Luc. in *Mai* op. cit. T. IX. p. 658. [15]) De baptismo L. I. c. 2. § 4. [16]) Or. XXXIX. p. 634. Paris 1630. [17]) In Io. hom. XVII al. XVI. § 2. [18]) De baptismo cont. Donatist. L. V. c. 9. § 11. [19]) In Marc. I, 8. [20]) In Luc. III, 3. [21]) Classicor. auctor. T. IX. [22]) Marc. I, 4; Luc. III. 3. Conf. Matth. III. 11; Act. XIII, 24; XIX, 4. [23]) Matth. ib. 6; Marc. ib. 5. [24]) Io. I, 31. [25]) Act. XIX, 4. [26]) Quaest. XXXVII int. opp. *Iustini.* [27]) Cat. III. § 6. [28]) Hom. de baptismo Christi § 3 opp. T. II. p. 371. ed. *Montfauc.* [29]) Cont. liter. Petil. L. II. cc. 32. 34. 37. [30]) In harm. evang. Luc. III, 3; Matth. III, 11. [31]) *Bellarmin.* de bapt. L. I. c. 19.

50 Iniuria enim suffragia sibi adrogarent sive Optati Milevitani [1]), sive Eulogii Alexandrini [2]), qui putarunt tinctos a Ioanne ante, quam Christus baptismum instituerat, haudquaquam opus habuisse altero hoc baptismo iterum tingi; idque ipsum, ex parte tamen, sequutus est etiam Petrus Lombardus [3]). At nihil inde, quod adcrescat auctoritati sententiae Protestantium. Etenim, etsi opinio fefellerit Optatum, Eulogium, et Petrum, opinionemque hanc Eulogio vitio verterit Photius, prorsus tamen ea discrepat errore illo, quo Protestantes ducuntur. Nam Optatus clare docuit alterum baptismum esse alium primo eoque excellentiorem [4]). Quod vero Eulogius dixerit *etiam baptisma Ioannis tunc τελειον* PERFECTUM *fuisse*, haudquaquam significare voluit fuisse eadem virtute atque efficacia atque alterum, quod Christus instituit. Continuo quippe haec subiungit: *Postremo evasit ἀτελες* IMPERFECTUM *postquam modum baptismatis Salvator tradens discipulis dixit: Euntes docete omnes gentes et cetera.* Cur vero *ἀτελες imperfectum?* Quia *tunc Ioannis baptisma cessavit, et sic adhuc baptizantes ἀτελως* IMPERFECTE *baptizabant, dominicam contemnentes traditionem.* Vides, ut adverbium *ἀτελως imperfecte* tandumdem hic sonet ac *sine effectu*, quare et ipsum baptisma *ἀτελες imperfectum* hic dicitur, ut quod *effectu careret.* Consequens igitur est, ut credamus in tantum solummodo ab Eulogio *τελειον perfectum* dici illud baptisma, in quantum suos sibi proprios habuit effectus. Denique Petrus Lombardus sic loquitur: *Illi, qui baptizati sunt a Ioanne, nescientes Spiritum sanctum esse, ac spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt baptismo Christi.... Illi vero, qui spem non posuerunt in baptismo Ioannis, et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, credebant, non post baptizati fuerunt, sed, impositione manuum ab apostolis super eos facta, Spiritum sanctum receperunt.* Verum paullo prius sic fuerat loquutus: *Baptismus Ioannis erat in poenitentiam, non in remissionem, baptismus vero Christi in remissionem.* Tum Petri sententiam nemo Scholasticorum non reiecit.

51 Cyrillus Hierosolymitanus eodem errore ac Petilianus Protestantesque captus fuisse videri posset, si eius sententiam referrent haec verba latina, quae pro graecis Cyrilli verbis reddidit Antonius Augustinus Touttée: *Veteris testamenti finis et initium novi baptismus. Huius enim* PRIMUS AUTHOR *Ioannes* [5]). At graeca sic sunt: *Παλαιας το τελος και της καινης διαθηκης ἀρχη το βαπτισμα· Ἰωαννης γαρ ἠν ἀρχηγος;* eaque rectius ita vertit Thomas Milles: *Veteris testamenti finis et novi est principium baptismus. Ioannes erat dux eius*, non baptismi, sed novi testamenti, statim enim haec addit Cyrillus veluti priora declarans: *Ioannes, . . . finis quidem prophetarum, . . . evangelicarum autem rerum ἀπαρχη principium*, quorum gemina sunt haec, quae scripsit Caesarius Nazianzenus: *Ἀρχη γαρ και τελος principium enim et finis duorum testamentorum Ioannes, finis quidem legis, ἀρχη principium autem evangeliorum* [6]), quaeque Tertullianus: *Foederis ille novi primus, veterisque supremus* [7]). Hunc autem esse sensum illius adpellationis, vocarique a Cyrillo Ioannem *ἀρχηγον της καινης διαθηκης ducem novi testamenti*, sicut hunc vocavit etiam Eusebius [8]), confirmat alius locus ipsius Cyrilli, ubi haec legimus superiorum plane gemina: *Ioannes Baptista . . . ἀρχηγος της καινης διαθηκης* DUX NOVI TESTAMENTI, *et quodammodo in unum connectens ambo testamenta, vetus et novum* [9]). Tum Cyrillus opinatus est, quae tamen sententia ipsi uni propria fuit, hoc baptismo, non omnia, sed quaedam dumtaxat peccata expiari potuisse: *Licet similiter sentire et dicere*, inquit, *ut etiam praecursoris baptisma praeberet quidem remissionem peccatorum, non tamen omnium, sicut neque legalia sacramenta et sacrificia*, continuoque id plenius edisserit, ac denuo enuntiat, simulque demonstrat, quantis hunc praecelleret baptismus inductus a Christo [10]). Denique, si cum Petiliano sensisse dicatur Cyrillus, dicendus quoque erit pugnantia loqnutus esse: nam in alio loco haec apud eum leguntur: *Nemo ergo existimet baptisma in remissionis peccatorum dumtaxat et in adoptionis gratia consistere, sicut erat in Iohannis baptisma, quod solam peccatorum remissionem conferebat* [11]).

52 Ceterum de hac praestantia patres ad unum omnes pro certo habuisse adfirmare non dubito. De his enim, qui ita se credere professi sunt sive aperte sive implicite, ab Irenaeo ad Thomam Aquinatem, septuaginta numero praesto mihi sunt, quos citem; qui secus senserit, neminem reperi, sed, ne me perquirentem fugerit, vix inducor, ut verear. Summam hanc ea de re patrum omnium consensionem Pauli testimonio suique facti praeiudicio comprobare est. Accidit enim, *ut Paulus*

[1]) De schism. Donatist. L. V. c. 5. [2]) Cont. Novatian. L. II ap. *Photium*, cod. CCLXXX. [3]) Sententiar. L. IV. dist. 2. [4]) L. c. [5]) Cat. III. § 3. [6]) Dial. III. interr. 175. [7]) Carmin. adv. Marc. L. III. c. 9. [8]) De theophan. L. II. fragm. X in *Mai* Scriptorum veterum nova collect. T. I. P. I. p. 115. [9]) Cat. X. § 19. [10]) Ap. *Nicetam* Collect. expositionum in Luc. III, 3 in *Mai* op. cit. T. IX. p. 658. [11]) Catech. XX. § 6. Lege etiam Cat. III. § 9; XVII. § 8.

peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos. Dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et, cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant [1]). Patet itaque, unde petita ratio illius legis Tridenti in concilio latae, quae sic est: *Si quis dixerit baptismum Ioannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit* [2]). Lege Augustini libros de Baptismo contra Donatistas [3]).

53 Quaenam igitur utriusque baptismi discrepantia? Scilicet illud constat inter omnes, quod prius baptisma Spiritum sanctum minime daret, neque id consequeretur, sicut patres loquuntur, *perfectae emundatio puritatis* [4]), nec *perfectio* [5]), nec *coniunctio cum Deo* [6]). Plurimos novimus de numero patrum, qui id tradidere, neminem, qui secus senserit.

54 Legimus quidem haec apud Cyrillum Alexandrinum: *Cum Ioannes praedicaret, . . . multi auditorum, a peccatis et turpitudine vitae desciscentes, magno studio et contentione animi mores suos ad virtutis normam componentes, filii Dei per Spiritum declarati sunt, mentem illustrati et per sanctum baptismum purgati. . . . Secundum tempus vero Ioannis Baptistae atque deinceps donum Spiritus sancti et per sanctum baptismum regeneratio in Deum fide rapitur* [7]). At baptismus, cuius mentionem facit Cyrillus, non ille est, quem Ioannes, sed quem Christus instituit. Explicat enim illud Christi effatum: *A diebus autem Ioannis Baptistae usque nunc regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* [8]), atque adfirmat *regnum caelorum*, cuius mentio est in hoc loco, non aliud esse, quam *του ἁγιου πνευματος δοσιν sancti Spiritus dationem*, tum verbis, quae retulimus, declarat, quomodo haec rapi dicatur, idque *a diebus Ioannis Baptistae.* Iam vero cumprimis animadverte, ut Cyrillus dixerit utique id factum *per baptismum*, non tamen *per baptismum Ioannis.* Insuper hoc unum ex Cyrilli sermone consequitur necessario, ea in re has partes, non alias praeterea, Ioanni fuisse, ut homines ad frugem suis hortationibus reduceret, eoque pacto aptos efficeret atque idoneos, qui *regnum caelorum*, hoc est, *του ἁγιου πνευματος δοσιν* vi raperent; hunc autem esse Cyrilli sensum adparet manifesto ex his, quae in alio loco scripsit: *Baptisma Ioannis . . ,* PRAEPARATIONEM *quamdam et rudimentum esse perfectionis. Quemadmodum ergo lex Moysis umbram habere dicitur futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem, . . . ita quoque de baptismo illo in poenitentiam censendum* [9]). Denique non multo ante ea verba, quae exponimus, haec leguntur: *Ioannes, . . . si erat aequalis ei, qui paullo post futurus erat maior, cur* NON *etiam ipse* BAPTIZAVIT IN SPIRITU, *aream-que suam expurgavit, et dominicam dignitatem sibi arrogans indicavit mundum in iustitia? Cum vero beatus Baptista Ioannes* NIHIL HORUM PRAESTITISSE INVENIATUR, *Christus autem in potestate divina praestitit, non erat igitur aequalis illi, et cetera* [10]).

55 Gravius nos urgere videntur haec, quae cecinit Prudentius: *Hortator ille primus et doctor novae Fuit salutis, nam sacrato in flumine Veterum piatas lavit errorum noxas.* SED, *tincta* POST-QUAM *membra defaecaverat, Caelo refulgens influebat Spiritus. Hoc ex lavacro labe dempta criminum Ibant renati* [11]). Attamen vides, quod iam nos monuit Bertius [12]), ut, non Ioanne tingente, *sed tincta postquam membra defaecaverat* Ioannes, Spiritus influxisse dicatur in eos, qui tincti fuerant [13]).

56 Ceterum, quod Ioannes, quum homines tingeret, Spiritum sanctum minime daret, ipse professus est: *Ego quidem*, inquiebat, *baptizo vos in aqua in poenitentiam, qui autem post me venturus est, . . . ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* [14]). Sed et Ioannis evangelistae testimonio illud idem discimus, qui, post relatam hanc Christi sententiam: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae* [15]), haec subiungit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus* [16]).

---

1) Act. XIX, 1—6. 2) Sess. VII De baptismo can. 1. 3) De bapt. cont. Donatist. L. V. c. 9. § 10—c. 14. § 16. 4) *Hilar.* in Ps. CXVIII. lit. 3. § 5. 5) *Id.* ib.; *Cyrill. Alex.* in Io. I, 26. p. 111; III, 22. p. 156. Lutet. 1638. 6) *Basil.* hom. III. in s. bapt. § 1. 7) Thesaur. Assert. XI. p. 106. Lutet. 1638. 8) Matth. XI, 12. 9) In Io. III, 22. pp. 156. 157. 10) Thes. l. c. p. 97. Conf. *Id.* in Io. 1, 26. pp. 110. 111; et in Luc. III, 16 in *Mai* Classic. auctor. T. X. p. 26. 11) Hymn. VII ieiunantium vv. 71—77. 12) De theolog. discipl. L. XXXI. c. 2. 13) Lege *Arevalo* in *Prudent.* l. c. 14) Matth. III, 11. 15) Io. VII, 38. 16) Ib. 39.

57 At non item leve negotium creat, quod quarto quaeritur, an, quos Ioannes abluebat, eorum peccata baptismo ipso expiarentur. Post Ioannem Damascenum, hoc est, a medio saeculo octavo, qui sic senserit, neminem reperi, qui secus, permultos, utque ex illo altera haec sententia obtinuit, atque obtinet, apud Scholasticos, theologosque, et bibliorum enarratores. Verum ante illam aetatem, etsi patrum, qui quaestionem hanc habuerunt, aut perstrinxerunt, pars maior id vel expresse negarunt, ut Tertullianus [1]), Origenes [2]), scriptor Quaestionum ad Orthodoxos [3]), Eusebius [4]), Athanasius [5]), Chrysostomus [6]), Hieronymus [7]), Augustinus [8]), Victor Antiochenus [9]), scriptor *ἀνώνυμος* Victori, ut videtur, aequalis [10]), Maximus Taurinensis [11]), Gregorius Magnus [12]), Theodorus Monachus [13]), Beda [14]), Alcuinus [15]), Christianus Grammaticus [16]), vel alio modo infitiati sunt se credere, ut Irenaeus [17]) Hippolytus [18]), Firmilianus [19]), auctor libelli de Rebaptismate [20]), Caesarius Nazianzenus [21]), Gregorius Nazianzenus [22]), Macarius [23]), auctor Operis imperfecti in Matthaeum [24]), Cyrillus Alexandrinus [25]), Leo Magnus [26]), Sophronius Hierosolymitanus [27]), fuere tamen, qui aiebant, ut Iuvencus [28]), Titus Bostrensis [29]), Optatus [30]), Basilius *ὁ ψευδώνυμος* [31]), Gregorius Nyssenus [32]), Paulinus [33]), Prudentius [34]), Basilius Seleuciensis [35]), Eulogius Alexandrinus [36]), Ioannes Damascenus [37]), sicque putarunt fortasse Clemens Alexandrinus, qui videtur Ioannem habere inter *καθαροποιοῦντας purificantes* [38]), Ambrosius commemorans Iordanem, quem Ioannes *ad lavacrum salutare convertit* [39]), et auctor homiliae in Theophania nomine Chrysostomi inscriptae, qui tamen videtur sentire, iis, quos Ioannes tinxit, gratiam ipso hoc baptismo minime fuisse tributam [40]), ex parte autem sic opinatus est etiam Cyrillus Hierosolymitanus (51).

58 Posterioris huius sententiae patronis Eusebium quoque, Gregorium Nazianzenum et Cyrillum Alexandrinum, nedum Hilarium, Basilium, et Petrum Chrysologum, adnumerare minime dubitavit Antonius Augustinus Touttée [41]). De quorum testimoniis ab eo prolatis, deque aliis sive horum sive ceterorum patrum, quae proferri possent in hanc rem, ut iudicium facere queas, duo in memoriam revoces necesse est.

59 Unum duorum est, quod Ioannes non modo praedicaverit *baptismum poenitentiae*, quem simul ipse ministrabat, sed etiam baptismum a Christo instituendum praedixerit; id enim memoriae prodidere patres, Tertullianus [42]), inquam, scriptor libelli de Rebaptismate [43]), Athanasius [44]), Hilarius [45]), Optatus [46]), Basilius [47]), Macarius [48]), Chrysostomus [49]), scriptor homiliae in Theophania, quem superius (57) citavimus, aliique, id ipsum testantur illae Ioannis ipsius voces in evangelia relatae: *Qui autem post me venturus est, . . . ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* [50]), quibus hunc quoque alterum baptismum praedictum fuisse, non est cur dubites. Quum igitur patres narrant Ioannem praedicasse *lavacrum regenerationis*, *lavacrum salutare*, *purgationem per aquam* horumque similia, nisi in ipsorum verbis aliquid sit, quod obstet, putandi sunt his nominibus, non quem Ioannes, sed quem Christus instituit, baptismum designare.

60 Alterum, cuius oportet memineris, illud est, quod Thomas his verbis enuntiavit: *Quando Christus est baptizatus, . . . tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum,* tametsi *necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem* [51]);

---

[1]) De bapt. c. 10. [2]) In Io. I, 27. pp. 122. 123. 125 ed. Huet; In Symbol. graecor. patr. in Matth. III, 14 ed. *Possin.* [3]) Quaest. XXXVII. [4]) Adv. Sabellium L. I in *Sirmondi* T. I. p. 4; In Symbol. graecor. patr. in Matth. III, 3. ed. *Possini.* [5]) In Matth. III, 11. [6]) Homil. de bapt. Christi § 3 opp. T. II. p. 371 ed. *Montfauc.*; In Matth. hom. X. §§ 1. 2; XI. § 4; In Io. hom. XVII. § 2; XXIX. § 1; In Acta hom. XL. § 2. [7]) Adv. Luciferian. § 7. [8]) Enchirid. c. 49. § 14; De bapt. cont. Donatist. L. V. c. 9. § 10 seqq. [9]) In Marc. I, 3. [10]) In Marc. I, 5 in Catena graecor. patr. ed. *Possini.* [11]) Homil. XXXIV; Serm. LV. [12]) In evang. L. I. hom. VII. § 3; hom. XX. § 2. [13]) In Matth. III, 3 in Symbol. graecor. patr. [14]) In Io. I, 31; in Act. XIX, 3. 4; Hom. in Dominic. IV. Advent. [15]) Cont. Felic. Urgellit. L. II. coll. 817. 818. Lutet. Paris. 1617. [16]) In Matth. c. IV [17]) Haer. L. III. c. 10 al. 11. § 1. [18]) In sancta Theophan. §§ 3. 4. [19]) Ep. LXXV inter epist. *Cypriani.* [20]) Int. opp. *Cypriani.* § 2. [21]) Dial. III. interr. 176. [22]) Or. XXXIX. p. 634. Paris. 1630. [23]) Hom. XLVII. init. [24]) Conf. quae scripsit in Matth. III, 2. 11. [25]) In Io. I, 26. p. 110; III, 22. pp. 156. 157. [26]) Ep. XVI. c. 6. [27]) Anacreont. V. vv. 81. 82 coll. 57. 59 et 76—80. [28]) Hist. evang. L. I ad Matth. III; Lib. III. ad Matth. XIV. [29]) In Luc. III, 2. [30]) De schism. Donat. L. V. § 9. [31]) De bapt. L. I. c. 2. § 5. [32]) Orat. in Basil. fratr. p. 914. Paris. 1615. [33]) Poem. VI al. V de s. Iohanne Bapt. vv. 261—275. 302. 303. [34]) L. c. [35]) Orat. XVIII. p. 103. Paris. 1622. [36]) Contr. Novatian. L. II ap. *Photium* cod. CCLXXX. [37]) De fide orthod. L. IV. c. 9; Homil. de Transfigur. § 3. [38]) Str. L. V. c. 8. Lege tamen Cohort. ad Gent. § 1. [39]) In Luc. L. I. § 36. Lege tamen L. II. § 84 et De Spiritu s. L. I. § 41. [40]) Inter opp. *Chrysost.* T. II. p. 810 ed. *Montfauc.* [41]) L. c. [42]) De bapt. c. 10. [43]) L. c. [44]) L. c. [45]) In Matth. c. 2. § 4. [46]) L. c. § 5. [47]) Ap. *Nicetam* ad Luc. III, 16 in *Mai* Scriptor. vet. nova collect. T. IX. p. 659. [48]) L. c. [49]) In Io. hom. XVII al. XVI. § 2. [50]) Matth. III, 11; Marc. I, 7. 8; Luc. III, 16; Io. I, 27. 33. [51]) 3 q. 66. a. 2. c.

quam opinionem constat fuisse patribus non paucis, puta, Tertulliano [1]), Eusebio [2]), Cyrillo Hierosolymitano [3]), Hilario [4]), Ambrosio [5]), Augustino [6]), Maximo Taurinensi [7]), Proclo Constantinopolitano [8]), Sedulio [9]), Sophronio [10]), aliisque. Iam vero patres, qui sic sunt opinati, ratio est cur credantur opinati etiam esse baptismum, quem Ioannes praedicavit, atque administravit, postquam Christum abluerat in Iordane, alium priore fuisse, illumque ipsum, quem, prout patres isti putarunt, Christus instituerat, quando tinctus fuit a Ioanne; quare, quum aiunt, peccata eorum, quos Ioannes tingebat, fuisse hoc ipso expiata, nihil nos credere cogit, nec quisquam vincere potest, loqui eos de priore potius quam de posteriore baptismo. Profecto Augustinus: ***Baptizatus est***, inquit, ***Dominus baptismo Iohannis, et cessavit baptismus Ioannis*** [11]), non tamen baptismi ministrandi finem fecit Ioannes [12]). Sed respondendum iam est ad ea, quae Touttée super illorum sex patrum sententia dixit. Ac de Basilio quidem deque Chrysologo inferius (76).

61 Eusebii duos locos indicat Touttée, ex quibus adparet, inquit, eum in hac sententia fuisse. Verum in horum vicem locos totidem indicare possumus, in quibus aperte profitetur Eusebius se contra credere. Ausculta. ***Baptismum, . . . quod per Ioannem dabatur, non erat idoneum ad purgationem, quia non remissionem peccatorum poterat Ioannes dare, sed hortabatur ad poenitentiam*** [13]). Audi haec quoque. ***Baptisma Ioannis non erat perfectum, neque a peccatis liberabat, sed praeparabat Iudaeos ad facile riteque suscipiendum Christi baptisma*** [14]). Quae quum sint apertissima, etiamsi aeque forent aperta ea, quae Touttée in contrariam sententiam ab Eusebio prolata esse existimavit, non tamen illi integrum erat inter patres, qui eam tuentur, numerare Eusebium, quippe quia, utram is habuerit, incertum. Sed illos duos locos, quos Touttée nobis indicavit, inspiciamus.

62 Unus est in Demonstratione evangelica, inque eo haec quidem leges: ***Concurrebant undique ad eam, quae per ipsum praedicabatur, animi purgationem*** [15]), non tamen purgationem hanc per baptismum factam esse, aut, si per baptismum, non per illum, qui ***baptismus Ioannis*** dictus est. E contrario haec, quae Eusebius paullo post loquitur: ***Ipsum vero fluvium in solitudine purgantem omnes, qui in ipso abluerentur, et cetera***, nemo vincet de animorum purgatione esse dicta, quum hoc in loco quaeratur solummodo mysticus illius lotionis significatus; en integram Eusebii enuntiationem: ***Hanc igitur solitudinem eius, quae quondam ab omnibus bonis deserta erat, dico autem, collectae de gentibus ecclesiae, signum gestare arbitror; illum vero fluvium in solitudine purgantem omnes, qui in ipso abluerentur, purgationis cuiusdam, quae secundum sententiam intelligatur, imaginem gerere*** [16]).

63 Alter locus est in Commentariis, quibus Isaiae vaticinia explicantur, inque eo haec reperimus: ***Ioannes . . . baptismum poenitentiae et lavacrum regenerationis in eodem fluvio . . .*** *παρεδίδου* ***tradidit, ipseque . . . Christus Ioannis praedicationem quasi sigillo suo munivit, cum ab eo in Iordane fluvio baptizatus est, ne per se ipse regenerationis mysterium firmavit*** [17]). Sed adtende, ut Eusebius duo haec distinguat, ***baptismum poenitentiae et lavacrum regenerationis***. Si haec duo unum atque idem esse putasset, cur alterum ab altero divisisset? cur non vocasset simpliciter ***baptismum poenitentiae et regenerationis?*** Quidni vero illum dicamus esse, quem Ioannes ministrabat, antequam Christum tingeret in Iordane, hunc autem, quem postea? Tum Ioannes utrumque praedicavit (59). Illud *παρεδίδου* aliud sonat quam ***dabat*** aut ***praebebat***, valet enim tantumdem ac ***tradebat***, quum dicimus ***tradere literis, memoriae, posteritati***. Nec ullum negotium nobis facessunt illa ***in eodem fluvio***, quae possunt significare ***apud eumdem fluvium***, sicut proxime scripserat Eusebius: *Ἐν γὰρ τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ* ***in Iordane enim fluvio primus Ioannes praedicavit regnum coelorum***, profecto non in medio amne, sed apud amnem inque amnis ripa.

64 Sunt et alia praeterea apud Eusebium, quae ad rem pertinent. Enarrans enim illud psaltae: ***In flumine pertransibunt pede; ibi laetabimur in ipso*** [18]), haec scripsit: ***Ad lavacrum regenerationis accedent in mysticam in Iordane fluvio repurgationem, qui ab Aegyptiaco errore liberati sunt*** [19]); quibus tamen significari sentis Israelitas ab Aegypto profectos Iordanem transeuntes, ac typum hoc transitu expressum. Continuo sic pergit Eusebius: ***Significat autem sermo per haec lavacrum regenerationis, quod incepit a Iordane fluvio, quando Ioannes Baptista in eremo Iudaeae adfuit prae-***

---

[1]) Adv. Iud. c. 8. [2]) In Ps. LXV, 6; in Is. XXXV, 2. [3]) Cat. III. § 11; XXI. § 1. [4]) L. c. § 5; in Ps. LXV. § 11. [5]) In Luc. L. II. § 83. [6]) Quaestion. evangelior. L. II. q. 6. [7]) Homil. hyem. XXII, quae est de Epiphania VI. etc. [8]) Orat. VII in s. Theophania § 3. [9]) Op. pasch. L. II. c. 9. [10]) L. c. vv. 76—80. [11]) In Ioan. Tract. IV. § 14. [12]) Io. III, 23. [13]) Adv. Sabell. L. I. in *Sirmondi* T. I. p. 4. [14]) In Matth. III, 3 in Catena graecor. patr. T. I ed *Possini*. [15]) Dem. ev. L. IX. c. 5. [16]) Ib. c. 6. [17]) In Is. XXXV, 2. [18]) Ps. LXV, 6. [19]) In Ps. l. c.

dicens baptismum poenitentiae, admittebatque omnes Graecos et Iudaeos ad confessionem delictorum, quando et ipse Salvator et Dominus noster adstans ipsum dignatus est fluvium divina sua descensione. Loquitur igitur de *lavacro regenerationis*, quod Christus utique iostituit, *quando . . . ipsum dignatus est fluvium divina sua descensione*, hoc est, de baptismi nostri origine. Ex his, quae edisseruimus, facile argues, quinam sit seusus eorum, quae scripsit Eusebius iu libris de Theophania [1]). Eusebius igitur contrarium sensit, ac Touttéeo sentire visos est.

65 Eusebio succedat Hilarius, *qui in Ps.* CXVIII. *lit.* 3. *no.* 5, inquit Toottée, *supponit Ioannis baptismo datam peccatorum remissionem, quemadmodum per baptismum Christi.* Cui priusquam respondeo, iuvat alia Hilarii verba proferre, quae ita sunt: *Quid ergo mihi ad salutem tanto postea genito Iordanis tum arefactus impertit? Impertit plane. Huius enim primum aquis peccatorum ablutio Iohanne poenitentiam praedicante donata est, et, per quem populo in repromissionis terram iter fuerat, per eum via nobis caelestis regni et novae generationis lavacro possessio aeternorum corporum inchoatur* [2]). Sed quomodo? Scilicet *aquis ipsis baptismo Domini consecratis*; ex quo adparet loqui Hilarium de nostri baptismi origine, inque ea esse senteutia, baptismum huuc institutum a Christo fuisse atque *aquis peccatorum ablutionem donatam*, id est, vim et efficaciam ioditam ad peccata ablueuda, quum Christus ipse io Iordane tiuctus fuit. Nuoc ad ea, ex quibus Toottée illod arguit.

66 En ipsa Hilarii verba: *Et forte si quis existimet sibi in sacramento baptismi perfectam illam innocentiae et caelesti vita dignam redditam puritatem, Ioannem Baptistam dixisse recolat: Ego quidem baptizo vos in aqua poenitentiae, qui autem post me venit, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni; ipsum autem Dominum baptizatum a Iohanne, cum adhuc esset in corpore, meminerit locutum: Adhuc habeo alio baptismo baptizari. Est ergo, quantum licet existimare, perfectae illius emundatio puritatis etiam post baptismi aquas reposita, quae nos sancti Spiritus sanctificet adventu, quae iudicii igne nos decoquat, quae per mortis iniuriam a labe morticinae et societate purgabit, quae martyrii passione devota ac fideli sanguine abluet.* Cave, putes initio horum verborom esse, ad quod offendas, sed lege, quae adnotavit Vallarsius [3]). Quod nostra refert in praeseoti, aio ex his haudquaquam illud effici, quod Touttée adfirmavit.

67 Etenim, etsi verba Baptistae, quae Hilarius protulit, a Matthaeo [4]), a Marco [5]), et a Luca [6]), referautur ante narrationem de Christi baptismo, eadem tameo Baptista post Christi baptismum repetiit, sicut narratur in Ioannis evangelio [7]), ergo, secundum opinionem Hilarii aliorumque, postquam Christus baptismom iam instituerat. Insuper adtende, ut argumentationis totius, quam facit Hilarius, hic ordo est ac veluti ductus. Ait eam nobis *in sacramento baptismi . . . redditam puritatem*, quae magis ac magis perfici possit. Sententiae huius argumentum petit ex aliis alia forma baptismis, qui haberi possunt post illum, qui fit in aqua, et quibus ea perfici, quae prior baptismus efficit, Hilarius haudquaquam comprobare studet, neque enim opus est, quippe quum id consequatur ex ipsa rei natura. Posse autem haberi baptismos illos alios priore, confirmat testimoniis Ioannis et Christi. Quod si huc spectant haec duo testimooia, quae adfert, siqoe hic est ordo argumentationis, non video, quid necesse fuerit, ut Hilarius positum haberet illud, quod dicit Touttée.

68 At enim, inquies, Hilarius Ioannis testimonio confirmare vult, non modo alia baptismata esse, sed etiam his puritatem illam perfici, quae nobis reddita est per aquam baptismi; non enim eam partem solummodo verborum Ioannis, in qua est de aliis baptismis, sed enuntiationem integram refert, qua Ioannes illos comparavit, ac praetulit, baptismo per ipsum ministrato. Quare Hilarii argumentatio pressius proposita haec est: Constat aliis atque aliis baptismis perfici puritatem nobis redditam primo baptismo, quia Ioannes id testatur. Hoc vero nemo non sentit minime esse consequens, nisi Hilarius positum babuerit *Ioannis baptismo datam peccatorum remissionem*, idque illis Ioannis ipsius verbis significari. Praeclare admodum, nisi quid commentationi huic officeret. Non enim unum Ioannis testimonium, sed etiam testimonium Christi adfert Hilarius, utrumqoe adhibet eodem prorsus pacto, ex utroque unam eamdemque rem colligit. Christi testimonium huc est: *Adhuc habeo* ALIO *baptismo baptizari.* Ne autem dubites *alium* dici huno baptismum respectu illius, quo Christus a Ioanne tinctus fuerat, en tibi denoo totum orationis membrum: *Ipsum autem Dominum* BAPTIZATUM *a Iohanne, cum adhuc esset in corpore, meminerit locutum: Adhuc habeo* ALIO *baptismo baptizari.*

---

[1]) L. II. fragm. 3. 4 in *Mai* Scriptor. veter. nova collect. T. I. pp. 115. 128. [2]) In Ps. LXV. § 11. [3]) In *Hilar.* l. c. [4]) Matth. III, 11. [5]) Marc. I, 7. 8. [6]) Luc. III, 16. [7]) Io. I, 26. 27. 33.

Num vero dices putasse Hilarium, quum Christus tinctus est, puritatem aliquam huic redditam, huncque sensum Christi verbis subesse? Eradendus itaque Hilarius ex albo, quem Touttée confecit.

69 Gregorius Nazianzenus sic loquitur: *Baptizavit etiam Ioannes, non iam ille quidem iudaico more, non enim in aqua solum, sed etiam ad poenitentiam, nondum autem prorsus spiritualiter, nec enim addit: In Spiritu* [1]). Nihil itaque dicit, nisi quod legitur in evangelio [2]); at in evangelio adeo nihil est, quod illam sententiam comprobet, ut contrariam ex eo colligere sit, sicut inferius (73) videbimus. Tum Gregorius baptismum hunc illis, qui in usu fuere apud Iudaeos, hac una re praestare ait, quod Ioannes *baptizavit etiam ad poenitentiam;* at si una poenitentia baptismi huius finis fuit atque effectus, non ergo peccatorum expiatio ac venia, quae duo poenitentiam consequuntur. Quare nullus dubitavi Gregorium inter eos numerare, qui huic baptismo virtutem illam piacularem esse denegarunt.

70 Sed et Cyrillus Alexandrinus in horum numero habendus est, non autem in album illum a Touttéeo descriptum referendus. Etenim, cur referretur, caussam praebuerunt ea, quae superius (54), cum aliis Cyrilli verbis, primo loco exscripsimus; sed simul ostendimus, quomodo sint intelligenda. Enimvero, quum Cyrillus id adseveret, quod Ioannes *non baptizavit in Spiritu*, quis non videt illa: *Filii Dei per Spiritum declarati sunt, mentem illustrati et per sanctum baptismum purgati*, itemque illa: *Donum Spiritus sancti et per sanctum baptismum in Deum regeneratio fide rapitur*, de baptismo, quem Ioannes ministrabat, dicta esse a Cyrillo minime posse? Alio in loco hic idem inducit Ioannem Baptistam sic loquentem: *Ego enim . . . baptismum affero παιδαγωγικον institutivum, abluens aqua*, haudquaquam peccata ipsa, sed *peccato inquinatos*, idque, non ad illa pianda, imo neque *ad poenitentiam* simpliciter, verum *ad initium poenitentiae* [3]).

71 Nunc quaerendum est, quid voluerint dicere Iuvencus [4]), Cyrillus Hierosolymitanus [5]), Ambrosius [6]), Prudentius [7]), scriptor homiliae in Theophania superius (57) nominatus, Ioannes Damascenus [8]), aliique fortasse, quum aiebant, eos, qui a Ioanne tingebantur, peccatorum venia quidem, non tamen Spiritu sancto, fuisse donatos; quid hic sonat nomen Spiritus sanctus? Nequaquam profecto divinam charitatem aut gratiam sanctificantem, sine quibus nec peccatorum venia esse potest. Sed neque gratiam, ut vocant, sacramentalem; cur enim huic gratiae illud nomen fieret, non autem gratiae sanctificanti, quae tamen aeque atque haec sancti Spiritus opus est, imo necessitate, pretio, atque utilitate, illam praestat? Num sancti Spiritus dona et χαρισματα pleniora atque abundantiora? Sed quis credat totum illud discrimen inter peccatorum veniam et inter id. quod *Spiritum sanctum* illi patres vocarunt, non aliud esse, quam το πλειον και ἐλαττον? Neque enim, nisi ab re, foret huc trahere velle discrimen, quod theologi faciunt inter *opus operatum* et *opus operantis*, quum hoc nequeat illud esse, de quo quaerimus; nam, ut cetera omittam, non inter res ipsas foret, sed inter modos rerum, at patres illi, non modos dividunt, utque distinguunt, sed ipsas res.

72 Quid plura? Quantumvis licet disquiras, nihil hic extricabis, nisi memineris, patres, sicut Petavius [9]) demonstravit, idque plurimis ac luculentissimis testimoniis, quibus novum argumentum adiungit nostra haec quaestio, patres, inquam, pro certo habuisse, *Spiritus sancti substantiam ipsam donum esse, illamque ad iustos et adoptivos Dei filios efficiendos divinitus infundi, ut sit formae cuiusdam instar, qua status ille constat* [10]). Thomas etiam in eadem hac sententia fuit [11]). Quanta autem luce veritatis ea splendeat, quamque firmis nitatur fundamentis, habes, qui te doceat, Franciscum Sylvium [12]), sed longe plenius Petavium nostrum. Lege etiam, quae hac de re scripsit Io. Franciscus Bernardus De Rubeis [13]). Memineris porro necesse est, *tantum istud tamque stupendum Dei beneficium tunc primum hominibus esse concessum, postquam Dei filius homo factus ad usum hominum salutemque descendit; ut fructus iste sit adventus, ac meritorum, et sanguinis ipsius,* VETERIS TESTAMENTI IUSTIS HOMINIBUS NONDUM ATTRIBUTUS, quibus NONDUM ERAT SPIRITUS SANCTUS DATUS, QUIA IESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS, *ut evangelista Ioannes* [14]) *scribit* [15]). His autem positis, adparet manifesto, quid sentire oporteat de ea re, quae in quaestionem vocabatur (71).

73 Quod si roges, quo loco habenda sit opinio putantium, iis, quos Ioannes abluebat, ablutionis huius vi ac virtute datam veniam peccatorum, haud multis opus est, quae respondeam, si modo mente retineas ea, quae huc usque disputata sunt. Equidem illud nego. Negarunt quippe patrum

[1]) Orat. XXXIX. p. 634. Paris. 1630. [2]) Matth. III, 11. [3]) In Io. I, 26. p. 110. [4]) L. c. [5]) Cat. XVII. § 8 coll. XX. § 6. [6]) In Luc. L. X. § 140 coll. De Spir. s. L. I. § 41. [7]) Loc. c. [8]) De fide orthod. L. IV. c. 9. [9]) De Trinit. L. VIII. c. 4. § 5—c. 7. [10]) *Petav. ib.* c. 4 argum. [11]) I q. 43. a. 3. c. et ad I. [12]) In *Thom.* l. c. [13]) Georgii Cyprii vita. Diss. I. hist. dogm. de praecipuis Georg. gest. deque process. Spirit. sancti § 5. [14]) Io. VII, 39. [15]) *Petav. ib.* c. 4. § 5.

pars longe maior, sique eos spectes, qui apertius loquuntur, etiam vetustior. Caussam autem negandi non unam suggerunt tum ratio ipsa rerum, tum libri novi testamenti. Harum caussarum praecipuas iam notarunt inter ceteros Tertullianus et Chrysostomus. Ille aiebat *divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen non potestate, quod et Ioannem a Deo missum legimus in hoc munus, ceterum humanum conditione. Nihil enim coeleste praestabat, sed coelestibus praeministrabat, poenitentiae scilicet praepositus, quae est in hominis potestate . . . Quod si poenitentia humanum est, et baptismus ipsius eiusdem conditionis fuerit necesse est, aut daret et Spiritum sanctum et remissionem delictorum, si coelestis fuisset. . . . Agebatur itaque baptismus poenitentiae, quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturae. Nam, quod praedicabat baptismum poenitentiae in remissionem delictorum, in futuram remissionem renunciatum est, siquidem poenitentia antecedit, remissio subsequitur, et hoc est viam praeparare; qui autem praeparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. . . . Sed ne moveat quosdam, quod non ipse* Christus *tinguebat. In quem enim tingueret? in poenitentiam? Quo ergo illi praecursorem? In peccatorum remissionem, quam verbo dabat? In semet ipsum, quem humilitate caelabat? In Spiritum sanctum, qui nondum a Patre descenderat? In ecclesiam, quam nondum apostoli struxerant? Itaque tinguebant discipuli eius ut ministri, ut Ioannes ante praecursor, eodem baptismo Ioannis, ne qui alio putet, quia nec exstat alius, nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem, quia nec mors nostra dissolvi posset, nisi Domini passione, nec vita restitui sine surrectione ipsius* [1]. Nec aliter Chrysostomus: *Paulus . . . ait: Ioannes quidem praedicavit baptismum poenitentiae, et non dicit remissionis, ut crederent in venientem post eum* [2]. *Cum enim nondum oblatum sacrificium esset, nec Spiritus descendisset, nec peccatum solutum esset, nec inimicitia sublata, nec maledictio deleta, quomodo remissio facta esset? . . . Advenit Ioannes nihil aliud agens, quam ut illos ad peccatorum suorum agnitionem deduceret. . . . Hoc ipsa quoque praedicatio demonstravit; nihil enim aliud dicebat, quam Facite fructus dignos poenitentiae* [3]. *Ioannes baptismi sui simplicitatem posuit, et ostendit nihil plus habere, quam quod ad poenitentiam ipsos deduceret; neque enim dixit in aqua remissionis, sed poenitentiae* [4]. *Neque alia de caussa lavacrum illud paratum fuerat, quam ut omnibus ad Christi fidem viam sterneret; non enim dixit Ut baptizatos puros reddam, neque: Baptizatum veni, ut a peccatis liberem, sed: Ut manifestetur in Israel* [5]. His adde argumentum petitum ex comparatis inter se iis, quae Marcus et Lucas de priore baptismo, quaeque Petrus de posteriore loquuntur. Nam Marcus [6] et Lucas [7] narrant, ut Ioannes praedicaret *baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*; Petrus vero ad Hierosolymitas. *Poenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti* [8]. Vides, ut rerum ordo plane alius sit in his, quam in illis? Petrus poenitere primum homines iubet, postea baptismo ablui, ablutos vero peccatorum veniam consequi, tum Spiritum sanctum accipere. At Ioannes ante omnia aqua tinguebat, idque ut ad poenitentiam admissorum sic tinctos excitaret, quos vero poenituisset, ii veniam consequerentur. Hinc baptismo huic adpellationes factae a scriptoribus novi testamenti *baptismus poenitentiae* [9], *baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum* [10], non autem *baptismus remissionis peccatorum.* Neque te illud praetereat, ut Israelitae ea ipsa aetate, qua Ioannes haec agebat, non alio loco habuerint baptismum ab eo ministratum, quam quo nos habendum putamus, idque a Flavio Iosepho memoriae proditum est, ubi haec scripsit: *Erant autem quidam e Iudaeis, qui existimarent, Dei ira periisse exercitum Herodis, qui iustas ob interfectum Ioannem cognomento Baptistam poenas dabat. Hunc enim Herodes necari iussit, cum esset vir bonus, Iudaeosque ad virtutis studium excitaret, praecipiens, ut, iuste quidem inter se, erga Deum autem pie agentes, ad lavacrum accederent; Deo enim ita acceptum iri lavacrum, cum eo non ad expiationem criminum uterentur, sed ad corporis munditiem* [11]. Quod adfirmamus, ipsae narrationes Matthaei et Lucae porrò comprobant, ex quibus adparet Iudaeos atque adeo Ioannem ipsum de hoc baptismo sensisse non aliter, ac dicimus. Etenim, si secus, Pharisaei ac ceteri hoc ipso, quod ad baptismum veniebant, professi essent se nequaquam teneri illo errore, qui inter populares suos invaluerat, Abrahae posteros *iustificari operibus legis* [12] atque ipsius Abrahae iustitia

[1]) De bapt. cc. 10. 11. [2]) Act. XIX, 4. [3]) In Matth. hom. X. §§ 1. 2. Conf. hom. de Bapt. Christi § 3. Opp. T. II. p. 371. [4]) Ib. hom. XI. § 4. [5]) *Id.* in Io. hom. XVII al. XVI. § 2. [6]) Marc. I, 4. [7]) Luc. III, 3. [8]) Act. II, 38. [9]) Act. XIII, 24; XIX, 4. [10]) Marc. I, 4; Luc. III, 3. [11]) Antiq. L. XVIII. c. 5. § 2. [12]) Rom. III, 28.

illis imputata (87); quare ergo Ioannes in eos *venientes ad baptismum suum* [1]) adeo acriter, ut fecit, ob talem errorem invectus esset, aut qua ratione suspicari potuisset eos in illo errore adhuc versari? Neque opponas mihi Baptistae verba: *Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira* [2]); non enim hanc effugissent ea conditione, si baptismo tingerentur, sed si facerent *fructum dignum poenitentiae* [3]).

74 Ceterum, qui patres aiebant peccatorum crimine liberatos fuisse eos, quibus Ioannes baptismum ministrabat, num omnes putabimus iis adversatos esse, qui hoc negarunt? Minime gentium. Forsitan enim illi patres, aut eorum aliqui, quorum unus Ambrosius est procul dubio, in ea fuere sententia, qua ceterorum nonnullos fuisse diximus (60), baptismum a Christo institutum esse, quum a Ioanne in Iordane tinctus est, ideoque, quando homines a Ioanne abluti, quae admiserant, condonata esse dicunt, petandi sunt loqui de illo baptismo, non quem pries, sed quem a Christo institutum postea Ioannes ipse ministrabat, inque horum numero, nihil impedit, quominus, praeter alios, quos Touttée minime nominavit, habeatur Ambrosius imo et Clemens Alexandrinus.

75 Sed illud leviore negotio vincere est, quod, qui putarunt veniam peccatorum datam iis, quos Ioannes Iordanis unda lustrabat, crediderint simul id factum, non *ex opere operato*, ut cum theologis loquar, sed *ex opere operantis*. Ita se credere professus aperte est Titus Bostrensis, quum haec scriberet: *Baptisma Christi ex vi propria perfectam peccatorum remissionem habet. At Ioannis baptisma, licet peccatorum remissionem adiunctam haberet, non eam tamen ex se habebat, sed ex poenitentia; . . . praeparabat enim homines ad poenitentiam, eosdemque, qui Christi baptismum aliquando susciperent capaces reddebat* [4]). Scilicet, inquit Touttć, *distinguit hic author vim sacramenti, ut loquuntur theologi, ex opere operato et ex opere operantis, solam hanc postremam dimittendi peccati virtutem Iohannis baptismo attribuens, eamdemque* FORTE NÓNNULLORUM, *quorum nomina supra retulimus, sententia fuerit* [5]). Sed illud *forte nonnullorum* nimis timide. Nam haec etiam Optati Milevitani sententia fuit; scripsit enim, ut *Ioannes Baptista . . . multos tingeret in poenitentia et remissa peccatorum* [6]), sed etiam illud, quod in Iordane *sub Ioanne* PER CONFESSIONEM IN POENITENTIAM, non autem per ipsum lavacrum, *populorum peccata fuerant moritura* [7]).

76 Quod ad Basilium, vel ipsi sententia haec eadem fuisse dicenda omnino est, aut demendus Basilius de numero eorum, qui virtutem illam baptismo huic tribuerunt. Eius verba sic sunt: *Ioannes praedicabat baptisma poenitentiae, . . . praedicat Dominus baptisma adoptionis filiorum. . . . Baptisma illud vim habebat introducendi, hoc perficiendi. Illud erat ἁμαρτιας ἀναχωρησις secessus a peccato, hoc coniunctio est cum Deo* [8]). Quum autem seorsum ab *adoptione filiorum* et a *coniunctione cum Deo* peccatis venia minime detur [9]), consequens est illum baptismum *ἁμαρτιας ἀναχωρησιν secessum a peccato* non propterea vocari, quia eius vi ac virtute peccata piarentur, sed solum quia, ut loquitur vetustus quidam scriptor, *qui baptizabantur a Iohanne, solvebantur a peccatis per poenitentiam* [10]). Tum Basilius in alio loco, *Ioannes*, inquit, *ait de Domino, quod Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni, de se autem ipse, quod Ego vos baptizo in aqua in poenitentiam. . . . Ambo coniunxit Dominus, baptismum ex aqua in poenitentiam et baptismum ex Spiritu in regenerationem* [11]); ex quibus satis adparet, ut senserit priori baptismo minime inditam vim, qua homines *regeneraret*, hoc est, liberaret crimine peccatorum [12]). Quod de Basilio, idem de Petro Chrysologo dictum putes, nisi suspicari velis patrem sanctissimum pugnantia esse loquutum. Accipe, quae is narrat: *Erat penes Ioannem venia, sed non sine poenitentia, erat remissio,* SED LUCTIBUS COMPARATA, *erat baptisma, quod culpam tolleret,* CONSCIENTIAM NON DELERET. *Et quid plura?* PER BAPTISMA IOANNIS *purificabatur homo ad poenitentiam,* NON PROMOVEBATUR AD GRATIAM [13]).

77 Patres ceteros, sive a Touttéeo, sive a nobis superius (57) nominatos, hoc ipsum sensisse, vel nihil praeferunt ipsorum verba, quod credere prohibeat, vel etiam aliquid, quod suadeat, ut sunt, verbi gratia, ea quae loquuntur Gregorius Nyssenus atque auctor ille homiliae in Theophania, qui olim Chrysostomus esse ferebatur.

78 Rationem igitur habes, qua controversiam dirimas, quae inter patres esse videtur de hoc baptismo, siquidem, qui hominibus eo tinctis veniam peccatorum datam dixerunt, ad opus operantis spectabant, ad opus vero operatum, qui negarunt. Sic scriptor ille ἀνωνυμος supra (76) commemo-

---

[1]) Matth. III, 7; Luc. III, 7. [2]) Matth. et Luc. ib. [3]) Ib. 8. [4]) In Luc. III, 2. [5]) L. c. [6]) De schism. Donat. L. V. § 5. [7]) Ib. § 9. [8]) Hom. XIII in s. bapt. § 1. [9]) Concil. trident. sess. VI. de iustificat. cc. 4. 7. [10]) Anonym. Tolos. apud. *Possin.* Caten. in Marc. I, 8. [11]) In Catena *Nicetae* ad Luc. III, 16 in *Mai* Scriptor. veter. nova collect. T. IX. p. 659. [12]) Conf. Io. III, 5. [13]) Serm. CXXXVII.

ratus, quem ex bibliotheca quadam Tolosatium eruit, atque in lucem edidit, Possinus [1]), postquam illud aperte negavit, haec subiunxit: *Qui . . . baptizabantur a Ioanne, solvebantur peccatis per poenitentiam.* Non tamen huic disceptationi finem faciemus, quin Augustini mentio fiat, qui, etsi ipse negaverit non semel, *tamen*, inquit, *ne quisque contendat etiam in baptismo Iohannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos Paulus iussit denuo baptizari per baptismum Christi, fuisse collatam, non ago pugnaciter* [2]).

79 At, si talis erat baptismus iste, quaeritur quinto, cur aut quorsum Ioannes eum praedicavit, ac ministravit? Marcus [3]) et Lucas [4]) id nos docent, ubi narrant, ut Ioannes venerit *praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*, id ipse Ioannes: *Ego quidem*, aiebat, *baptizo vos in aqua in poenitentiam* [5]). *Ut manifestetur* Christus *in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans* [6]), id Paulus apostolus his verbis: *Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum* [7]). At enim, inquies, quid tali baptismo cum poenitentia cumque Christi notitia? Hac de re responsum haud difficile intelligas ex Pauli verbis modo relatis, illudque tibi exponit auctor Operis imperfecti in Matthaeum: *Missus erat Ioannes ad baptizandum, non tamen propter necessitatem dandi baptismum, sed* UT PER OCCASIONEM *ad baptismum venientibus praesentiam filii Dei in corpore praedicaret, sicut ipse testificatur alibi dicens: Sed, ut manifestetur in Israel, ideo ego veni in aqua baptizans* [8]). Plenius tamen Chrysostomus. Etenim sic ait: *Neque alia de caussa lavacrum illud paratum fuerat, quam ut omnibus ad Christi fidem viam sterneret; non enim dixit: Ut baptizatos puros reddam, neque: Baptizatum veni, ut a peccatis liberem, sed: Ut manifestetur in Israel.* Continuo sic interrogat: *Quid enim, quaeso? an sine baptismate non licebat praedicare et populum attrahere?* Respondet autem haec: *Verum non id ita facile fieri poterat; neque enim ita concurrissent omnes, si praedicatio sine baptismate fuisset, nec comparatione facta eius praeeminentiam edidicissent, siquidem multitudo exibat, non ut, quae dicebat, audiret. Sed cur? Ut confitentes peccata baptizarentur. Advenientes autem, quae ad Christum spectabant, docebantur* [9]). Lege etiam Tertullianum [10]), et scriptorem libelli de Rebaptismate [11]).

80 Postrema quaestio est, quid illud sit, quod Gregorius Thaumaturgus [12]), Ambrosius [13]), Chrysostomus [14]), Arator [15]), Eulogius Alexandrinus [16]), aiunt, Ioannem *nomine* Christi adventuri baptismum illum suum ministrasse; pugnare quippe hi videntur cum Luca, qui in Actis haec narrat. Quum Paulus Ephesi quosdam interrogasset, *in quo baptizati* essent, illi autem respondissent: *Ioannis baptismate*, eos edocuit, quae oportebat, atque *his auditis baptizati sunt* IN NOMINE *Domini Iesu* [17]); non ergo *in nomine Domini Iesu* Ioannes tinguebat. Attamen idem hic locus Actuum implicite continet, quo pugnam componamus. Ibidem enim legimus Paulum haec loquutum: *Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum* [18]). Horum enim simplex sensus hic esse videtur: *Ioannes baptizavit . . . dicens, ut crederent in eum, qui venturus esset post ipsum.* Verum, si id solum exprimere voluisset Lucas, cur non hoc ordine, qui maxime aptus et proprius fuisset, sed alio disposuit haec verba? Nimirum, ut disceremus Ioannem, quum tinguebat, profiteri solitum fuisse se tinguere *in eum*, id est, nomine eius, *qui venturus esset*; simulque intelligeremus, quid sonet illud *in eum* seu *nomine eius*, non aliud videlicet, nisi *ut crederent in eum.* Ita quidem haec interpretatus est Chrysostomus: *Baptizabat vero* Ioannes *tantum* IN EUM, *qui post se venturus esset, ut* IN EUM *crederent* [19]). Adparet igitur alium esse sensum illius loquutionis: *Baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, de quo non hic locus est disserendi, legere autem ea poteris, quae disseruit Photius in Amphilochianis [20]).

PARS II

De concionibus habitis a Ioanne

81 Conciones, quas Ioannes habuit ad Iudaeos, iam patres plene illustrarunt; quare pauca nobis de illis dicenda supersunt. Summam harum concionum Matthaeus expressit Ioannem inducens ita

[1]) Caten. patrum in Marc. I, 5. 8. [2]) De bapt. cont. Donat. L. V. c. 10. § 12. [3]) Marc. I, 4. [4]) Luc. III, 3. [5]) Matth. III, 11. [6]) Io. I, 31. [7]) Act. XIX, 4. [8]) In Matth. III, 11. [9]) In Io. hom. XVII al. XVI. § 2. [10]) L. c. [11]) L. c. [12]) In s. Theophania p. 33. Paris. 1622. [13]) De Spir. s. L. I. § 41. [14]) In Io. hom. XXIX al. XXVIII. § 1. [15]) Hist. apostol. L. II. vv. 583. 584. [16]) L. c. [17]) Act. XIX, 3—5. [18]) Ib. 4. [19]) L. c. [20]) Ad Amphiloch. quaest. XLIII in *Mai* Scriptor. veter. nova collect. T. I. P. II. p. 90.

loquentem: ***Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum*** [1]). Vides, ut huius cohortationis argumentum sit illud ipsum, quod Isaias [2]) et Malachias [3]) a Ioanne agendum ac praedicandum praedixerant [4]), fore, ut Christo mox adventuro viam faciendam curaret [5]), quod duo continet, nuntium adventus Christi, et hortationem ad viam huic sternendam. Utrumque complectitur oratio Ioannis; primum enim nuntiat illis verbis: ***Appropinquavit enim regnum caelorum***, ad alterum Iudaeos hortatur illis: ***Poenitentiam agite.*** De *regno caelorum* peculiaris erit disputatio [6]) nunc de ceteris.

82 Sunt, qui malint, graecum *μετανοεῖτε* verti ***resipiscite***, potius quam ***poenitentiam agite***, hoc enim actionibus, illud mente, quod unum graeca vox sonat, praestandum. Verum *μετανοεῖν* utrumque significat, et ***resipiscere*** et ***poenitere***, latinum autem *agere poenitentiam* scriptores clarissimi, Petronius, Plinius, Curtius, auctor Dialogi de oratoribus [7]), usurparunt, non in eum sensum, qui iam invaluit, sed qui subest ipsi verbo *poenitere.* Iam vero considera ut nemo vere resipiscat, nisi quem poeniteat admissorum, nec quemquam vere horum poeniteat, quin resipiscat.

83 Neque haec praetereunda, quae adnotavit Lightfootus. ***Utcumque poenitentiam male definierint scholae Pharisaeorum, ... poenitentiam tamen ipsam ad receptionem Messiae necessariam asseruerunt. De hac re disputatur apud Gemaristas babylonicos Sanhedr. fol.*** 98. ***etc***, ***quos citat etiam Kimchius in Esa.*** LIX, 16, ***et quaestionem determinat. . . . Hieros. Taanith fol.*** 64, 1: ***Si resipuerit Israel vel uno die, illico adveniet Redemptor*** [8]). Res sane digna consideratione est, ut Christus, sicut legitur in Matthaeo, doctrinae suae initium fecerit illis ipsis verbis, quibus Ioannes: ***Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum*** [9]).

84 ***Quis demonstravit vobis fugere*** *ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς* ***a ventura ira?*** [10]); sic Ioannes Pharisaeos, qui ad ipsum venerunt, percontatus est. Ira haec, cui averruncandae admissorum poenitentia praesto foret, ea est procul dubio, quam Deus vertet in impios, quum de horum sceleribus iudicium faciet. Simili loquutione usus est Paulus iubens Thessalonicenses ***expectare filium eius de caelis . . . Iesum, qui eripuit nos*** *ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης* ***ab ira ventura*** [11]). Nec aliud significant illa *ἔρχεται* seu *ἦλθεν ἡ ὀργή* *.venit ira,* quae idem ipse Paulus non semel dixit in suis epistolis [12]), et Ioannes in apocalypsi [13]). Haec eadem significatio est nomini irae in aliis quoque utriusque locis [14]). Hinc *dies irae* ab utroque [15]) vocatur, quo die illud postremum iudicium a Deo fiet. Veteres Iudaeorum doctores, quorum verba in talmudem relata sunt [16]), docuere *iram* nomen fieri poenis sempiternis, quae impios manent. A Sophonia *dies irae* [17]) futurus praenuntiatur, quae adpellatio, si in sensum spiritalem accipiatur, ipsum illum diem significat, quem sic vocarunt Paulus et Ioannes. Horum verborum Baptistae similia sunt, quibus ipsos Pharisaeos Christus compellavit: ***Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennae*** [18])?

85 Recte Lightfootus [19]): ***Respiciunt***, inquit, ***haec verba*** Ioannis ***novissima verba veteris testamenti: Ne percutiam terram anathemate*** [20]); Ioannes nimirum, ***foederis ille novi primus veterisque supremus*** [21]) vates, atque alter Elias [22]), ea exsequitur, quae ab Elia praestanda Malachias postremus veterum vatum postremis suorum vaticiniorum verbis praenuntiaverat.

86 Pergit Ioannes, aitque: ***Facite ergo fructum dignum poenitentiae*** [23]). Nota illud *ergo;* quasi diceret: Si, quo nominis iram capitibus vestris averruncetis, morum vestrorum vos vere poenitet, id ut adpareat, date operam, non verbo, sed re ipsa, resipiscentia, inquam, studioque virtutum, qui poenitentiae sunt fructus. His et prioribus verbis eam sententiam subiectam esse, quam diximus, evincit imago, qua Ioannes paullo post hortationem suam concludit, et de qua infra (88) loquemur.

87 Quominus Pharisaei id facerent, hos enim Ioannes adloquebatur, obstabat cumprimis error, quo tenebantur, et a quo ut Iudaeos revocaret, Paulus tam sedulo tamque acriter adlaborabat, Abrahae posteros ***iustificari operibus legis*** [24]). Erroris huius quoddam veluti vestigium deprehendere quidam sibi videntur in iis, quae Iosephus secta Pharisaeus habet in illo ipso loco, ubi loquitur de Ioanne Baptista, narratque, ut Iudaei ***ad lavacrum accederent, . . . non ad expiationem criminum, . . . sed ad corporis munditiem, utpote animis iam ante per iustitiam purificatis*** [25]). Hunc igitur errorem

---

[1]) Matth. III, 2. [2]) Is. XI, 3. [3]) Mal. III, 1. [4]) Matth. III, 3; XI, 10; Marc. I, 2. 3; Luc. III, 4; VII, 27; Io. I, 23. [5]) Lege Diss. XLV. [6]) Diss. XLVI. [7]) *Forcellin.* ad v. *Poenitentia.* [8]) Op. cit. in h. l. [9]) Matth. IV, 17. [10]) Ib. 7; Luc. III, 7. [11]) I Thess. I, 10. [12]) Eph. V, 6 coll. 5; Coloss. III, 6 coll. 4. 5. [13]) Apoc. XI, 18. [14]) Rom. II, 8 coll. 5—7; III, 5 coll. 4. 6; V, 9 coll. 2 seqq.; IX, 22 coll. 23; I Thess. V, 9 coll. 2. 8; Apoc. VI, 16. [15]) Rom. II, 5; Apoc. VI, 17. [16]) Ap. *Schoettgen.* Hor. hebr. et talmud. in h. l. [17]) Soph. I, 15. [18]) Matth. XXIII, 33. [19]) Op. cit. in h. l. [20]) Mal. IV, 6. [21]) *Tertullian.* Carm. adv. Marcion. L. III. c. 9. [22]) Matth. XI, 14; XVII, 12; Luc. I, 17. [23]) Matth. III, 8; Luc. III, 8. [24]) Rom. III, 20—31; IV, 1—V, 1. etc.; IX, 6. 7. etc.; Gal. II, 16; III, 6—29. etc. [25]) Antiq. L. XVIII. c. 5. § 2.

continuo Ioannes studet Pharisaeis adimere sic eos castigans: *Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae* [1]). Ut horum verborum sententiam ac totius argumentationis vim recte pleneque percipias, consideres necesse est, ut Ioannes illud ipsum doceat, quod Paulus in epistolis scriptis ad Romanos et ad Galatas [2]), modumque adtendas doctrinae huius. Non omnes Abrahae posteros, sed unos Israelitas esse, quos *elegit Dominus Deus, . . . ut* esset *ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram* [3]), et qui *filii Dei* [4]) haberentur, et vocarentur. Non tamen populum Israelitarum iis solum constare, qui ab Abrahamo genus ducerent. *Non enim omnes, qui ex Israel,* proinde ex Abrahamo, *sunt, ii sunt Israelitae* [5]), eodem plane pacto, quo *neque, qui semen sunt Abrahae, omnes filii* [6]), nam et Ismaelitae et aliae gentes eo prognatae [7]), imo et Idumaei, etsi orti ex Isaaco [8]), de quo Abrahae dictum a Deo fuerat: *In Isaac vocabitur tibi semen* [9]), inter Israelitas censi nequaquam sunt, neque pro filiis habiti. Aliud igitur fuisse, quam originem hanc, quo quis Israelites atque Abrahae filius esse quiret, eaque de caussa Israelitas filiosque Abrahae eos quoque esse potuisse, qui alio genere, quam Abrahae, orti essent. Quid ergo illud? Audi Paulum: Abraham *signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei, quae est in praeputio, ut sit pater* OMNIUM CREDENTIUM *per praeputium, . . . et sit pater circumcisionis, non iis* TANTUM, *qui sunt ex circumcisione, sed* ET *iis, qui* SECTANTUR VESTIGIA FIDEI, *quae est in praeputio patris nostri Abrahae. Non enim* PER LEGEM, quae unis Israelitis Abrahamo prognatis data est, *promissio Abrahae aut semini eius, ut heres esset mundi, sed per* IUSTITIAM FIDEI; *si enim, qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. . . . Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio* OMNI *semini, non ei, qui* EX LEGE *est* SOLUM, *sed* ET *ei, qui* EX FIDE *est Abrahae, qui pater est* OMNIUM *nostrum, sicut scriptum est: Quia patrem* MULTARUM GENTIUM *posui te, . . . qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multorum gentium, secundum quod dictum est ei: Sic erit semen tuum; et non infirmatus est ex fide* [10]). . . . *Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad iustitiam. . . . Ergo, . . . qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae* [11]). Quibus positis frustra fuisse Iudaeos, qui propter genus ductum ab Abrahamo se se prae gentibus cunctis Deo semper fore acceptos arbitrabantur, sibique, nec ullis hominibus praeter ipsos, Abrahae iustitiam a Deo imputari. *Dicimus enim,* inquit Paulus, *quia reputata est Abrahae fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in praeputio?* NON IN CIRCUMCISIONE, SED IN PRAEPUTIO. . . . *Non est autem scriptum* TANTUM *propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed* ET PROPTER NOS, *quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis* [12]). Quisquis haec omnia probe intellexerit, huic Ioannis sermo omni ex parte clarebit.

88 Hortationem suam concludit Ioannes hac imagine: *Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* [13]). Haec aptissime cohaerent cum prioribus (86), atque apertissimum sensum habent; est enim comminatio, qua Ioannes perorat, Pharisaeos ceterosque urgens atque compellens ad id, quod, ut exsequerentur, eorum animis inculcaverat: Instare iam illud tempus, quo, nisi ferant *fructum dignum poenitentiae,* haud dabitur, quod tamen in praesenti avebant, studebantque, *fugere a ventura ira.* Scilicet *securis ad radicem arborum posita* imminentem numinis vindictam exprimit, *arbores* Iudaeos, *omnis arbor, quae non facit fructum bonum* Iudaeos ipsos, qui poenitentiam minime agentes nec *fructum dignum poenitentiae* ferrent, bonus arborum fructus ipsum hunc *fructum dignum poenitentiae,* denique *ignis,* ut diximus (84), iram, quam fugiebant.

89 Lucas refert ea quoque, quae Ioannes iis, qui ipsum interrogabant, interque hos publicanis et militibus, propria quibusque respondit [14]); horum autem non fere quidquam est, quod in quaestionem vocetur. Publicanis Ioannes haec aiebat: *Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis,* πρασσετε *faciatis,* hoc est, *exigatis;* quem sensum habet verbum πρασσειν etiam apud scriptores alios [15]), atque etiam in alio loco huius evangelii [16]), ubi interpres latinus pro ἂν ἔπραξα reddidit *exegissem.* Quae vero militibus Ioannes praecipiebat, haec sunt: *Μηδενα διασεισητε, μηδε συκοφαντησητε, και ἀρκεισθε τοις ὀψωνιοις ὑμων,* quae latine sic versa leguntur in vulgatis exemplaribus: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Qui putant

---

1) Matth. III, 9; Luc. III, 8. 2) LL. cc. 3) Deut. VII. 6. Conf. IV, 20; Ex. XIX, 6. 4) Rom. IX, 8 coll. 7. 9. Conf. Ex. IV, 22. 23; Os. XI, 11. 5) Rom. ib. 6. 6) Ib. 7. 7) Ib. 8. 9. Conf. Gen. XXV, 2. 8) Ib. 10—13. 9) Ib. 8. 10) Ib. IV, 11—14. 16. 17. 18. 19. 11) Gal. III, 6. 7. 12) Rom. IV, 9. 10. 23. 24. 13) Matth. III, 10; Luc. III, 9. 14) Luc. III, 10—14. 15) *Wahl.* Clavis N. T. philolog. ad h. v. 16) Luc. XIX, 23.

verbis illis *neminem concutiatis* vetari milites quemquam percutere, peccant ignoratione utriusque linguae, quum neque latinum *concutere*, neque graecum *διασειειν*, id significent. Tum frigidum quid talis sensus, ubi de militibus agitur, praeferre videretur. Verius illa verba interpretantur ii, qui aiunt eadem esse hoc in loco ac *vexare*, *turbare*, *terrere*. Ego tamen adsentior Mazochio [1]), qui opinatur agi hic de concussionibus, id est, de crimine illo, *quo quis alterum illicite terret, intentanda accusatione gravioris criminis, vel simulanda iussa aut minas magistratuum, ut ab eo pecuniam extorqueat, periculi vitandi caussa* [2]). Notio haec tum latino tum graeco verbo subesse potest; subest autem graeco in tertio libro Machabaeorum, in quo haec leges: *το συνολον ὑπο μηδενος διασεισθεντες των ὑπαρχοντων*, quae latine sic expressa fuere; *prorsus a nemine dimoti de substantia* [3]), hoc est, ita, ut illos nemo concussionibus spoliaret. Lege totum illud caput. Adde, quod vitia, quae carpit Ioannes, haudquaquam essent militum legionariorum, quare, ut monet Mazochius, milites, *ad quos haec monita diriguntur, . . . ad id genus militiae sunt revocandi, qui, sive ipsi procuratori, Augusti, sive fiscalibus exactoribus, apparebant*; horum autem militum maxime, utpote quibus passim occasio sese offerret, proprium fuit illa peccare, interque ea hoc potissimum, ut concussionibus rem alienam expilarent. De verbis *neque calumniam faciatis*, nihil est, quod dicamus, praeter haec, quae Mazochius adnotavit: *Notant viri eruditi το συκοφαντειν hoc loco tantundem esse, quod dolo ac fraudulenter (aut certe occulte, non vi aperta) aliquid surripere, ac rapinis quamlibet frivolas et iniustas caussas praetexere. Habet, opinor, et eandem vim latina translatio; id enim nonnunquam et* CALUMNIAE *vocabulum significat, uti liquet ex Nervae nummo, cuius aversa parte inscribitur:* *CALVMNIA. FISCI. IVDAICI. SVBLATA.* *Sicut et Domitianum* FISCALES CALUMNIAS *repressisse narrat Suetonius cap.* 9. *Quid enim sunt aliud fiscales calumniae, quam iniquae extorsiones absurda quovis praetextu palliatae? Idem Suetonius, Caligula cap.* 38: AD RAPINAS CONVERTIT ANIMUM, VARIO ET EXQUISITISSIMO CALUMNIARUM ET AUCTIONUM ET VECTIGALIUM GENERE. *Victor alter sive Victorinus in Vita Constantii:* CUIUS (*Traiani*) PROCURATORES CUM PROVINCIAS CALUMNIIS AGITARENT, ILLA (*Plotina*) CONIUGEM CORRIPUIT. *Utitur saepe latinus veteris testamenti interpres* CALUMNIANDI *verbo, ut respondeat τῳ συκοφαντεω graecae translationis, quod pro* עשׁק OPPRESSIT *Graeci reponere consueverunt. Eandem significationem habet συκοφαντεω apud eundem Lucam* [4]), ubi Zachaeus sic loquitur: *εἰ τινος τι ἐσυκοφαντησα si quid aliquem defraudavi* [5]).

PARS III

De testimonio, quod Christo dedit Ioannes

90 Potissimum Ioannis officium fuit, ut ipsius testimonio Iudaei discerent Iesum esse Messiam illum, quem exspectabant. Haec praecipua caussa fuit legationis suae; nam, sicut Ioannes evangelista scripsit: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum* [6]). Octo ex his testimoniis, quae de Christo Baptista dixit, relata sunt in evangelia. Primum horum est, quod legitur in evangeliis Matthaei, Lucae, et Marci, perhibitumque fuit, antequam Iesus veniret ad baptismum [7]); cetera sunt in evangelio Ioannis [8]), eaque Baptista dixit postea, quam Christum abluerat in Iordane (1). Origenes sex dumtaxat ex his testimoniis numeravit [9]), enarrabat enim primum Ioannis caput, in quo nec primum testimonium legitur, neque octavum. Nunc disserendi locus non esset nisi de primo testimonio; attamen et de nonnullis ceterorum, quum id occasio tantum non exigat, aliqua dicentur.

91 Multus iam rumor serpebat super Ioanne, *ne forte ipse esset Christus* [10]); quare is primum testimonium dixit, ac *respondit*, imo *praedicavit dicens omnibus* [11]): *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* [12]). Horum similia sunt, quae dixit, quum quartum [13]) et sextum [14]) testimonium perhibuit. Imo ad haec eadem, quae de Christo primum praedicaverat, ante quam is ad se veniret, spectasse videtur Baptista, quum, postea quam eum tinxerat, protulit illa: *Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia*

---

[1]) Spicileg. bibl. in h. l. [2]) *Forcellin.* ad h. v. [3]) III Mach. VII, 18 al. 21. [4]) L. c. [5]) Luc. XIX, 8. [6]) Io I, 7. [7]) Matth. III, 11. 12 coll. 13; Marc. I, 7. 8 coll. 9; Luc. III, 16. 17 coll. 21. [8]) Io. I, 15. 19—36; III, 37 seqq. [9]) In Io. pp. 82. 83 ed. *Huet.* [10]) Luc. III, 15. [11]) Luc. ib. 16; Marc. I, 6. [12]) Matth. III, 11; Marc. I, 7. 8; Luc. III, 16. [13]) Io. I, 26. 27. [14]) Ib. 33.

prior me erat [1]), quumque illa: *Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat* [2]); quae sunt alterum et quintum de octo testimoniis.

92 Quum autem Ioannes miraculum nullum patraverit [3]), ea, quae Iudaeis argumento esse potuerunt, cur eum pro Christi haberent, fuere primum ipsius Ioannis vitae sanctimonia, tum baptismus ab eo administratus [4]), morum denique emendatio, cui populus ipso suasore studere coeperat. Ioannes itaque, ut illos ab ea cogitatione avocaret, edixit, quantum se virtute, dignitate, et natura, praecelleret is, *qui venturus esset post ipsum* [5]), quam aliud quamque excellentius baptisma ab eo ministrandum, quam denique maiora bona populo is esset praestiturus, sermonemque conclusit indicium praedicens, quod is ipse tandem faciet de hominum genere universo. De singulis nonnulla dicamus.

93 Quod ad primum, nota comparationem factam inter illud *ego* interque illa *qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare*, ut legimus in Matthaeo, vel, ut est apud Marcum, Lucam, et Ioannem, *solvere corrigiam calceamentorum eius*. Verba *fortior me est*, videntur expressa ex iudaicis חזק מני הוא, haec autem loquendi forma חזק מכל idem valet ac *praevalere.* Quod vero aiebat Ioannes, dignum se haud esse Christi *calceamenta portare*, aut *solvere corrigiam calceamentorum eius*, in Iudaeorum sermone tantumdem sonabat, ac dignum se haud esse, qui Christi servus fieret; scitum enim iuris peritorum iudaeorum hoc fuit: *Quomodo emitur servus* בחזקה *occupatione? Solvit ementi calceum, portat post eum, quae ei necessaria ad balnea, devestit eum, lavat, ungit, fricat, revestit, induit calceos, et cetera* [6]). Sed considerationem praecipue intendamus oportet in verba *Qui post me venturus est, ἔμπροσθεν μου γεγονεν· ὅτι πρωτος μου ἦν, ante me factus est, quia prior me erat*, quae Ioannes iterum ac tertio protulit [7]). Ne te conturbet verbum *factus est;* graeco enim *γινεσθαι* prima notatio est *nasci, gigni*, eademque latino *fieri* minime aliena. Tum dubitationem omnem iam ademit ipse Ioannes, quum huic verbo, veluti ipsum interpretans, subiunxit: *quia prior me erat.* Ceterum haec adeo luculenta sunt, ut vel lippi nequeant non pervidere, nec quis, nisi praefracta fronte de grege Rationalistarum, negare audeat, non aliud narrari a Ioanne, quam Christum esse Deum. Qui enim aliter *gigni* atque *esse* ante Ioannem is potuit, quem constat Bethlehemi a Maria virgine in lucem editum sex mensibus post ortum Ioannis [8])?

94 Alterum argumentum adlatum a Ioanne est comparatio baptismatum; ait quippe: *Ego . . . baptizo vos in aqua, . . . ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* In his non pauca sunt, de quibus agamus necesse est.

95 Primum animadvertere iuvat, quum verbum *baptizare* usurpatur in Novo Testamento, variam esse *συνταξιν* pro varietate rerum, prout, inquam, vel ipsius baptismi materiem scriptor edicit, vel caussam virtutis ac vis baptismo inditae, vel baptismi rationem ac modum, vel huius finem. Nam in graeco exemplari materiem baptismi efferri videas casu dativo, plerumque cum praepositione *ἐν* [9]), ter sine praepositione [10]); id, ex quo est virtus baptismi, semel casu dativo cum praepositione *ἐν* [11]), semel item casu dativo cum praepositione *ἐπι* [12]), alias casu accusativo cum praepositione *εἰς* [13]); hoc eodem casu accusativo eademque cum praepositione *εἰς* tum baptismi rationem ac modum [14]), tum finem baptismi [15]). In exemplari latino, si hoc postremum excipias, quod effertur sicut in graeco, tria priora casu ablativo cum praepositione *in* efferuntur. Bis reperies in graeco exemplari verbum *βαπτιζειν* constructum cum casu accusativo sine praepositione, qui latine expressus est casu ablativo item sine praepositione. Alter horum locorum est in Actis, ubi haec legimus: *Ἰωαννης ἐβαπτισε βαπτισμα μετανοιας*, latine ita versa: *Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae* [16]); in graecis autem *ἔλλειψιν* esse, itaque supplendam sententiam: *ἐβαπτισε εἰς βαπτισμα μετανοιας*, ac modum baptismi edici, adparet ex eo, quod Paulus haec responderit narrantibus baptizatos se fuisse *εἰς το Ἰωαννου βαπτισμα* [17]), quibus modus baptismi significabatur. Proinde liquet interpretanda item esse ea, quae in altero loco leguntur, qui est in Lucae evangelio: *Iustificaverunt Deum βαπτισθεντες το βαπτισμα Ἰωαννου baptizati baptismo Ioannis* [18]).

96 Quibus positis, quaeritur, in illa enuntiatione *βαπτιζειν ἐν πνευματι ἁγιῳ baptizare in Spiritu sancto* utrum sonent verba *ἐν πνευματι ἁγιῳ*, principium caussamque virtutis, quae baptismo inest,

---

1) Ib. 15. 2) Ib. 30. 3) Io. X, 41. 4) Io. I, 25. 5) Act. XIX, 4. 6) Kidduschin babyl. fo. 22, 2 ap. *Lightfoot.* op. cit. in Matth. h. l. 7) Io. I, 15. 30. 8) Luc. I, 26. 36. 9) Matth. III, 11; Marc. I, 8; Luc. III, 16; Io. I, 26. 31. 33; Act. I, 5; XI, 16; I Cor. X, 2; XII, 13. 10) Luc. III, 16; Act. I, 5; XI, 16. 11) Act. X, 48. 12) Ib. II, 38. 13) Matth. XXVIII, 19; Act. VIII, 16; XIX, 3. 5; Rom. VI, 3; I Cor. X, 2; Gal. III, 27. 14) Act. XIX, 3. 15) Matth. III, 11; Act. II, 38; I Cor. XII, 13. 16) Act. XIX, 4. 17) Ib. 3. 18) Luc. VII, 29.

an ipsam baptismi materiem, utrum, inquam, *Spiritus sancti* in huiusmodi enuntiationibus mentio fiat, ut is est, a quo baptismi *ἐνεργεια* originem habet, an ut id, quo tingui atque ablui dicimur.

97 Ut iudicium hac de re facere possis, animadverte, ut, praeter locos, in quibus usurpata sunt verba *βαπτιζειν ἐν πνευματι ἁγιῳ*, numquam alias mentio fiat eius rei, ex qua baptismi cuiuscumque vis est ac virtus, nisi apud Matthaeum in evangelio [1]), apud Lucam in Actis [2]), et apud Paulum in epistolis [3]); numquam tamen ea verborum constructione, qua est *βαπτιζειν ἐν πνευματι ἁγιῳ*. Nam Paulus illam caussam exprimit, ipsum quidem huius nomen simpliciter usurpans, sed casu accusativo cum praepositione *εἰς*, dicitque *βαπτιζειν εἰς Χριστον* [4]), *εἰς τον θανατον αὐτου* [5]), *εἰς τον Μωϋσην* [6]); Matthaeus vero et Lucas ante nomen caussae ponunt vocem *ὀνομα* casu item accusativo cum praepositione *εἰς*, aitque Matthaeus *βαπτιζειν εἰς το ὀνομα του πατρος, και του υἱου, και του ἁγιου πνευματος* [7]), Lucas *εἰς το ὀνομα του κυριου Ἰησου* [8]), bis tamen casum dativum hic adhibet, primo cum praepositione *ἐπι*, id est, *ἐπι τῳ ὀνοματι Ἰησου Χριστου* [9]), iterum cum praepositione *ἐν* quidem, sed addito eodem illo *τῳ ὀνοματι*, ut semper, id est, *ἐν τῳ ὀνοματι Ἰησου Χριστου* [10]). Si igitur caussa virtutis baptismi exprimeretur ea enuntiatione, de qua agimus, haudquaquam haec foret *βαπτιζειν ἐν πνευματι ἁγιῳ*, sed *εἰς ὀνομα*, aut *ἐπι ὀνοματι*, vel etiam *ἐν ὀνοματι πνευματος ἁγιου*, saltem, ut Paulus solet, *εἰς πνευμα ἁγιον*. Quare ratio ipsa loquendi, quae fuit scriptoribus novi testamenti, credere suadet illa enuntiatione caussam virtutis baptismi haudquaquam significari.

98 Ioannes igitur verbis *ἐν πνευματι ἁγιῳ* baptismi materiem designavit. Id autem eo certius est, quod, qualis demum cumque sit baptismus, de quo loquuntur sive Matthaeus, sive Lucas, sive Paulus, sive ceteri, eius tamen dumtaxat materiem hac verborum constructione, imo hac una, exprimere solent. Adde, quod Ioannes opponat baptismum hunc *ἐν πνευματι ἁγιῳ* baptismo *ἐν ὑδατι in aqua*; sicut autem hoc alterum materiam ipsam significat procul dubio, ita et primum. Denique non illud unum ait Ioannes, quod Christus *baptizabit in Spiritu sancto*, sed *in Spiritu sancto et igni*; in qua enuntiatione, si *ignis* est ipsa baptismi huius materies, profecto, nec *Spiritum sanctum* aliud esse, sentiendum omnino est.

99 Quae quum ita sint, gravior quaedam quaestio nobis oboritur: Qui possit Spiritus sanctus tamquam baptismi materies haberi. Priusquam respondeo, praedicam necesse est, quum materiem baptismi nomino in hac disputatione, me non illud dicere velle, quod theologi, quum agunt de sacramentis, sed illud, quodcumque est, quo quis tinguitur. Meminisse etiam oportet verbum *βαπτιζειν*, aeque ac cetera verba, immutari posse inque sensum *τροπικον* usurpari, ut aliud significet, quam ablutionem proprie dictam; in hoc autem Ioannis vaticinio sic verbum hoc usurpatum esse manifestum est, quum neque Spiritu sancto, neque igne, ablui quis possit. Minime autem putandum est his verbis Ioannis nihil aliud praenuntiari, quam sacramentum a Christo instituendum, tametsi proprios quoque sacramenti huius effectus horum verborum significatio complectatur (59). Nam plenior omnino sententia est et gravior, quam ut id unum verba sonent, talemque significationem inde excludit prorsus nomen *ignis*. Tum hoc ipsum, quod Ioannes a Christo praestandum vaticinabatur, iisdem verbis Christus ipse, quum in eo esset, ut ad patrem rediret, pollicitus est discipulis se praestiturum paucis post diebus: *Quia*, inquit, *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizamini ἐν πνευματι ἁγιῳ Spiritu sancto, non post multos hos dies* [11]); de alia tamen re, quam de sacramento, quod instituerat, eum esse loquutum, nemo non intelligit. Id autem, quod defendimus, confirmat ipsa *ἀντιθεσις* duorum baptismatum, unius *ἐν ὑδατι*, alterius *ἐν πνευματι ἁγιῳ*; nam sacramentum, quo peccata abluuntur, et ipsum *ἐν ὑδατι* efficitur. Quid denique, quod Petrus aperte nos docet, rem sic se habere, ut dicimus? Etenim, quum Cornelius centurio et sui, antequam baptismo lustrarentur, Petrum audirent ea edisserentem, quae a Christo gesta fuerant, quaeque de Christo credere oportet [12]), *adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est; audiebant enim illos loquentes linguis et magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos? Et iussit eos baptizari* [13]). Nota *του ἁγιου πνευματος δοσιν sancti Spiritus dationem* (54) ante baptismum factam, nec aliter, quam sicut olim Hierosolymae in coenaculo. Quum autem Petrus id, quod gestum fuerat, ceteris apostolis narraret [14]), haec dixit: *Cum autem coepissem loqui, cecidit*

---

[1]) Matth. XXVIII, 19. [2]) Act. II, 38; VIII, 16; X, 48; XIX, 3. 5. [3]) Rom. VI, 3; I Cor. X, 2; Gal. III, 27. [4]) Rom. ib.; Gal. ib. [5]) Rom. ib. [6]) I Cor. ib. [7]) Matth. l. c. [8]) Act. VIII, 16; XIX, 5. [9]) Ib. II, 38. [10]) Ib. X, 48. [11]) Act. I, 5. [12]) Act. X, 34—43. [13]) Ib. 44—48. [14]) Ib. XI, 1—17.

Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini sicut dicebat: Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini ἐν πνευματι ἁγιῳ Spiritu sancto [1]. Non igitur sacramentum, quod Christus instituit, est baptismus, quem significat loquutio βαπτιζειν ἐν πνευματι ἁγιῳ *baptizare in Spiritu sancto.*

100 Ubi quis ad haec, quae exposui, animum advertat, facile id inveniet, quod quaerebatur, intelligetque Spiritum sanctum baptismi a Ioanne et a Christo praenuntiati materiem propterea dici atque haberi, quia huiusmodi baptismus nihil est aliud, quam ipsa του ἁγιου πνευματος δοσις *sancti Spiritus datio* (72), cui locus est tum in iustificatione, tum in baptismo omnium sacramentorum primo, tum in ceterorum aliquibus. Aptissima autem est ea nominis *baptismi* immutatio, qua res haec exprimatur; sic enim hanc mente concipimus, veluti si Spiritus sanctus in nos tamquam aqua effunderetur, nosque eo mergeremur, quae duo simul proprie significat verbum βαπτιζειν. Hinc et illae verborum immutationes huius plane geminae, quibus Spiritus sanctus modo sub imagine aquae proponitur [2], modo res homineseque implere [3] vel in nos effundi [4] dicitur, in libris sacris. Recole, quae superius habes, ubi egimus de opinione quorumdam patrum putantium, eos, quos Ioannes baptismo abluebat, peccatorum veniam quidem, non tamen Spiritum sanctum fuisse adeptos (71); illa quippe et huic rei, qua de nunc agimus, lumen adhibent, et ex ea vicissim maiorem firmitatem adquirunt.

101 At enim, licet haec ita se habeant, num dubitare non liceat, an nomine *Spiritu sancto* hic significetur tertia divinitatis persona? Minime vero. Etenim, quod eo nomine significatur, illud ipsum est, quod dari coepit ipso die festo pentecostes, postquam Christus ad caelum adscenderat [5], datumque porro est iis, qui in dies in Christianos nomen dabant [6]. Nam Christus, quod olim Ioannes fuerat vaticinatus, denuo praedicens, paucis ante diebus, quam apostolis daretur Spiritus sanctus, *praecepit eis, ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum. Quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. . . . Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos* [7]. Eodem illo die festo, quo praedicta evenere, Petrus ita Hierosolymitas adloquebatur: *Dextera igitur Dei exaltatus* Christus, *et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et auditis* [8]. Item, postquam Cornelium centurionem cum suis baptismo lustraverat, de hoc re tota certiores faciens apostolos ceteros, sic loquutus est: *Cum autem coepissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto* [9]. Non igitur dubitare licet, quin Ioannes aut Christus illa enuntiatione βαπτιζειν aut βαπτιζεσθαι ἐν πνευματι ἁγιῳ significaverint eumdem ipsum Spiritum sanctum, quem apostolis ac ceteris datum legimus in historia Actuum. Hunc vero alium non esse, quam tertiam divinitatis personam, Christus ipse nos docuit. Is enim, sicut modo vidimus, praedicens apostolis, ut paucis post diebus accepturi essent Spiritum sanctum, aiebat hunc illum esse, quem alias ipsis iam promiserat a se datum iri; hanc enim vocavit *promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum* [10]; promiserat autem, nec semel, sed pluries, quum pridie eius diei, quo die in crucem actus est, illam divinam orationem habuit ad apostolos, quae in evangelium Ioannis relata est [11]. Iamvero Spiritum sanctum, de quo in ea oratione Christus loquutus est, quemque ab ipso datum iri pollicitus est, tertiam esse divinitatis personam, nunc locus non est demonstrandi, nemo tamen diffiteri queat, nisi desipere videri velit. Constat igitur de eo, quod erat demonstrandum.

102 Quid significare voluerit Baptista verbis και πυρι *et igni*, minus claret, diversique abeunt patres, dum haec explicant, imo quidam eorum unam atque alteram interpretationem proponunt, utra tamen praeferenda sit, in ambiguo relinquunt. Nemo tamen suffragio suo favit errori veterum quorumdam Christianorum in baptismo ad aquam ignem quoque adhiberi oportere putantium; qua de re, multa, quae legas, collegit Fabricius [12].

103 Augustinus autumabat, quod *possit intelligi tribulatio, quam pro nomine Christi credentes fuerant perpessuri* [13]; nec aliter interpretatus est scriptor Operis imperfecti in Matthaeum, nisi

---

[1]) Ib. 15. 16. [2]) Is. XLIV, 3; Io. VII, 38 coll. 39. [3]) Sap. I, 7; Luc. I, 15. 41. 67; Act. II, 4; IV, 31; IX, 17. etc. [4]) Is. XXXII, 15; XLIV, 3; Ezech. XXXIX, 29; Ioel. II, 28. 29; Zach. XII, 10; Act. II, 17. 18. 33; Tit. III, 5. 6. [5]) Act. II, 1—4. [6]) Act. IV, 31; VIII, 17; IX, 17; X, 44—46; etc. [7]) Ib. I, 4. 5. 8. [8]) Ib. II, 33. [9]) Ib. XI, 15. 16. [10]) Conf. Luc. XXIV, 49. [11]) Io. XIV, 16. 17. 26; XV, 26; XVI, 7. 8. 13—15. [12]) Biblioth. gr. L. I. c. 32. § 9 ed. *Harles.* [13]) De verb. evang. Matth. serm. LXXI al. de Verb. Dom. serm. XI. c. 12. § 19.

quod ignis huius significatum ita porro extenderit, *ut omnis tribulatio, quae contingit Christianis secundum carnem, sit baptismus ignis* [1]). Fecere quidem patres, qui martyrium vocaverunt *τελειωσιν δια του πυρος*, imo et *βαπτισμα δια του πυρος*, adpellatione, ut videtur, ex sermone Ioannis deducta; quem locum fuse tractavit Mazochius [2]). Verum huic interpretationi illud obest, quod ex integra Ioannis sententia adpareat aliquid amplius nomine *ignis* significari, quodque martyrium non ea res foret, quae sive Christianos in universum, sive illos, quos Ioannes adloquebatur, adtingeret.

104 Cyrilli Hierosolymitani [3]) et Theophylacti [4]) opinio fuit *baptismum ignis* vocari a Ioanne id, quod accidit apostolis ceterisque, quum die festo pentecostes *apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis* [5]). Inter hanc opinionem aliamque, quam infra referam, ambigunt Theophilus Antiochenus [6]), Theodorus Heracleotes [7]), et Ioannes Damascenus [8]); sed iisdem prorsus difficultatibus ea premitur, ac illa, quam proxime expendimus.

105 Ut summatim dicam, duae sunt praecipuae de huius ignis significatione sententiae, quae inter patrum suffragia dividuntur. Una est hoc nomine Spiritum sanctum simpliciter signari. Sic sensere scriptor libelli de *Rebaptismate* [9]), Didymus Alexandrinus [10]), Iulius Firmicus [11]), Cyrillus Alexandrinus [12]), Maximus Martyr [13]). His Chrysostomus est adnumerandus propter illa, quae scripsit enarrans Acta apostolorum [14]), quibuscum minime pugnant haec, quae ait de ipsis Ioannis verbis: *Ignis additione vehementiam et efficaciam gratiae demonstrant* [15]). Haec eadem interpretatio, etsi non una sola, probatur etiam Macario [16]), Hieronymo [17]), et Augustino [18]). Neque aliud re vera est, quod, ut diximus (104), opinati sunt Cyrillus Hierosolymitanus et Theophylactus, quodque Theophilus Antiochenus, Theodorus Heracleotes, Ioannes Damascenus [19]), accipere non recusarunt. Huic tamen interpretationi nominis *ignis* illud minus commode accidit, quod, si *ignis* idem sit ac Spiritus sanctus, *ταυτολογος* fieret oratio Ioannis. Dices, particulam *και et* esse *ἐξηγητικην*, verbaque *in Spiritu sancto et igni*, ut ea exponuntur in libello de Rebaptismate, idem valere, ac *eo Spiritu,* QUI ESSET *sive ignis, sive quasi ignis* [20]); quam interpretationem accipias licet, si modo tibi veri simile fiat, a Ioanne id, quod clarius est, per aliud, quod obscurius, propriumque sensum proprii nominis per sensum translatum alterius vocabuli explicatum esse.

106 Altera sententia est putantium *ignem* dictum a Ioanne illum esse, quo animarum maculae extergendae erunt, antequam in aeternam beatitatem recipiamur. Non refert hoc in loco exponere atque examinare ea, quae de modo, quo id fiet, varia ac diversa patres docuere. Hoc unum ob rem facit, plurium patrum certa suffragia alteri huic, quam priori sententiae, favere; haec quippe fuit Tertulliano [21]), Origeni [22]), qui tamen alias hoc igne significari ait aeterna supplicia [23]), Gregorio Thaumaturgo, qui esse fertur [24]), Iuvenco [25]), Hilario [26]), Basilio [27]), Gregorio Nazianzeno [28]), Ambrosio [29]), Cosmae Indicopleustae [30]), alteraque est duarum, quas inter ambigebant Theophilus Antiochenus, Macarius, Hieronymus, Theodorus Heracleotes, et Ioannes Damascenus [31]). Cur autem patres ceteri hanc alteram nominis *ignis* interpretationem minime sequerentur, illud, ut arbitror, in caussa fuit, quod propositio Ioannis, quae universalis est quantum ad Spiritus sancti dationem, omnibus quippe Christianis datur Spiritus sanctus, non item foret quod ad piaculares poenas in futura vita, non tamen omnibus, luendas. Ad hoc ieiune atque exiliter, veluti unum ex potissimis a Christo praestandis, res haec memoraretur, idque una cum datione Spiritus sancti. Tum, quae a Christo, ut qui iudex est, agenda essent, mox edicturus erat Ioannes [32]); quare iure creditur nunc ea solum perstringere, quae redemptoris et servatoris sunt.

107 Si igitur mihi liceret loqui, quod sentio, dicerem ignem hunc non alium esse, quam de quo ipse Christus ita loquutus est: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur* [33])? divinam caritatem videlicet. Id vero magis forsitan magisque tibi probabo, ubi memineris haec dicta a Christo fuisse ea occasione, qua simul de illo baptismo dicturus erat, qui ipsum manebat,

---

[1]) In Matth. h. l. [2]) Spicileg. bibl. in Matth. h. l.; Commentar. in marmor. neapolit. kalendar. ad d. XVI iun. cc. 4—6. [3]) Cat. III. § 9; XVII. § 8. [4]) In Matth. h. l. [5]) Act. II, 3. [6]) In Matth. h. l. [7]) In Matth. h. l. apud *Nicetam* in Catena ed. *Possin.* [8]) De fide orth. L. IV. c. 9. [9]) Inter opp. *Cypriani.* § 17. [10]) De Trinit. L. II. c. 6. § 20. [11]) De errore profanar. relig. § 2. [12]) In Luc. III, 16 in *Mai* Classicor. auctor. T. X. [13]) Capit. de incarnat. cent. II. no. 63. [14]) In Act. I, 5 hom. I. § 5. [15]) In Matth. hom. XI. § 4. [16]) In Matth. h. l. ap. *Nicet.* l. c. [17]) In Matth. h. l. [18]) L. c. [19]) LL. cc. [20]) L. c. [21]) De bapt. cc. 8. 10. [22]) In Luc. hom. XXIV. [23]) Ib. hom. XXVI; in Ier. hom. II. § 3. [24]) In s. Theophania p. 36. Paris. 1622. [25]) Hist. evang. L. I. ad Matth. III. [26]) In Ps. CXVIII. lit. III. no. 5. 12; in Matth. c. 2. § 4. [27]) In Catena *Nicetae* ad Luc. III, 16 in *Mai* Scriptor. veter. nova collect. T. IX. p. 660. [28]) Or. XXXIX. p. 636. Paris. 1630. [29]) In Ps. CXVIII. serm. III. §§ 14. 15. [30]) In Catena *Nicetae* l. c. [31]) LL. cc. [32]) Matth. III, 12; Luc. III, 17. [33]) Luc. XII, 49.

eumque continuo subiunxisse: *Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor, usque dum perficiatur* [1])! quae rerum coniunctio suspicari sinit Christum haec proferentem spectasse ad verba Ioannis. Denique patres non defuere, interque hos Hieronymus et Augustinus [2]), quibus ea Christi verba opportuna visa sunt explicandae huius ignis significationi. Hanc et priorem sententiam simul Eusebius habuisse videtur [3]).

108 Quum vero Spiritus sanctus, qui huc in loco nominatur, alius esse credi nequeat, ut demonstravimus (101), quam tertia divinitatis persona, quumque a Christo dandus dicatur, nonne sentis Ioannem his quoque verbis de Christi divinitate testimonium perhibuisse? Imo sic sentiendum omnino foret, etiamsi nomine *Spiritu sancto* nihil hic, nisi divinum aliquod χάρισμα, designaretur.

109 Dicere restat de tertio argumento, quo Ioannes curavit, ut opinionem de ipso conceptam evelleret ex animis Iudaeorum, quodque continetur verbis *εἰς μετάνοιαν in poenitentiam* ab uno Matthaeo relatis. His Ioannes profitetur se hoc unum boni iis, qui ad ipsum adirent, praestare posse baptismo, quem ministrabat, quod suis etiam hortationibus studebat efficere (81), ut eos ad admissorum poenitentiam excitaret, adduceretque. Deesse vero videtur comparationis ἀπόδοσις, secus ac in prioribus duobus argumentis fieri vidimus, quibus, se cum Christo suumque baptismum cum illo, quem Christus daturus erat, componens, quamque grande discrimen inter haec intercederet, ostendens, nemini, quod volebat, non persuaderet. Verum ἀπόδοσις haec adcuratius eam disquirentes minime fugiet. Etenim verba *vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*, non modo secundae comparationis, in quo est de baptismatum discrimine, ἀπόδοσιν habent, sed etiam tertiae, in qua de discrimine est bonorum, quae et Ioannes et Christus in homines conferrent. Quin imo, si penitus inspicimus, facile ἀπόδοσιν, quae desiderari videtur, reperimus in ipso nomine *igni*. Constat quippe hunc ignem, id est, divinam caritatem et sanctificantem gratiam (107), effectum esse baptismi *in Spiritu sancto*, nam *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* [4]), sicut Paulus nos docuit, *poenitentia* vero veluti effectus quidam fuit baptismi *in aqua*, quem Ioannes ministrabat, utpote quia, quum ad eum homines conveniebant, ut abluerentur, occasio ipsi dabatur eos ad poenitentiam adhortandi. Sicut igitur in eius oratione comparatur baptismus baptismo, materies baptismi unius, id est, *Spiritus sanctus*, materiei alterius, id est, *aquae*, ita effectus unius, caritas divina, inquam, et gratia sanctificans, quae nomine *igni* significatur, effectui alterius, hoc est, *poenitentiae*; veluti diceret, se quidem id studere et conari posse, ut ad peccatorum poenitentiam eos adducat, ast horum veniam, divino caritate et gratia in animos infusa, ab uno Christo sperare oportere. Haec interpretatio eo etiam se nobis probat, quod Marcus, qui omisit verba *in poenitentiam*, omisit quoque nomen *igni*; attamen Lucas illa omisit, hoc addidit.

110 Porro autem his quoque verbis Ioannes manifeste testatus est Christum Deum esse, quum Iudaei probe perspectum haberent, ut nemo possit *dimittere peccata, nisi solus Deus* [5]); cuius testimonii aliud simile dedit, quum quadam *die vidit Iesum venientem ad se, et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui* TOLLIT PECCATUM *mundi* [6]), simulque professus est se a Deo doctum fuisse ea, quae de Christo praedicabat [7]).

111 Orationem suam conclusit Ioannes imagine quadam, qua Christus exhibetur in area triticum ventilans, condensque grana in horreis, glumas vero paleasque igne comburens. Huius imaginis gemina est parabola, quam Christus dixit de zizaniis [8]), eademque utriusque significatio, quae quum neminem lateat, eam explanare omittam. Tu vero accipe interpretatiunculam, qua Rosenmuellerus maior docuit nos, quid sit *πῦρ ἄσβεστον ignis inextinguibilis*, eo consilio, ni mea me fallit opinio, ut ne quis forte quidquam hic suspicaretur de suppliciis sempiternis. Ait itaque haec: *πῦρ ἄσβεστον significat talem ignem, qui non prius extingui potest, quam omnia consumserit, atque deleverit. Solebant, postquam frumentum in horreum comportatum esset, paleae sub divo iacenti ignem immittere, quo citissime consumebatur, cum rapidus incendia flatus ventilaret* [9]). Hem! qui haec legis, plaude age, ac tibi gratulare scientiae incrementum; didicisti quippe πῦρ ἄσβεστον dici, quo *citissime* quid consumitur. Mihi quidem, quum ignis non ante extingui soleat, quam, iis absumptis, quae comburuntur, pabulum ipsi deficiat, videtur ideo ἄσβεστος a Ioanne hic ignis vocari, quia ita paleas iniectas glumasque comburet, ut numquam consumat, proinde, pabulo numquam deficiente, nec ipse unquam sit extinguendus.

---

[1]) Ib. 50. [2]) Ll. cc. [3]) De Theophan. L. II. fragm. III in *Mai* Scriptorum veter. nova collect. T. I. P. I. p. 116. [4]) Rom. V, 5. [5]) Marc. II, 7; Luc. V, 21. Conf. Matth. IX, 2. 3; Luc. VII, 49. [6]) Io. 1, 29. [7]) Conf. ib. 30–34. [8]) Matth. XIII, 30. [9]) Schol. in h. l.

DISSERTATIO XLIV

De ipsa ministerii Ioannis Baptistae narratione ab evangelistis descripta

1 Verba *Initium evangelii Iesu Christi filii Dei*, quibus Marcus exorditur, alii aliter interpretantur. Sunt, qui velint haec a sequentibus seiungi, ut sint veluti quidam titulus. Sed cuius rei titulus? Num libri totius? At quid ineptius, quam alicui libro, puta, historiis T. Livii, titulum hunc praescribere: *Initium historiarum romanarum?* Adde, quod numquam alias nomen *evangelium* libro ipsi fecerint scriptores novi testamenti. Num titulus eorum, quae primo loco narrantur? Sed cur his, non autem et ceteris, titulum Marcus praescripsisset? Num vero ita ea dicta sunt, ut sensus sit, hic librum incboari? Scilicet de hoc lectores doceri oportebat. Itaque cum sequentibus verba haec sunt omnino coniungenda. Quaeres, utrum cum iis, quae continuo sequuntur, id est, cum oraculis Malachiae et Isaiae, an cum iis, quae narrantur post relata haec oracula. Utrumvis seligendum proposuit scriptor quidam graecus ἀνώνυμος, qui est in Catena Possini [1]). Verum utrumque facere praestat, sensus quippe necessario hic est: *Initium evangelii Iesu Christi filii Dei fuit Ioannes in deserto baptizans et praedicans baptismum poenitentiae, sicut scriptum est in Isaia propheta;* sicque locum hunc explanarunt scriptor ἀνώνυμος unus et item alter in Catena Possini [2]), Theophylactus [3]), Cosmas Indicopleustes [4]), Epiphanius [5]), Cyrillus Hierosolymitanus [6]), Eusebius [7]), Origenes [8]), aliique. Non ergo aliter sensisse Origenes putandus est, quum alias [9]) verba *Initium evangelii* coniunxit cum verbis *sicut scriptum est in Isaia*, omissis illis *fuit Ioannes;* quare idem iudicium facere licet de Victore Antiocheno [10]), isque nostrae interpretationi minime adversari dicendus est.

2 Consequens est nomen *evangelium* hoc in loco haudquaquam ipsum librum significare, quem, ut modo diximus, numquam significat in novo testamento, aut certe, an unquam significet, optima ratio est dubitandi [11]). Nihil itaque aliud sonat, quam quum Christus ita loquebatur: *Credite evangelio* [12]), *Propter me et propter evangelium* [13]), *Oportet praedicari evangelium* [14]), *Praedicate evangelium omni creaturae* [15]), horumque similia. Non omnino displiceret sententia Rosenmuelleri, quae ita est: *Εὐαγγέλιον Ἰησου Χριστου potest etiam esse το κηρυγμα περι του Ἰησου. Tum ἀρχη του εὐαγγελιου Ἰησου Χριστου erit* INITIUM *laeti nuncii seu* PRAECONII *de Iesu* [16]); sic enim dicitur etiam *evangelium regni* [17]), *evangelium gratiae* [18]), *evangelium gloriae* [19]), *evangelium salutis* [20]), *evangelium pacis* [21]). Huic tamen interpretationi illud obest, quod minime videatur Ioannis ministerium haberi posse tamquam *initium laeti nuncii de Christo* adventuro, quum multi ante Ioannem, nemo vero post hunc, Christi adventum praenuntiaverint. De adpellatione *Filii Dei* fusior habenda esset disputatio, quam in alium locum reservamus.

3 Eliae et Ioannis similitudo morum etiam ex vestitu adparebat. Nam *Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos suos* [22]), Elias, ut legimus in exemplaribus hebraicis bibliorum, dicitur *vir piloso indumento et zona pellicea accinctus circa lumbos suos* [23]). Dubitatio, in quam bibliorum enarratores olim adducebantur, quidnam forent locustae, quae Ioanni cibus erant, iam omnis sublata est, ex quo compertum habuimus, ut in illis regionibus, atque etiam in aliis [24]) cibus hic sit vulgi pauperioris; qua de re, post ceteros bene multos, haud ita pridem plenissime egit Leo Delaborde [25]). De melle silvestri ex arboribus effluente, quo praeter locustas Ioannes se se nutriebat, haec memoriae prodidit Diodorus Siculus de Arabum Nabathaeorum regionibus disserens: *Nascitur enim apud ipsos piper et ex arboribus* MEL *multum* SILVESTRE *vocatum, quo potu utuntur cum aqua* [26]). Lege etiam, quae in hoc loco Diodori adnotavit Wesselingius.

4 Sed Iordanem iudictum praeterire minime decet. Triplex habetur huius fontium origo. Trium nobilissima est sub monte Panio, prope urbem, quae olim Paneas et Caesarea Philippi [27]), nunc

---

[1]) In Marc. I, 1. [2]) In Marc. I, 1. 3. [3]) In Marc. I, 1. [4]) Christianor. opin. de mundo L. V. p. 246. Paris. 1706. [5]) Haer. LI. § 6. [6]) Catech. III. § 6. [7]) De Theophan. L. II. fragm. III in *Mai* Scriptor. veter. nova collect. T. I. P. I. p. 116. [8]) In Ioann. T. I. p. 14 edit. *Huet.* [9]) Cont. Cels. L. II. § 4. [10]) In Marc. I, 1 in Catena *Possini.* [11]) Conf. Quaest. 2. n. 33. [12]) Marc. I, 15. [13]) Ib. VIII, 35; X, 29. [14]) Ib. XIII, 10. [15]) Ib. XVI. 15. [16]) Schol. in h. l. [17]) Matth. IV, 23. etc. [18]) Act. XX, 24. [19]) II Cor. IV, 4; I Tim. I, 11. [20]) Eph. I, 13. [21]) Ib. VI, 15. [22]) Matth. III, 4. [23]) IV Reg. I, 8. [24]) *Strabo* Geogr. L. XVI. p. 773. [25]) Commentaire géograph. sur l'Ex. XVI. 13. p. 92. col. 2 seqq. Paris. 1841. [26]) Biblioth. L. XIX. c. 94. [27]) *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 10. § 3; XVIII. c. 2. § 1; Bell. L. I. c. 21. § 3; II. c. 9. § 1.

Banias nomen habet, seu, quod verius est, servat. Huc vero aquae confluunt subterraneo itinere a lacu Phiala, qui distat a Panio versus ortum aestivum, ut scribit Iosephus, centum viginti stadiis, hoc est, quindecim millibus [1]), ut vero recentiores, duarum horarum itinere, hoc est, summum octo millibus [2]). Alter fons, omnium minimus et a Panio remotus tribus passuum millibus versus occasum hyemalem [3]), oritur prope locum, in quo urbs Dan, prius Lais vocata [4]), olim sita erat [5]), a qua urbe hic fons, qui etiam *parvus Iordanes* dicebatur, Dan nomen duxit [6]), atque etiam num retinet eo usque, dum influit in rivum ortum ex Panio. Tertia denique Iordanis origo, duabus prioribus largior, quamquam obscurior, summotaque ab his in septemtriones ad viginti fere millia [7]), sub Libani radices visitur [8]), flumini autem inde orto Hasbani nuno nomen est, donec cum duobus ceteris confluere incipit. Iulius Deberton [9]) investigationibus adcuratissime institutis atque iteratis ad liquidum exploratum nuper habuit, ut amnis perpetua devexitate feratur, quumque eius origines centum octoginta tribus metris supra mare mediterraneum emineant, lacus Asphaltites, in quem Iordanes exit, quatercentis et undeviginti amplius metris eo mari depressior sit. Idem ipse, quum totam plagam inter lacum huno interque mare Erythreum porrectam non minore diligentia perlustrasset, atque considerasset, certissimis argumentis evicit falsos esse eos, qui putarunt Iordanem ante incensam Pentapolim cursu suo usque ad illud mare perrexisse. Quum hoc flumen ita, ut diximus, in proclive iugiter decurrat ab ipsis fontibus usque ad exitum in lacum Asphaltiten, haud facile crederem vocalem *tsere*, in quam loco vocalis *segol* exit nomen ירדן, sicut fuit Gesenio [10]), ita et cuivis impedimento futuram, quominus huius nominis etymum, quod ducitur a ירד *descendere*, quodque Hieronymus etiam nos docuit [11]), post Origenem [12]), praeferat etymis ceteris, quae diversi excogitarunt [13]); tum in nominibus propriis formas grammaticas minus adcurate servatas comperimus, nec veri quidquam minus simile in eo est, ut prisca aetate, qua flumini nomen inditum fuit, alicuius vocalis prolatio in aliquibus vocibus alia foret, ac posterioribus aetatibus fuit. Hieronymus alias non semel [14]), Philostorgius [15]), ac nonnulli post hos, aliud quoque nominis etymum retulere. *Dan . . . unus e fontibus est Iordanis*, inquit Hieronymus; *nam et alter vocatur Ior, quod interpretatur ῥεῖθρον, id est, rivus. Duobus ergo fontibus, qui haud procul a se distant, in unum rivulum foederatis, Iordanis deinceps appellatur* [16]). Opinio tamen haec nullo fundamento innititur, pugnat imo cum hebraica nominis forma, et, quamquam alter e Iordanis fontibus Dan vocatus fuerit, monumentum nullum superest, quod suspicari sinat fonti, qui erumpit de sub Panio, Ior nomen factum ante aetatem, qua Hieronymus vixit. Postremo accipe cursus Iordanis descriptionem dimensionemque, quam infra damus, qualem suggerit Iulius Deberton [17]), attamen exactum ad situm Hierosolymae, qui est in nuperis tabulis Parisiensium [18]).

Cursus Iordanis	Sub gradu latitudinis	Post millia pass. geograph.
Fons sub Libano	33° 32′ 5	0
Ingressus in paludem Semeconitidem	„ 13 , 5	18 , 5
Egressus e palude	„ 9 , 5	4
Ingressus in lacum Tiberiadis	„ 4 , 5	5
Egressus e lacu	32 50	14 , 5
Exitus in lacum Asphaltiten	31 52	58
Iordanis cursus integer extenditur per mill. pass. geograph.		100

[1]) Bell. L. III. c. 10. § 7. [2]) *Rosenmuell.* Handb. der bibl. Alterthumsk. II B. I Th. S. 197. [3]) *De Berton* Voyage depuis les sources du Iourdain jusqu' à la mer rouge p. 41. [4]) Iudic. XVIII, 29. [5]) *Ioseph.* Antiq. L. I. c. 10. § 1; V. c. 3. § 1; VIII. c. 8. § 4. [6]) *Id.* ib. [7]) *Philostorg.* Supplement. ed. a *Valesio* p. 554. Cantabrig. 1720; *De Berton* l. c. pp. 27—30. [8]) *Ioseph.* Antiq. L. V. c. 1. § 22. [9]) Op. cit. [10]) Thes. philol. crit. ad h. v. [11]) Ad Fabiol. ep. LXXVIII al. CXXVII. mans. 41. [12]) In Luc. hom. XXI. [13]) Lege *Gesen.* l. c. [14]) In locis hebr. ad v. Dan; In Ezech. XXVII, 19. [15]) L. c. [16]) Quaest. hebr. in Gen. XIV, 14. [17]) Op. cit. [18]) Connaissance des temps pour l'an 1850. p. 382.

5 De Pharisaeorum et Sadducaeorum origine atque adpellatione, de auctoritate, qua priores pollebant, de utrorumque placitis ac vitae morumque institutis, aliqua memoriae prodidere scriptores novi testamenti [1]), plene vero qui te doceant, habes Iosephum [2]), Lightfootum [3]), ceterosque non paucos, quorum nomina suggerent Winerus [4]) aliique. Apud Lucam haec legimus: *Et omnis populus audiens et publicani iustificaverunt Deum baptizati baptismo Ioannis; Pharisaei autem et legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos non baptizati ab eo* [5]), quum tamen Matthaeus dicat *multos Pharisaeorum* venisse ad baptismum huno [6]). At neuter de Pharisaeis omnibus loquitur; sique inter hos fuere, ut Nicodemus [7]), qui Christo sese dociles exhibuerint, quantumvis plures huic obsisterent, veri simile est ipsos item se se gessisse erga Ioannem, ut alii baptismo ab eo tingui vellent, alii renuerent.

6 Quod Matthaeus et Marcus narrarunt, ut illi, qui ad baptismum veniebant, id facerent *confitentes peccata sua* [8]), prisca aetate a Christianis quoque observatum est, ut, qui sacro baptismate forent abluendi, prius peccata confiterentur. Aliquot hac de re patrum testimonia luculentiora referre placet. Apud Chrysostomum haec legimus: *Confessionis tempus est et non initiatis et baptizatis; his quidem, ut post poenitentiam peracta ad sacra veniant mysteria, illis vero, ut ablutis in baptismo maculis pura conscientia ad mensam accedant* [9]). Cyrillus Hierosolymitanus τους φωτιζομενους *illuminandos* hoc est, *baptizandos* sic iubebat: *Novi testamenti discipuli et mysteriorum Christi participes, nunc quidem vocatione, paullo post vero etiam gratia, cor novum vobis ipsis facite et spiritum novum. . . . Exuite per confessionem veterem hominem. . . . Tempus praesens est tempus confessionis; confitere, quae perpetrasti, sive verbo, sive opere, sive nocte, sive die* [10]). Ab ipso autem baptismo, quem Ioannes ministravit, moris huius originem esse repetendam docuit nos Gregorius Nazianzenus his, quibus catechumenos adloquebatur: *Nondum tantum te demittes, quantum Christus, cui hodierna die baptizaris. . . . Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, sciens, quo pacto Ioannes baptizaverit, . . . ac perspicuum facias, te serio atque ex animo peccatum odisse ac detestari, dum illud tamquam contumelia dignum traducis, deque eo triumphum agis* [11]). Sed apertius Tertullianus ita scribens: *Ingressuros baptismum, orationibus crebris, ieiuniis, et geniculationibus, et pervigiliis, orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum,* UT EXPONANT *etiam baptismum Ioannis: Tinguebantur, inquit, confitentes delicta sua* [12]); quae Tertulliani verba quomodo sint intelligenda, viderunt iam Moreau [13]) et Mazochius, qui ea sic interpretatur: *Hoc videtur significare, ut facto, inquit, suo exponant, cur Ioannis baptismati confessio praemitteretur, sive ut horum catechumenorum confessio commentarii vice serviat loco Matthaei* [14]), *hoc est, facto suo declarent Matthaei locum de confessione lotorum a Ioanne* [15]). Priscam hanc consuetudinem, ut videtur, commemoravit Lucas in Actis: *Multique credentium,* id est, των πεπιστευκοτων *qui crediderant, veniebant confitentes et annunciantes actus suos* [16]).

7 Quaeres, qui fieri potuerit, ut tam multi ad Ioannem adirent, velleutque baptismo ab eo tingui. Id profecto nemo, qui sapiat, negabit factum peculiari consilio et providentia Dei, qui, sicut Ioannem eo legaverat, idque muneris huic demandaverat, ut Christum mox adventurum praedicaret, ita etiam, quo Israelitae de proximo huius adventu certiores fierent, effecit, ut ad Ioannem confluerent. Sed et locus, ubi Ioannes morabatur, sicut alias notavimus [17]), huic hominum frequentiae opportunus maxime fuit, utpote qua erat Iordanis traiectus urbi Hierosolymae omnium proximus. Verum, quod potissimum illos movebat, fuit ea, qua tunc tenebantur Christi iam adventuri exspectatione, ortusque inde rumor, hunc esse Ioannem Baptistam, idque evangelistarum testimonio compertum habemus. Etenim Ioannes narrat, ut Hierosolymitarum legati Baptistam percontati sint, an ipse esset Christus [18]), Lucas vero, ut hanc de Ioanne opinionem omnes haberent [19]); at, cur omnes ita opinarentur, quid caussae esse potuit, nisi quod omnibus foret persuasum adesse iam tempus, quo Christus adveniret?

8 Lucas hanc historiae partem concludit referens, ut Herodes tetrarcha Galilaeae, quum a Ioanne *corriperetur . . . de Herodiade uxore fratris sui et de omnibus malis, quae fecit,* eum in carcerem

---

[1]) Matth. IX, 14; XXII, 23; XXIII, 1—33; Marc. VII, 3. 4; IX, 10; Luc. V, 33; XI, 38—44; XVI, 14; XVIII, 11. 12; Io. XII, 42; Act. IV, 1. 2; V, 17; XXIII, 6—9. [2]) Antiq. L. XIII. c. 5. § 9; c. 10. §§ 5. 6; c. 15. § 5; XVIII. c. 1. §§ 3. 4; Bell. L. II. c. 8. § 14. [3]) Hor. hebr. et talmud. in Matth. III, 7. [4]) Bibl. Realwörterb. Pharisäer. [5]) Luc. VII, 29. 30. [6]) Matth. III, 7. [7]) Io. III, 1. [8]) Matth. III, 6; Marc. I, 5. [9]) In Matth. hom. X. § 5. [10]) Catech. I. §§ 1. 2. 5. [11]) In s. bapt. or. XL. pp. 656. 657. Paris. 1630. [12]) De bapt. c. 20. [13]) Tertulliani omniloquium alphabetic. T. II. Ad baptismi sacrament. praeparat. no. 1; Confessio peccati no. 6. [14]) Spicileg. bibl. in Act. XIX, 18. [15]) Ib. in Matth. III, 6. [16]) Act. XIX, 18 coll. 17. 19. 20. [17]) Diss. XLIII. n. 31. [18]) Io. I, 19 coll. 20. [19]) Luc. III, 15.

coniecerit [1]) Machaerunte Peraeae castello, ut memoriae proditum est a Flavio Iosepho [2]). Is Herodes Antipas fuit, qui Herodi Philippo fratri uxorem Herodiadem rapuerat; de quibus iam diximus [3]). Caussam quoque iam adtulimus [4]), cur hoc in loco Lucas narraverit haec, quae gesta non sunt nisi postremis mensibus anni insequentis [5]).

9 Restat, ut quasdam dictiones declaremus. Matthaeus post descriptum Christi reditum ex Aegypto [6]) statim de Ioanne legationem suam obeunte loqui incipit exordio illo usitato *In diebus illis*; dies autem istos manifestum est haudquaquam eos esse, quibus priora gesta fuerant, idque evincunt aetas Christi redeuntis ex Aegypto aetasque Ioannis suam legationem obeuntis. Proinde vides, ut haec ceteraeque huiusmodi quasi formulae incohandarum narrationum in bibliis adhibitae nullum tempus definiant, nullumque prodant priorum ac posteriorum connexum; quod adprime adtendant necesse est, qui, res a scriptoribus bibliorum relatae quo quaeque tempore fuerint gestae, disquirunt [7]).

10 Illud Lucae, *Factum est verbum Domini super Ioannem*, utcumque intelligimus. Iuvabit tamen considerasse, ut in vetere testamento, praesertim in prophetarum libris, quum hos Deus, aut alios, ad quos eos legabat, adloquutus dicitur, frequentissima sit formula *Factum est verbum Domini* AD, verum formula *Factum est verbum Domini* SUPER, vereor, ut alio in loco inveniatur praeter unum, qui est in libro primo paralipomenon [8]). Quum autem alia sit vis praepositionum אל *ad* et על *super*, non dubito alias quoque esse significationes his duabus formulis subiectas, aut certe ampliorem plenioremque alteri, quam priori, ut prior eum designet, quem Deus adloquitur, altera, de quo Deus loquitur, idque illustrant simul et confirmant ea, quibus Sophonias Philistaeis excidium interminatur: *Verbum Domini* SUPER *vos, Chanaan, terra Philisthinorum, et disperdam te, ita ut non sit inhabitator* [9]). Quare, quum narratur *factum esse verbum Domini* SUPER aliquem, isque ille est, quem Deus vel ipse per se, vel legatis ad eum prophetis, dicitur adloquutus, sensus formulae est, Deum huic ea esse loquutum, quae ad hunc ipsum pertinebant. Ac talis quidem sensus colligitur huius alterius formulae in uno illo loco, in quo usurpata reperitur; in eo quippe David ea, quae olim Deus ad ipsum deque ipso loquutus fuerat [10]), refert his verbis: *Et factum est verbum Domini* SUPER ME *dicendo: Sanguinem multum fudisti, et bella magna gessisti; non aedificabis domum nomini meo, quoniam sanguinem multum fudisti in terram coram me.* Quod igitur Lucas quoque ita scripserit: *Factum est verbum Domini super Ioannem*, credere cogimur, non modo Deum Ioanni, sicut ceteris prophetis, ea demandasse, quae ad populum nomine ipsius Dei loqueretur, sed ipsum Ioannem in peculiari quodam ac sublimiore munere a Deo constitutum fuisse, edoctumque, quid ipsum agere, quid ab ipso Israelitas doceri oporteret.

11 De constructione vocum grammatica, quae est Matthaei verbis *ἐξεπορεύετο. . . . Ἱεροσόλυμα*, quaque nomen plurale iungitur verbo singulari, non est cur solliciti sint, qui graece norunt. Quibus vero hinc dubitatio suborta, ne forte Ἱεροσόλυμα nomen sit singulari numero, iis non satis argumenta dubitandi suppetere alias [11]) demonstravimus.

DISSERTATIO XLV

De vaticiniis, quibus Isaias et Malachias Ioannem Baptistam praenuntiarunt

1 Res a Ioanne gerendas Isaias [12]) et Malachias [13]) olim fuerant vaticinati, relataque utriusque oracula sunt ab evangelistis inter ea, quae de Ioanne scripsere; quare de ambobus nunc est dicendi locus.

2 Ac primum adtendere iuvabit, ut ambo concinant inter se rebus ac verbis. Quis enim, si unum cum altero conferat, non videat continuo, ut illa *vox clamans* sive *vox clamantis*, quae est in vaticinio Isaiae, sit ille ipse *angelus*, id est, *legatus*, quem Malachias praenuntiavit? Id vero, ut adnotavit Io. Henricus Michaelis *poterit . . . commode illustrari ex aethiopica lingua. Nam Habes-*

---

[1]) Luc. III, 19. 20. [2]) Antiq. L. XVIII. c. 5. § 2. [3]) Diss. XLI. nn. 4. 5. [4]) Lib. I. c. III. n. 61. [5]) Diss. XLIII. nn. 9—11; Diss. XXXIX. no. 17. [6]) Matth. II, 19—23. [7]) L. I. c. III. nn. 63. 65. 66. [8]) I Par. XXII, 8 hebr. [9]) Soph. II, 5. [10]) II Reg. VII, 4—17; I Par. XVII, 3—15. [11]) Diss. XXVII. c. VII. n. 13. [12]) Is. XL, 3. [13]) Mal. III, 1.

sinis VOX REGIS *aut* PRINCIPIS *vulgo dicitur* NUNCIUS, *vel* LEGATUS *regis* [1]). *Ita Ioannes Baptista*, de quo, ut infra demonstrabimus, utrumque vaticinium dictum fuit, *hac phrasi diceretur* NUNCIUS CLAMANTIS *et Iudaeos ad fidem* VOCANTIS *Dei* [2]). Isaias praedicit fore, ut haec *vox* clamet: *Parate viam Domini;* itemque apud Malachiam Deus ipse, imo ipse Christus, de hoc suo *legato* haec praedicit: *Et praeparabit viam ante faciem meam.* Sed illud quoque notare non ab re erit, vatem utrumque usum esse verbo פנה, quod verbum ea forma, quae *pihel* vocatur a grammaticis, quaque est in his vaticiniis, perraro, octies, inquam, haud saepius, in bibliis adhibitum reperitur. Nunc de utroque vaticinio singulatim.

3 Isaiae vaticinium in hebraico exemplari ita est: *Vox clamantis: In deserto parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* His Ioannis Baptistae ministerium fuisse praenuntiatum, expresse aiunt Matthaeus [3]), Marcus [4]), et Lucas [5]), qui refert cetera quoque verba Isaiae [6]); *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare Dei* [7]). Quin imo ipse Baptista sacerdotibus et levitis eum ita interrogantibus: *Quis es? ut responsum demus his, qui miserunt nos; quid dicis de te ipso? ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta* [8]).

4 Rosenmuellerus hoc oraculum sic explanat: *Exilii babylonici finis instat, redit populus, Iova ipso duce et veterem suam sedem Hierosolymis repetente, quam, urbe ab hostibus Chaldaeis capta, reliquerat, vid. Ezech.* X, 18. *Itaque vox exhibetur publici alicuius praeconis regii, qui, instante regis aut principis alicuius illustris adventu, monet, mandatque vias asperas, salebrosas, inaequales, ad ipsum honeste recipiendum, planari et aequari, ut absque offensa per aequum planumque callem incedere et viam conficere queat. . . . Ceterum hic versus a Matthaeo* III, 3 *accommodatur Ioanni Baptistae, qui Messiae adventanti viam parabat* [9]).

5 Verum, cum bona hominis venia dixerim, hoc postremum nunquam quis evincet, imo, quod ad Matthaeum, esse plane commentitium. Etenim, etsi Marcus et Lucas, atque adeo ipse Baptista apud Ioannem, ita Isaiae oraculum retulerint, ut haud manifesto adpareat eos repugnare, quominus quis suspicetur oraculi sensum ad munus, quod ipse Baptista exercuit, fuisse accommodatum, Matthaei tamen verba suspicionem hanc prorsus adimunt, atque refutant. Nam Matthaeus, postquam enuntiavit Ioannis Baptistae summam doctrinae [10]), aio loqui pergit: HIC EST ENIM, *qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini;* quibus in verbis notare oportet, non modo illa *hic est, . . . qui dictus est per Isaiam*, sed praesertim illud *enim*, quod quidem, nisi Isaiae vaticinium ad Ioannem pertineret, quid hic agat, nemo dicere posset.

6 Ceterum, quamvis vaticinii significatio ea foret, quae Rosenmuellero placet, non hoc is vinceret, ad Ioannis ministerium a Matthaeo vaticinium fuisse accommodatum. Quum enim Matthaeus adseveret Isaiam de Ioanne esse loquutum, iam nihil dubitationis superesset, quin verbis prophetae duplex subsit significatio, literalis altera, altera spiritalis, illudque, quod prior significatio exhibet, fuerit typus muneris gesti a Ioanne, quod vero posterior, antitypum, id est, ipsum hoc munus. Atque id docuere Hugo [11]), Iansenius Gandavensis [12]), Maldonatus [13]), Sanctius [14]), Isaiam loquutum esse de reditu Iudaeorum ex Babylonia, tametsi Maldonatus Isaiae librum enarrans [15]) dixerit solummodo, hunc de Ioanne Baptista esse loquutum. Nec multo aliter, quam hi, sensit Cornelius a Lapide [16]), qui praeterea narrat Thomam in eadem, atque illos, fuisse sententia. Verum Thomas [17]) sententiam hanc non ut suam commemorat, sed ut aliorum, eamque neque adprobat, neque reprobat; ipse tamen verba Isaiae, ut quae Ioannem significent, simpliciter exponit.

7 Equidem Thomae adstipulatorem me profiteor; quare, etsi non eos sollicitabo, qui opinantur his Isaiae verbis praedici reditum Iudaeorum e Babylonia, mea tamen secus est sententia, unum Ioannem Baptistam eiusque munus eo vaticinio esse praenuntiatum. Etenim ne unum quidem, puto, de patrum numero reperire est, qui aliter senserit, aut rem in dubium revocare visus sit. Cur autem alii in Isaia legendo cogitaverint finem babylonicae captivitatis Iudaeis adlatum, rem quantivis pretii sponderem, ni illud in caussa fuit, quod Isaias proxime praedixerat, fore, ut Iudaeorum rex regiaque domus captivi abducerentur Babylonem [18]). Fac enim quis lectionem Isaiae, prioribus omissis,

---

[1]) *Ludolfi* Lexic. aethiopic. nov. col. 190. [2]) Not. brevior. in Is. l. c. Conf. *Gesenius* Scripturae linguaeque phoeniciae monumenta p. 282. Lipsiae 1837. [3]) Matth. III, 3. [4]) Marc. I, 3. [5]) Luc. III, 4. [6]) Is. XL, 4. 5. [7]) Luc. ib. 5. 6. [8]) Io. I, 22. 23. [9]) Schol. in Is. l. c. [10]) Matth. III, 2. [11]) In h. l. [12]) Comment. in Concord. evangel. c. 13. [13]) In Matth. III, 1. [14]) In h. l. [15]) In h. l. [16]) In h. l. [17]) In h. l. [18]) Is. XXXIX. 7.

exordiatur ab eo capite, in quo sunt verba *Vox clamantis et cetera*, atque adeo caput integrum perlegat, num putas quidquam huic in mentem venturum esse de captivitate, de huius fine, de captivorum reditu? Nihil enimvero est in toto capite, quod ad haec aut ad aliquod horum pertineat manifesto. E contrario manifesta est ἀναλογια eorum, quae hoc in loco Isaias vaticinatur, atque eorum, de quibus hunc vaticinatum dicunt evangelistae. Sed neque ea, quae in superiore capite Isaiae leguntur, de nostra in oppositam sententiam quemquam invitum deducent, qui, in lectione prophetarum versatus, probe norit, horum libros haudquaquam continuente oratione, imo neque in ordinem sive rerum, sive temporum, esse digestos, quod praesertim de postrema hac vaticiniorum Isaiae parte dictum esse putandum est. Ipse Rosenmoellerus, *res*, inquit, *quas sibi tractandas sumsit Isaias in hac libri parte, non ad certum quendam ordinem disposuit, et descripsit, sed libere nullisque artis legibus adstrictus ab una sententia transit ad alteram, et saepe oratione ad finem ducta ad idem recurrit argumentum, eandemque telam retexit* [1]).

8 Sed, age, quod fieri praestat, ipsum oraculum consideremus. Vides primum ab Isaia praeconem induci, qui iubeat viam sterni Deo adventanti. Quid, quaeso, huic rei cum reditu captivorum? Admodum, inquit Rosenmuellerus, nam Deo *via paranda dicitur tamquam duci, qui populum suum sit reducturus* [2]). At, qui id aiunt, non hoc comprobant Isaiam loqui de hoc reditu, sed iam positum habent. Nemo autem non sentit, quam apte illud praedictum sit de Ioanne Baptista, qui re ipsa id praestitit, sicut Malachias quoque futurum praedixerat, atque adeo Gabriel angelus sane luculenter [3]).

9 Quae vero praeco clamans inducitur haec sunt: *In deserto parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Verba enim *in deserto*, non prioribus, sed posterioribus iunguntur in hebraico exemplari, id enim exigit huius exemplaris interpunctio, id praeterea flagitat membrorum parallelismus, id comprobant vaticinia alia, in quibus leguntur haec duo nomina המדבר et הערבה, alterum in altero membro sententiae [4]), quae Hieronymus in hoc loco vertit *desertum et solitudinem.* Animadverte his nominibus adnexum esse articulum, ut vocant Hebraeorum grammatici, *demonstrativum.* Iam vero nomina haec eo articulo instructa simulque coniuncta, non vagam, sed certam et definitam habent significationem, signantque Israelitarum deserta vallemque, per quam Iordanes decurrit, quaeque κατ' ἐξοχην *Haaraba* adpellabatur [5]). Num autem redeuntibus ex Babylonia in Iudaeam tantum per loca haec commeandum erat, ut in his solummodo via sternenda foret numini, quo duce revertebantur? An non potius liquet eo oraculo portendi aliquid futurum, quod in his locis fieret, huiusmodi autem ea esse, quae illic gesta referunt evangelistae? Illic quippe, in desertis, inquam, Iudaeae atque adeo in ipsa Haaraba [6]), Ioannes praeconem egit praedicans Christum Dei Filium iam iam adventurum, viamque huic sternendam, id est, mentes animosque ita comparandos, ut huius doctrinae capaces fierent, id illic praestitum ab iis, qui Ioannem convenientes *baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua* [7]).

10 Denique, quem preco ille, qui est in vaticinio Isaiae, adventantem praenuntiat, non populus Iudaeorum est e Babylonia redux, sed Deus ipse; *Parate*, inquit, *viam* יהוה Domini, . . . *semitas* Dei; . . . *et revelabitur gloria* יהוה Domini. Paullo inferius urbs Hierosolyma montem excelsum conscendere iubetur, valide vocem adtollere, ac dicere *civitatibus Iuda*: *Ecce* Deus *vester*; *ecce* Dominus Deus *in fortitudine veniet* [8]). Quando autem Deus illuc advenire verius dici potuit, quam quum Christus primo veluti in publicum prodiit, atque in mediis desertis Iudaeae, in valle Haaraba, in ipso Iordane, *Deitas Christi ostensa fuit, testimonium ei perhibente patre in baptismo* [9])? Nonne huc spectant illa: *Et revelabitur gloria Domini* [10])? illaque: *Et videbit* omnis caro pariter, *quod os Domini loquutum est* [11])? Profecto sic sensere patres, qui rem hanc την ἐπιφανειαν Dei et τα θεοφανια nominarunt [12]).

11 Si nostra haec oraculi huius explicatio tibi adridet, considerare ne omittas, ut Isaias Christum, tamquam proprio nomine, יהוה vocaverit [13]). Cetera vero Isaiae verba, quae Lucas adtolit (3), nihil habent quaestionis, sunt enim continuatio inceptae allegoriae docens rationem modumque efficiendi id, quod prius dictum est. Illud notandum, omissa esse a Luca verba: *Et revelabitur gloria Domini* [14]), additaque *salutare Dei*, quae absunt ab Isaiae exemplaribus hebraicis, proinde et a latinis vulgatis, leguntur tamen in graecis.

12 Nunc de Malachiae vaticinio, quod est: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam*

---

[1]) Schol. in Is. Prooem. in Part. tert. § 3. fin. [2]) Schol. in h. l. [3]) Luc. I, 17. [4]) Is. XXXV, 1. 6; XLI, 19; LI, 3; Ier. XVII, 6. Conf. Ier. II, 6; L, 12. [5]) Diss. XLIII. n. 25. [6]) Ib. nn. 29. 36. [7]) Matth. III, 6. [8]) Is. XL, 9. 10. [9]) Constitut. apost. L. VIII. c. 33. [10]) Ib. 5. [11]) Ib. [12]) Diss. XXI. nn. 4—8. [13]) Is. XL, 3. 5. [14]) Is. XL, 5.

ante faciem meam [1]). Angelum hunc, מלאך *nuntium*, *legatum*, quem a Deo mittendum praedixit Malachias, Ioannem Baptistam esse testantur Matthaeus [2]), Marcus [3]), et Lucas [4]), imo vero ipse Christus, cuius verba descripserunt Matthaeus et Lucas, quique insuper ita hoc vaticinium retulit, ut nobis persuadeat procul amandare suspicionem omnem, ne forte id ad narrationis materiem evangelistae adcommodaverint. Sic enim loquitur de Ioanne Baptista, tum apud Matthaeum, tum apud Lucam: Hic est enim, *de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum, et cetera.*

13 Hunc autem esse sensum literalem verborum Malachiae, nemo, qui sapiut, diffitebitur, nam, non modo sic senaere patres, et quotquot de numero Catholicorum scripturas sacras enarrarunt, sed res ipsa evincit, quae totius praedictionis caput est. Inducitur enim ille *dominator*, illeque *angelus testamenti*, quem Iudaei anxie exspectabant, praedicens se tandem *ad templum suum*, quod Hierosolymae habebat, adventurum, praemittensque *legatum*, qui eos de suo adventu certiores faciat. Ipse enim *dominator*, ipse *angelus testamenti est*, qui ita loquitur: *Ecce ego mitto angelum meum, et cetera*, usurpans ipso sermonis initio primam verbi personam, mox vero *tertiam*; neque enim dubium est eum ipsum *statim* venturum praedici, ante cuius adventum via dicitur sternenda. Haec adeo manifesta sunt, ut Rosenmuellerus haud quiverit non eam habere oracnli huius interpretationem plane dignam, quae legatur, ex qua tamen ea solum depromam, atque transcribam, quibus ea oraculi pars enarratur, quam evangelistae retulerunt. *Ad Ioannem Baptistam*, inquit, *Iesu Christi praecursorem hoc refertur Matth.* XI, 10; *Marc.* I, 2; *Luc.* VII, 27. ופנה־דרך *Et parabit viam, expeditam reddet, removendo ea, quae incessuro ingrata vel impedimento esse possint. Conf. Iesai.* XL, 3. . . . לפני *Ante me, Messiam, qui hic loquens inducitur, uti apparet ex iis, quae statim adduntur de eo, cuius anteambulo erit nuncius divinitus missus.* Reliquum oraculum praeclare interpretatus, ut quod de primo Christi adventu dictum sit, concludit his Hieronymi verbis: *Iudaei hoc, quod dicitur: Statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis, referunt ad ἠλειμμενον, hoc est Christum, suum, quem dicunt ultimo tempore esse venturum. Sed miror, quomodo eos rerum exitus non doceat veritatem. Quod enim templum suum inveniet dominator, quod usque ad fundamenta destructum est, aut si ab alio exstruendum est, antequam Christus adveniat, quid Christus eorum facturus est, quum ab alio restituta sint omnia* [5])? Non igitur alius legatus mittendus praedicitur, quam Ioannes Baptista. Verum quem putes suis sibi oculis fidem habiturum, qui, postquam haec legerit apud Rosenmuellerum, videat, quam longe alia de legato ipso idem iste loquutus paullo post fuerit? Sic enim ea sunt: *Quum vates et doctores divinitus missi Iovae nuncii appellentur ab Haggaeo* I, 13 *et ab ipsa Malachia supra* II, 7, *talem et hic intelligendum esse verisimile est. Et infra v.* 23 *Messiae praemittendus dicitur Elias propheta.* Recte *igitur Iudaei Hieronymi tempore, ipsa referente in Commentario ad h. l. hoc quod dicitur: Ecce ego mitto angelum meum, de Elia propheta dictum intelligunt.* Si modo mirum videatur Rationalistam hac ratione ratiocinari.

14 Quod verba Malachiae paullo aliter sint in evangeliis, quam in ipso huius libro, quodque *ante faciem tuam* in illis legamus, pro *ante faciem meam*, ut Malachias scripserat, hanc Sanctius noster rationem adfert: *Statuo, quod et Hieronymus docuit lib.* I *Commentar. in Epist. ad Gal., et libro De optimo genere interpr., et in praesentem Malachiae locum, usitatum esse in scriptura, ut ab apostolis et evangelistis, dum testimonium aliquod sumunt e vetere Testamento, non tam spectent verba, quam verborum pondus atque sententiam. Quare interdum mutant, aut invertunt verba, interdum aliquid addunt explicationis gratia, aut, quia ad rem, de qua agunt, necessarium non est, interdum aliquid omittunt* [6]). Lege cetera, quae Sanctius habet eodem hoc in loco.

15 Negotium non sane leve nobis exhibet Marcus unum Isaiam citans auctorem amborum vaticiniorum, quae declaravimus [7]). Hieronymus [8]) suspicabatur nomen *Isaiae* aliena manu hnc insertum, quumque Marcus scripserit simpliciter *in propheta*, imperitum aliquem librarium rescripsisse *in Isaia propheta*. Cui suspicioni confirmandae grave momentum faciunt graeca evangelii exemplaria, quorum pleraque habent ὡς γεγραπται ἐν τοις προφηταις *sicut scriptum est in prophetis.* Attamen graviora profecto ad aliter sentiendum sunt momenta rationum, quas subiicimus.

16 Etenim cumprimis animadvertere oportet, ut longe similius veri fiat, nomen Isaiam inde erasum fuisse, quam insertum, ubi nullus ei locus esse videbatur. Ad hoc nulla supersunt de latinis

[1]) Mal. III, 1. [2]) Matth. XI, 10. [3]) Marc. I, 2. [4]) Luc. VII, 27. [5]) Schol. in Malach. III, 1. [6]) In h. l.
[7]) Marc. I, 2. [8]) In Matth. III, 3; Ad Pammach. ep. LVII al. CI. § 9.

Marci exemplaribus, quae hoc nomen in eo loco non praeferant, nec scripta alla patrum, in quibus haec verba Marci omisso eo nomine legantur. Patrum omnium latinorum, qui ea retulere, vetustissimus est Victorinus Petabionensis; hic vero narrat Marcum ita exorsum esse: ***Initium evangelii Iesu Christi, sicut scriptum est in Esaia propheta*** [1]), itidemque exordium hoc legimus apud ceteros, qui vixere post Victorinum. Latino interpreti evangeliorum latinisque patribus adsentiuntur interpretes syrus, coptus, gothus, atque etiam exemplaria nonnulla arabis et persae. Imo nec graeci bibliorum codices desunt, iique pervetusti, in quibus est *ἐν Ἡσαιᾳ*; horum septem numerantur a Ioanne Millio [2]), interque eos codex vaticanus, et codex cantabrigensis, cuius auctoritatem detrectabunt fortasse, qui vitio ei vertunt, iure an secus, modo non disputo, quod *latinizet* [3]). Denique, quod omnium gravissimum est, ipsi graeci patres auctoresque, iique non parvo numero, nec recentiore tantum aetate, non *ἐν τοις προφηταις*, sed *ἐν Ἡσαιᾳ τῳ προφητῃ* legerunt in hoc loco Marci; sunt autem graecus quidam interpres evangelii Marci editus a Possino [4]), Victor Antiochenus [5]), Severianus Gabalorum episcopus [6]), Epiphanius [7]), Basilius [8]), auctor Synopseos sacrae scripturae Athanasii nomine inscriptae, Eusebius [9]), Origenes [10]), Porphyrius [11]), Irenaeus [12]), qui tamen in duobus locis habet *in prophetis* [13]), ex quo arguere est vetustissimam esse hanc scripturae varietatem. Viderit igitur Matthaeius, quantam *κριτικης δυναμεως* prae se tulerit, quum graecum exemplar novi testamenti denuo edens [14]) dictionem *ἐν Ἡσαιᾳ τῳ προφητῃ* iis notis signavit, ut quae ***minime probabilis et prorsus reiicienda*** sit; an non *εὐφυέστερον* sese praebuerit Griesbachius, qui contra egit, reiectisque verbis *ἐν τοις προφηταις*, quae vulgo in graecis exemplaribus leguntur, substituit in eorum locum *ἐν Ἡσαιᾳ τῳ προφητῃ* [15]).

17 Verum, si sic habet, quaenam via superest, qua Marcus *μνημονικον ἁμαρτημα*, quod ipsi obiicitur, purgare queat? Alii alia suggerunt, eaque apud ipsos leges, si lubet; ego vero, quid sentiam, paucis exponam.

18 Itaque Marcus minime ait vaticinium, quod continuo subiicit, *esse* Isaiae aut ab Isaia *dictum*, sed ***scriptum esse in Isaia propheta***, id est, in libro Isaiae. Iam vero, sicut mos Iudaeorum erat bibliorum libros nominare eo vocabulo, quo inchoantur, puta, librum geneseos *beriscith*, librum proverbiorum *misle*, librum Lamentationum *echa*, atque ita porro, ***Voluminibus ex principiis eorum nomina imponunt***, inquit Hieronymus [16]), ita veri simile est moris fuisse unumquemque ordinum, in quos libri sacri digeruntur, eo nomine signare veluti si commune id foret omnibus libris in eo ordine contentis, quod tamen uni dumtaxat atque omnium primo proprium erat ac peculiare. Quum igitur Isaiae liber primus sit in eo ordine, qui prophetas posteriores complectitur, totus hic ordo ab Isaia nomen subinde mutuasse credendus est. Neque moris huius monumenta atque exempla desiderantur, ipsique libri novi testamenti ea suppeditant. Sic Christus, recitans olim quaedam de psalmis, dixit haec scripta esse in *lege* [17]); Paulus quoque nomine *lege* vocavit librum Isaiae [18]) et librum psalmorum [19]), quem locum illustrans Chrysostomus ita scripsit: ***Totum vetus testamentum legem vocare solet Paulus*** [20]). Neque unus Paulus id facere solebat, mos quippe erat ita vocandi, quod non modo memoriae prodiderunt Augustinus [21]) et Origenes [22]), sed discimus ab ipsis evangelistis, qui narrant Iudaeos sic Christum olim adloquutos esse: ***Nos audivimus ex* LEGE, *quia Christus manet in aeternum*** [23]), referuntque effatum illud Christi: ***Unus apex non praeteribit a* LEGE** [24]); in utrisque autem verbis adparet, ut nomen *lex* ampliorem habeat significatum, quam ut unos libros Moysis designet. Bechaius Asceris filius sic docuit: LEX ***dividitur in legem, prophetas, et scripta*** [25]). Hanc autem legis adpellationem aliis quoque atque adeo omnibus libris veteris testamenti factam quanam alia de caussa fuisse credamus, nisi quia lex in horum librorum omnium ordine primum locum obtineret? Christus, paullo antequam ad patrem in caelum reverteretur, haec dixit: ***Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis, de me*** [26]). Sunt, qui putent libros pluri-

---

[1]) Schol. in Apoc. IV, 7—10 ap. *Galland.* Biblioth. veter. patr. T. IV. p. 55. [2]) Nov. test. graec. ad Marc. I, 2. [3]) Lege *Michaelis* Introduct. au N. T. P. I. chap. 8. sect. 6. no. 59. [4]) Catena graecor. patr. in Marc. 1, 2. [5]) Ib. [6]) Serm. de sigillis § 5 inter. opp. *Chrysost.* T. XII ed. *Montfauc.* [7]) Haeres. LI. § 6. [8]) Adv. Eunom. L. II. § 15. [9]) Ad Marinum quaestion. in *Mai* Scriptorum veter. nova collect. T. I. p. 71 ex *Simon* Hist. crit. des interpr. du N. T. c. 6. [10]) Cont. Cels. L. II. § 4; In Ioan. T. I. Praef. p. 14 et T. VII. p. 117 ed. *Huet.* [11]) Ap. *Hieron.* in Matth. III, 3. [12]) Haer. L. III. c. 11. § 8. [13]) Ib. c. 10. § 6; c. 16. § 3. Lege adnot. *Massuet.* in hh. ll. [14]) Nov. Test. gr. in Marc. I, 2. Wittenbergae 1803. [15]) Nov. Test. gr. in Marc. 1, 2. [16]) Quaest. hebr. in Genes. [17]) Io. XV, 25. [18]) I Cor. XIV, 21. [19]) Rom. III, 19 coll. 10—18. [20]) In Rom. l. c. hom. VII. § 1. [21]) De Trinit. L. XV. c. 17. [22]) In ep. ad Rom. P. IX. fragm. T. II. p. 427 ed. *Huetii.* [23]) Io. XII, 34. [24]) Matth. V, 18. [25]) Cad hakkemach ad v. מבט. [26]) Luc. XXIV. 44.

mos a Christo praeteritos hoc in loco, qui neque a Moyse scripti sont, neque libris prophetarum apud Iudaeos adnumerantur, ut Proverbia, Canticum, Ecclesiastes, Daniel, Esdras, Paralipomena, omnesque libri deuterocanonici. Verum num etiam putabunt nihil de Christo scriptum haberi in his libris, aut, si quid scriptum est, necesse haud fuisse id sicut cetera impleri? neque enim nisi alterutro horum posito potuisset Christus eo modo loqui. Sed fac memineris integra biblia trifariam vulgo distribui apud Iudaeos, in legem, in prophetas, et in scripta vel, ut vocare solemus, hagiographa. Christus autem hos ordines omnes tres enumerat, sed tertium adpellat nomine illius libri, qui in eo primus est, psalmorum, inquam.

19 Vellet fortasse aliquis, ut his illud adderem, quod Matthaeus Ieremium auctorem citasse videtur, ubi Zachariae verba transcripsit [1]), id enim commode extricares, si vere dicere posses cum Lightfooto [2]), Matthaeum, utpote evangelium componentem, quod Hierosolymitis usui esse deberet, sequutum esse eam bibliorum partitionem, quae Talmudistarum est, et secundum quam, non Isaias, sed Ieremias primus collocatur in ordine prophetarum [3]). At duo obstant, quominus existimem hac ratione dilui posse eam difficultatem, quam iste Matthaei locus habet. Primum est a Matthaeo plura adferri deprompta ex vaticiniis Isaiae, atque ita, ut numquam Isaiam ipsum auctorem citare omittat, pro Isaia vero Ieremiam in his adferendis nec semel nominet. Id tamen credi posset ideo factum a Matthaeo, quia, quum Isaias primus haberetur in vulgatiore ordine prophetarum, communiorem hanc librorum partitionem observaverit, ubi ipsius Isaiae verba adferebat. Alterum tamen est, quo prorsus impedior, suntque ipsa Matthaei verba. Non enim dixit: *sicut scriptum est in Ieremia*, quae loquutio similis foret eius, qua Marcus est usus, similique modo explicanda, sed: *quod dictum est per Ieremiam prophetam*, quibus verbis, non libro, qui Ieremiae nomine notetur, sed ipsi Ieremiae auctori tribuuntur ea, quae Ieremium auctorem minime habent. Proinde difficultas alio modo vincenda est, quo de nunc agere nihil adtinet.

DISSERTATIO XLVI

De adpellatione Regni caelorum

1 Hic novi testamenti locus primus est, in quo nominatur *regnum caelorum*; proinde disquirendum nunc est, quid nomine hoc designetur. Saepe id reperitur in Matthaei evangelio, numquam in ceteris libris scripturarum sacrarum. In usu tamen fuisse Iudaeis illa aetate sunt testimonia luculentissima, quae ex eorum doctorum scriptis deprompsit Schoettgenius [4]). Constat nomen hoc non aliud esse, quam *regnum Dei*, quod et apud Matthaeum reperitur et apud ceteros scriptores novi testamenti. Nam, quum Matthaeus scribebat, iam mos obtinuerat inter Iudaeos, ut nomine *caelo* Deum ipsum subinde vocarent; id adparet ex eorum libris vetustissimis, ex quibus huius rei argumenta collegerunt Buxtorfius [5]), Lightfootus [6]), et Schoettgenius [7]). Sed argumentum potissimum, quo utraque adpellatio pro una atque eadem habenda est, Marci et Lucae evangelia suppeditant; hi enim *regnum Dei* scripsere, ubi Matthaeus *regnum caelorum* [8]). Quare nemo dubitat eumdem, ac illa duo nomina, usum habere haec quoque: *regnum patris* [9]), *regnum Christi* [10]), subinde vero etiam nomen *regnum* sine adposito, sicut quum commemorantur *evangelium regni* [11]), *verbum regni* [12]), *filii regni* [13]), atque etiam alias [14]).

2 De significatione autem his nominibus subiecta in scripturis sacris, praesertim in novo testamento, multas lites excitarunt recentiores Protestantes, quorum sententias Kuinoelius in suos Commentarios congessit [15]). Rem tamen totam sine litibus expediri posse puto, si, seposito partium studio, pauca quaedam adtentius consideremus.

---

[1]) Matth. XXVII, 9. [2]) Hor. hebr. et talmud. in h. l. [3]) Baba bathra fo. 14, t. [4]) Hor. hebr. et talm. Diss. de regno caelor. §§ 3 — 5. [5]) Lex. chald. talmud. ad v. שמים. [6]) Hor. hebr. et talm. in Matth. III, 2. [7]) Op. cit. in Matth. XXI. 25. [8]) Conf. Matth. IV, 17 et Marc. 1, 15; Matth. V, 3 et Luc. VI, 20; Matth. VIII, 11 et Luc. XIII, 28. 29; Matth. X, 7; Luc. IX, 2; Matth. XI, 11 et Luc. VII, 28; Matth. XIII, 11 et Marc. IV, 11 et Luc. VIII, 10; Matth. XIII, 31 et Marc. IV, 30 et Luc. XIII, 18; Matth. XIII. 33 et Luc. XIII, 20; Matth. XIX, 14. 23 et Marc. X, 14. 23 et Luc. XVIII, 16. 24. [9]) Matth. VI, 10; XIII. 43; XXVI, 29. [10]) Matth. XIII. 41; XVI, 28; XX, 21; Luc. I, 33; XXII, 30; XXIII, 42; Eph. V. 5; Col. 1, 13; II Tim. IV, 1; II Pet. I, 11. Conf. Matth. XVI, 28 et Marc. VIII, 39 et Luc. IX, 27 et Apoc. XI, 15 et XII, 10. [11]) Matth. IV, 23; IX, 35; XXIV, 14. [12]) Matth. XIII, 19. [13]) Matth. VIII, 12; XIII, 38. [14]) Matth. XXV, 34; Luc. XII, 32; XXII, 29; I Cor. XV, 24; Hebr. XII, 28; Iac. II, 5. [15]) In Matth. III, 2.

3 Itaque, quod adtinet ad ipsum nomen *regnum* nihil est, quod nos cogat credere aliam notationem huic esse in illis adpellationibus, ac est, quum nominamus *regnum Nini, regnum Nabuchodonosoris, regnum Cyri, regnum Alexandri*, et cetera; nil autem nisi nodum in scirpo quaerere ii videntur, qui, reconditiorem aliquam significationem in hoc nomine esse arbitrantes, eam extundere conantur. Equidem, quum *regnum Dei, regnum Christi* audio, intelligo regnum, quod Deo, quod Christo, est, Deum ipsum, ipsum Christum regem esse, qui hoc tenet, quum vero *regnum caelorum*, Dei et Christi regnum ita vocari sentio, ut cuius pars potissima et nobilissima sit ipsum caelum, atque etiam quia Deum in caelo sedem habere, idque secundum scriptorum θεοπνεύστων morem dicendi, imaginamur, Christum vero etiam certo credimus; qua in re non aliud fit, quam quum Cyri regno regnum Persidis, quum regno Alexandri regnum Macedoniae nomen facimus.

4 Notione regni plura comprehendi, veluti rei elementa, nemo negabit, scilicet ipsam dignitatem potestatemque, quam quis habet, atque exercet, populum, quem is regit, ditionem ipsam regionesque, administrationem et gubernationem, ipsam denique formam conditionemque. Haec autem, non modo omnia coniunctim, sed singula quoque seorsum atque ipsa per se nomine regno subinde signantur, ita, quum narratur aliquis ad regnum evectus esse, sensus est evectum esse ad regiam dignitatem ac potestatem, quumque regnum tot centenis hominum millibus constare dicimus, nomine regno populum signamus, ipsas regiones, quum hos atque illos regni limites, gubernationem ipsam ipsamque administrationem, quum regnum aequissimum esse dicimus, ipsam denique regni formam et conditionem, quum regnum adprime floruisse aut tot aetatibus perdurasse. Facile autem videmus, ut in bibliis, quum de *regno Dei*, de *regno Christi*, de *regno caelorum*, mentio habetur, nomen *regnum* plerumque adhibeatur secundum universam regni notionem, ut in Matth. III, 2; IV, 17. 23; etc.; Marc. XII, 34; XV, 43; etc; Luc. I, 33; IV, 43; etc.; Io. XVIII, 36; etc.; Act. I, 3; VIII, 12; etc.; I Cor. XV, 24; Col. I, 13; IV, 11; I Thess. II, 12; II Tim. IV, 1, interdum ad significandum unum de iis, quae notio haec complectitur. Etenim regiam Christi dignitatem ac potestatem significat in Matth. XVI, 28; Marc. VIII, 39; Luc. IX, 27; Hebr. XII, 28, regni huius populum in Matth. XIII, 24. 41. 47; XXI, 43; Ap. I, 6. 9.; V, 10, regionem, id est, caelum in Matth. XIII, 43; XXV, 34; Marc. IX, 46; Luc. XXIII, 42; II Thess. I, 5; II Tim. IV, 18; II Pet. I, 11, gubernationem et administrationem in Matth. XVIII, 23; XX, 1; XXV, 1, formam et conditionem in Matth. XIII, 31. 33; Marc. IV, 26; Luc. XVII, 21; XIX, 11; XXI, 31; XXII, 16. 18; Rom. XIV, 17; I Cor. IV, 20. Alicubi in loco duo simul hoc nomine designantur. Exempli gratia in illo Christi effato: *Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud* [1]), primum regia Dei potestas nomine *regno* effertur, tum regnum ipsum in universum (8). In parabola de regiis nuptiis partim est de populo [2]), partim de gubernatione [3]); proinde in illis *Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* [4]), quibus Christus parabolam exorsus est, nomine regno utrumque significari videtur. Verius tamen dices in huiusmodi exordiis parabolarum et similitudinum, quas Christus adhibebat, ubi de regno hoc loquebatur, formulam *Simile est regnum caelorum*, tantumdem valere, ac *similiter fieri in regno caelorum*; quin imo subinde sensus alius esse nequit, verbi gratia, in Matth. XIII, 45, quare in his nomen regnum universam notationem suam retinet.

5 Meminerimus praeterea oportet homines quoque hoc Dei et Christi regno olim potituros [5]), unaque cum Christo regnaturos [6]), utpote *heredes quidem Dei coheredes autem Christi* [7]), id tamen *in regeneratione* [8]). Hinc illud, quod, quoties regni huius ab hominibus possidendi mentio est in libris sacris, nomina *regnum caelorum, regnum Dei, regnum Christi*, nil nisi beatitatem, quae eos in vitam reduces manet, aut caelum ipsum significare videantur; tametsi re vera horum nominum notatio immutata permaneat, non enim de alio regno sermo est, sed de alia regni aetate deque forma alia.

6 Animadverte etiam, ut oporteat, cuiusmodi sit horum nominum significatio, aliter iudicare, quum ab ipso Christo aut a scriptoribus bibliorum ea usurpantur, aliter, quum Iudaei atque adeo ipsi Christi discipuli cum hoc colloquentes usurpasse narrantur, puta, in Matth. XVIII, 1; XX, 21; Luc. XIV, 15, XVII, 20. Etenim, quod etiam volumus in hac disceptatione animadverti, constat Iudaeos sibi persuasum habuisse fore, ut Messias ipsorum regnum restitueret [9]); cave tamen iis credas, qui aiunt Iudaeos omnes nil praeterea putasse a Messia praestitum iri, aut hunc in orbe

---

[1]) Marc. X, 15. [2]) Matth. XXII, 3—10. [3]) Ib. 11—13. [4]) Ib. 2. [5]) Matth. XXV, 34; Luc. XII, 32; XXII, 29; Rom. IV, 17; I Cor. IV, 8; Iac. II, 5; Apoc. V, 10; XXII, 5. [6]) II Tim. II, 12; Apoc. XX, 4. 6. [7]) Rom. VIII, 17. [8]) Matth. XIX, 28; Apoc. XX, 6. [9]) Act. I, 6. Lege et Marc. XI, 10; Luc. XXIV, 21; Io. XII, 13.

terrarum solummodo, quantumvis late, dominaturum, quod nullo argumento hactenus quis vicit, oracula vero priscorum vatum prorsus refellunt.

7 Nunc venio ad ea, quae difficultatem aliquam facere possunt, quominus, quae huc usque dicta sunt, accipiantur. Ac primum, quum Dei regnum steterit etiam, dum vetus foedus obtinuit, qui fieri potuit, ut Ioannes Baptista [1]), imo Christus ipse [2]), illud regnum *appropinquare* dicerent? Quod vero gravius nos urgere videtur, nonne Christus, qui, quum primo docere coeperat, aiebat regnum istud *appropinquasse*, dixerat imo iam *pervenisse* [3]), nos tamen iussit orare, ut *adveniat* [4]), deque eo, ut de re longo post tempore futura [5]), loquutus est, idque eodem ipso die, qui ei supremus fuit [6])? Verum, quod dictum est de vetere foedere, non modo nullam difficultatem nobis adfert, sed sententiam, quam defendimus, plane confirmat, *regnum caelorum*, *regnum Dei*, aliud non esse, quam *regnum Christi*, videlicet quod Christus fundavit, sibique adquisivit tradendum *Deo et patri* [7]), atque a suprema dominatione distinguendum, quae Deo in res omnes est; huius vero regni exordia priore foedere abrogato novoque pacto facta fuisse. Ceterum in libris veteris testamenti, quamquam saepe Deus dicatur regnare, rexque adpelletur, ipsum tamen hoc nomen *regnum Dei* quater dumtaxat legitur, neque aliis in libris, quam editis sequiore rei iudaicae aetate, ter in paralipomenis, semel in libro Sapientiae. In paralipomenis significat regnum ipsum integrum Israelitarum [8]) regnumque Iudaeorum [9]), non alia de caussa sic dictum, nisi qua gens ipsa *populus Dei* vocabatur. In libro autem Sapientiae haec legimus de Iacobo Abrahami nepote: *Haec Sapientia profugum irae fratris iustum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei* [10]). Quidam autumant haec postrema verba dicta esse de somnio, quo Iacob *vidit . . . scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens caelum, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae* [11]); sed vereor, ut haec sola tam grandi nomine, quam est *regnum Dei*, apte signentur. Quare verius credes in hoc quoque loco *regnum Dei* non aliud esse, quam regnum Christi, quod futurum Iacob didicerat a divina Sapientia, filiisque morti proximus praenuntiavit [12]). Id ipsum est illud quoque regnum, de quo et Abdias [13]) et Daniel [14]) sunt vaticinati. Cur vero Christus de *regno caelorum* modo ita loquatur, ut quod iam incepisset, modo, ut quod longo post tempore esset futurum, adparet caussam eam esse, quia, si ad regni formam spectes, aliud est regnum, quod nunc Christus habet, aliud quod habebit *ἐν παλιγγενεσίᾳ*, ipse autem modo de uno, modo de altero, loquebatur.

8 Sunt loci nonnulli novi testamenti, in quibus nomina *regnum*, *regnum caelorum*, *regnum Dei*, prima specie videntur non nihil negotii facessere, sed facili explicatione liquet, quid significent. Illorum Christi verborum, *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* [15]), sensus est alias gentes in Israelitarum locum substituendas, quae in hoc regno censeantur; proinde dicta ea sunt de regno, quod in terris Deus obtinet, de ecclesia videlicet. Quod Christus, colloquens cum quodam scriba, et *videns, quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei* [16]), tantumdem sonat, ac: Non longe abes, quin dignus sis, qui in populo regni Dei censeri queas. Apud Marcum haec legimus: *Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud* [17]); nemo autem non sentit, ut nomen *regnum* aliam rem signet in primo, aliam in altero membro huius enuntiationis. In altero *regnum Dei* est ipsa veluti ditio, in quam introeundum. Sed quid in primo est *recipere regnum Dei*? Huius simile legimus apud Paulum, qui ad Hebraeos haec scripsit: *Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo* [18]). Loquutionis autem huius, *recipere* seu *suscipere regnum Dei*, sensus est, Deo seu Christo regi sponte se subiicere; quod et ipsa Pauli verba comprobant, et Iudaeorum ratio loquendi. Nam Paulus ait *servire Deo* eorum esse, qui *suscipiunt regnum* istud, haecque est conclusio eorum, quibus, post descriptum hoc idem regnum [19]), hortatus postremo est Hebraeos, ut se se Christo subiicerent [20]). In scriptis vero vetustissimis Iudaeorum dictio קבל מלכות שמים *recipere regnum caelorum* frequens est, nihilque aliud significat, quam se subditum regi Deo profiteri, ut videre est apud Wetstenium [21]) et Schoettgenium [22]), qui plura huc pertinentia ex illis scriptis collegerunt. Si quid difficultatis habent Christi verba, *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis*

---

[1]) Matth. III, 2. [2]) Ib. IV, 17; X, 7; Luc. X, 11. [3]) Matth. XII, 28. [4]) Ib. VI, 10. [5]) Luc. XVII, 20 seqq.; XIX, 11; XXI, 31 coll. 25—30. [6]) Ib. XXII, 16. 18. [7]) I Cor. XV, 24. [8]) I Par. XVII, 14; XXVIII, 5 coll. XXIX, 23. [9]) II Par. XIII, 8. [10]) Sap. X, 10. [11]) Gen. XXVIII, 12. 13. [12]) Ib. XLIX, 10. [13]) Abd. 21. [14]) Dan. II, 44; VII, 13. 14. 27. [15]) Matth. XXI, 43. [16]) Marc. XII, 34. [17]) Marc. X, 15. [18]) Hebr. XII, 28. [19]) Ib. 22—24. [20]) Id. 25. [21]) In Matth. XXI, 25. [22]) Dissert. cit. § 3.

venientem in regno suo [1]), ea nobis non tanta est a nomine *regno*, quam quod Christus dixerit quosdam de illis, qui aderant, non ante morituros, quam ipsum viderent *venientem in regno suo.* Haec eadem referunt etiam Marcus [2]) et Lucas [3]), ita tamen, ut difficultatem hanc minime ea praeferant. Verum adtende verbis *venientem in regno suo* haudquaquam significari Christi adventum in regnum, dicendum quippe fuisset *venientem in regnum suum*, sed regiam Christi dignitatem maiestatemque divinam quandocumque manifestandam quibusdam suorum discipulorum, ante quam vita decederent; quam nominis *regni* explicationem haec comprobant, quae Christus proxime dixerat: *Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui* [4]). Quum autem et Matthaeus, et Marcus, et Lucas, post verba haec relata narrent continuo Christi transfigurationem, cui contemplandae praesentes adfuere tres de numero apostolorum, equidem autumo Christum his verbis de hac fuisse loquutum, quae sententia fuit etiam Leoni Magno [5]). Quid sibi voluerit Ioannes scribens in apocalypsi: *Ego Ioannes, frater vester, et particeps in tribulatione et regno* [6]), intelliges, si haec conferas cum iis, quae paullo superius leguntur: *Et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et patri suo* [7]), in quibus *regnum* idem est ac populus, qui regnatur. Denique Paulus explicans ordinem, quo *in Christo omnes vivificabuntur* [8]), sic loquitur. *Unusquisque autem in suo ordine; primitiae Christus, deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu eius crediderunt, deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et patri* [9]). Ut horum sensum adsequamur, oportet sicut iam monui (7), supremum in res omnes dominium, quod Deo est, distinguere ac dividere a regno, de quo loquimur, et cuius conditor Christus. Regnum hoc, ut idem ipse Paulus in hoc eodem capite [10]) atque in aliis [11]) docet, nondum Christus plane possidet, quum plurimi adhuc hostes ab eo profligandi supersint. Atque hoc pacto regnare perget, *donec* Deus *ponat omnes inimicos sub pedibus eius; novissima autem inimica destructur mors; omnia enim subiecit*, id est, subiicienda decrevit, *sub pedibus eius* [12]). Plenissime igitur hoc regno Christus potietur, quum, hominibus cunctis ad vitam revocatis, *mors ultra non erit* [13]). Proinde dicitur tunc traditurus *regnum Deo et patri*, non quod ipse regnandi finem facturus sit, sed quia una cum patre suo regnans, quum victoria de hostibus omnibus parta plenam regni possessionem sibi vindicabit, atque adseret, hoc ipso patri quoque omni ex parte regnum subiectum praestabit.

9 Haec, quae de nominibus *regno caelorum, regno Dei, regno Christi* edisseruimus, confido fore, ut illis, qui ipsa consideraverint, satis sint, quominus iis decipiantur, quae de his nominibus Ioannes Beniaminus Koppius disceptavit [14]). Erat mihi quidem in animo adposita castigatione hominem fusius refellere; verum accidit, ut, quo saepius atque adtentius eius scriptum perlegebam, eo plura sese ultro offerrent castiganda ac refellenda, eaque adeo inscita, ut tandem mihi viderer actum agere velle, qui statuissem huiusmodi commentis refutandis adlaborare, quorum falsitas nemini non adpareret.

10 Etenim, ut ne quid dicam de marcore sociniano, quo scriptum istud scatet, atque hac illac perfluit, ipsum fundamentum, cui tota eius compages est superstructa, sidat necesse est, nam, quo ad illud postremum consectarium totius argumentationis suae Kuppius perveniat, *formulas has . . . de regno aliquo sollenni Messiae olim inaugurando*, non autem *de religione potius ipsa, vel ecclesia adeo Christiana, vel de imperio spirituali et invisibili, quo ecclesiam hanc in his terris Christus tuetur, interpretandas* esse [15]), hoc ponit principium: Oraculis, *quae quidem, ex communi saltem iudaeicorum doctorum consensu, de hoc invicto Iudaeorum rege Messia explicabantur*, nil aliud, nisi quae tale Christi regnum adtingerent, fuisse praedictum [16]). Dum vero hoc principium studet confirmare prolatis oraculis non paucis, veluti tamen haec sola essent, in quibus est de regno Christi, non sane miraberis, quod alia omiserit de hoc eodem regno dicta, in quibus procul dubio est *de religione potius ipsa, vel ecclesia adeo christiana, vel etiam de imperio spirituali et invisibili, quo ecclesiam hanc in his terris Christus tuetur*, qualia legimus in Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14 [17]); XLIX, 10 [18]); Num. XXIV, 17—19 [19]); Deut. XVIII, 15. 18 [20]); II Reg. VII, 12. 13. 16 [21]); Ps. LXXI, 17; Is. II, 2—4; XLIX, 8. 9; LI, 4; LV, 3. 4; Dan. II, 44; VII, 13. 14; Mal. I, 11, sed vix oculis tuis credes inter ea, quae protulit veluti dicta sulummodo *de regno aliquo sollenni Messiae olim inaugurando*, reperiri Ps. XLIV, 7; CIX, 1. 2; Is. IX, 2; XI, 10;

---

1) Matth. XVI, 28. 2) Marc. VIII, 39. 3) Luc. IX, 27. 4) Matth. XVI, 27. Conf. XXV. 31. 5) Hom. de transfigurat. 6) Apoc. I, 9. 7) Ib. 6. 8) I Cor. XV, 22. 9) Ib. 23. 24. 10) Ib. 25. 26. 28. 11) Hebr. II, 8; X, 13. 12) I Cor. ib. 25. 26. 13) Apoc. XXI, 4. 14) In II Thess. Excurs. I. Goettingae 1791. 15) Ib. p. 92. 16) Ib. pp. 93. 94. 17) Lege *Patrit.* De interpretat. scripturar. sacr. L. II. q. V. 18) *Id.* ib. q. VI. nn. 58. 59. 19) *Id.* ib. q. VII. nn. 48—59. 20) *Id.* ib. q. VIII. nn. 13. 23. 32. 21) *Id.* ib. q. IX. nn. 52. 60. 93.

XLII, 1. 6. 7; XLIX, 6; Ier. 31—33; Dan. IX, 26. 27; Mich. IV, 1. 2; Zsch. IX, 9; Mal. III, 1, quae constat unice dicta esse vel *de religione* a Christo instituenda, vel *de ecclesia* ab eo condenda, vel *de imperio spirituali et invisibili*, quod nunc gerit, nihilque ad *regnum illud sollenne Messiae olim inaugurandum* adtinere.

11 Principio huiusmodi posito atque ita, ut diximus, confirmato, eamdem *λογικην* simul et *κριτικην δυναμιν* praefert Koppius noster, dum inde colligit, quod adsumat in suam argumentationem, Iudaeis nullius alterius regni a Christo obtinendi notitiam esse potuisse, nisi illius, quod *in his terris instaurandum exspectarent* [1]), sub *totius rerum humanarum conditionis*, *qualis nunc in his terris est, finem* [2]); proinde, quum populus iudaicus *de eadem re*, *adhibitis formulis iisdem*, *βασιλειας των οὐρανων*, *βασιλειας του θεου*, *βασιλειας Χριστου*, *institui a Ioanne*, *Iesu*, *apostolis*, *deprehendatur*, formulas istas in alium sensum, *nisi de eo aliqua ratione immutato expresse admoneamur*, accipi non posse, quam quo regnum illud futurum significant [3]). Ast enimvero istud admodum negandum, non posse his nominibus sensum alium subesse, *nisi de eo aliqua ratione immutato expresse admoneamur*; etenim non, quidquid Christus ceterique dixere, in libros novi testamenti relatum est. Nec minus infitiandum, haud posse nos in sensum alium accipere nomina haec, nisi hunc iidem illi libri nos doceant; prisci enim patres docere aeque potuerunt.

22 Pergit porro Koppius, ac demonstrare instituit, ut nulla *huiusmodi a Christo seu apostolis immutatae της βασιλειας θεου significationis vestigia clara et indubitata prostent* [4]). Statim autem exsultat, et triumphat, ob Gabrielis verba *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius* [5]). At cur huc sistit? cur non ea quoque refert, quae Gabriel continuo subiunxit: *Et regnabit in domo Iacob* IN AETERNUM, *et regni eius* NON ERIT FINIS [6])? Nonne his *de sensu* nominis *immutato expresse admonemur*? Num illud *regnum sollenne* Christus *in terris* semper est habiturus?

13 Verba Ioannis *Appropinquavit enim regnum caelorum* [7]) ita Koppius interpretatur: *Adesse tempus*, *quo compariturus sit is*, *quem aliquando (quo tempore, qua ratione, nesciebat ipse) regia maiestate orbem terrarum gubernaturum esse populus exspectabat* [8]). At, si, *quo tempore*, *nesciebat*, quid sonat illud *appropinquavit*? Nimirum, inquit, non *regnum caelorum* adpropinquare dicitur, tametsi id ipsum dicitur re ipsa, sed rex ipse, qui quo demum cumque tempore regnaturus est; imo, non ipse rex, sed *tempus*, *quo compariturus sit is*. Oh praeclaros divinorum oraculorum interpretes! Cur vero haec dicta esse non possunt *de ipsa Christi religione* [9]), quum tamen Baptista nosset, sicut ait ipsemet Koppius, *Iesum esse novae religionis doctorem* [10])? Quomodo in his non immutata nominis *regni caelorum* significatio, siquidem Iudaei, prout idem ipse Koppius adseverat, arbitrabantur Christum hoc regnum *genti suae esse vindicaturum* [11]), Ioannes vero, prout ipsi demonstravimus [12]), *regnum caelorum* adpropinquare praenuntians, simul Iudaeis proximam ruinam interminabatur, fiduciamque adimebat temere in suo sibi genere positam, atque alias alia origine gentes in ipsorum locum successuras non obscure praedicebat?

14 Tum gradum facit Koppius ad Christum adque illa, quae is de regno suo saepe loquutus est; utque horum sensum adsequamur, neque distrahamus in diversa, primum limites signat ac veluti terminos, intra quos contineri vult, quidquid *Iesus*, *dum in his terris viveret*, *partim de sua ipsius natura et vi*, *partim de rerum a se innovandarum magnitudine et perennitate*, *ipse divinitus intellexerit* [13]), aitque Iesum *certo scivisse se aliquando ad regnum sollenni maiestate inaugurandum e caelis esse rediturum Matth.* XXIV, 25, forte dicere voluit 30, *quo tamen tempore*, *num brevi an longiore post illa superiora praeterlapso*, *iterum nesciebat Marc.* XIII, 32 [14]). At, si res sic se habet, de quonam regno Christus loquebatur, quum haec dicebat: *Appropinquavit regnum caelorum* [15])? Non de illo quidem *olim sollenni maiestate inaugurando*, quo enim tempore inaugurandum esset, si Koppio id testanti fides est, *plane ignorabat* [16]); ergo de alio; immutata igitur est nominis significatio. Quid vero, quod regni huius exordia iam facta esse Christus his verbis adfirmavit: *Igitur pervenit in vos regnum Dei* [17])? Verum caute sibi caussaeque suae consuluit Koppius noster, qui hos locos omnes intactos indictosque praeteriit.

15 Definito ac determinato, ut sibi visum est, quid Iesus sciverit de se, deque rebus a se gerendis, ac de suo illo regno, ad id exigere Koppius studet interpretationem locorum, in quibus Christus regni huius mentionem habuit, non tamen omnium, sed quae praecipua existimat. Age vero,

---

[1]) L. c. p. 94. [2]) Ib. 95. [3]) Id. p. 96. [4]) Ib. pp. 96. 97. [5]) Luc. I, 32. [6]) Ib. 32. 33. [7]) Matth. III, 2. [8]) L. c. p. 99. [9]) Ib. p. 98. [10]) Ib. p. 99. [11]) Id. p. 94. [12]) Diss. XLIII. nn. 87. 88. [13]) L. c. p. 99. [14]) Ib. p. 100. Lege et p. 105. [15]) Matth. IV, 17; X, 7. [16]) L. c. p. 105. [17]) Matth. XII, 28.

aliqua de his eius interpretamentis examinemus. — De parabola, qua *regnum caelorum grano sinapis* simile esse dicitur [1]), haec scripsit: *ἡ βασιλεια comparatur κοκκῳ σιναπεως sensu hoc: Parvis initiis ad maiora mox incrementa rem omnem Christianam esse progressuram* [2]). An vero haec pertinent ad *regnum sollenni maiestate* OLIM *inaugurandum?* Sed non hic solus locus est, ubi veritatis vis impotens imprudenti incautoque rectam interpretationem extorsit, tametsi plane contrariam eius, quam defendere instituerat. — Illorum Christi verborum, *Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala* [3]), ait sensum hunc esse: *Impios quoslibet e regno meo excludent. Idem sensus v. 47 seqq.* [4]). At oblitusne est vaticiniorum, quae superius commemoraverat veluti dicta de regno illo Christi futuro, id est, Is. XI, 9; XXVI, 2. 3; Ezech. XXXVII, 24; Os. III, 5; Mich. IV, 2. 5, et quibus ea praedicuntur, ex quibus efficitur nulla fore in eo regno scandala, quae colligantur? Alterutrum igitur det oportet, vel Christum de alio regno loqui, immutatamque esse nominis significationem, vel, quod iam evicimus (10), totius disceptationis suae fundamenta laborare. — Christi sententia in Iudaeos lata: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* [5]), prout Koppius sentit, nihil aliud significare putanda est, quam *ius ad regnum illud coeleste vobis eripietur* [6]); non igitur dicta est *de regno sollenni olim inaugurando*, unum ex oraculis a Koppio prolatis, *si*, quod ipse observandum nos monet, *absque cupiditate legantur* [7]), efficitur regnum istud genti praesertim Israelitarum promissum esse. — Postremo specimen accipe, diligentiaene dicam, an bonae fidei? qua homo iste agit. Nomina, de quibus quaestio est, negat unquam necessario interpretanda ita esse, ut quae, solummodo saltem, significent *religionem ipsam*, vel Christi *imperium spirituale et invisibile* [8]). Quo igitur pacto interpretetur hoc Christi effatum: *Ecce enim regnum Dei ἐντος ὑμων* INTRA VOS *est* [9])? Verum haud sibi deest, et, cui laus non mediocris est, neque immerito, a scientia literarum graecarum, illa *ἐντος ὑμων*, quae vertenda sunt *intus* vel *intra vos*, *ἐντος* enim nihil est aliud, quam *intus* aut *intra*, haudquaquam eum pudet latine transferre INTER *vos.*

16 *Restat iam*, inquit, *ut, quo sensu post Iesu mortem apostoli voce της βασιλειας του Χριστου uti soliti fuerint videamus* [10]). Hanc tractationis partem iis ineptiis exorditur, scholam Socinianorum et Rationalistarum redolentibus, quas piget persequi. Ad rem nostram quod adtinet, haec promit: *Ut in evangeliis, . . . similiter in scriptis apostolorum, locis pluribus formulam βασιλειας Χριστου de ipso illo sollenni Messiae regno adhibitam occurrere dubitari non potest* [11]). Horum *plurimorum* locorum sex numero, non amplius, indicat: I Cor. VI, 9. 10; XV, 50; II Tim. IV, 18; Iac. II, 5; II Petr. I, 11. An autem *dubitari non possit* his eum sensum subesse, quem ipse vult, equidem admodum dubito. Sed quid dico dubitare me? Imo manifestum est de hoc, quod iste tam confidenter adfirmat, dubitare quemque posse, imo et oportere, atque adeo, saltem quod ad aliquos horum locorum, omnino id pernegare. Petrus enim AETERNUM *regnum . . . Christi* nominat in illo loco. Iacobus meminit *regni, quod repromisit Deus* non Iudaeis quidem, sed DILIGENTIBUS SE, repromisit autem his caelestem beatitudinem, non vero *regnum illud sollenne olim inaugurandum in terris.* Paulus in epistola ad Timotheum scripta *regnum* CAELESTE commemorat; in locis alteris tribus negat homines prave viventes *regnum Dei* esse possessuros.

17 Neque animadvertere omittam, quod idem ipse Koppius satis prodit, quam caussae suae is diffideret. Initio quippe sui commentarioli profitetur se se in hoc eas congerere dumtaxat, quae *subierunt saepius animum dubitandi rationes* [12]), itaque deinceps ad finem usque disserit, ut qui veretur, ne in lubrico pedem figat, iis dicendi formis adhibitis quam frequentissime, quae dubitantem haerentemque animum arguunt, neque ac concessiones illae plures, quas recusare minime potuit [13]), quasque quum faceret, ut in una eademque pagina subinde secum ipse pugnaret, minime advertit. Etenim hoc quoque peccavit; veluti quum *regno sollenni olim feliciter inaugurando, partim religionem ipsam, partim ecclesiam hominum, qui eam profitentur, inservire debuisse, hinc etiam utriusque huius significationis notionem formula ipsa βασιλεια των οὐρανων certis quibusdam locis non prorsus excludendam esse, lubens* concedit [14]), mox vero hanc *interpretationem tam parum probabilem* respuit [15]), continuoque negat esse diffitendum *posse loca novi testamenti plura, etiam ex iis, quae supra* adtulit, *sensu satis commodo sic explicari, ut per βασιλειαν ipsa religio intelligatur, velut Matth.* VI, 33; XIX, voluit dicere XIII, 52; *Luc.* XVIII, 29; *Marc.* XII, 34 [16]).

---

[1]) Matth. XIII, 31. [2]) L. c. p. 103. [3]) Matth. XIII, 41. [4]) L. c. p. 104. [5]) Matth. XXI, 43. [6]) L. c. [7]) Ib. p. 94. [8]) Ib. p. 92. etc. [9]) Luc. XVII, 21. [10]) L. c. p. 106. [11]) Ib. p. 107. [12]) L. c. p. 92. [13]) Lege pp. 98. 99. 100. 101. 106. 107. 108. 109. [14]) Ib. p. 108. [15]) Ib. p. 109. [16]) Ib.

18 Sed quid diutius Koppium moramur, qui ipse se plenissime refutat? Accipe, quae dixerit: *Quaerendum iam hoc est, . . . ad quodnam forte earum rerum* a se peractarum aut peragendarum *genus exprimendum formula hac* POTISSIMUM *uti Iesus ipse solitus fuerit,* SIQUIDEM *necessario de certa quadam harum rerum parte,* NEC POTIUS *de* UNIVERSO *adventus eius in terras consilio,* TOTIUSQUE *muneris eius, quod in hominibus ad meliorem beatioremque vitam perducendis cernitur, ambitu, locis pluribus est interpretanda, quod certe Matth.* IV, 23; IX, 35 *utique fieri debere arbitror* [1]). Tum locos, in quibus Christus ea nomina usurpavit, enumerare, *atque accommodate ad* CERTAM *illam τῆς βασιλειας significationem* UTRAMQUE, quorum prima est *extremum illud sollenne et gloriosum Christi regnum,* altera UNIVERSA TOTIUS *Christi negotii notio,* interpretari adgreditur [2]). Sensit itaque hanc alteram τῆς βασιλειας significationem *certam* esse, imo hanc *potius*, quam priorem, amplectendam. At sensit quoque, ut *in religione nova tradenda magna pars muneris Messiae* positu esset [3]); ergo et in ecclesia condenda. Quare, quum Christus *regnum suum* dixit, proinde etiam quam *regnum Dei* aut *regnum caelorum*, his nominibus *novae religionis* etiam institutionem atque *ecclesiae* conditionem significavit. Iam vero nonne is rideretur, qui contenderet, quum *regnum Alexandri* nominatur, utique significari legum, quibus regni huius forma continebatur, constitutionem et promulgationem, regionum quoque ac finium, quibus Alexander potitus est, designationem, gentium ac populorum, quos vicerat, adiectiones, non tamen ipsam regni formam, non regiones ipsas, non ipsos populos ac gentes? Sed satis de Koppio.

DISSERTATIO XLVII

De Christi baptismo

CAPUT I

De anno et die, quo Christus baptismo tinctus fuit

1 Narratio baptismi, quo Christus a Ioanne tinctus fuit, aliqua nobis exhibet adcuratius pertractanda. Prima quaestio est de tempore, quo illud gestum est, de anno, inquam, deque die.

2 Lucas narrationem hanc ita concludit: *Και αὐτος ἦν ὁ Ἰησους ὡσει ἐτων τριακοντα, ἀρχομενος, ὢν, ὡς ἐνομιζετο, υἱος Ἰωσηφ*, quae latine sic translata sunt: *Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph.* Negotium non leve bibliorum enarratoribus creat participium *ἀρχομενος, incipiens.* Pro eo Clemens Alexandrinus [4]) et Euthymius Zigabenus [5]) habent *ἐρχομενος veniens*, videlicet ad baptisma, quod Clemens etiam addidit. At plura non sunt, quibus istud *ἐρχομενος* nobis sese probet.

3 Itaque *ἀρχομενος* cum nomine *υἱος filius* coniungendum non esse nemo non videt. Discordes autem sententiae sunt, utrum coniunctum sit cum prioribus verbis, ut significet annum tricesimum Christo initum, an seiunctum, suamque sibi ipsum per se habeat significationem, et Christum signet munus suum incipientem. Prior sententia, de qua dumtaxat nunc dicere opus est, fuit Irenaeo [6]), Epiphanio [7]), Cosmae Indicopleustae [8]), interpreti bibliorum arabi, qui est in Polyglottis, atque illi, qui biblia vertit in sermonem graecorum recentiorum. Item sensisse cuiquam fortasse videantur interpres latinus novi testamenti, Athanasius [9]), Eusebius in Historia ecclesiastica [10]), et Iosephus auctor Hypomnestici aut quisquis scripsit huius caput CXXXVI, qui omnes participium *ἀρχομενος incipiens* posuerunt ante verba *ὡσει ἐτων τριακοντα quasi annorum triginta*; at negare nemo potest ex hoc illud non effici nec esse consequens, quum nihil nos cogat illud participium iungere his verbis, quamquam pone sequentibus, ipseque Eusebius alias locum hunc ita explanaverit: *Iesus . . . tricesimum agens aetatis corporeae annum adest ad baptisma Ioannis, et inde ἀπαρχεται* INCIPIT *doctrinam et opera miranda* [11]). Ceterum nihil participio *ἀρχομενῳ* cum his verbis esse evincit particula *ὡσει quasi.* Quid enim, quaeso, est *quasi annos triginta inci-*

---

[1]) Ib. pp. 100. 101. [2]) Ib. p. 102 coll. 101. [3]) Ib. p. 109. [4]) Strom. L. I. § 21. [5]) In Luc. III, 23. [6]) Haer. L. II. c. 22 al. 39. § 5. [7]) Haer. XXX. § 29. [8]) Christianor. opin. de mundo L. V. p. 194 ed. *Montfauc.* [9]) Serm. maior. de fide §§ 21. 32. [10]) H. E. L. I. c. 10. [11]) Ad Stephan. quaest. 1 in *Mai* Scriptorum veter. nova collect. T. I. P. I.

pere? Equidem, *esse quasi annorum triginta* quid sit, intelligo; quid *annum tricesimum incipere*, et hoc scio; *quasi annos triginta incipere* nescio. Mentio quippe *initi* anni annum hunc mihi plane definit, quem annum particula *ὡσει quasi* minime certum ac definitum esse ostendit. Adde, quod, si Lucas id narrare voluisset, non *ἐτων τριακοντα*, sed *ἐτους τριακοστου* apud eum legeremus, qua ratione simul illud refutatur, quod aliquis opponere mihi posset, particulam *ὡσει*, non ad *ἐτων τριακοντα*, sed ad participium *ἀρχομενος* pertinere, ac si sensus esset, Christum ad Ioannem advenisse anno tricesimo nondum inito, sed fere.

4 Nostrae igitur quaestioni faciunt solummodo verba *ὡσει ἐτων τριακοντα quasi annorum triginta*. Ut primo autem de anno dicamus, quum iam demonstraverimus Christum natum esse anno U. C. DCCXLVII incepto a palilibus [1]), consequens est tricesimum aetatis annum eum explevisse anno U. C. DCCLXXVII, qui, si a palilibus numerandi initium fiat, incepit a. d. XI. kal. mai. ann. aer. vulg. XXIV. Non hoc tamen concludendum est Christum hoc anno baptismo tinctum fuisse. Etenim, etsi particula *quasi* ab interprete latino usurpata credere fortasse suadeat Christum, quum tinctus est, nondum explevisse annum tricesimum, graeca tamen particula *ὡσει* dubios nos facit, num illud factum fuerit intra annum tricesimum, an superiore vel insequente; haec enim particula subinde idem valet ac *circiter, plus minus* [2]), idque sonare putanda est potissimum, quum numerus enuntiatur partibus milleuariis, sive denariis, solummodo constans, qui vulgi sermone vocatur *numero rotondo*, atque ita eam interpretatus est Titus Bostrensis [3]), quantum ex latinis huius exemplaribus colligimus, inque hunc sensum acceperunt Cyprianus, Eusebius, Chrysostomus, scriptor *Chronici paschalis*, Euthymius, Cedrenus [4]), Euthymius Zigabenus [5]), alii, qui omnes Christum baptismo tinctum, quum triginta implesset annos, fuisse putarunt. Quare ex his Lucae verbis id unum colligimus, Christum baptismo ablutum inter palilia annorum U. C. DCCLXXVI et DCCLXXIX, hoc est, nec ante XI kal. mai. anni aer. vulg. XXIII, neque post XII kal. mai. anni XXVI. Nemo tamen, puto, diffitebitur verbis *ὡσει ἐτων τριακοντα* significari potius, Christum annos XXIX iam implevisse, nondum tamen XXXI; quumque multa sint, quae credere suadeat Christum natum esse a. d. VIII kal. ianuar., eius baptismi dies fuerit oportet nec ante finem decembris an. U. C. DCCLXXVI, neque post diem VIII kal. ianuar. an. U. C. DCCLXXVIII. Sed aliae rationes praesto sunt, quibus annus, de quo quaerimus, praecise magis definiatur.

5 Nam Christum in crucem actum fuisse C. Fufio Gemino L. Rubellio Gemino coss., an. U. C. DCCLXXXII, qui fuit aer. vulg. XXIX, iis rationum atque auctoritatum momentis efficitur, ut nemo iam hac de re, nisi morosius, ne dicam *ἀκριτως*, queat dubitare. Id plene efficit Henricus Sanclementius [6]), nosque alio in loco [7]) aliis etiam argumentis confirmabimus. Inter baptismum atque obitum Christi quater sollemne paschatis actum comperimus, quumque horum postremum illud fuerit, quod incidit in annum aer. vulg. XXIX, et quo Christus cruci fixus est, primum fuerit oportet, quod celebratum est an. aer. vulg. XXVI. Igitur Christus ad baptismum non serius venisse dicendus est, quam ineunte hoc ipso anno aer. vulg. XXVI. Horum rationem tibi exhibet tabella, quam subiungimus.

Ann. aer. vulg.	*Capita evangelior.*	*Res gestae*
	Matth. III, 13	Baptismus.
	IV, 1. 2	Ieiunium quadraginta dierum.
XXVI	Ioann. I, 29 — II, 21	Cetera, quae Christus gessit ante primum quatuor paschatum, intra temporis spatium haud brevius, quam dierum viginti.
	I. 23	*Primum pascha.* Hoc Christus egit Hierosolymae.
	IV, 3. 35.	Christus redit in Galilaeam quatuor mensibus ante messem, hoc est, autumno exeunte, mense decembre [8]).

[1]) Diss. XX. [2]) Lege Diss. X. n. 14. [3]) In Luc. III, 23. [4]) Lege Diss. XIX. n. 245. [5]) In Matth. III, 1. [6]) Disquisit. chronolog. de anno dominicae passionis, in fine oper. De vulgar. aerae emendat. [7]) Diss. LI. [8]) Diss. XLIII. n. 10.

XXVII	V, 1 coll. IV, 35	*Secundum pascha.* Inter autumnum et diem festum paschatis nullum sollemne agebatur, ad quod oporteret, ut mos esset, Hierosolymam convenire. Quare, quod commemoratur in capite quinto Ioannis, vel est secundum quatuor paschatum, vel alius dies festus, qui tamen celebratus non est nisi post secundum pascha.
XXVIII	VI, 1 seqq.	Christus panes multiplicat, quum proximum esset.
	VI, 4.	*Tertium pascha.*
	VII, 2 seqq.	Christus agit Hierosolymae diem festum scenopegiae, qui circa initium autumni celebrabatur.
XXIX	XIX, 14	*Quartum pascha.* Christus cruci figitur.

6 Christum non serius, quam diximus, baptismo tinctum fuisse, primumque quatuor paschatum incidisse in ann. aer. vulg. XXVI, eo etiam argumento evincere est, quod suggerit Ioannis evangelium. Paucis diebus ante primum hoc pascha [1]), quum Christus esset Hierosolymae in templo, quidam cum eo colloquentes aiebant: *Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc* [2]). Templum rex Herodes aedificaverat novem annis et sex mensibus [3]), opus tamen absolutum non est, nisi quum Nero iam imperium tenebat [4]). Proinde ea verba significant annum tunc fuisse sextum et quadragesimum, ex quo templum aedificabatur. Aedificium coeptum ab Herode fuerat anno regni duodevicesimo [5]). Quum duplex habeatur initium regni Herodis [6]), ab altero initio annus hic duodevicesimus erat, illeque est, qui incepit die neomeniae nisanis anni U. C. DCCXXXIV. Coeptum enim est templi aedificium, postquam Caesar Augustus e Syria discesserat [7]), quo adpulerat, ut Iosephus narrat, *ἑπτακαιδέκατον παρελθόντος ἔτους*, quum Herodes regni *annum decimum septimum impleverat* [8]), id est, ineunte anno duodevicesimo, proinde verno tempore anni U. C. DCCXXXIV, si annos numeres ab altero regni initio; atqui apud Dionem haec legimus: *Augustus . . . verno in Asiam perrexit M. Apuleio P. Silio consulibus* [9]), id est, anno U. C. DCCXXXIV. Neque te illud moveat, quod in Iosephi libris de Bello iudaico dicitur Herodes aedificium templi inchoasse anno regni decimoquinto [10]); nam in hoc quoque loco id factum narratur post Augusti discessum e Syria, quare vel locum hunc eo modo explanare oportet, quo id fecit Aldrichius [11]), vel potius librario tribuenda notarum immutatio, ut pro *ΔΠΙΙΙ* vel *ιη*, quae est XVIII, posuerit *ΔΠ* vel *ιε*, quae est XV. Quod si annus, quo templum coepit aedificari, initium habuit die neomeniae nisanis an. U. C. DCCXXXIV, annus aedificationis huius sextus et quadragesimus inceperit necesse est, die neomeniae nisanis an. U. C. DCCLXXIX, qui est aerae vulgaris XXVI, inque annum hunc inciderit primum quatuor paschatum, quae Christus egit post baptismum [12]).

7 Non igitur ad baptismum is venit serius, quam hoc ipso anno aer. vulg. XXVI ineunte. Quum vero inter baptismum interque huius anni pascha quod celebratum fuit a. d. XII kal. april., non minus quam duos menses constet intercessisse (5), consequens est Christum baptismo tinctum fuisse non serius eo die, qui fuit XIV kal. febr.

8 Sed neque citius, quam adulto autumno anni XXV. Nam Ioannes Baptista munus suum exercere coepit *anno* XV *imperii Tiberii*, quod is gessit in omnes provincias [13]), qui annus Iudaeis incepit III aut prid. id. septembr. ann. U. C. DCCLXXVIII, aer. vulg. XXV, in quem diem eo anno incidit neomenia tisri. Inter initum munus et baptismum Christo ministratum a Ioanne ut minimum mensis unius [14]) spatium adparet intercessisse. Quare liquet non ante mensem novembrem aut medium octobrem illius anni Christum ad baptismum adiisse.

9 Quo die Christus in lucem editus sit, diversae olim sententiae fuerunt. Harum tamen duae sunt, quas potior auctoritas comprobet, altera, eum ortum esse VIII kal. ianuar., altera, VIII id., hanc tamen ulteram prior probabilitate longe praestat [15]). Itaque Christus ortus VIII kal. ianuar. an. U. C. DCCXLVII tricesimum primum aetatis annum explevit a. d. VIII kal. ianuar. an. U. C.

---

[1]) Io. II, 13. [2]) Ib. 20. [3]) *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 11. §§ 5. 6. [4]) Ib. L. XX. c. 9. § 7 coll. c. 8. § 2. [5]) Ib. L. XV. c. 11. § 1. [6]) Diss. XXXV. [7]) *Ioseph.* l. c. coll. c. 10. § 3. [8]) Ib. c. 10. § 3. [9]) Hist. L. LIV. p. 525. [10]) Bell. L. I. c. 21. § 1. [11]) Not. in *Ioseph.* l. c. [12]) Conf. Diss. LI. n. 8. [13]) Diss. XXXIX. n. 5. [14]) Diss. XLIII. n. 8. [15]) Diss. XXI.

DCCLXXVIII, aer. vulg. XXV. Si igitur *ὡσεὶ ἐτῶν τριακοντα* annos natus circiter triginta, id est (4), quum aetatis annum tricesimum primum nondum expleverat, baptismo ablutus est a Ioanne, liquet id factum non serius, quam IX kal. ianuar. an. aer. vulg. XXV.

10 Haec autem temporum definitio plane consonat testimonio Tertulliani narrantis, *ut Dominus a duodecimo Tiberii revelatus sit* [1]). Qui enim Iudaeis annus erat quintus decimus, ex quo Tiberius par cum Augusto imperium acceperat in provincias, erat simul duodecimus, ex quo is Augusto vita defuncto successerat.

11 Quae quum ita sint, dies baptismi fuerit oportet, inter medium octobrem interque VIII kal. ianuar. an. U. C. DCCLXXVIII aer. vulg. XXV. Porro autem ipsum hunc diem, quinam fuerit, definire atque edicere velle eius foret, quem operam abuti minime pigeret. Vel primis quippe post Christum aetatibus diversae sententiae de die hoc exstitere. Quidam enim, quorum meminit Clemens Alexandrinus [2]), aiebant esse diem decimum quintum mensis tybi, qui dies est IV id. ianuar. Alii, ab eodem ipso Clemente commemorati, diem undecimum tybi, id est, VIII id. ianuar., esse putabant, quae sententia fuit etiam scriptori Chronici Alexandrini, atque olim communior ceteris fuisse videtur, prout arguere est ex more celebrandi diem festum baptismi ipso hoc die; tametsi, quibus unus hic mos argumento est, quo vincant Christum re vera die VIII id. ianuar. baptismo fuisse ablutum, eos prorsus falli in alio loco demonstravimus [3]). Hieronymus [4]) et Maximus Martyr [5]) baptismum hunc factum dixerunt nonis ianuar., itemque sensisse dicendi sunt ii, qui, in Armenia praesertim, hoc die baptismi festum agebant [6]). Cosmas Indicopleustes [7]) ita scripsit: *In ipso ortus die baptisma contigit*; dixerat autem Christum ortum die vicesima octava mensis, qui ab Aegyptiis choeac vocatur, id est, IX kal. ianuar. seu, quod verius autumo, postridie, hoc est VIII kal. ianuar. [8]). Denique Epiphanius diem VI id. novembr. baptismo Christi adscripsit [9]). Quarum sententiarum adparet nullam nisi postremam iis probari posse, qui Christum die VIII kal. ianuar. natum putant, simulque ea accipiunt, quae superius de anno, quo Christus baptismo tinctus est, disputavimus.

CAPUT II

Narrationis verba illustrantur

12 Matthaeus haec scripsit: *Tunc venit Iesus a Galilaea in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* [10])? Ioannes Baptista igitur Christum agnovit, antequam eum baptismo tingueret. Attamen idem ipse, ut Ioannes evangelista narrat, ita olim loquutus est: *Ego nesciebam eum; sed, qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto* [11]); quum autem Spiritus sanctus praesente Ioanne super Christum post baptismum descenderit, effici ex his videtur Christum a Ioanne non agnitum nisi post baptismum. Qua difficultate graviter se commoveri Augustinus [12]) ostendit. Ut eam, quae in his videtur esse, pugnam componerent, alii alias rationes excogitarunt, quarum bene multas retulit Toletus [13]), simulque refellit, proferens postremo sententiam suam, quae ceteris, si quid video, probabilior est, quamque brevius simul et clarius exponam, magisque confirmabo.

13 Sed primum animadverte, quod tamen nemo non intelligit, ut Ioannes, quum aiebat: *Ego nesciebam eum*, significaverit dumtaxat nondum sibi Christum de facie notum fuisse, ut, quamquam eum brevi adventurum praedixerat, quinam tamen is foret ex plurimis, qui ad ipsum adibant, agnoscere ac ceteris indicare nequivisset. Et illud adtende, ut particula *sed* haudquaquam nos cogat ita interpretari verba, quae sequuntur, veluti si indicium proderent, quo Ioannes Christum agnovit; nam et paullo prius haec leguntur: *Ego nesciebam eum; SED, ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans* [14]), quibus in verbis particulae *sed* illiusmodi vim minime inesse quisque sentit.

1) Adv. Marc. L. I. c. 15. 2) Strom. L. I. § 21. 3) Lege Diss. XXI. nn. 2. 26. 4) In Ezech. I, 1. 5) Comput. eccles. c. 32. 6) Lege auctores citat. Diss. XXI. n. 11. 7) Christianor. opin. de mundo L. V. p. 194. ed. *Montfauc.* 8) Lege Diss. XXI. n. 24. Conf. ib. n. 11. 9) Haer. LI. § 16. 10) Matth. III, 13. 14. 11) Io. I, 33. 12) In Io. Tract. IV. §§ 15. 16. 13) In Io. l. c. 14) Io. I, 31.

14 Itaque, etsi materies ipsa dictorum credere suadeat a Ioanne enuntiari, quo signo Christum inter turbas ad se advenientes agnoverit, quum tamen non id exigat necessario, Matthaeus vero narret Christum a Ioanne agnitum ante baptismum, concludamus oportet, non illud dici a Ioanne. Quid igitur sonant huius verba? Scilicet signum non δεικτικόν, sed πειϑαρόν, quo prius accepto mox de Christo *testimonium perhiberet*, id est, indicaret atque ostenderet populo eum, cuius adventum prius nuntiaverat; ediditque his verbis Baptista, non modum, quo Christus agnovit, sed rationem caussamque, cur testimonium de Christo perhibuerit. Quam interpretationem comprobant tum ea verba, quae continuo ipse subiunxit: *Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei* [1]), tum illa quae proxime evangelista narraverat: *Et testimonium perhibuit Ioannes dicens:* Quia *vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum* [2]). Denique considera, ut illud *nesciebam* redditum sit pro graecis vocibus οὐκ ᾔδειν, quae proprie significant *non videram*, et in versu 31 spectant ad ea, quae Baptista proxime dixerat: *Hic est, de quo* dixi: *Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat* [3]), haec autem, quae ipse a se olim dicta commemorat, dicta fuerunt, antequam Christus primo ad eum adiret; quare etiam in versu 33 illa οὐκ ᾔδειν αὐτόν eodem spectare putanda sunt, veluti diceret: Primo de Christo testimonium perhibui, quum nondum ipsum videram.

15 Quae caussa fuerit, cum Christus baptismo ablui vellet, non unum, sed plures enumerarunt Eusebius [4]), Hilarius [5]), Ambrosius [6]), Chrysostomus [7]), Hieronymus [8]), Augustinus [9]), aliique. Nobis unam illam retulisse sufficiet, quam adtulit Christus ipse, quum Ioannem baptisma ipsi ministrare recusantem his dictis adfatus est: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam* [10]). Sentis, ut arbitror, vim adverbii *modo*. Renuebat Ioannes, ut qui indignum existimaret famulo herum vel in speciem subiici; Christus vero illi: *Sine*, inquit, *modo*, veluti diceret: Alias quidem aliter; verum in praesenti, sine, ita nos geramus. Cur autem? *Sic enim decet*, inquit, *nos implere omnem iustitiam*. Quam rationem Chrysostomus his verbis declaravit: *Iustitia enim est mandatorum observatio. Quia igitur, inquit, alia omnia mandata implevimus, hoc autem unum superest, et illud quoque adiungi oportet* [11]). Idem ipse alio in loco: *Iustitia dicitur omnium Dei mandatorum adimpletio. . . . Quaenam porro haec est iustitia, dicet aliquis, baptizari? Prophetae parere iustitia erat. Ut igitur circumcisus est, et sacrificium obtulit, et sabbata observavit, et iudaicas festivitates implevit, ita et hoc, quod restabat, implevit, ut prophetae baptizanti obediret. . . . Si ergo iustitia est Deo parere, Deus autem Ioannem misit, ut populum baptizaret, cum caeteris legis praeceptis hoc etiam Christus implevit* [12]). Lege, quae de notatione nominis *iustitiae* in alio loco disputavimus [13]).

16 Pergit Matthaeus, aitque: *Tunc dimisit eum* [14]), hoc est, Ioannes, quum haec audisset, Christum dimisit, ut flumen ingrederetur, inque aquas se se immergeret. Verba haec, aeque ac illa: *Ioannes . . . prohibebat eum*, illaque: *Sine modo*, item illa Marci: Ἰησοῦς . . . ἐβαπτίσϑη ὑπὸ Ἰωάννου εἰς τὸν Ἰορδάνην *Iesus . . . baptizatus est a Ioanne in Iordanem* [15]), ostendunt baptismum hunc, non ablutione tantum infusaque unda, quod ipsius τοῦ βαπτιστοῦ officium erat, quo cum illorum verborum usurpatio minime consonat, sed ingressu in aquas, sicut mos erat apud Iudaeos, fuisse peractum; id vero prorsus evincunt haec, quae statim sequuntur: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua* [16]).

17 Quaeres, utrum portenta post baptismum facta [17]), omnibus, quotquot praesentes aderant, visa fuerint, an Christo et Ioanni solummodo. Nam illud primum putaret fortasse quis colligi ex Lucae narratione; huc enim spectare videtur, quod is animadvertit, ut prodigia haec facta fuerint, *cum baptizaretur omnis populus* [18]). At Marcus non alium, qui illa viderit, nominat, nisi unum Christum: *Iesus . . . statim ascendens de aqua vidit caelos apertos* [19]), quae verba Rosenmuellerus, ut se se pro more suo ridendum nobis exhiberet, ita interpretatus est, ut inde talis exstet sententia: *Ascendens Iesus de aqua Ioannes vidit caelos apertos* [20]). Item, atque Marcus, prout videtur, Matthaeus, cuius tamen verba sic quoque intelligere quis posset, ut qui, non de Christo, sed de Baptista ea dixerit: *Ioannes autem . . . dimisit eum. Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei caeli, et vidit Spiritum Dei* [21]). Denique in Ioannis evangelio hoc

---

[1]) Ib. 34. [2]) Ib. 32. [3]) Ib. 30. [4]) In Is. XXXV, 2. [5]) In Matth. c. 2. § 5. [6]) In Luc. L. II. § 83. [7]) Hom. de baptismo Christi § 3. [8]) In Matth. III, 13. 14. [9]) In Io. Tract. IV. § 12; Tract. V. §§ 3. 8; Serm. CCXCII de natali Io. Bapt. VI al. XXIII de Sanctis § 3. [10]) Matth. III, 15. [11]) In Matth. hom. XII. § 1. [12]) Hom. de baptismo Christi §§ 3. 4. [13]) Diss. XV. c. III. [14]) Matth. III, 15. [15]) Marc. I, 9. [16]) Matth. III, 16; Marc. I, 10. [17]) Matth. III, 16. 17; Marc. I, 10. 11; Luc. III, 21. 22. [18]) Luc. III, 21. [19]) Marc. I, 9. 10. [20]) Schol. in h. l. [21]) Matth. III, 14. 16.

solum de prodigiis illis narrantur: *Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum. . . . Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto* [1]). Constat igitur et Christo et Baptistae haec prodigia visa fuisse; fuisse autem visa etiam ceteris, ut ex narratione Lucae non necessario efficitur, ita, cur negemus, rationem suggerit Ioannis evangelistae narratio, imo ille ipse, cuius is verba refert, Ioannes Baptista. Hic enim, ut testimonio suo fides adiungeretur, aiebat: *Quia vidi Spiritum descendentem, et cetera*; non ergo viderant ceteri. Imo adfirmabat haec, quae vidit, sibi a Deo veluti signum fuisse constitutum, quo viso Christum populo indicaret (14); at si etiam populus ea vidit, audivitque vocem illam caelestem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui* [2]), quid opus habebat testimonio Ioannis, ut Christum agnosceret? Num testimonio huic magis fidem adiuncturi fuissent homines; quam iis, quae ipsi viderant, quaeque audiverant? Nonne haec, quae de Iesu caelum ipsum eos docuit, clariora erant grandioraque illis, quae de eo Ioannes praedicabat? At, si Ioannis testimonio non fuisset opus, nec Ioannes eo signo opus habuisset.

18 Portentis, quae post baptismum facta referunt evangelistae, addere licet, quod refert Iustinus, ignem accensum in Iordane [3]). Id autem legi in libello vetustissimo, cui titulus est *Praedicatio Petri*, testatur scriptor opusculi de *Rebaptismate* [4]). Epiphanius memoriae prodidit haec, quae in Ebionaeorum evangelio legebantur: *Statimque in eo loco lux ingens affulsit* [5]). Huc fortasse spectabant Iulius Firmicus et Zeno, quum de aqua baptismi ille ita scripsit: *Aqua . . . illa, quam despicis,* IGNITA *venerandi Spiritus maiestate decoratur* [6]), hic vero: *Aqua viva Spiritu sancto et* IGNE *dulcissimo temperata* [7]).

19 De columba discrepant sententiae. Quidam autumant verba *ὡσει περιστεραν sicut columbam* non de specie aliqua dici, qua Spiritus sanctus se se conspicuum exhibuerit, multoque minus de vera avi, sed significari, leni quodam ac placido volatu, qualis columbarum esse solet, aut potius qualem esse volunt, qui hanc tenent sententiam, super Christum descendisse id, quo symbolo Spiritus sanctus tunc usus est. Verum, ut alii iam animadverterunt, Lucas omnem tollit dubitationem ita loquens: *Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba* [8]); quis enim non sentiat illud *sicut columba* dictum esse de ipsa *corporali specie?* Constat Spiritum sanctum corporea aliqua specie tunc adparuisse, secus enim conspici haud potuisset, quare nec similitudini illi locus esset; tum Lucas id expresse aperteque adfirmat. Iam vero, inquit Wolfius, *quid necesse est aliam, verbi gratia, ignis aut fulguris speciem fingere, de qua nihil habet narratio evangelistarum, cum columbae formam assumere non magis indignum sit Spiritu sancto, quam sub ignis habitu comparere* [9])? Utrum autem vera columba fuerit, quae visa est, an solum columbae species neque patres consentiunt. Lege Petavium [10]). Equidem quominus de vera columba cogitem, impediunt me illa ipsa Lucae verba modo relata; ut enim ea columbae speciem significant manifesto, ita veram columbam a mente legentium procul amandant.

20 Rosenmuellerus, quem non semel alias audivimus de Spiritu sancto *θεολογουντα* [11]), haec nos docet: *Hoc symbolum autem in Iesum descendentis Spiritus sancti erat*, non columbae species, sed *fulgor eximius. . . . Το πνευμα του θεου* DESCENDENS, *igitur non erat Spiritus sanctus; huic enim, utpote omnipraesenti, motus localis tribui non potest* [12]). Oh hominem sagacem! Sed quid, amabo, *δογμα* illud aiebamus: DESCENDIT *de caelo, et incarnatus est?* Propria nimirum nomini *Spiritui sancto* inest hoc in loco significatio; immutata igitur sit oportet significatio verbi *descendere.* At *τῳ μεγαλανδρι* contra visum est, propriam esse significationem verbo *descendere*, immutatam igitur nomini *Spiritui sancto;* nisi malignius suspiceris propriam nominis huius significationem minus ipsi adrisisse, utque illam excluderet, isto modo eum esse ratiocinatum.

21 Ostenta haec, de quibus diximus, excepit testimonium divinae *υἱοτητος* Christo datum a patre hisque verbis conceptum: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui* [13]). Eadem haec ipsa de caelo emissa iterum sunt, quum Iesus coram Petro, Iacobo, et Ioanne, transfiguratus est [14]). Similia autem horum ipsum Dei filium de se loquentem induci in libro Proverbiorum [15]) alias demonstravimus [16]). Sed vocabulum *ἀγαπητος dilectus* postulat, ut peculiarem considerationem in ipsam

---

[1]) Io. I, 32. 33. [2]) Matth. III, 17. [3]) Dial. cum Tryphone § 88. [4]) Inter. opp. *Cypriani* § 17. [5]) Haer. XXX. § 13. [6]) De errore profanar. relig. § 2. [7]) L. II. Tract. XXXV seu Invitat. ad font. VI. [8]) Luc. III, 22. [9]) Cur. crit. in Matth. III, 16. [10]) De Trinit. L. VIII. c. 4. § 1. [11]) Diss. X. nn. 8—10; Diss. XV. n. 52. [12]) Schol. in Matth. III, 16. [13]) Matth. III, 17. [14]) Matth. XVII, 5; II Petr. I, 17. [15]) Prov. VIII, 22. 24. 25. 30. [16]) De interpret. Scriptur. sacr. L. II. q. II. no. 8.

intendamus; quod plenins ac melius fieri vix potest, qnam ea transcribendo, quibus Suicerus vocabnlum hoc exposnit, ac declnravit. Sic autem ea sunt: *Ἀγαπητος* aliquundo idem quod *μονογενης*, quia filius unicus imprimis diligitur. Hesychius: *Ἀγαπητον, μονογενη, κεχαρισμενον* Dilectum, unigenam, gratnm, vel charum. Pollux lib. III. cap. II: *Καλοιτο δ᾽ υἱος ἀγαπητος, ὁ μονος ὢν πατρι ἡ μητρι· ὥσπερ και ἀγαπητη θυγατηρ, και μονογενης καθ᾽ Ἡσιοδον* Filins vero dilectus vocatnr, qui solus et unicus est parentibus; quemadmodnm et filia dilecta et unigenita apnd Hesiodum vocatur. Suidas: *Ἀγαπητον, το ἠγαπημενον, ἡ το μονογενες* Amatnm, charum, aut nnicum. Basilius M. in Ps. LIV: Filius vocatur *ἀγαπητος τῳ πατρι, ὡς μονογενης* dilectus pntri, ut unigena. Optime. Omnino namque *ἀγαπητος μονογενη* notat. Illustre hnius significationis exemplum occurrit, quoties in N. Test. cum vnce *ἀγαπητος* inngitur *υἱος*, et pruecipue de Filio Dei usurpntur. Vide Mattb. III, 17; XVII, 5; Mnrc. I, 11; IX, 7; Luc. III, 22; IX, 35; II Pet. I, 17. Ita hebr. יחיד septuaginta interpretes non tantum reddunt per *μονογενης*, sed etiam, et quidem frequentius, per *ἀγαπητος*. Vide Gen. XXII, 2. 12. 16; Ier. VI, 26; Am. VIII, 10; Zach. XII, 10. In omnibus bis locis pro יחיד est *ἀγαπητος*. At Prov. IV, 3 est *ἀγαπωμενος*. Homero etinm Astyanax dicitur *ἀγαπητος*; Hector enim nlinm non habebat. Il. ζ de Andromacha v. 400: *Παιδ᾽ ἐπι κολπον ἐχουσ᾽ ἀταλοφρονα, νηπιον αὐτως, Ἑκτοριδην ἀγαπητον* Filium sinu gestans puerilia snpientem, infautem pariter, Hectoridem dilectum. Ubi nntiqua scholia: *Ἀγαπητον, μονογενη.* Videatur Aristarchus Cl. Heinsii p. 136 [1]). Qnum autem uomen *μονογενης* duo couiunctim significet, et *genitum* et *unicum*, simul duo argumenta suggerit, quibus divina Christi *υἱοτης*, eaque vere nc proprie dicta, defenditur. Qui enim a Deo *genitus* est, is nequit non vere ac proprie Dei filius esse. Sed is quoque, qni Dei filius *unicus* dicitur; nam, cur quis itn dici queat, si unnm *υἱοτητα* vere ao proprie dictam exceperis, cnussam nullnm reperias, quum propter ceterns caussus, verbi gratia, propter crentionem, adoptionem, caritatem, et angeli et homines *filii Dei nominemur, et simus* [2]).

22 Neminem, nt arbitror, illnd conturbabit, quod apud Matthaenm legamus *Hic est filius meus*, apud Marcum vero et apud Lucam *Tu es filius meus.* Compertum enim habemus, ab evangelistis, quum alicuius dicta literis consignabant, non ipsa verba, sed verborum sensum relatum esse quam saepissime. Sic verba, quibus Christus eucharistiam instituit, aliter Mattbaeus [3]), aliter Marcus [4]), aliter Lucas [5]) retulere. Quod si quis contendere vellet post Christi baptismum bis Deum fuisse loquutum, prius uno, mox altero modo, is sentiat licet, quod lubet, haud equidem obluctabor.

23 Participium *ἀρχομενος* [6]), de quo multum disceptant interpretes scripturarum sacrarum, nihil pertinet ad priora verba *ὡσει ἐτων τριακοντα*, *quasi annorum triginta*, idque iam ostendimus (3). Sed neque ad illa, quae sequuntur, *ὡς ἐνομιζετο, υἱος Ἰωσηφ ut putabatur, filius Ioseph*; quid enim est *incipere esse filium alicuius?* Oportet igitur, ipsum per se aliqnam exhibeat sententiam, idemque valeat, ac *quum inciperet*, videlicet munus sibi a patre adsignatum, nt is sensus sit totius huius loci: *Et ipse Iesus erat, quum inciperet munus suum, quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph.* Sic sensere Origenes [7]), Apollinarius [8]), Eusebius [9]), Beda [10]), aliique. Porro autem aliquod lumen, quod interpretationi huic adfundas, forsitan derivare est ex aliis atque aliis ipsius Lucae locis, in quibus idem illud verbum *ἀρχεσθαι* ad ipsam hanc eamdem rem exprimendam usurpatum est. Sic in exordio Actuum haec legimus: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, ὧν ἠρξατο* QUAE COEPIT *Iesus facere et docere usque in diem et cetera* [11]). Haud multo post Petrus ita loquens inducitur: *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit, et exivit, inter nos Dominus Iesus ἀρξαμενος* INCIPIENS *a baptismate Ioannis usque in diem, qua assumptus est et cetera* [12]). In alio loco: *Vos scitis, quod factum est verbum per universam Iudaeam; ἀρξαμενον* INCIPIENS *enim a Galilea post baptismum, quod praedicavit Ioannes et cetera* [13]).

24 Discordes quoque sunt sententiae de postremi huius membri interpunctione, utrum legendum sit *ἀρχομενος ὢν, (ὡς ἐνομιζετο) υἱος Ἰωσηφ*, an potius *ἀρχομενος, ὢν (ὡς ἐνομιζετο) υἱος Ἰωσηφ*, id est, utrum illud *ὢν* coniungendum sit cum participio *ἀρχομενος*, an cum nomine *υἱος*. Mihi quidem hoc alterum praestare videtur. Ut enim nulla ratio erat, cur participio *ἀρχομενος* participium *ὢν* adderetur, ita, quum nomen *υἱος* a nomine *Ἰησους* plurimis interpositis nimium distaret, expediebat, ad vitandum *ὑπερβατον*, continentemque contextum orationis servandum, nomen *υἱος* huc veluti copula ad priora adnecti.

[1]) Thesaur. ecclesiast. ad v. *Ἀγαπητος*. [2]) I Io. III, 1. [3]) Matth. XXVI, 26—28. [4]) Marc. XIV, 22—24. [5]) Luc. XXII, 19. 20. [6]) Luc. III, 23. [7]) In Luc. hom. XXVIII. [8]) Ap. *Hieronym.* in Dan. IX, 24. [9]) Ad Stephan. quaest. I in *Mai* Scriptor. veter. nova collect. T. I. P. I. [10]) In h. l. [11]) Act. I, 1. 2. [12]) Ib. 22. [13]) Ib. X, 37.

DISSERTATIO XLVIII

De tribus postremis Christi itineribus Hierosolymam

1 Christus, sicut compertum habemus ex evangeliis, postremo vitae anno ter ivit Hierosolymam, primo sub dies festos scenopegiae, tum sub encaeniorum, denique paucis diebus ante diem festum paschatis, quo die mortem oppetiit. Primum et postremum iter aperte commemoravit Ioannes [1]), secundum non item, ait tamen Christum, quum encaenia agerentur, fuisse Hierosolymae [2]). Lucas ter meminit de Christo iter faciente Hierosolymam [3]), primo autem longe post quinque hominum millia, quos Christus quinque panibus saturaverat [4]) sub dies paschatis [5]), quibus incepit annus ille postremus vitae Christi. Matthaeus et Marcus Christum Hierosolymam iter facientem non commemorant nisi semel [6]), ita ut ea, quae deinde deinceps describunt, videri alicui queant omnia inter postremum iter gesta.

2 Haec igitur nunc mihi sumo demonstranda. Unum atque idem iter esse, de quo Matthaeus et Marcus mentionem fecere, illudque ipsum quod primo a Luca commemoratum est, neque aliud illo, quod Ioannes confectum dixit sub dies festos scenopegiae. Ubi Lucas denuo meminit de itinere Hierosolymam, hoc illud iter esse quod Christus fecit sub diem encaeniorum. Ubi denique tertio, iter postremum esse non multo ante pascha Christique mortem ab ipso emensum.

3 Atque illud cum primis considerare est, quam commode atque apte his semel positis unaque iis, quae nobis sumpsimus veluti principia totius rationis evangeliorum simul componendorum [7]), series una veluti coalescat atque cohaereat rerum relatarum in ea evangeliorum capita, intra quae mentionem fieri dicimus trium illorum itinerum; quo praeiudicium factum iam esse adparet de veritate eorum, quae demonstrare adgredimur. Sed singillatim de singulis.

4 Matthaeum et Marcum loqui de uno atque eodem itinere evincunt tum narrationis adiuncta, tum priora, tum posteriora. Quaecumque sunt in Matthaei XIV, 1 — XVIII, 9, omnia eodem ordine descripta leguntur in Marci VI, 14 — IX, 49, nisi quod uterque nonnulla bis interseruerit, quae alter omisit. Haec autem omnia secundum temporum ordinem digesta esse constat, quum haec eadem, etsi non omnia, etiam Lucas retulerit, eaque eodem plane ordine, in IX, 7 — 50. Postremum, quod legimus in illis capitibus Matthaei et Marci, est sermo a Christo habitus de scandalis, deque mali huius gravitate, post quem apud Marcum quidem Christus silet, versuque 49 caput IX concluditur, apud Matthaeum vero loqui pergit, moxque a Petro interrogatus respondet acceptas iniurias esse condonandas, quod addita parabola illustrat, atque ita finem dicendi facit, simulque versiculo 35 absolvitur caput XVIII Matthaei. Nemo itaque habet, quod dubitet, ne non in unum atque idem tempus desinant capita XVIII Matthaei et IX Marci. Neque ergo in aliud tempus incidit iter illud, de quo est initio capitis XIX Matthaei, atque illud, de quo Marcus initio capitis X, unum enim atque idem iter sit oportet, ab utroque commemoratum.

5 Nunc ad utriusque narrationis verba animum adtende. Perspicies enim, ut haec, quibus Matthaeus infit, ***Et factum est, cum consummasset Iesus sermones istos***, item haec, quibus Marcus, ***Et inde exurgens***, id, quod continuo narrandum est, cum prioribus veluti copulent, significentque nihil intercessisse inter sermones Christi proxime relatos interque iter, de quo fit mentio; dummodo non ita dictum hoc intelligas, veluti si Christus statim, ac dicendi finem fecerat, surgens e loco, in quo sedebat, iter adripuerit.

6 Ad haec ait Matthaeus Christum migrasse e Galilaea et venisse ***in fines Iudaeae περαν του Ἰορδανου trans Iordanem.*** Num vero Iudaea ultra Iordanem protendebatur? Nonnullis quidem Matthaeus sic loqnutus imposuit, ut hoc ita esse putarent, non tamen nisi errore veri [8]). At, quod illis caussa erroris fuit, nobis argumento est, quo confirmemus Matthaeum et Marcum de uno eodemque itinere loqnutos esse hoc in loco. Etenim Marcus scripsit Christum venisse ***in fines Iudaeae δια περαν του Ἰορδανου per regionem trans Iordanem sitam***; proinde, quum verba Matthaei nequeant significare fines Iudaeae ultra Iordanem porrectos, qui numquam fuere, liquet illud ***περαν του Ἰορδανου trans Iordanem*** haudquaquam coniungendum esse vocibus ***in fines Iudaeae***, sed verbo ***venit***, itaque totam enuntiationem construendam: ***et trans Iordanem venit in fines Iudaeae.*** Vides igitur,

---

[1]) Io. VII, 1 — 10; XII, 12 — 14 coll. 1 et XI, 54. 55. [2]) Ib. X, 22. 23. [3]) Luc. IX, 51; XIII, 22; XVII, 11. [4]) Ib. IX, 17. [5]) Io. VI, 4. [6]) Matth. XIX, 1; Marc. X, 1. [7]) Lib. II, Prooem. [8]) Dissert. XLIII. n. 13.

ut iter, quod uterque descripsit, factum fuerit per regiones trans Iordanem positas, utque hoc certiores fiamus de uno eodemque itinere ab utroque mentionem fieri.

7 Porro autem certius id constabit, si animadvertas, ut post iniectam huius itineris mentionem et Matthaeus et Marcus, non alius alia, sed eadem uterque narrare pergat.

8 Nunc demonstrandum est, ut hoc iter illud ipsum sit, de quo est in Lucae IX, 51. Ter, ut dixi, Lucas meminit de Christo Hierosolymam iter faciente. Ubi tertio meminit, id est in XVII, 11, ait Christum, *dum iret in Ierusalem*, transisse *per mediam Samariam et Galilaeam*; non ergo loquitur de illo itinere, quod Christus fecit *δια περαν του Ἰορδανου per regionem trans Iordanem positam.* Si opponere mihi instituas inversum ordinem regionum, apud Lucam, Samariamque commemoratam ante Galilaeam, quum tamen illa inter hanc interiaceat et inter Iudaeam, atque concludere ideo velis Christum ex urbe Ephremo, quae in Iudaea erat, et in qua aliquammulto tempore inter diem festum encaeniorum et inter paschatis commoratus est postremo vitae anno [1]), rediisse per Samariam in Galilaeam, atque ex Galilaea in regiones, quae sunt trans Iordanem, transgressum per has in Iudaeam remeasse, atque adeo Matthaeum et Marcum in illo loco, quem explanavimus (4—7), de hoc itinere, quo Christus postremo Hierosolymam ivit, loquutos esse, si ergo haec mihi oggeras, illud unum interrogabo, quid de mea narrandi ratione censeres, si historiam conscribens, de eo, qui Tibure Ianuam profectus inde transmisso mari Tyrrheno Romam venisset, dicerem hunc Tibure profectum iter fecisse Romam per Hetruriam atque Insubriam? Atqui talis foret Lucae narratio, si ea, quae modo adlata sunt, vera forent. At Lucas, quod nemo non sentit, satis habuit, nominasse regiones, per quas Christus iter illud postremum tenuit, de situ, quo una alteri adiacet, minus sollicitus. Caussam quidem aliam praeter hanc ordinis praeposteri in alio loco suggeram (30); attamen, si regiones quoque trans Iordanem sitas Christus postremo hoc itinere pertransisset, eas quoque apud Lucam legeremus. Iam igitur hoc liquet, aliud iter a Matthaeo et a Marco, aliud a Luca in hoc postremo loco, commemorari.

9 Sed, quod Matthaeus et Marcus narrant, aliud iter est illo quoque, de quo Lucas secundo loco dixit in XIII, 22. Etenim, quaecumque is retulit inter IX, 51, ubi primo, et inter XIII, 22, ubi secundo est de itinere Hierosolymam, multis argumentis compertum fit intra fines Iudaeae gesta fuisse, idque eo confirmatur, quod horum narrationem Lucas concludat alteram hanc itineris mentionem faciens his verbis: *Et διεπορευετο* IBAT PER *civitates et castella docens et iter faciens in Ierusalem*, in quibus nulla alia regio a Luca indicatur, sive implicite, ut in primo loco, sive patentius, ut in postremo, ex qua Christus profectus fuerit. At Matthaeus et Marcus aperte dicunt Christum e Galilaea iter facere coepisse, neque Iudaeam circumeundo, sed per regiones transiordanicas venisse in fines Iudaeae. Hoc quoque igitur exploratum est, ad iter a Matthaeo et a Marco commemoratum minime pertinere alteram itineris mentionem factam a Luca.

10 Quare iam hoc unum superest, ut dicatur iter, de quo Matthaeus et Marcus, esse illud ipsum, de quo loquitur Lucas in IX, 51. Etenim sic esse evincit cum primis narrationum series. Quae enim legimus in Matthaei XIV, 1 — XVIII, 5 et in Marci VI, 14 — IX, 40, etsi plura, eodem tamen ordine sunt, atque ea, quae in Lucae IX, 7 — 50. Post haec Marcus quaedam Christi praecepta in IX, 41—49, haec eadem aliaque praeterea Matthaeus in XVIII, 6—35 retulerunt, tum continuo omnes Christum itineri se commisisse narrant. Num autem suspicari cuiquam liceat alium de alio itinere loquutum?

11 Ad haec Matthaeus et Marcus dicunt Christum profectum e Galilaea [2]). Hoc Lucas non dicit, sed ex iis, quae dicit, efficitur necessario, quum narrat, ut Christus Hierosolymam ire instituens miserit *nuntios ante conspectum suum . . . in civitatem Samaritanorum* [3]), nam, si Hierosolymam petenti per Samariam erat transeundum, consequens est eum profectum esse ex Galilaea. Adde comminationes, quibus in evangelio Lucae dicitur Christus, quum proficisceretur, invectus fuisse in urbes Galilaeae [4]), et quibus nec locus neque tempus esse potuit opportunius illo, quo Christus in eo erat, ut a Galilaea recederet; praesertim quia sic agens confirmabat exemplo illud, quod proxime discipulos a se legatos agere iusserat ex iis urbibus proficiscentes, quae eorum doctrinam contempsissent [5]).

12 Praeterea ab illis duobus discimus iter hoc factum fuisse per tractus transiordanicos. Neque id apud Lucam invenimus, ea tamen legimus, quibus efficitur illud iter factum esse oportere. Etenim,

---

[1]) Io. XI, 54. [2]) Conf. Marc. X, 1 et IX, 32 seqq. [3]) Luc. IX, 51. 52. [4]) Luc. X, 13—15. [5]) Ib. 10—12.

nuntii, quos Christus miserat *ante conspectum suum, .. euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi; et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem* [1]). Non bio agitur de ipsa urbe Samaria, quod notare necesse est, ne forte quis putet Cbristum in regionem saltem Samaritarnm aliquatenus tunc processisse; ooo enim scripsit Lucas *εἰς την πολιν των Σαμαρειτων*, neque *εἰς πολιν*, quo etiam non satis foret expressum, de qua urbe haeo diceret, sed *εἰς κωμην in pagum*, oeqne *εἰς κωμην των Σαμαρειτων (in un villaggio* OEI *Samaritani*), sed *εἰς κωμην Σαμαρειτων in un villaggio* DI *Samaritani*). Imo neque Christus ipse huo venit, dicitnr enim huo nuntios misisse *ante conspectum suum.* Quibus positis intelligimus Christum oeque fines Samaritarum tuno esse ingressum, sed inde exclusum alio divertere coactum; quare, sicut Lucas dicit, *abierunt in aliud castellum* [2]). Samaritis transitn per suas regiones Cbristum prohibentibus is, ut Hierosolymam iret, alterutram vium sequi oecesse habuit, vel qua versus occasum tenderet, perqne maritimas plagas iter faceret, vel ortnm versus, transmissoque Iordane per regiones pergeret, quae sunt trans flumen illud; via illa longior et longinquior, baeo proxima et brevior Galileaqoe profectis longe commodior. Ergo, qunm Matthaeus et Marcus tradiderint Christum via bao iter fecisse, hac vero fieri illud oportuisse ex Lucae narratioue efficiatur, uliud praeterea habes argnmentnm, cur credas de uno atque eodem itinere Matthaeum in XIX, 1. Marcum in X, 1, et Lucam in IX, 51 esse loquutos.

13 Nuno venio ad iter, quod Ioaones io VII, 2—10 oarrat factum a Christo sub festos dies sceuopegiue. Lucolentissimum urgumentom is suggerit, qno plaue vincas iter istud oon aliud esse illo, de quo modo disseruimus. Per illud temporis spatium, quod fnit inter scenopegiam interque encaenia proxime insequuta, eo auno, sicut supra (9) diximus, infraque demonstrabimus (22 seqq.), Christus iu Iudaea versatus est; non igitur intra illud tempus locus esse potuit profectioni e Galilaea, de qua Matthaeus et Marcus loqunntur, atque etiam Locas, ubi primo commemorat Cbristi iter Hierosolymam. Paullo post eucaenia Christus Hierosolyma nbiit, sicut oarrat Ioannes [3]), neque illuc reversus est, quod etiam infra ostendemus (27 seqq.), oisi postremo paucisque diebns, antequam in crucem ageretur; ut iter hoc postremum oou illud esse posse, quod tres reliqui narrant, iam comperimus (8). Iter igitur a tribus commemoratum vel illud ipsum est, quod Ioannes factum dicit sub festos dies sceoopegiae, vel alind eo prius. Vernm is testatur Christum, postquam quinqne panes miro modo multiplicavit paullo ante pascha huius ipsius anoi, mansisse io Galilaea usque ad sceoopegium [4]). Constat ergo, nou aliud atque aliud, sed unum idemque iter et a Matthaeo in XIX, 1, et a Marco iu X, 1, et a Luca in IX, 51, et a Ioanoe in VII, 10 esse descriptnm.

14 Sed oon praeterire ea oportet, quae id vel illustrant procul dnbio, vel porro etiam confirmaot. Omnes quatuor oarrationes de hoo itioere oon paucu exhibent, quorum alia uliis belle respondent, mutnumqoe lumeo udhibent. Christus a Galilaea tunc proficiscens illuo rediturus non erat, nisi aliquammnlto tempore post eocaenia, stque adeo post aliquot meoses, quod panllo infra (30) colligemus ex evangeliis Lncae et Ioannis simul comparatis. Cum boc apte illnd coagruit, quod a Luca dicitur factum, quum Christus itioeri buic se commisit, ut mnlti foeriot, qui Chrisli sectatoribus se se adiunxere [5]); nam, etsi Lucas ex his noo plures commemoraverit qnam tres, attameo hoc ipso, quod, uoo onius dumtaxat ant alterius, sed et tertii mentiooem fecerit, multos eos foisse facile credent, qui perspectum habent res a Luca, aeqne ac Matthaeo et Marco, saepe perstringi potius quam descrihi, atqne unimudvertunt, ut continuo post illa Christus dicatur desigoasse praeter apostolos *alios septuagintaduos*, et misisse *illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus* [6]).

15 Legimus haeo iu Ioaoue: *Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum, οὐ φανερως, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῳ, non manifesto, sed quasi in occulto* [7]). An uon hoc ipsum Lucas memoriae prodidit, narrans, ut Christus, trausitu per Samariam prohibitus, quum alio divertisset, moxque irs pergeret, diversos legaverit septuaginta doos discipulos, ex quo adparet anm cum paucis iter coofecisse? An nou boc ipsum Matthaeus et Marcus, scribeates Christum via se commisisse, quae, non per regiones cisiordanicas homioibns refertas, per quas saepe commeaverat, et quibus, utpote in illis degens, maxime notus erat, sed per transiordanicas magnam partem desertas in Iudaeam ducebat? De turba autem bominnm, qnam Matthaeus dicere videtur Christum e Galilaea profectom sequntam esse, iu alio loco disseruimus [8]). Qnid vero, quod oihil io evangeliis reperire

---

[1]) Ib. 52. 53. [2]) Ib. 56. [3]) Io. X, 40 coll. VII, 10—X, 39. [4]) Io. VII, 1. 2 coll. VI, 4—72. [5]) Luc. IX, 57—62. [6]) Luc. X, 1. [7]) Io. VII, 10. [8]) Lib. II. n. XCVI.

est a Christo post discipulos legatos in eo itinere gestum; quin imo simul coniunctos videmus itum et reditum septuaginta discipulorum [1]), quos tamen Christus legaverat *in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus*, tunc, quum *in proximo . . . erat dies festus Iudaeorum scenopegia*, proinde qui, nisi post diem hunc festum, atque adeo postquam Christus Hierosolymae hunc egerat, ad eum reverti haud potuerunt? Neque enim credere est discipulos missos ad id, ut pararent, quo Christus diverteret in illo itinere; longe enim alia ea sunt, quae Christus ipsis mandaverat, quum eos misit, neque apta nec congruentia viae, qua iturus erat *δια περαν του Ἰορδανου*. Enimvero illa *quo erat ipse venturus* non tantumdem significat, ac *quo ibat*, graece enim sunt, non *οὑ ἐρχετο*, sed *οὑ ἐμελλεν αὐτος ἐρχεσθαι quo futurum erat, ut veniret*, quae tempus sane remotius designant, videlicet quod fuit post scenopegiam.

16 Ne quid vero videar velle dissimulare, haud diffiteor sentire me vim illorum verborum, quibus de primo hoc itinere Lucas dicere incipit, *Ἐγενετο δε ἐν τῳ συμπληρουσθαι τας ἡμερας της ἀναληψεως αὐτου Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius*, eam cuipiam videri posse, ut iter istud factum credat paucis ante diebus, quam Christus mortem oppeteret. Attamen, praeterquam quod longe gravissima ea sint, quae in oppositam sententiam disputavimus, qui, sodes, illud credam, quum post iter initum iis omnibus locus fuerit oportet, quae septuaginta duo discipuli huc illuc legati gesserunt, tum aliis pluribus a Luca descriptis [2]), post quae Christum civitates et castella peragrantem veluti deprehendimus, atque ita, ut adhuc iter faceret Hierosolymam [3]), mox in Galilaea denuo versatam [4]), post alia nonnulla [5]) adhuc in itinere Hierosolymum versus, idque per Samariam et Galilaeam [6]), deinceps, aliquibus interiectis [7]), in urbe Iericho [8]), denique Hierosolymae [9]) quinque diebus ante pascha [10]). Ex his autem quid aliud colligas, nisi illa verba Lucae non ita esse accipienda, veluti si dies ipsos designent, in quos Christi mors incidit, sed temporis spatium, quo Christus morti proximus fuisse dici poterat, quale fuit procul dubio spatium semestre, quod intercessit inter scenopegiam et inter insequens pascha, quo Christus mortem obiit.

17 Nunc de itinere, quod est in Lucae XIII, 22. Huius verba ita sunt: *Et ibat per civitates et castella docens et iter faciens in Ierusalem.* Ostendimus superius (9) istud iter omnino aliud esse illo, de quo dixere Matthaeus et Marcus, proinde aliud eo quoque, de quo est in Lucae IX, 51. Enim vero, qui probe norunt rationem ac modum, quo evangelistae praesertim Matthaeus, Marcus, et Lucas, historias suas contexuerunt, nunquam in animum inducent, ut credant, vel saltem suspicentur, unam atque eamdem rem, eamque tam multis interiectis, ter a Luca commemorari, non autem pro certo habeant in unoquoque illorum trium capitum singula ac distincta itinera esse descripta; quare concludent, iter, de quo Lucas in XIII, 22, aliud esse, non illo dumtaxat, cuius primo mentio facta ab eo est in IX, 51, sed et illo, cuius postremo in XVII, 11.

18 Iidem sponte dabunt hanc ipsam esse complexionem eorum, quae paullo post alteram mentionem Christi iter facientis leguntur in Lucae XIII, 31—35, estque oratio, quam Christus his verbis conclusit: *Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* His postremum iter, quod Hierosolymam facturus erat, a Christo praenuntiari nemo non perspicit. Num autem veri simile cuiquam videatur Christum ita loquutum esse incepto iam hoc ipso postremo itinere, quod futurum praenuntiabat, an non potius, quum longius ab Hierosolyma abscessisset? Tum haec in Galilaea loquebatur [11]), postque alia quoque, quae deinde gesta narrantur, erat adhuc in illa regione, necdum Hierosolymam postremo venerat [12]). Recte igitur ex Christi verbis concludes, iter, de quo Lucas in XIII, 22, aliud esse priusque illo, de quo in XVII, 11, quodque postremum fuit. Sed idem concludes aliud esse etiam posteriusque eo, de quo in IX, 51, quodque sub festos dies scenopegiae Christus confecit. Si enim haec unum atque idem iter essent, quum Lucas paullo post retulerit illa Christi verba, quae constat dicta fuisse, non modo post diem festum encaeniorum, quem Christus egit Hierosolymae, sed quum iam redierat in Galilaeam, quo tamen, sicut certo comperimus ex Ioannis evangelio [13]), reversus non est nisi aliquammulto tempore post encaenia, consequens foret, Lucam referre omisisse ea omnia, quae gesta fuerant inter itum ad scenopegiam interque reditum longe post encaenia in Galilaeam, quae haud breviore, quam quatuor mensium spatio, comprehenduntur.

19 Quae quum ita sint, restat quaerere, in quodnam tempus iter inciderit, de quo nunc agimus.

---

1) Luc. X, 17 coll. 1—16. 2) Luc. X, 17—XIII, 21. 3) Ib. XIII, 22. 4) Ib. 31. 5) Ib. 32—XVII, 10. 6) Ib. XVII, 11. 7) Ib. 12—XVIII, 34. 8) Ib. 35—XIX, 28. 9) Ib. XIX, 29. 10) Io. XII, 12 coll. 1—11. 11) Conf. Luc. XIII, 31. 12) Ib. XVII, 11. 13) Conf. Io. X, 22—39. 40—42; XI, 1—7. 8. 9—45. 46—53. 54.

Aio iter hoc esse, quo Christus Hierosolymam petiit sub encaenia illa, quae Ioannes memoravit in X, 22. Profecto, quum a Ioanne proditum memoriae sit Christum Hierosolymae interfuisse deinceps tribus sacris sollemnibus, scenopegiae, encaeniorum, et paschatis, sub horum primum venisse illuc e Galilaea, post alterum Hierosolyma discessisse, huc paullo ante tertium esse reversum, quumque constet primum iter commemoratum a Luca esse illud, quo Christus venit ad scenopegiam, tertium vero, sicut infra adparebit, illud, quod fecit sub pascha, morosior haberetur, qui vellet in dubitationem revocare, an alterum iter sub alterum trium sacrorum sollemnium, hoc est, sub encaenia factum fuerit. Sed tamen huius quoque rei argumenta minime desiderantur.

20 Itaque huic itineri locus esse non potuit inter encaenia interque postremum iter factum sub pascha, idque demonstrabimus, ubi de hoc itinere postremo erit dicendum; locus igitur oporteret fuisse inter scenopegiam interque itum ad encaenia. At, si hoc dicas, iam difficultates, quae secus nullae forent, ipse tibi creabis, dum cogeris defendere, Christum sex postremis vitae mensibus quater Hierosolymam iter fecisse, tametsi quarti huius itineris in evangeliis nec vola adpareat nec vestigium. Cur autem Lucas hoc iter commemorasset, atque item primum, quo ad scenopegiam, et postremum, quo ad pascha, reticuisset vero illud unum, quo ad encaenia itum est? Qui igitur factum est, ut, quae post iter istud Iesus Hierosolymae egit, Ioannes silentio praeterierit? qui tamen res a Christo gestas in hac urbe inque vicinia a ceteris evangelistis praetermissas adcurate ac fuse descripsit. Sed unum praeterea animadvertere haud omittam. Scenopegia octo diebus agebatur, quot sunt inter diem XIV interque XXIII mensis tisri. Octavo die Iesus adhuc morabatur Hierosolymae [1]), utque adparet ex iis, quae deinceps narrat Ioannes [2]), nisi post aliquot dies, inde haud discessit. Fac profectum esse die XXV illius mensis. Quum ibidem egerit diem encaeniorum, quibus stata erat dies XXV mensis casleu, ab urbe non abfuisset diutius, quam duobus mensibus. Sed *ὡς καθ᾽ ὑποθεσιν εἰπειν* inter hoc bimestre spatium fecerit alterum hoc iter. Vides, opinor, quanto brevius tempus intercessisset inter primum et alterum, quam inter alterum et tertium iter, quae sunt in evangelio Lucae; prius enim esse non potuisset, nisi spatium unius circiter mensis, posterius saltem quatuor mensium, quot superfuissent ante diem X mensis nisanis, qua die Hierosolymam veluti triumphando ingressus est. At, si res sic se haberet, caussam sciscitarer, cur tam multa retulerit Lucas facta intra unum illum mensem, tam vero pauca intra hos quatuor?

21 Si igitur sapimus, concludamus necesse est, alterum e tribus itineribus commemoratis a Luca esse illud, quo Christus Hierosolymam ivit ad encaenia.

22 Hoc autem semel posito, videsis, quam bene omnia cohaereant in narrationibus Lucae et Ioannis. Ex huius narratione intelligimus Christum inter absolutum sacrum sollemne scenopegiae interque encaenia, siquidem, ut re ipsa factum est, Hierosolyma abfuit, non diutius abesse potuisse quam duobus mensibus, facileque hinc colliges minime reversum esse in Galilaeam per id tempus. Utrumque hoc comprobat Lucae narratio, quae est in X, 17 — XIII, 21 inter primum et alterum iter, quaeque Christum nobis exhibet extra illam urbem, attamen intra Iudaeam. Utriusque rei argumenta indistincte hac congeram.

23 Primum illud sit, nihil in tota narratione reperiri, quod aliam regionem iubeat cogitare. Christus e Galilaea proficiscens, ut Iudaeam peteret, adpetentibus diebus scenopegiae, legavit discipulos septuaginta duos *in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus*, in civitates nimirum et loca Iudaeae, illuc enim ibat. Quorsum missi fuerint, superius adnotavimus (15). Illorum igitur reditus, quem post primum iter Christi refert Lucas [3]), incidit in id tempus, quo Christus post scenopegiam in Iudaea versabatur. Neque enim credere est Christum non prius advenisse illuc, quo discipulos leguverat, hosve ad eum non ante rediisse, quam in Galilaeam reversus esset.

24 Non multo postea [4]) legitur parabola de sacerdote, deque levita, ac de homine, qui inter Hierosolymam et Iericho *incidit in latrones*, et cui opem, quam sacerdos primum, tum levites, adferre neglexerant, quidam Samarites adtulit; quae parabola, sive ad rem ipsam spectes, sive ad personas horumque munia religionesque, sive denique ad loca, de quibus dicta est, senties quam aptius in Iudaeos caderet, quam in Galilaeos.

25 Statim post parabolam hanc Christum reperimus divertentem *in quoddam castellum* apud Mariam et Martham [5]), quod castellum Bethania erat [6]) in Iudaea positum *iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim* [7]). Continuo Christus inducitur *in* QUODAM LOCO *orans* [8]), quibus verbis nemo

---

[1]) Io. VII, 37. [2]) Ib. 38 — X, 21. [3]) Luc. X, 17. [4]) Ib. 30 — 37. [5]) Ib. 38 — 42. [6]) Conf. Ib. XI, 1; XII, 1. 2. [7]) Ib. XI, 18. [8]) Luc. XI, 1.

suspicabitur Hierosolymam designari. In hoc ipsum historiae caput relatae leguntur castigationes, quibus Christus in Pharisaeos usus est, quas in aliis Lucae capitibus frustra quaeras [1]); Pharisaeorum autem greges longe copiosiores in Iudaea, quam alibi, inque ea potissimum istorum vis atque auctoritas obtinebat. Initio capitis insequentis Christo nuntius adfertur *de Galilaeis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum* [2]) Hierosolymae, neque enim alibi sacra fiebant, ipse autem ex occasione in memoriam revocat illos *decem et octo, super quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos* [3]), quae turris erat Hierosolymae; non tamen urbs nominatur, itaque sermo habetur, ac si nemini non turris illa, eiusque casus, tota denique res, nota forent; quae loquendi ratio profecto evincit hos sermones extra Hierosolymam, in Iudaea tamen potius, quam alibi, fuisse habitos. Aliud praeterea argumentum, quo certior fias Christum per id tempus mansisse intra Iudaeam, suggerit modus ipse, quo Lucas hoc alterum iter descripsit; sed hac de re iam dictum est (9).

26 Denique videas inter primum et alterum iter plures conciones a Christo habitas referri, ita tamen, ut Lucas numquam *τον λαον populum*, sed *τον ὀχλον turbam* aut *τους ὀχλους turbas* [4]), illum adloquutum dicat. Sed quid inde? Illud, inquam, quod Christus per id tempus extra Hierosolymam versatus sit; ne forte quis legens Ioannem [5]) secus esse existimet. Quoties enim Lucas de Hierosolymitis loquitur, semper usurpat nomen *λαον* [6]), numquam nomen *ὀχλον*, nisi semel, ubi Pilatum *principes sacerdotum et* TURBAS adloquutum dicit [7]), cuius adpellationis caussam rationemque nemo non perspicit. Legitur quidem nomen *populus* [8]) paullo ante illum locum, in quo mentio est alterius itineris, verum in latinis exemplaribus, in graecis autem est *ὁ ὀχλος*. Contra ea vero statim, postquam Lucas mentionem fecit alterius itineris, Christum, non adhuc in Iudaea, sed in Galilaea reperimus [9]). Videlicet in hanc reversus non est, nisi post encaenia, tametsi non multo ante quam duobus mensibus ab encaeniis (30. 31).

27 Restat dicere de tertio itinere, quod Lucas commemoravit in XVII, 11. Quae non uno in loco disseruimus, satis ea sunt, ut certo constet iter istud aliud esse utroque illo, quorum unum est in Lucae IX, 51, alterum in XIII, 22. Non tamen aliud eo, quod Christus postremo fecit Hierosolymam sub pascha paullo ante mortem, quodque a ceteris omnibus evangelistis ex parte descriptum est [10]). Id nullo negotio vincere est; iuvat autem simul nonnulla eorum exponere, quae inter alterum et tertium hoc iter gesta sunt [11]).

28 Statim post mentionem alterius itineris [12]) Lucas ea refert, quae cuidam interroganti, *Si pauci sunt, qui salvantur* [13]), Christus respondit [14]), nullisque interiectis ita scribere pergit: *Ἐν αὐτῃ τῃ ἡμερᾳ In ipsa die accesserunt quidam Pharisaeorum dicentes illi: Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere* [15]). Erat igitur Christus tunc temporis in ditione Herodis, proinde extra fines Iudaeae atque etiam Samariae [16]). Sed quando, et quanam in parte ditionis Herodis? haec duo quaerenda porro sunt.

29 Christus, ut comperimus ex Ioannis evangelio, ipso die encaeniorum aut postridie *abiit iterum trans Iordanem in eum locum, ubi erat Ioannes baptizans primum, et mansit ibi* [17]), qui locus Bethania aut Bethabara nomen habuit [18]). At non hoc adfirmare possumus eo in loco perque eos dies, quibus illic moratus est, Christo nuntium adlatum fuisse de insidiis, quas in ipsum Herodes struebat. Quum illic moraretur, Bethaniam, quae prope Hierosolymam erat, advocatus a Maria et a Martha Lazarum harum fratrem e sepulcro ad vitam suscitavit [19]); brevi tamen postquam secesserat trans Iordanem; nam, quum inde Bethaniam ad Lazarum ire pararet, diceretque *discipulis suis*: *Eamus in Iudaeam iterum, dicunt ei discipuli*: *Rabbi*, NUNC *quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc* [20]). Postquam autem Lazaro vitam restituit, *quidam . . . abierunt ad Pharisaeos, et dixerunt eis, quae fecit Iesus. Collegerunt ergo pontifices et Pharisaei concilium, et dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. . . . Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. Iesus ergo οὐκετι παῤῥησιᾳ περιεπατει ἐν τοις Ἰουδαιοις iam non* IN PALAM *ambulabat* APUD IUDAEOS, *sed abiit in regionem* IUXTA *desertum, in civitatem, quae dicitur Ἐφραιμ Ephrem, et* IBI MORABATUR *cum discipulis suis* [21]); non igitur trans Iordanem nec extra Iudaeam, proinde nec in ditionem Herodis. Etenim, non modo non meminit Ioannes regionis transiordanicae, sed ex eius verbis adparet neque

---

[1]) Ib. XI, 39—XII, 1. [2]) Ib. XIII, 1. [3]) Ib. 4. [4]) Luc. XI, 27—29; XII, 1. 54. [5]) Io. VII, 37—X, 23. [6]) Luc. I, 10. 21; XIX, 47. 48; XX, 1. 6. 9. 19. 26. 45; XXI, 23. 38; XXII, 2. 66; XXIII, 13. 14. 27. 35. [7]) Ib. XXIII, 4. [8]) Luc. XIII, 17. [9]) Luc. XIII, 31. [10]) Matth. XIX, 13—XXI, 11; Marc. X, 13—XI, 11; Io. XI, 55—XII, 19. [11]) Luc. XIII, 23—XVII, 10. [12]) Luc. XIII, 22. [13]) Ib. 23. [14]) Ib. 24—30. [15]) Ib. 31. [16]) Conf. Io. XII, 7. 8. [17]) Io. X, 40 coll. 22—39. [18]) Lege Dissert. XLIII. nn. 28 seqq. [19]) Io. XI, 1—44. [20]) Ib. 7. 8. [21]) Ib. 46. 47. 53. 54.

ad illa ipsa deserta, quae sunt citra Iordanem, Christum pervenisse, nec egressum esse Iudaeae finibus, qui erant illa aetate [1]), non enim dicitur noluisse amplius illic manere, sed IN PALAM *ambulare*, imo non in Iudaea, sed ἐν Ἰουδαίοις *inter Iudaeos*, ipsaque urbs Ephrem intra fines regionum, quibus illa aetate Iudaea nomen fiebat, posita fuisse, etiamsi id non colligeretur ex verbis Ioannis, dicenda tamen est, quum in scripturis sacris nulla urbs hoc nomine reperiatur, nisi prope limites aquilonares tribus Beniamini, qui Iudaeam sequiore aevo terminarunt.

30 Attamen in Galilaeam Christum remeasse, antequam ultimo iret Hierosolymam, certo constat, quum iter hoc postremum a Galilaea inceptum fuisse Lucas aperte dicat. In hanc vero regionem Christus non videtur remeasse, nisi longiore post tempore, ex quo Ephrem secesserat. Nam primo notandum est, ut Ioannes scripserit Christum, quum in hanc urbem secessisset, ibi *moratum* esse; neque exinde alio profectum eum narrat, nisi quum *ante sex dies paschae venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus* [2]). Insuper pauca omnino sunt, quae Lucas refert a Christo gesta inter alterum et hoc tertium iter. Ad haec Lucas ita loquitur de hoc Christi reditu in Galilaeam, ut qui hanc pertransierit potius, quam illic degerit; ait enim: *Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam* [3]). In quibus illud velim attendas, quam bene discessui ex urbe Ephremo in Galilaeam itemque itineri inde illuc confecto, ut *mox* reditus Hierosolymam succederet, respondeat mentio Samariae facta ante mentionem Galilaeae. Neque illud mihi regeras, dixisse me (8) inconcinnam videri hanc Lucae loquendi rationem; talem enim futuram fuisse aiebam, si hoc tertium iter, de quo Lucas loquitur, foret illud ipsum, de quo Matthaeus in XIX, 1 et Marcus in X, 1, confectum δια περαν του Ἰορδανου, non autem intra solas regiones Samariae et Galilaeae, per quas eundo ac redeundo Christus transierit. Sed neque illud nos movere debet, quod Lucas mentionem Christi in Galilaeam revertentis faciat in XVII, 11, postquam iam Christum in Galilaeam reversum commemoraverat in XIII, 31. Non enim Christi in Galilaeam revertentis mentionem facit Lucas in XVII, 11, sed transeuntis *per Samariam et Galilaeam*, quum iter faceret Hierosolymam, monetque, ut animadvertamus Christum, quum ea gessit, quae prius, et quae nunc narrantur, in eo fuisse, ut Hierosolymam peteret. Lege Lib. II. n. CXIX.

31 Ex his itaque satis comperimus Christum post alterum iter Hierosolymam in Galilaeam utique rediisse, sed longe post, neque ut in ea diutius maneret, sed more potius transeuntium, utque mox Hierosolymam repeteret. Itaque denuo Christum reperimus in ditione Herodis.

32 Utrum igitur dicemus, Christum de insidiis ab Herode sibi structis certiorem factum fuisse, quum erat in Peraea paucis diebus post encaenia, an quum in Galilaeam reversus est? Equidem hoc alterum crederem. Nam iis, qui illud sibi nuntiabant, Christus ita respondit: *Ite, et dicite vulpi illi: Ecce eiicio daemonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. Verumtamen oportet me hodie, et cras, et sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Ierusalem* [4]); quidquid enim sentire placeat de verbo τελειουμαι *consummor*, et quamquam integra enuntiatio non in eum sensum accipienda sit, ut tribus post diebus Christus moriturus esset, aut saltem futurus iam Hierosolymae, tamen ex verbis ipsis adparet, haud multos vitae dies Christo superfuisse, quum haec loquebatur. Insuper considera, ut in altero enuntiationis membro minime liqueat caussa ratioque illa, quae subiungitur. Quid enim est hoc? Christo manendum ad aliquot dies erat procul Hierosolyma, quia non alibi quam Hierosolymae volebat interimi? At nemo non sentit ἔλλειψιν hic haberi, ut, si sententia suppleatur, talis exstitura sit: *Oportet me hodie, et cras, et sequenti die ambulare*, et *postea ire Hierosolymam, quia non capit prophetam perire extra Ierusalem.* Haec igitur Christus aiebat paullo antequam tertium iter a Luca descriptum iniret ad illam urbem. Ad haec illud quoque mihi opitulatur, quod, si illa res Christo nuntiata fuit, quum ab urbe Ephremo in Galilaeam remeaverat, pateat caussa, cur, sicut superius animadverti (30. 31), non diu illic manserit; nimirum caussa haec fuerunt Herodis insidiae. Atque hae rationes mihi sunt, cur credam haec dicta fuisse a Christo, non diebus illis haud sane multis, quibus trans Iordanem in Peraea moratus est statim post encaenia et ante Lazarum a mortuis excitatum, sed longe serius, postquam in urbe Ephremo diutius commoratus deinceps in Galilaeam fuerat reversus.

33 Ceterum vel una haec ipsa Christi oratiuncula nobis plus, quam satis est, suppeditat, quo efficiamus tertium iter, quod est in Lucae XVII, 11, esse postremum omnium, quae Christus fecit Hierosolymam, illud, inquam, intra quod gesta sunt, quaecumque deinceps leguntur apud Lucam in

---

[1]) Lege Diss. XXVII. c. VII. n. 7; Diss. XLIII. n. 15. [2]) Io. XII, 1. [3]) Luc. XVII, 11. [4]) Luc. XIII, 32. 33.

XVII, 12—XIX, 44. Christus enim, ut responsum dederat nuntiantibus de Herode, subieceratque Hierosolymae se mori oportere, continuo ad urbem ipsam ipsosque cives Hierosolymitas sermonem convertens futuram eorum perniciem praedixit [1]), ac tandem conclusit his verbis: *Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini* [2]). Nun igitur prius Hierosolymam ingressurus erat, quam Hierosolymitae ita ei adclamarent. Quando autem ita ei adclamaverint, nemo est, qui ignoret.

DISSERTATIO XLIX

De postrema hebdomada vitae Christi

1 Marcus, Lucas, et Ioannes, argumenta suppeditant, quibus res postrema vitae Christi hebdomada gestas in suos quasque dies tribuamus. Quod ut fiat, primum definiendum est dies dieique hora, qua Christus, postquam Ierichu discesserat [3]), venit Bethaniam [4]).

2 Ioannes scripsit id factum fuisse *προ ἑξ ἡμερων του πασχα ante sex dies paschae* [5]); quae verba aeque significare possunt, vel sex dies integros intercessisse inter diem adventus Christi Bethaniam interque diem paschatis, vel diem, quo illuc is venit, fuisse primum dierum sex, qui ante diem paschatis supererant, vel denique sex dierum numero diem utrumque comprehendi. Quinam igitur ex his tribus est verborum sensus? Primus quidem esse nequit. Quum enim primus dies paschatis fuerit dies sextus hebdomadae insequentis, ut erant dies civiles Iudaeorum, Christus venisset Bethaniam die sexto hebdomadae, proinde [6]) Hierosolymam die sabbati, at sabbato non ultra bis mille cubitos ab urbis moenibus ire licebat [7]), qui sunt quinque stadia olympica, stadia vero quatuor romana et quatuor quintae partes stadii unius, hoc est, dimidium milliarii paullo amplius [8]), tertiaque pars viae, qua Bethania Hierosolymam eundum erat, distabant enim stadiis quindecim [9]). Tum neque ramos arborum caedere aut gestare, nec viam vestibus consternere, neque asino vehi [10]) sabbato licuisset; quae tamen omnia acta fuisse legimus postridie eius diei, quo Christus Bethaniam venerat. Simili de caussa neque alterum sensum accipere possumus. Die quippe sabbati Christus Bethaniam venisset, coena fuisset adparata [11]), Martha coenae huic ministrasset, Maria alabastrum fregisset, unxissetque Christi pedes, quorum vel unum agere die sabbati Iudaei lege vetabantur; neque tamen aliquid horum quisquam reprehendisse narratur, tametsi ampliorem inde calumniandi occasionem nacti fuissent, qui Mariam de eo, quod egerat, condemnabant. Restat igitur, ut verba in postremum sensum accipiamus, dicamusque Christum Bethaniam advenisse primo die hebdomadis.

3 Verum quanam diei hora? Si mane aut a meridie, dicere etiam cogeris uno tantum naturali die, hoc est, viginti quatuor horis aut paullo amplius ante pascha Christum haec protulisse: *Scitis, quia* POST BIDUUM *pascha fiet* [12]), ac pari ratione explicare illa Marci: *Erat autem pascha et azyma post biduum* [13]). Etenim Christus Hierosolymam ingressus est, posteaquam, Bethaniam quum advenisset, hic primo pernoctaverat. Ex illo *erat . . . diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti* [14]), id est, Bethaniae [15]), quod saltem bis factum fuisse, antequam illa verba Christus proferret, Marcus narrat disertis verbis [16]), protulit autem una ante vesperum, quo tertio in Olivetum venerat pernoctatum. Quum enim mane [17]) de more in urbem venisset, plura per eum diem ab ipso acta refert Marcus [18]), utque egressus tandem fuerit de templo [19]) futuram urbis vastitatem praedicens [20]), ut demum sedentem in Oliveto discipuli interrogaverint, quando ea, quae praedixerat, essent futura [21]). Quis haud videt Christum, quum id interrogatus est, fuisse in via, qua Bethaniam iret pernoctatum, quod, ut diximus, vespere facere solebat per eos dies? Si igitur Christus, quem Bethaniam advenisse constat primo die hebdomadis pridieque eius diei, quo Hierosolymam veluti triumphando ingressus est, si, inquam, Bethaniam advenisset

---

[1]) Luc. XIII, 34. [2]) Ib. 35. [3]) Matth. XX, 29; Marc. X, 46; Luc. XIX, 28. [4]) Matth. XXVI, 6; Marc. XIV, 3; Io. XII, 1. [5]) Io. ib. [6]) Io. ib. 12. [7]) Erubh. fo. 51, 1; Erubhin hieros. fo. 21, 4; Sotha fo. 27, 2; *Maimon.* Schabb. cc. 27. 28; *Id.* Erubh. c. 8; Targum Ruth. I, 16. Lege *Lightfoot.* Hor. hebr. in Luc. XXIV, 50. [8]) Erub. c. 4 ap. *Lightfoot.* Comment. in Act. I, 12. [9]) Io. XI, 18. [10]) Ex. XX, 10; Deut. V, 14. Mishna Betza c. 5. [11]) Io. XII, 2. [12]) Matth. XXVI, 2. [13]) Marc. XIV, 1. [14]) Luc. XXI, 37. Conf. Io. VIII, 1. 2. [15]) Conf. Matth. XXI, 17; Marc. XI, 11 et 19 coll. 11—14 et 19—20. [16]) Marc. XI, 11. 12. 19. 20. [17]) Marc. ib. 20. [18]) Ib. 27—33; XII, 1—44. [19]) Ib. XIII, 1. [20]) Ib. 2. [21]) Ib. 3. 4.

maue aut a meridie, iam adparet, ut illa de re interrogari minime potuisset ante extremum diem quartum hebdumadis. At nisi post haec nuu prutulit illa verba: *Scitis, quia post biduum pascha fiet* [1]; nou prius igitur protulisset, quam viginti quatuor summum huris aute pascha, quod vespere insequente ante solis occasum agnis immolatis erat celebrauduu.

4 Quae quum ita siut, Christus Betbaniam adveuerit necesse est vespere, mox atque occidente sole sabbatum exierat. Neque, quominus id tibi probem, remorari te illud debet, quod eo positu Christus Hierosulymam ingressus esse dicendus foret, pro more Iudaeorum, eodem ipso die, quo Bethauiam adveuerat, quum tamen Ioannes dicat id factum postridie [2]; hoc ergo nihil officit, quum alia practer id Ioannes suggerat, quibus efficitur ipsum scribentem extrema seuectute, sexaginta amplius auuis, postquam ea, quae scribebat, gesta fuerant, desuetum iam Iudaeorum moribus, adsuetumque institutis aliarum gentium, diebus initium facere a media nocte [3]).

5 Quum prima dies azymorum, qua die Christus in crucem actus est, fuerit eo annu sexta dies hebdomadae [4]), liquet biduo illi ante pascha initium una cum die quarta hebdomadae factum fuisse sole occidente. Christum mortem obiisse dicimus XV kal. apr. an. U. C. DCCLXXXII, qui fuit ann. aer. vulg. XXIX; cur autem dicamus, rationes alii disputatiuni reservamus [5]). Quibus omnibus positis en tibi *συνοψιν* postremae hebdomadae, quam vixit Christus, ex evangeliis depromptam.

Dies				ΣΥΝΟΨΙΣ *rerum a Christo gestarum intra postremam hebdomadam, quam vixit.*
forma Iudaica ab occasu solis incepti		forma romana a media nocte incepti		
mensis	hebdomadae	mensis	hebdomadae	
X uisanis	I	IV id. mart.	VII	Post sulis occasum Christus *προ ἑξ ἡμερων του πασχα* advenit Betbaniam, coenatque apud Mariam et Martham [6]),
		III id. mart.	I	ibique pernoctat. Cbristus *τῃ ἐπαυριον* postridie mane occurrentibus Hierosolymitis in urbem ingreditur, mux in templo caecos claudosque sanat, sermonesque habet [7]). Demum *ὀψιας ἠδη οὐσης της ὡρας* exit Bethaniam [8]),
XI nisanis	II	Prid. id. mart.	II	ibique pernuctat. Christus postridie mane *πρωιας τῃ ἐπαυριον* Bethania egressus ficum arescere iubet. Venit Hierusolymam, negotiatoresque eiicit e templo. Primores Hierosolymitarum cuusilia iu eum ineunt [9]). Vespere, *ὀτε ὀψε ἐγενετο*, ex urbe egreditur [10]),
XII uisanis	III	Idib. mart.	III	pernoctatque in Olivetu, id est, Bethaniae [11]). Postridie mane *πρωι* egreditur Bethauia [12]).

[1]) Conf. Matth. XXIV. 1—3 aeqq. cum XXVI, 1. 2; Marc. XIII, 1—4 cum XIV. 1. [2]) Io. XII, 12. [3]) Lega Diss. L. no. 23 et L. II. no. CCXIII. [4]) Matth. XXVII, 62; Marc. XV, 42; Luc. XXIII, 54; Io. XIX, 14. 31. 42. [5]) Diss. LII. [6]) Matth. XXVI, 6—13; Marc. XIV, 3—9; Io. XII, 1—11. [7]) Matth. XXI, 1—11; 14—16; Marc. XI, 1—11; Luc. XIX, 29—44; Io. XII, 12—50. [8]) Matth. XXI, 17; Marc. XI, 11. [9]) Matth. XXI, 17—19. 12—13; Marc. XI, 12—18; Luc. XIX, 45—48. [10]) Marc. XI, 19. [11]) Conf. Marc. ib. 19—20 cum 11—14. [12]) Conf. Marc. XI, 19—20 cum 11—14.

				Discipuli mirantur ficum pridie arefactam. Veniunt Hierosolymam Christus plura cumpluribus disputat, pluresque narrat parabolas. Sedet contra gazophylacium. Postremo egrediens de templo praedicit urbis eversionem [1]). Sub vesperum egreditur ex urbe, sedensque in Oliveto interrogatur a discipulis, respondetque, quando urbs evertenda et cetera [2]). Mox dicit post biduum pascha agendum seque tradendum, ut cruci figatur [3]).
XIII nisanis	IV			Incipit biduum ante pascha.
		XVII kal. apr.	IV	Pernoctat de more extra urbem [4]).
				Postridie mane vadit pro more Hierosolymam [5]). Concilium habetur de Christo sustollendo. Iudas proditionem paciscitur [6]).
XIV nisanis	V			Vespere de more Christus Bethaniam petit [7]),
		XVI kal. apr.	V	ibique pernoctat.
				Postridie mane Hierosolymam videtur non venisse, nam vespere misisse dicitur in urbem, qui coenam adpararent [8]).
				Vespere ante solis occasum pascha immolatur. Christus mittit duos discipulos in urbem ad coenam parandam [9]). Ipse ὀψίας γενομένης in urbem venit.
XV nisanis	VI			Sole occidente incipit prima dies azymorum. Christus coenat. Egressus in hortum capitur, sistiturque pontifici maximo [10]).
		XV kal. apr.	VI	Postridie mane ducitur ad Pilatum. Condemnatur. Cruci figitur. Ante solis occasum sepelitur [11]).

DISSERTATIO L

De postremo paschate

1 De paschate, quod postremum est in evangeliis, plurimum certatum est, multaque atque adeo grandia volumina conscripta, dum illud a Christo actum plerique aiunt, ceteri negant, alii eodem die, quo a Iudaeis, pridie alii, horum vero pars stata die, pars secus. Nec nullius momenti his sunt certandi caussae, neque enim leve negotium nobis faciunt evangelistae. Nam in Matthaeo [12]), in Marco [13]), in Luca [14]), Christum suprema nocte vitae suae ipsaque *prima die azymorum* pascha cum discipulis comedisse, festumque fuisse diem illum, quo Pilatus de actis eius cognovit [15]), in Ioanne vero legimus Christum ultimo coenasse *ante diem festum paschae* [16]), postridie mane Iudaeos noluisse introire in praetorium, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha* [17]), Pilatum sedisse pro tribunali eodem illo die, qui *erat parasceve paschae, hora quasi sexta* [18]). Mihi vero

[1]) Matth. XXI, 20—XXIV, 1—2; Marc. XI, 20—XIII, 1—2; Luc. XX, 1—XXI, 1—6. [2]) Matth XXIV, 3—XXV, 1—46; Marc. XIII, 3—37; Luc. XXI, 7—38. [3]) Matth. XXVI, 1—2. coll. Marc. XIV, 1 et Luc. XXII, 1. [4]) Conf. Matth. XXIV, 1. 3 et Marc. XIII, 1. 3 cum Luc. XXI. 37. [5]) Conf. Luc. XXI, 37. 38. [6]) Matth. XXVI, 3—5. 14—16; Marc. XIV, 1—2. 10—11; Luc. XXII, 2—6. [7]) Conf. Luc. XXI. 37. [8]) Matth. XXVI, 18; Marc. XIV, 13; Luc. XXII, 10. [9]) Matth. XXVI, 17—19; Marc. XIV, 12—16; Luc. XXII, 8—13. [10]) Matth. XXVI, 20—75; Marc. XIV, 17—72; Luc. XXII, 14—71; Io. XIII, 1—XVIII, 27. [11]) Matth. XXVII; Marc. XV; Luc. XXIII; Io. XVIII, 28—XIX. [12]) Matth. XXVI, 17—20. [13]) Marc. XIV, 12—17. [14]) Luc. XXII, 7—15. [15]) Matth. XXVII, 15; Marc. XV, 6; Luc. XXIII, 17. [16]) Io. XIII, 1. 2. [17]) Ib. XVIII. 28. [18]) Ib. XIX, 14.

haudquaquam mens est quaestionem hanc de integro instaurare, quum adfatim scriptorum, quos legas, tibi suppeditet, aut suggerat, inter ceteros *Thesaurus antiquitatum sacrarum* a Blasio Ugolino congestus, vixque ulla ceteroquin spes, ut arbitror, supersit, quidpiam unde unde depromptum iri praeterea, quod litibus componendis conducat. Attamen, inter ipsa argumenta hactenus in hac disputatione prolata, est, nisi quid me fallit, quo veritas prorsus patefiat; mirum autem est, ut id, tametsi nonnullis ad hanc comperiendam in promptu fuerit, ceteros tamen fugerit, quos in contraria omnia, de eo securus admodum, abire videmus.

2 Itaque, quum nihil pensi habenda sint commenta nonnullorum Graeculorum contendentium Christum hoc pascha minime comedisse, quippe qui pridie diei illius festi mortem oppetierit, vel, quod tantumdem est, imo et absurdius, comedisse quidem, sed sine azymis, quorum primum acriter propugnavit Ioannes Philoponus ratiunculis sane futilibus in suo libello de paschate, ergo, Graeculis hisce valere iussis, ain, quantumvis gravia ac firma esse videantur argumenta, quibus omnium primus Paulus Burgensium episcopus [1]) tum post alios Petavius noster [2]) vincere adorti sunt, Iudaeos non eodem die, quo Christum, sed postridie pascha istud egisse, hanc tamen sententiam una eaque manifesta ratione refelli. Nemo illud ignorat, ut agnus, qui ineunte die XV mensis nisanis [3]), non alibi quam Hierosolymae [4]), coenae adponebatur, victima fuerit זבח פסח הוא ליהוה [5]), proinde non aliter, quam sacerdotibus administris [6]), nec alibi [7]), quam Hierosolymae [8]) in templo [9]) mactandus, idque paucis ante horis, id est, vespera exeuntis diei XIV mensis nisanis [10]). Sed ritum hunc ex illa parte, quatenus ad nostram hanc quaestionem pertinet, plane declarat, eumque fuisse, quem dicimus, evincit descriptio huius sollemnis, quod celebratum est anno primo regni Ezechiae [11]); haec enim in illa leguntur: *Inito ergo consilio regis et principum et universi coetus Ierusalem decreverunt, ut facerent phase mense secundo, non enim potuerant facere in tempore suo,* QUIA SACERDOTES QUI POSSENT SUFFICERE, *sanctificati non fuerant, et populus nondum congregatus fuerat in Ierusalem. . . . Immolaverunt autem phase quartadecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque levitae tandem sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini, steteruntque in ordine suo iuxta dispositionem et legem Moysi hominis Dei. Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem* DE MANIBUS LEVITARUM, EO QUOD *multa turba sanctificata non esset,* ET IDCIRCO IMMOLARENT LEVITAE PHASE HIS, *qui non occurrerant sanctificari Domino* [12]). Ex quibus manifesto consequitur, ut phase, hoc est, agnos, in die paschatis comedendos, mactare eorum utique esset, qui illos offerebant, ita tamen, ut sacerdotes, neque alii praeter hos [13]), sanguinem horum agnorum exciperent, effunderentque ad altaris crepidinem, sicut in quibuscumque sacrificiis leges fieri praecipiebant [14]). Contraria his esse videntur ea, quae Philo scripsit de paschate, *quo die non, ut alias, plebeii homines victimas adducunt ad altare mactandas a sacerdotibus, sed iubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus* [15]). Ast Philoni Iosephum opponimus rerum patriarum, utpote et Hierosolymita et sacerdos, Philone Alexandrino longe peritiorem ita scribentem: *Quod autem caperet tantam hominum multitudinem civitas (Hierosolyma), certum erat ex his, qui sub Cestio fuerant enumerati. Is enim tunc vires civitatis ac florem Neroni significare cupiens contemnenti nationem petiit a pontificibus, ut, si quo modo possent, multitudinem numerarent. Illi autem, cum dies festus adesset, qui pascha vocatur, quando a nona quidem hora usque ad undecimam hostias caedunt, per singulas vero contubernia non pauciora quam decem virorum fiunt, (solum enim epulari non licet, multi etiam viceni conveniunt), hostiarum quidem ducenta et quinquaginta sex millia numeravere. Fiunt autem ut denos epulatores per singulas imputemus, vicies centena ac septingenta millia, sancti omnes ac puri; neque enim leprosis sive vitiliginosis . . . neque aliis inquinatis participare sacrificia permittebatur, sed nec alienigenis* [16]). At, si unusquisque de vulgo suum sibi agnum sine sacerdotum mini-

---

[1]) In Matth. XXVI. [2]) In *Epiphan.* Haeres. LI adnot. et Doctr. tempor. L. XII. cc. 15. 16. [3]) Ex. XII, 6—9; Deut. XVI, 6—7; *Ioseph.* Antiq. L. III. c. 10. § 5; Mischna Pesach. c. 8. § 8; Mischna Zebachim c. 5. § 8. [4]) Deut. XVI, 7 coll. 2. 5. 6 et XII, 17. 18. [5]) Ex. XII, 27; Conf. Deut. XVI, 2; Marc. XIV, 12 graec; Luc. XXII, 7 graec. [6]) Lev. XVII, 8. 9 coll. 5; II Par. XXX, 16. 17; XXXV, 10—14; Mischna Zebachim c. 14. § 4. Lege *Ioseph.* Antiq. L. III. c. 9. § 1. [7]) Deut. XVI, 2. 5—7. Conf. XII, 5—7. 8. 9. 11. 14. 26—27 coll. 20—25; Ezech. XX, 40. [8]) Ib.; Mischna Pesachim c. 5. [9]) Ib; Lev. XVII, 1—10; Mischna Pesach. c. 5. § 5. Conf. *Maimon.* De oblat. pasch. c. 1; Lev. I, 5; XVII, 1—9; Deut. XII, 27. [10]) Ex. XII, 6; Lev. XXIII, 5; Num. IX, 3; Ioseph. l. c.; Mischna Pesach. c. 5. § 1; Gemar. hieros. Pesach. c. 4. § 1. [11]) II Par. XXX, 1—3 coll. XXIX, 3. [12]) Ib. 2. 3. 15—17. [13]) Lev. VII, 14. 33. [14]) Ib. I, 5. 11. 15; III, 2. 8. 13; IV, 7. 18. 25. 30. 34; V, 9; VII, 2; VIII, 15. 19. 24; IX, 9. 12. 18; XVI, 18; XVII, 6; Deut. XII, 26. 27. *Ioseph.* Ant. L. III. c. 9. § 1. Mischna Pesach. c. 5. § 6. [15]) De vita Moysis L. III. p. 686. Francf. 1691. Conf. *Id.* De decalogo p. 766; De septenario et festis p. 1190. [16]) Bell. L. VI. § 1.

sterio mactasset, qui potuissent hi agnorum comestorum numerum, ex quo numerum civium discerent, exsequi, imo qui viam hanc numeri huius discendi ineundam excogitassent? Tum aperte ait Iosephus numerum hunc initum hostiis caedendis, illosque unos inde demptos, quibus religione aliqua sacris interdictum erat; ast eos quoque demere oportebat, si qui fuissent, qui agnos per se ipsos mactassent. Adde, quod, si privato cuique per se ipsum siue ministerio sacerdotum facere licuisset, iam nulla caussa fuisset, cur alibi, quam Hierosolymae, facere Israelitae vetarentur [1]), atque iuberentur, qui peregre forte essent die decima quarta mensis nisanis, sacrum hoc solemne differre in diem item decimamquartam insequentis mensis secundi [2]). In eodem libro secundo paralipomenon pascha, quod celebratum est *octavo decimo anno regni Iosiae* [3]), ita describitur: ***Et immolatum est phase, asperseruntque sacerdotes manu sua sanguinem, et levitae detraxerunt pelles*** [4]). Vides a ministerio et Sacerdotum et levitarum distingui mactatum, quippe quod munus cuiusvis de volgo id foret, attamen haec tria ita coniungi, ut quae neque unus sine ceteris nec nisi uno in loco omnes fungi possent, ne vero qua dubitatio suboriretur, an de agno ipso mactando sit sermo, honcque hoc in loco significet nomen *phase*, illis haec subiungi: ***De bobus quoque fecerunt similiter*** [5]). Quid ergo de Philone? Num verborum eius sententia est, illud, ut ita dicam, paschale singulorum Israelitarum sacerdotium eo pertinuisse, ut eo die unusquisque, qui agnum a se postea comedendum offerebat, ipse non vero sacerdos, illum feriret, sacerdotibus tamen de more sanguinem excipientibus? Ast hoc ipsum observabatur in cunctis hominum privatorum sacrificiis [6]). Equidem autumo Philonem ea loqui de Iudaeis Aegyptum incolentibus, de quorum numero erat ipse, et quibus, sicut peculiare quoque templum illic erat, ritus etiam peculiares aliquot alios Palaestinorum ritibus fuisse iure potemus. Enimvero, sicut Iudaei in Aegypto leges eo violabant, quod templum haberent aliud hierosolymitano inibique sacra facerent, quid miremur si item violarent die paschatis ipsi per se nullis sacerdotibus administris agnum mactantes? Lege Isidorum Pelusioten [7]), qui utpote Aegyptius de Iudaeis in Aegypto degentibus loqui dicendus est. Ut autem, quum primo sacrum hoc factum est, ***universa multitudo filiorum Israel*** [8]) nullo sacerdotum ministerio agnum immolaverit, caussa ea fuit, quod sacerdotio nondum instituto necdum sacerdotes essent, nec leges latae de religionibus, sed et alia tunc observata sunt, quae exinde vetita fuerunt, loco constituto, in quo agnus mactandus, et in quo comedendus esset [9]). Cuinam igitur verisimile videatur, siquidem Hierosolymis hae victimae mactandae fuissent illa ipsa vespera, qua Christus in cruce obierat, quaeque propterea fuisset exeunte die XIV nisanis, attamen superiore quoque vespera exeuntis diei XIII, proinde secus, ac lex praecipiebat, eas victimas sacerdotum ministerio fuisse mactatas? neque enim alio pacto Christus eiusque discipuli pascha comedere potuerunt. Quae quum nemini non liqueant, alterutrum dicamus oportet, vel pascha istud a Christo minime actum, vel actum a Hierosolymitis quoque eodem die, quo Christus id egit. Primum dicere non modo quisque sibi religioni ducet, sed ne inducet quidem in animum, si modo legere novit, quum nimis aperte id loquantur Matthaeus, Marcus, et Lucas. Ergo alterum superest, quod necessario efficiatur ex propositis.

3 Verum, quae in contrariam sententiam adferuntur argumenta, graviora sunt, quam ut ea praeterire eorumque vim silentio liceat dissimulare; idcirco haec ex ordine iam expendimus. Atque illud primum, quod opposuit Petavius, ut Iudaeorum primores, quum consulerent de Christo sustollendo, censuerint *non in die festo* [10]) id exsequi. At in promptu responsum est; nempe suam sibi occasionem adesse ratos mutasse sententiam, quod ipse Matthaeus [11]), imo Marcus [12]) quoque et Lucas [13]) satis aperte nos docent. Cur vero ita illi censuerint, caussam ipsi edixerunt, non quia minime liceret diebus festis aut iudicia exercere aut supplicio aliquem adficere, haec enim licebant (52—55), sique minime licuisset, hanc unam rationem aut certe hanc quoque subiecissent, sed *ne forte tumultus fieret in populo* [14]).

4 Paulus Burgensis et Petavius ea promunt, quibus Ioannes videtur ipsorum sententiae suffragari. Etenim is, commemorans postremam Christi coenam, dicit factam *ante diem festum Paschae* [15]), imo *προ της ἑορτης του πασχα*, quae ita verti volunt: *ante festum paschatis*. Iam vero si, quum Christus coenae huic accubuit, iam inceptus erat Hierosolymitis dies XV mensis nisanis, inquit Petavius, ***non videtur ἀκυρολογια illa committenda, ut ipsum tempus, quod maxime proprie pascha sive festum paschae nominatur,*** ANTE FESTUM PASCHAE ***fuisse dicatur. . . . Hoc enim considerandum est,***

---

[1]) Deut. XVI, 1—7. [2]) Num. IX, 10. 11. [3]) II Par. XXXV, 19. [4]) Ib. 11. [5]) Ib. 12. [6]) Lev. XVII, 1—6; *Ioseph.* Ant. L. III. c. 9. § 1. [7]) Lib. III. ep. 75. [8]) Ex. XII, 6. [9]) Deut. XII, 8. 9 coll. 1—7. [10]) Matth. XXVI, 5. [11]) Ib. XXVI, 14. 15. [12]) Marc. XIV, 10. 11. [13]) Luc. XXII, 4. 5. [14]) Matth. XXVI, 5. [15]) Io. XIII, 1. 2.

totam paschatis functionem adeoque caussam nominis et originem in vespertino illo epulo consistere. Proinde nimis illa videtur absona et absurda loquendi formula: Ante festum paschatis Christum pascha celebrasse, hoc est eo quidem momento temporis quod festum proprie paschae diceretur, sed ante civilem paschatis diem. Ioannes igitur, quum ita scripsit, non aliud dicere voluit, quam, ***ante paschale festum a pontificibus indictum et illegitimum, Christum Dominum paschati suo operatum fuisse.*** Haec Petavius.

5 Ut hac difficultate sese extricaret Lightfootus [1], cui eadem, quae nobis, de hoc paschate sententia erat, novam plane viam inivit, qua eum sequi nullo modo possumus. Negat coenam hanc a Ioanne commemoratam in capite XIII evangelii illam esse a ceteris omnibus evangelistis descriptam, quam fecit Christus supremo vitae die, et in qua pascha comedit, sed illam, quam ipsi in domo Simonis leprosi biduo ante pascha, ut Lightfootus ait, datam dixere Matthaeus [2] et Marcus [3], hanc vero aliam esse illa, quam Ioannes superius descripserat [4] factam a Maria et Martha ***ante sex dies paschae*** [5]. De hoc postremo in alio loco disputavi [6], nunc de ceteris. Argumenta singillatim expendamus.

6 Primum petit Lightfootus ex his ipsis verbis Ioannis, de quibus agimus, *Προ δε της ἑορτης του πασχα* ***ante diem festum paschae.*** Sed, pace viri eruditi, his ipsis effici illud videtur, aliam esse coenam hanc post haec continuo a Ioanne commemoratam, quam quae biduo ante pascha facta fuisset; quod facile sentient, quibus perspectum est, ut Ioannes, non modo temporum spatia [7] et dies [8], quibus quaeque facta sunt, sed subinde vel horas ipsas [9] adcurate soleat indicare, utque, ubi novam rerum seriem describere adgreditur, edicat ***proximos*** dies festos, circa quos ea acciderunt [10]. Qui igitur tam alius se ipso Ioannes hoc in loco credatur, ut, quum iam dixerit deinceps et proximum fuisse diem festum paschatis [11], et sex diebus ante diem hunc Christum Bethaniae coenasse [12], et die crastini Hierosolymam ivisse [13], ubi tamen ea coena narranda esset, quae biduo ante pascha facta fuisset, et in qua, si ita loqui fas est, primas a Christo ipse Ioannes egerat, non modo diem non edicat, sed solum id, quod nemo non intelligebat, factam illam esse ante pascha, iisque verbis quae credere suadeant non biduo ante, sed pridie? Ceterum quid soneut verba Ioannis inferius (23) disquiremus.

7 Alterum Lightfooti argumentum ita est. Christus, quum Iudae buccellam porrexisset, dixit illi: ***Quod facis fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei; quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum*** [14]. Quae hic Lightfootus commentatur pleraque non sunt nisi apinae et nugae, nonnulla vero, quae gravius nos urgerent, siquidem Ioannes loqueretur de coena facta biduo ante. Illud unum est, cui momentum aliquod inest, quod, quum emenda essent, quae ad diem festum agendum opus erant, nondum hic dies advenisse videatur. Verum, si rem penitus introspicias, contra senties. Num enim, quum nox esset [15], a coena surgendum Iudae fuit ac festinandum, ut ea coemeret, quibus post duos dies, non autem potius proxima luce, futurum esset opus? Quorsum vero? interrogat Lightfootus, ***ad reliquamne paschalis festivitatis solemnitatem?*** Admodum. ***Heu quam intempestivum!*** exclamat. Verum num tempestivum magis ad diem festum post biduum celebrandum? At enim illa nox pars fuisset diei festi, quo aliquid emere nefas erat. Fas tamen erat, praesertim si quid ad stata sacra necesse foret, dum ne pretium fieret, aut solveretur, utraque re in alium diem dilata [16]. Summa est, ex hoc loco Ioannis colligi lucem insequentem festam fuisse, contrarium, inquam, eius, quod Lightfootus colligere iubet.

8 En tibi tertium argumentum ab eo prolatum. Apud Ioannem haec legimus: ***Iesus . . . cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotae. Et post buccellam introivit in eum Satanas*** [17]; apud Lucam: ***Intravit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim*** [18]. Uterque igitur rem eamdem narrat. At Ioannes ait id factum coena finita, Lucas, quum ***appropinquabat***, nondum tamen venerat, ***dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha*** [19]. Non ergo loquitur Ioannes de coena diei festi. Verum quid Lightfootus, si ostendero teste ipso Ioanne, Satanam in Iudam ante coenam, de qua certamus, iam intrasse? Nam, quae initio huius narrationis

---

[1]) Hor. hebr. et talmud. in Matth. XXVI, 6 et in Io. XIII, 1. 2. [2]) Matth. XXVI, 6. [3]) Marc. XIV, 3. [4]) Io. XII, 2. [5]) Ib. 1. [6]) L. II. n. CXXXI. [7]) Io. II, 12; IV, 40; XI, 6—17. [8]) Ib. 1, 29. 35. 43; II, 1. 23; IV, 43; VI, 22; VII, 14. 37; X, 22; XII, 1. 12; XIX, 14; XX, 19. 26. [9]) Ib. I, 39; IV, 6. 52. 53; XIII, 30; XVIII, 28; XIX, 14. [10]) Ib. II, 13; VI, 4; VII, 2; XI, 55. [11]) Ib. XI, 55. [12]) Ib. XII, 1. 2. [13]) Ib. 12. [14]) Ib. XIII, 27—29. [15]) Ib. 30. [16]) Mischna Schabbath. c. 23. § 1. [17]) Io. XIII, 26. 27. [18]) Luc. XXII, 3. [19]) Ib. 1. 7.

leguntur: ***Et coena facta cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes*** [1]), quid sonent, clarius intelligimus ex graecis exemplaribus iisque melioris fortasse notae, in quibus ea ita sunt: *Και δειπνου γενομενου του διαβολου ἤδη βεβληκοτος εἰς καρδιαν Ἰουδα Σιμωνος Ἰσκαριωτου ἱνα αὐτον παραδῳ* ***Et coena facta, cum diabolus iam misisset in cor Iudae Simonis Iscariotae, ut traderet eum.*** Sed, quod praecipuum est, velim mihi dicas, num argumentum *ἀποδεικτικον* a verbis translatis exspectari queat? Quid enim est tandem hic Satanae ingressus in Iudam? quid haec sonant, nisi illius opera Iudam ad scelestissima consilia ineunda et perficienda fuisse impulsum? Quare bis utique, si ita loqui placet, satanas in Iudam ingressus est, primo, quum consilium cepit paciscendi cum Iudaeorum magistratibus, idque refert Lucas [2]), iterum, quum pacta exsequi egressus est, quam rem Ioannes narrat [3]).

9 Hoc autem refellitur quartum quoque argumentum, in quo urgendo multus est Lightfootus, eo tamen deceptus, quod positum haberet, nosque habere crederet, Iudam, post acceptam buccellam a Christo sibi porrectam, egressum fuisse ad illum pactionem tuno primo faciendam, quod veri habet similitudinem sane minimam, longeque magis intempestivum videri debuisset Lightfooto, quam quod ad emenda *ea quae opus* erant *ad diem festum* Iudas illa hora fuerit egressus.

10 Quinto argumentatur Lightfootus ex comparatione illorum Christi verborum: ***Surgite eamus hinc*** [4]), cum verbis ipsius Ioannis: ***Haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron*** [5]), quorum illa sunt in extremo capite XIV evangelii Ioannis, haec initio capitis XVIII; ast haec dicta sunt procul dubio de egressu ex urbe Hierosolyma post epulum festum, brevi hora antequam Christus comprehenderetur, non ergo illa, sed de alio egressu post aliud epulum factum diebus superioribus. Ast equidem dicerem hoc postremum non effici ex adsumptione neo esse consequens. Nam ex illis verbis prioribus iure colligas, statim, ac dicta ea fuere, Christum eiusque discipulos surrexisse a mensa, non tamen necesse est credas egressos statim e coenaculo. Si id Lightfooto non adridet, quid demum caussae habet, cur neget illa, ***Surgite eamus hinc***, dicta fuisse a Christo, quum e coenaculo egressus est, ita vero, quae sunt initio capitis XVIII, significari egressum ex urbe? Sed de istis paullo inferius homo nobis exagitandus denuo erit.

11 Nunc de sexto eius argumento dicendum foret, nisi ipse nos hoc labore levasset, nihil enim illud est, quam mera *ταυτολογια* propositionis comprobandae, ut ***in capite isto Ioannis decimotertio non*** sit ***vel minima mentio vel ne gry quidem coenae paschalis.***

12 Secus est septimum argumentum, cui, haud diffiteor, momentum non leve inesse videtur, imo gravius, quam ut ipse id exposuit. Etenim inter coenam, quae die festo paschatis facta fuit, Christus, sicut Matthaeus et Marcus narrant, discumbens ***cum duodecim discipulis suis et edentibus illis dixit: Amen dico vobis quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside hic me tradet. . . . Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, rabbi? Ait illi: Tu dixisti*** [6]). At, si inter coenandum Christus palam indicavit, quinam esset proditor, qui fieri potuit, ut post coenam id adhuc lateret discipulos, quumque denuo, quod futurum erat, Christus praediceret, illi adspicerent *ad invicem, . . . haesitantes de quo diceret*, Petrus vero Ioannem, Ioannes Christum interrogaret, quinam proditor foret, ac demum, quae mox Iudae *dixit* . . . ***Iesus: Quod facis fac citius, . . . nemo*** sciret ***discumbentium, ad quid dixerit ei*** [7])? Non tamen nodus iste inextricabilis est, praesertim quum satis habendum sit, si catenus solvatur, quoad adpareat non hoc effici, quod contendit Lightfootus, unam atque eamdem coenam esse, quam Ioannes in XIII, 2, quamque Matthaeus in XXVI, 6 et Marcus in XIV, 3 commemorarunt. Etenim, si, prout positum ille habet, Christus rem aperuisset Ioanni et Petro biduo ante postremam coenam, num putes non quam primum Ioannem et Petrum rem sociis fuisse indicaturos, ut, quum postremo coenatum est, nemo iam proditorem ignoraret? Insuper quo argumento vincet Lightfootus, Christum, quum postremo coenaret, interrogatum ea de re ita respondisse, ut proditor omnibus innotuisse necessario credatur? Nam illa, ***Qui intingit mecum manum in paropside***, nihil nos compellit in eum sensum accipere, ut quae significent Iudam manum in paropside tunc temporis positam habuisse, nam haec verba Christi tantumdem valent, atque illa, ***Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*** [8]), ex psalmo XL deprompta [9]), quae dixit post ablutos pedes apostolorum, et quibus nil, nisi hoc unum, significavit, esse inter convivas, qui ipsum proderet. Denique, quum Christus

---

[1]) Io. XIII, 2. [2]) Luc. XXII, 3—6. [3]) Io. XIII, 27, 30. [4]) Ib. XIV, 31. [5]) Ib. XVIII, 1. [6]) Matth. XXVI, 20—25. [7]) Io. XIII, 22—28. [8]) Ib. 18. [9]) Ps. XL, 20.

Iudae interroganti, num de ipso loqueretur, respondit: *Tu dixisti*, credi potest submissa voce usus, ut solus Iudas, ad summum unus aut alter e proxime discumbentibus, id audierint, atque ita ut non recte audisse sibi viderentur, quippe qui aegre animum inducerent, ut audita crederent [1]). Quibus positis, non est, cur miremur, si, quum Christus post coenam lotionemque pedum iterum illud praedixit, discipuli iterum audientes adhuc haesitarent, dubitarentque.

13 Plane hebes est argumentum postremum, aut certe cuius acies non gravius nostram, quam ipsius sententiam, queat vulnerare, idque deprompsit Ligthfootus ex eo, quod, quum Christus Iudae discedenti dixisset: *Quod facis fac citius*, e discumbentibus *quidam . . . putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus . . . egenis ut aliquid daret* [2]), aitque: *Intempestivum certe erat profunda nocte hic illic pauperes quaerere.* Nempe; non tamen intelligo, cur id intempestivum magis nocte illa postrema vitae Christi, quam nocte, quae ante biduum fuit. Quia, inquit, *Bethaniae . . . idque biduo ante pascha* haud *necesse est, ut coenam istam tam sera nocte fuisse opineris.* At num istud opinemur necesse est, si loquitur Ioannes de coena, quae facta est Hierosolymae nocte paschatis? Nam utique lex erat: *Pascha non comeditur, nisi noctu*, sed haec quoque: *Non comeditur, nisi usque ad mediam noctem* [3]); poterat videlicet comedi a primis tenebris, quae noctis initium sunt, usque ad noctis medium.

14 Unum fugisse videtur Lightfootum, ut minime liceret post agnum quidquam comedere [4]); non igitur Christus buccellam Iudae porrexisset, si haec illa coena fuisset, qua agnus comedebatur. Sed alii censent minime licuisse alio ire ad comedendum, neque post agnum comedere fructus aut bellaria, non tamen res alias eodem in loco, in quo agnum comederant [5]). Tum Christus ea pollebat auctoritate, qua huiusmodi legibus Pharisaeorum derogaret.

15 Sunt etiam, quibus negotium facessit recubitus, cuius mentio est in narratione Ioannis [6]); putant enim Israelitas solitos fuisse stando comedere pascha, idque colligi ex prima ipsa huius religionis constitutione [7]). Verum non id expresse positum in ea legitur. Tum Christum in postrema coena, qua pascha comedit, discubuisse una cum discipulis aperte aiunt Matthaeus [8]), Marcus [9]), et Lucas [10]). Denique constat Israelitas, saltem serioribus aetatibus, quum sollemne epulum die festo paschatis habebant, non stetisse, sed discubuisse [11]).

16 Nullo igitur argumento coena, de qua est in Ioannis XIII, 2, eadem est, de qua in Matthaei XXVI, 6 et in Marci XIV, 3. Ne tamen res haec in ancipiti versari videatur, neve animi quis pendeat, quanam de coena Ioannes loquatur in capite XIII, rationes luculentae praesto sunt. Mittam equidem illud, quod haud de facili putandus sit Ioannes coenam illam postremam silentio prorsus praeterisse, praesertim quia, quum superius [12]) narrasset, ut Christus pollicitus fuerit eucharistiam a se instituendam, προτάσει huic aliqua saltem ἀπόδοσις deberi haud poterat, neque, ut Christus fidem suam liberaverit, praetereundum erat, quia postremae coenae, in qua id praestiterat, mentio saltem aliqua fieret.

17 Sed diligenter consideranda sunt haec, quae initio capitis leguntur: *Ante diem festum paschae, sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Horum sensus integer est atque absolutus, ut nihil ei desit, nec a prioribus ullo modo dependet, sed neque a posterioribus; recta autem enuntiatio haec est: *Ante diem festum paschae Iesus in finem dilexit suos.* Quis vero haud perspicit, ut Ioannes his verbis aliquid significare velit grande omnino, insigne, novum, ad id indictum, atque inauditum? Quid vero illud? Sive verba *εἰς τέλος in finem* idem sonent, ac *usque ad exitum vitae*, sive idem, ac *adeo ut nihil possit ultra* [13]), specimen aliquod eximium atque indicium amoris erga suos, quo Christus flagrabat, ab ipso exhibitum his indicatur procul dubio. Nisi autem de postrema coena Ioannes loquatur, hoc amoris specimen atque indicium esse aliud nequit, quam quod statim narratur, ut Christus laverit pedes discipulorum. Grande quid profecto hoc fuit, non tamen adeo, ut ita de hoc loqueretur Ioannes, veluti si non alia praeter hoc eaque longe grandiora perenniora que amoris monumenta Christus suis tradiderit, atque adeo ipso supremo vitae die, eucharistia instituta. Haec igitur, eucharistia, inquam, est argumentum illud divina sapientia excogitatum, quo Christus suos a

---

[1]) Lege L. II. n. CLVII. [2]) Io. XIII, 29. [3]) Mischna Zebach. c. 5. § 8. Conf. Mischna Pesach. c. 10. § 1. [4]) *Maimon.* de fermento et azymo c. 8. [5]) *Bartenora* in Pesach. c. 10. § 8. [6]) Io. XIII, 12. 23. 25. [7]) Ex. XII, 11. [8]) Matth. XXVI, 20. [9]) Marc. XIV, 18. [10]) Luc. XXII, 14. [11]) Mischna et Gemara hieros. Pesach. c. 10. § 1; *Maimon* op. cit. c. 7. Lege *Lightfoot.* Minister. templi c. 13; Horae hebr. in Matth. XXVI, 20. [12]) Io. VI, 48—59. [13]) *Mazochii* Spicileg. bibl. in h. l.

se *εἰς τελος* diligi omnimodis evicit, idque est, quod Ioannes perstringit, aut, ut verius loquar, indicat verbis illis. Quam interpretationem ipsa comprobat verborum *ἐμφασις*, confirmantque ea, quae de coena Ioannes ita subiungit, ac si hanc commemoraverit eum, nemoque, quuam de coena loquatur, non intelligeret. Ad haec adnotat Ioannes, ut Iesus *εἰς τελος in finem* suos dilexerit, hoc est, suis dilectionis signum exhibuerit, eo quod sciret, *quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem;* in quibus considera, ut illud *venit* sit verbum temporis paeteriti pro graeco *ἐληλυϑε*. Nonne autem sentis, ut haec designent postremas horas vitae Christi, utque caussam rationemque suggerant sane opportuniorem eorum, quae in postrema coena Christus gessit, ac suis veluti testamento legavit, quum cur triduo ante obitum pedes discipulorum abluerit?

18 Sed alia quoque sunt, quibus efficitur coenam commemoratam in hoc capite XIII evangelii Ioannis esse illam, quam Christi mors proxime subsequuta est. Etenim Ioannes numquam nominare omittit loca, quibus ea, quae narrat, facta sunt. Quae in superiore capite descripsit, ait acta fuisse Hierosolymae; non igitur alibi, quae in hoc capite, quum ipse alibi acta minime dicat.

19 Quod si Bethaniae haec fuissent acta, illi etiam Christi sermones, qui in capita XV, XVI, et XVII relati sunt, non secus, ac qui in capitibus XIII et XIV leguntur, habiti fuissent Bethaniae, quum una continuaque serie Ioannes hos referat, nulla iniecta Christi Hierosolymam reversi mentione. Attamen, sicut sentit ipse Lightfootus, utque adparet ex primis verbis capitis XVIII, sermones descripti in capitibus XV, XVI, et XVII, Hierosolymae post coenam diei festi habiti sunt.

20 Ad haec mox, ubi Iudas post buccellam e Christi manibus acceptam egressus est, Christus, ut Ioannes narrat, Petro lapsum praedixit illis verbis *Non cantabit gallus donec ter me neges* [1]). Mirum, ut se simul atque haec verba torqueat Lightfootus, quo ea sententiae suae adcommodet. Sed frustra. Nimis enim manifestum est haec dicta esse de illa ipsa nocte, quae tunc erat [2]). Neque quis, quum dicit aliquid futurum *ante meridiem* aut *ante noctis medium*, alium diem aliamve noctem significat, nisi quae tunc est, quum loquitur, gallicinium autem, non secus ac vespera, conticinium, noctis medium, vigiliae, certam noctis horam designant [3]).

21 Insuper ea omnia, quae a Christo dicta Ioannes retulit in has evangelii paginas, quot sunt inter versum 30 capitis XIII, in quo est Iudae discessus e coenaculo, et inter initium capitis XVIII, in quo haec leguntur: Haec cum dixisset *Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus et cetera*, adparet, haudquaquam plures esse sermones alios aliis diebus habitos, sed unum dumtaxat discipulis subinde interpellantibus continuatum. Nemo enim, puto, ferre ullo modo poterit Lightfooti commentum, qui, ut vincat coenam, de qua est in capite XIII Ioannis, illam esse, quae biduo ante pascha facta fuerat, illam Christi orationem ita dividit ac veluti discerpit, ut, quae sunt in capite XIII dicta sint *biduo ante pascha, idque Bethaniae, ubi Christus coenavit in domo Simonis Leprosi;* quae in capite XIV, ipso die paschatis *ante coenam paschalem et a Bethania discessionem;* quae denique in capitibus XV, XVI, XVII, *post coenam paschalem et institutam Eucharistiam.* Quae quam praepostere ille fuerit commentus, is minime intelliget, cui non magis narrandi ratio ac modus perspectus sit, quem Ioannes constanter sequutus est.

22 Quod si quaeras, cur non apertius de postrema hac Christi coena Ioannes loquutus fuerit, caussam reperies in illis, quae scripsimus, ubi egimus de ipsius Ioannis evangelio [4]).

23 Quum igitur dubitare non sit coenam, de qua est in capite XIII Ioannis, esse illam, cui Christus ultimo adcubuit illo ipso die, sub cuius exitum in cruce mortem oppetiit, atque idcirco ratio removendi difficultates, quas facit Ioannes verbis *Ante diem festum paschae*, a Lightfooto inita ipsum fefellisse dicenda sit, quaeritur, qui tandem difficultates istae removeri queant.

23 Quin vero, quum utrumque constet, et coenam diei festi a Ioanne hoc in loco commemorari, et Hierosolymitas eodem die, quo Christum, paschalibus sacris operatos esse, unum superest, quod dicamus, atque adeo illud ipsum, quod Petavius negat fieri potuisse, Ioannem haec narrantem *ἀκυρολογειν*, si tamen spectes ad morem Iudaeorum inchoandi diem a solis occasu, omnino enim hac *ακυρολογιας* nota loquutionem Ioannis aut certe maxima ex parte liberabis, si memineris Ioannem haec scripsisse sexaginta amplius post annis, ex quo gesta fuerant, desuefactum iam moribus et consuetudinibus Iudaeorum, quod ex ipsis eius scriptis satis adparet, praesertim si cum ceterorum scriptis ea conferantur, iamque solitum dierum initia sumere a media nocte more Romanorum; ut, quum usurpavit illud *Προ δε της ἑορτης του πασχα*, significare potius voluerit lucem diurnasque

[1]) Io. XIII, 38. [2]) Ib. 30. [3]) *Macrob.* Saturnal, L. I. c. 3; *Censorin.* De die natali c. ult. [4]) L. I. c. 4. n. 27.

horas diei festi, quam ipsum diem festum Iudaeorum, perinde ac nos facere solemus, quum, quae fiunt inter vesperam sabbati, quod est pridie paschatis, et inter mediam noctem, minime dubitamus dicere ea facta esse *ante diem festum paschae*, tametsi sacra paschalia coepta iam sint utque more, ut aiunt, ecclesiastico ipse dies festus initus. Quod autem Ioannes adsuetus iam esset diebus a media nocte inchoandis, id alio testimonio eoque luculentissimo confirmatur, quod ipse nobis suggerit, ubi narrat Christum veluti triumphando Hierosolymam ingressum *postridie* eius diei, quo venerat Bethaniam [1]), quum tamen, si dies incboentur pro more Iudaeorum, uno atque eodem die utrumque factum sit [2]). Sed et tertium huius rei argumentum depromes ex eiusdem ipsius Ioannis XX, 19 [3]). Ceterum ἀκυρολογια haec, si quam esse velis in eius verbis, si quid haberet momenti ad negotium nobis creandum, id prorsus amitteret comparatione alterius ἀκυρολογιας huic ex directo oppositae, qua Marcus et Lucas dicunt pascha *primo die azymorum* immolari solitum [4]), tametsi pridie huius diei sub solis occasum immolaretur; sicut enim difficultatem nobis minime illud facit, quod Marcus et Lucas vocent *diem azymorum*, quae dies pridie huius diei fuit, qua tamen de re quae diximus in libro II. n. CLVI, legere oportet, ita nec illud facere debet, quod Ioannes dicat *pridie diei festi paschatis* fuisse diem illum, qui talis utique erat forma romana, quamquam forma iudaica foret ipse primus paschatis dies iam inceptus.

24 Habes in his, quae diximus, quod respondeas Petavio simul et Lightfooto urgentibus illam ἑορτην του πασχα, quae, prout alter ait, non secus ac *lingua vulgari Iudaeorum* חג הפסח *nunquam non totam festivitatem septiduanam paschalem denotat et dialecto sacrarum paginarum et talmudicarum* [5]), quare, inquit, *durius est coenam paschalem excludere extra titulum της ἑορτης του πασχα, cum ab ea derivata fuerit cognominatio totius festi* [6]). Non equidem abnuam חג הפסח, imo ipsum nomen פסח *pascha*, saepe apud Talmudistas [7]) rabbinosque [8]) significare *totam festivitatem septiduanam paschalem*, ad quam nominandam subinde etiam in novo testamento atque adeo in evangelio Ioannis graecum πασχα usurpatum reperitur [9]), tametsi numquam in vetere testamento hebraicum פסח neque illud חג הפסח, quod semel dumtaxat legitur [10]), eoque, ut sentit Gesenius [11]), *dies paschatis, id est, dies quartus decimus mensis nisan, quem excipiebant septem dies azymorum*, nominatur, aut saltem constat *totam festivitatem septiduanam* non necessario nec certo significari, adeo ut persaepe in libris veteris testamenti hanc *festivitatem septiduanam*, quae חג המצות ἑορτη των ἀζυμων vocatur, distinctam divisamque videamus ab ipso paschate, idque luculentissimo Iosephi testimonio illustrare est, qui ipsa haec veluti duo sollemnia dividit, ac separat, his verbis: *Πεμπτη δε και δεκατη διαδεχεται ΤΗΝ του πασχα Ἡ των ἀζυμων ἑορτη Quinta et decima die excipit* DIEM *festum paschatis* DIES *festus azymorum* [12]). Ceterum, sive diem paschatis, sive totos septem dies azymorum, significet ἡ ἑορτη του πασχα, idem est responsum, vel Ioannem ἀκυρολογειν, vel ab eo dierum initia more Romanorum in noctis medio haberi.

25 Addam denique, quod evangelia suggerunt, evidens argumentum, ut Iudaeis festa fuerit illa ipsa lux, qua Christus mortuus est. Dicitur Pilatus solitus fuisse *populo dimittere unum vinctum, quem voluissent καθ᾽ ἑορτην* [13]), utque ait Ioannes, ἐν τῳ πασχα [14]); dimisit autem *simul*, ac Iesum capite damnavit [15]), id autem, sicut legimus apud Marcum [16]), ut *pro more* exsequeretur, populus illa ipsa hora ad eum conveniens iam flagitaverat, antequam ipse Pilatus ea de re ad illos verba faceret. Illo igitur die mane ἑορτη et πασχα iam agebatur ab Hierosolymitis.

26 Sed tempus est cetera sive Pauli Burgensis sive Petavii argumenta examinare. *Quod apostolis in mentem venisse testatur Ioannes cap.* XIII, 29, *quando Christus Iudae dixit: Quod facis fac citius, tamquam iis verbis iussisset, ut ea, quae opus erant ad diem festum, emeret*, hoc sententiae suae suffragari existimat Petavius. *Unde facile ratiocinamur*, inquit, *nondum diem festum appetisse, qui si iam iniisset, nihilo magis quam in sabbato emere aliquid liceret.* Sed superius (7) iam demonstravimus, quo pacto liceret ipso die festo ea emere, *quae opus erant ad diem festum.* Ex hoc autem loco colligi potius atque effici festam futuram proximam lucem, quae noctem illam ipsum sequutura erat, nemo non sentit; cur enim ante medium noctis surgendum fuisset a coena ad ea emenda, quae non ante vesperam diei crastini opus essent?

---

[1]) Io. XII, 12 coll. 1—11. [2]) Lege Dissert. XLIX postrema de hebdom. vitae Christi. [3]) Lege L. II. n. CCXIII. [4]) Marc. XIV, 12; Luc. XXII, 7. [5]) Op. cit. in Matth. XXVI, 6. [6]) Ib. in Io. XIII, 1. [7]) Pesach. c. 2. §§ 3. 4; Chagiga c. 1. § 3 etc. [8]) *Maimon.* More nebochim P. III. c. 43; Iom tobh. c. 6. fo. 22; Ad Pesach. c. 2. § 4; *Bechai* in legem fo. 179, 1; *Bartenora* ad Pesach. c. 2. §§ 3. 4 etc. [9]) Io. XIX, 14; Act. XII, 4; forte Io. II, 23. [10]) Ex. XXXIV. 25. [11]) Thesaur. ad h. v. [12]) Antiq. L. III. c. 10. § 5. [13]) Matth. XXVII, 15; Marc. XV, 6; Luc. XVIII, 17. [14]) Io. XVIII, 39. [15]) Matth. ib. 27; Marc. ib. 15; Luc. ib. 25. [16]) Marc. ib. 8 coll. Luc. ib. 18.

27 Ioannes iis, quae acta fuerunt in domo Caiphae, haec subiecit: *Adducunt ergo Iesum a Caipha in praetorium. Erat autem mane, et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha* [1]). Non igitur proxima nocte, qua Christus, ipsi quoque agnum manducaverant, sed nocte insequente erant manducaturi, proinde non eodem die, quo Christus, sacris paschalibus fuerunt operati, sed postridie. Ita Paulus Burgensis et Petavius.

28 Dum tamen ita argumentantur, duo, quae posita habent, non ex veritate, sed ex opinione aestimant. Etenim, quod pascha non aliae victimae vocentur, quam agnus, qui primo die azymorum sollemni coenae adponebatur, atque adeo nil nisi agnum hunc eo nomine Ioannes vocaverit, quo argumento vincunt? Ita quidem sensere, fatear enim, alii quoque viri eruditissimi, de quorum numero est Hottingerus, qui praeterea adfirmat ab Iudaeorum sapientibus, non modo non alia sacrificia ita nominari, quum quod fiebat agno ipso mactato coenae postea adponendo, sed istud a ceteris quibusvis sacrificiis eo nomine dividi atque distingui [2]). Quod quantum a veritate abhorreat, testimonio sunt ipsae talmudis paginae atque ipsi prisci Iudaeorum sapientes, quorum sententiae in eas paginas sunt relatae. Legimus enim in his, ut Hillel Babylonius, qui Hierosolymis sapientiae, quum Christus ortus est, primas gerebat [3]), *paschata* simul vocaverit *sacrificia iugia*, *sacrificia addititia sabbatorum*, *sacrificia noviluniorum* et *dierum festorum* [4]), propositaeque quaestioni, an pascha pelleret sabbatum, id est, an, quum dies XIV nisanis in sabbatum incidebat aut pridie, liceret sabbato ea agere, quae opus erant sollemnibus religionibus observandis, ita responderit: *Estne nobis unum solummodo pascha pellens sabbatum annuatim? Nonne multa paschata pellunt sabbatum singulis annis? id est, sacrificium iuge* [5]). Atque haec, eo pertinent, ut ostendamus non ita, ut illi volunt, coarctari nominis paschatis significationem in communi sermone ac loquendi more. Quod vero ad ipsum sollemne, non unum agnum hoc nomine vocare solitos fuisse veteres Iudaeos, ex iisdem illis talmudis paginis comperimus, in quibus מותר הפסח *residuum paschae* dicuntur oves bovesque, quos una cum agno coenae adponendo offerre aliqui solebant [6]) in sacrificia pacifica [7]); imo nomen hoc omnibus, quae hoc sollemne adtingerent, eos fecisse adparet ex hoc Gemaricorum effato: *Pascha quomodo probatur? Quia scriptum est: Observa mensem abib, et facies pascha*; שהיו כל עשיותיו לשם פסח UT CUNCTA EIUS OPERA SINT NOMINE PASCHATIS [8]), item ex his: עגל ופר ששחטן לשם פסח *vitulus et iuvencus, quos mactant nomine paschatis* [9]). Quid in his valeant illa לשם פסח *nomine paschatis* plenius hinc intelliges, quod ipsum agnum, qui totius sollemnis veluti caput erat, prius in atrium adducere Iudaei deberent, atque offerre לשם פסח *nomine paschatis* [10]), quod recte ita interpretatur Lightfootus, *sub nomine agni paschalis* [11]). Sed, quod caput est, ipse Moyses nomine paschatis cunctas simul victimas complexus est, quae per illud sollemne mactabantur; agens enim de ritibus in eo servandis ita loquitur: וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר quae, si verbum verbo reddas, latine ita sonant: *Et sacrificabis phase Domino Deo tuo oves et boves* [12]). Quibus omnibus exploratum habemus nullo argumento cogi nos, ut *pascha* in hoc loco nominatum a Ioanne non aliud esse putemus, quam agnum; potest quippe significare victimas ceteras, quae die XV nisanis, azymorum primo, nocteque insequente, ac die crastini, comedebantur [13]).

29 Alterum, quod positum habent Paulus Burgensis et Petavius, putasse illos Israelitas se ex intrato mane praetorio ita contaminari, ut nefas ipsis foret agnum vespere comedere, manifesta ratione refellitur. Neque enim gravius fuissent contaminati, quam ut, loti ante vesperam, stata hora agnum comedere possent; nam, sicut Lightfootus iam animadvertit, *immunditia ista aestimata fuit sub praedicamento τον* טבול יום, fuissetque de eo genere piaculorum, quae, non modo citra colpam quis contraheret, sed et intra eumdem ipsum diem una lustralium aquarum perfusione piare erat, et de quibus peculiares leges πατροπαραδότως latae apud Iudaeos obtinebant [14]). *Si ita, tum lavare se potuerunt vespere*, et *mundi esse ad comedendum agnum paschalem, si modo ille ista vespera comedendus* [15]). Enimvero et alia haud leviora, imo et graviora, quam esset ingressus in praetorium, hoc pacto piata ante vesperam minime obstabant, quominus quis agnum comederet. In Pesachin haec legimus: *Lugens lavat se*, et *comedit pascha suum vespere, verum non in sanctificationibus.*

---

[1]) Io. XVIII, 28. [2]) Not. 1 ad *Thomae Goduini* Mos. et Aaron. L. II. c. 4. [3]) *Wolf.* Bibl. hebr. P. II. p. 824. [4]) Gemar. hieros. Pesach. c. 6. § 1. [5]) Ib. § 7. [6]) Deut. XVI, 2; II Paral. XXXV, 7—9. [7]) II Par. ib. 13. [8]) Gemar. babyl. Zebach. c. 1. § 1 ap. *Ugolini* Thesaur. T. XIX, coll. 130. 132. 146. [9]) Menachoth. fo. 3, 1. [10]) Gemar. Pesach. c. 5. § 3. [11]) Hor. hebr. et talm. in Matth. XXVI, 19. [12]) Deut. XVI, 2. [13]) Mischna Pesachim c. 6. § 4; Gemar. hieros. Pesach. c. 6. § 5. *Lightfoot.* Hor. hebr. et talmud. in Marc. XV, 25; Io. XVIII, 28. [14]) Tebul iom in Talmud. ord. VI. cod. 10. [15]) Hor. hebr. in Io. XVIII, 28.

Ministerio functus super mortuum suum et colligens sibi ossa lavat se, et comedit in sanctificationibus. Proselytus, qui inter proselytos recipitur in vespera paschatis, qui sunt de schola Schammai dicunt: Lavat se, manducat pascha suum vespere [1]). Item haec: *Milites erant Hierosolymae, qui se laverunt, et manducaverunt paschata sua vespere* [2]). Ne vero autumes ab ingressu in praetorium Iudaeos refugisse formidine culpae; ut enim modo animadvertimus, constat nullam in ea re culpam esse potuisse, quum nulla id lege vetarentur, quumque Ioannes, quum aliam ob caussam id factum narrat, simul docet quamcumque culpae suspicionem amovere. Illud igitur, quod Iudaei verebantur, ne polluti ingressu praetorii edere probiberentur, aliquid fuerit oportet, quod comedere habebant ante vesperam horamque statam lustralibus lotionibus, proinde non aliud, nisi victimae illae, quas, ut diximus (28), die primo azymorum ante noctem edere sollemne erat. Has autem quoque nefas erat comedi a pollutis [3]).

30 Aliud argumentum Paulo Burgensi et Petavio auggerunt verba haec Ioannis: *'Ην δε παρασκευη του πασχα Erat autem parasceve paschae* [4]), quibus diem nos docet, quo Pilatus sententiam dixit in Christum: *Est enim,* inquit Petavius, *της παρασκευης appellatio των προς τι, et ad insequentem diem σχεσιν habet, uti apud nos* VIGILIAE *nomen. . . . Inest enim in* PARASCEVES *vocabulo notio ac potestas adverbii* PRIDIE. Quibus positis *invictum illud argumentum conficitur, nondum illo die pascha fuisse, si quidem parasceve paschatis fuit.*

31 Non tamen maior argumento huic vis, quam prioribus. Quae enim maxime ad veritatem ex notatione sumit Petavius, aitque de vi ac notione verbi, ex his tamen haud efficitur vere ab eo poni unum, qualem illa ferunt, atque eumdem semper esse nominis huius usum, quoties, qui graece scribunt, sive de sabbato sive de Iudaeorum sollemnibus loquuntur. Etenim pridie tum sabbati stata hora, tum sollemnium, Iudaei ea adparabant, quae postridie opus erant, idque fuit, quod הכנה dicebant [5]), quo nomine hebraico illud ipsum significatur, quod graeco *παρασκευη*, *praeparatio*, inquam. Sed alia quoque est usurpatio nominis *παρασκευης*.

32 Vesperam dierum, qui sunt pridie sabbati ac diei sollemnis, vocant Iudaei ערב שבת *vesperam sabbati* [6]), ערב יום טוב *vesperam diei festi* [7]). Sed usus deinceps tulit, ut diei integro adpellatio haec fieret, atque ערב שבת significaret diem ipsum, qui est pridie sabbati sextumque diem hebdomadae [8]), ערב פסח diem, qui est pridie paschatis et quartum decimum mensis nisania [9]), imo diem hunc vocari videas ערבי פסחים [10]), tametsi nomini ערבים duali forma certa vesperae pars certaque hora subiecta notio sit. Sed iuvat plenius demonstrare alterum hunc usum nominis ערב eum esse, quem dicimus.

33 In mischna haec legimus: *Is, cui sunt duo pueruli, unus circumcidendus* אחר השבת *post sabbatum, et unus circumcidendus* בשבת *in sabbato, et oblitus est, et circumcidit* את של אחר השבת בשבת *qui (circumcidendus erat) post sabbatum, in sabbato, reus est. Si unus circumcidendus* בערב שבת *pridie sabbati, et unus circumcidendus* בשבת *in sabbato, et oblitus est, et circumcidit* את של ערב שבת בשבת, *qui (circumcidendus erat) pridie sabbati, in sabbato, Rabbi Eliezer reum facit peccati, et Rabbi Iosue absolvit* [11]). Liquet quaestionem esse de tribus diebus integris, proinde non de sola vespera, quae est pridie sabbati, sed de toto die sexto hebdomadae; nam, sicut illa אחר שבת hoc ipso, quod opposita sunt ipsi sabbato, significant diem, qui est postridie sabbati, primumque hebdomadae, ita illa ערב שבת, quum et ipsi sabbato et diei, qui est postridie sabbati, opponuntur, totum diem veneris significent necesse est pridieque sabbati, sicut vertimus.

34 De hora, quae iugi sacrificio dicta erat, haec tradunt Mischnici: *Iuge sacrificium mactatur hora octava cum dimidio, et offertur nona cum dimidio.* בערבי פסחים *Pridie paschatis mactatur septima cum dimidio, et offertur octava cum dimidio, sive in die profano, sive in sabbato.* חל ערב פסח להיות ערב שבת *Si incidit dies, qui est pridie paschatis, in diem, qui est pridie sabbati, mactatur sexta cum dimidio, et offertur septima cum dimidio, et pascha post illud* [12]). Primum considera, ut ערב שבת et simul ערב פסח vocetur dies, quum hora diei est media post sextam, nondum inita vespera;

---

[1]) Pesach. c. 8. § 8. [2]) Gemar. hieros. Pesach. fo. 36, 2. [3]) Pesach. c. 7. § 4. *Maimon.* in h. l. [4]) Io. XIX, 14. [5]) Glos. in *Maimon.* Iom tob c. 6 ap. *Lightfoot.* Hor. in Marc. XV, 42. [6]) Mischna Schabb. c. 19. § 1; Mischna Pesachim c. 6. § 2; Gemara Schabb. fo. 1, 1 apud *Lightfoot.* Harmon. N. T. P. I. sect. XX. Forte Schebiith. fo. 33, 1, et Berach. hierosol. fo. 2, 2. et *Maimon.* Schabb. c. 5 ap. *Eund.* Hor. hebr. in Matth. VIII, 16. [7]) Mischna Iom tob. c. 2. § 1; c. 3. §§ 1. 6; Menachoth fo. 65, 1 apud *Lightfoot.* ib. in Io. XIX, 31. [8]) Mischna Schabb. c. 19. § 4; Mischna Pesach. c. 5. § 1; Mischna Chagiga c. 2. § 4; Mischna Iom tob. c. 2. § 1. Gemar. Iom tob. fo. 15, 2 apud *Lightfoot.* ib. in Marc. XV, 42, Baba kama fo. 37, 2 ap. *Eund.* ib. in Matth. XXVIII, 1. [9]) Mischna Pesach. c. 5. § 1. Forte c. 8. § 8. [10]) Ib. c. 4. § 1. 5; c. 5. § 1. [11]) Pesach. c. 19. § 4. [12]) Pesach. c. 5. § 1.

quare, non vesperam, sed diem integrum, verba haec significent necesse est. Item dicas de ערבי פסחים; vesperae enim initium erat hora nona. Tum frequens haec atque usitata Talmudistarum formula dicendi יום חל להיות ב׳, quae latine haud aliter reddi potest quam *dies incidit in* . . ., constanter significat *συνεμπιπτειν* in unum diem, qui ceteroqnin duo dies essent distincti inter se atque adeo divisi ac seiuncti. Ita est *dies* a circumcisione *tertius*, שחל להיות בשבת *qui incidit in Sabbatum* [1]), ita nisanis *dies quartus decimus* [2]) et *dies sextus decimus*, *qui* חל להיות בשבת *incidit in sabbatum* [3]), nec secus יום טוב *dies sollemnis, qui* חל להיות אחר שבת *incidit in diem*, *qui est postridie sabbati* [4]), in quibus *dies sabbati* et *dies*, *qui est postridie sabbati*, procul dubio sunt dies integri, non autem aliqua dumtaxat diei pars. Eodem igitur modo, ubi nominatur sive יום טוב *dies sollemnis* [5]), sive עצרת *postremus dierum festorum* [6]), שחל להיות בערב שבת vertenda sunt *qui incidit in diem, qui est pridie sabbati*, hoc est, in diem veneris, non autem *in vesperam sabbati*. Proinde et in hoc loco Mischnae, quem illustramus, ערב שבת est DIES *sextus hebdomadae*, et ערב פסח DIES *quartus decimus nisanis*.

35 Quid, quod in numerandis diebus hebdomadae nomen ערב שבת ut proprium nomen diei veneris adhibitum reperitur, ut videre est in his: חמישי בשבת ערב שבת ושבת *Quinto die hebdomadis, pridie sabbati, et sabbato* [7]).

36 Non igitur est dubitare nomini ערב notionem subiectam interdum esse diem, qui pridie est eius diei, cuius nomen nomini huic adiunctum est. Sed et illud meminisse oportet, quod syrochaldaicum ערובתא, eadem origine et notatione ac hebraicum ערב, simpliciter positum et absque ullo nomine addito significat ipsum diem veneris; sic enim dies hebdomadae enumeratos reperias apud vetustos scriptores Iudaeos: חד בשבתא ׳תרי׳ תלתא ׳ארבעתא׳ חמשתא ׳ערובתא׳ שבתא לית לה בן זוג *Una hebdomadae, secunda, tertia, quarta, quinta, arubta*, id est, sexta, *sabbatum, cui non est compar* [8]). In Gemara יומא דערובתא [9]) est dies veneris; italice reddas *giorno di venerdì*.

37 Haec autem ad id edisserenda esse duxi, ut facilius cuiquam illud probarem, quod de altera usurpatione nominis *παρασκευης*. Nam, sicut Iudaei hebraice loquentes nomen ערובתא, cuius notatio eadem est ac nominis ערב, proinde certam dumtaxat diei horam, hoc est, vesperam, proprie significans, horam, inquam, illam, qua die veneris, quae opus essent sabbato rite agendo, parabantur eo usque veluti extenderunt, ut integrum diem veneris sic nominarent, ita Iudaei graeco sermone utentes nomen *παρασκευην*, quod illam ipsam *praeparationem* significabat, fecerunt tum horae diei, qua praeparatio haec erat, vesperae, inquam, quae diem sextum hebdomadae claudit, tum toti huic diei sexto, quem etiam *προσαββατον* vocare mos fuit [10]). Quibus haec comprobemus, et Iosephi et evangelistarum testimonia praesto sunt.

38 Refert Iosephus Augusti decretum, quo cavetur, ne Iudaei compellantur promittere vadimonia *ἐν τοις σαββασι ἠ τη προ ταυτης παρασκευη ἀπο ὡρας ἐνατης diebus sabbati, aut, quae pridie est, parasceve ab hora sexta* [11]). Nomen *παρασκευη* in hoc loco ipsum *praeparationem* sabbati significare haud videtur, neque enim dicitur *τη ταυτης παρασκευη*, sed *τη προ ταυτης*, neque, si *praeparationem* significaret, illa *ἀπο ὡρας ἐνατης* haberent, quo cum coniungerentur, aut de quo dicta essent, de *praeparatione* enim nequeunt esse dicta, quippe quia is, qui nonam praeparationis numerat horam, positum habeat necesse est, novem saltem horis, haud minus, praeparationem hanc perfici; tum de tempore hic agi, non autem de re, materies ipsa evincit. Verius ergo videtur esse, aut vesperam diei veneris, aut totum hunc diem a Iosepho nomine isto vocari.

39 In his Matthaei verbis, *Τη δε ἐπαυριον, ἡτις ἐστι μετα την παρασκευην altera autem die, quae est post parasceven* [12]), nomen *παρασκευη* ipsi diei sexto hebdomadae factum est procul dubio, atque proprium huius diei nomen est adhibitum, nullo autem pacto *praeparationem* sabbati potest significare, multoque minus *praeparationem* paschatis. Quis enim nostrum his verbis diem festum, puta, natalis Christi designet: *Altera die, quae est post vigiliam diei natalis Christi?* non tamen reformidaremus diem dominicam ita indicare: *Altera die, quae est post sabbatum* aut simplicius: *Postridie sabbati*, praesertim si sabbatum sit insigni aliqua re aut eventu nobile atque illustre, qualis fuit illa *παρασκευη* illeque dies sextus hebdomadae, de quo loquitur Matthaeus. Marcus haec scripsit: *Ἠν παρασκευη, ὁ ἐστι προσαββατον Erat parasceve, quod est ante sabbatum* [13]), in quibus illud

---

[1]) Mischna Schabb. c. 9. § 3; c. XIX. § 3. [2]) Mischna Pesach. c. 3. § 6; c. 5. § 9. [3]) Ib. c. 7. § 10. [4]) Mischna Iom tob. c. 2. § 2. [5]) Mischna Iom tob. c. 2. § 1; Gemara Iom tob. fo. 15, 2 apud *Lightfoot*. Hor. in Marc. XV, 42. [6]) Mischna Chagiga c. 2. § 4. [7]) Baba kama fo. 37, 2. [8]) Breshit rabba sect. XI. [9]) Hierosol. Pesach. c. 4. § 1. [10]) Iudith. VIII, 6; Marc. XV, 42. [11]) Antiq. L. XVI. c. 6. § 2. [12]) Matth. XXVII, 62. [13]) Marc. XV, 42.

synonymum *προσαββατον* adpositum nomini *παρασκευη* necessario efficit nomen hoc proprium esse totius diei *qui*, ut *προσαββατον* explicavit interpres latinus, *est ante sabbatum*. Apud Lucam ita legimus in latinis codicibus: *Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat* [1]; ast in graecis: *Και ἡμερα ἠν παρασκευη Et dies erat parasceve*, itemque in Syriacis: ܘܝܘܡܐ ܥܪܘܒܬܐ ܗܘܐ, non vero ܘܝܘܡ ܥܪܘܒܬܐ, nec ܝܘܡܐ ܕܥܪܘܒܬܐ; videlicet erat dies ille, qui vocatur parasceve.

40 Sed ipsum Ioannem adeamus, qui in uno atque eodem evangelii sui capite ter hoc nomen usurpavit. Primo in eo ipso loco, de quo contra Paulum Brugensem et Petavium disputamus. Secundo, ubi ita loquitur: *Ἐπει παρασκευη ἠν* (*Quoniam parasceve erat* [2]); in quibus omissio articuli argumento est sumi hoc nomen, ut quod proprium sit toti diei, nam, si *praeparationem* significaret, dicendum omnino fuisset: *Ἐπει ἡ παρασκευη ἠν*, imo vix committi potuisset, ut non *του σαββατου*, aut, si paschatis *praeparatio* erat, ut sentit Petavius, *του πασχα* adderetur. Tertio legitur nomen istud in fine huius capitis, ubi haec sunt: *Ibi ergo, δια την παρασκευην των Ἰουδαιων propter parasceven Iudaeorum, . . . posuerunt Iesum* [3]), significatque, sicut articulus demonstrat, *praeparationem*. Num vero *praeparationem* paschatis? Sed quonam argumento id vincas? Ubi nomen *παρασκευη* solum et absque alio nomine addito usurpatur, id accipiamus oportet in eam notionem, quae certius, aut saltem quae communius frequentiusque ei subiecta esse solet; haec vero notio est, non paschatis, sed sabbati *praeparatio*.

41 Iam ergo licet, disputationis huius nostrae vela contrahamus. Ut negare non est, si ad vim verbi spectes, posse *παρασκευην του πασχα parasceven paschatis* vocari *praeparationem* rerum sollemni huic agendo opportunarum, ita, si verbi usum adtendas, nemo certo vincet id in hoc loco evangelii Ioannis, ex quo argumentum petiere Paulus Burgensis et Petavius, nomine isto significari, quum significari possit dies sextus hebdomadae. E contrario, est, cur altera haec notio praeferatur. Hoc enim omnino flagitat absentia articuli; nam si vel *praeparationem* hoc in loco nomen *παρασκευη*, vel diem, qui pridie paschatis esset, designaret, omitti articulus nullo modo potuisset, non enim ut nomen proprium aut *ἀοριστον* esset positum. Deinde hoc idem suadet interpres syrus bibliorum, auctor translationis *peschito*, qui pro *παρασκευη* in hoc loco, aeque ac in ceteris omnibus, ubi id legitur, reddidit ܥܪܘܒܬܐ, quod Syris est *dies veneris*, acceptum, ut adparet, ex Hebraeis. Porro quidquid contra Toletum clamet Petavius, sententiam nostram illud comprobat, iam a Toleto notatum, quod locus alter haud est, sive bibliorum, sive aliorum scriptorum, in quo *παρασκευη* alterius diei, quam sabbati, sive praeparationem, sive vesperam, sive diem, qui pridie est, significet, aut saltem significare veri similius videatur. Ad haec facile quis intelligit, ut hora, cuius mentio a Ioanne in hoc loco una cum ipsius parasceves mentione facta est, sit pars ipsius parasceves, proinde hoc nomine tempus significetur horis distinctum necesse est, quale, non praeparatio esse potest, sed vel dies, vel diei vespera. At vesperae apud Iudaeos initium non fiebat ante horam nonam. Quum ergo et parasceve esset et hora sexta, quando ea gerebantur, quae Ioannes refert, parasceve haec, non vespera erat, sed totus dies. Cui argumento novum pondus accedet, si, non *hora sexta* in Ioanne legendum sit, sed *hora tertia*, sicut et codices nonnulli habent, et quidam e patribus sentiunt, et *παραλληλισμος* evangeliorum legere suadet [4]).

42 At enim, inquit Petavius *uti, si natalis dominici festus dies in feriam II incurrat, nemo de dominica ipsa pronunciet: Hodie vigilia est dominicae, hoc est dies ipsa dominica, in quam vigilia natalis incidit, ita neque altera illa ferri potest loquendi formula, parasceven paschae ipsummet esse paschatis diem, quod in eo parasceve sabbati contigerit. Inest enim in parasceves vocabulo notio ac potestas adverbii* PRIDIE. Verum opinio Petavium eo fefellit, quod positum haberet, semper nomini parasceve hanc notionem subesse, quum tamen saepius absolute usurpetur nullo respectu diei insequentis. Quo posito verba Ioannis non eiusmodi sunt, ut Petavius dicit, sed sicut dicere solemus *dominicam paschatis, feriam secundam, tertiam paschatis, sabbatum paschatis*, quum dicere volumus dominicam, feriam secundam, tertiam, sabbatum, qui sunt e septem diebus paschatis, et sicut ipsum diem *παρασκευην*, id est, diem veneris primum post diem festum paschatis *feriam sextam paschatis* vocamus, scilicet *παρασκευην του πασχα*. Neque ex eo, quod Ioannes nomini *παρασκευη* addiderit voces *του πασχα*, consequens est *παρασκευης* adpellationem in hoc loco esse, ut Petavius ait, *των προς τι et ad insequentem diem σχεσιν* habere; nam et in illis dicendi formulis, quas modo congessi, nulla huiusmodi *σχεσις* est, nullaque adparet, neque in illis eiusdem ipsius Ioannis verbis *δια την*

---

[1]) Luc. XXIII, 54. [2]) Io. XIX, 31. [3]) Ib. 42. [4]) Lib. II. n. CXCIII.

παρασκευην των Ἰουδαιων ullam ad Iudaeos *σχεσιν* nominis *της παρασκευης* quis ideo comminiscatur, quia nomini huic Iudaeorum nomen additum est, tametsi potiore ratione id fieret in hoc, quam in illo loco, quippe quia in hoc articulus additus *praeparationem* nomini *τῃ παρασκευῃ* notionem subiicit, ab illo vero notio haec, absente articulo, excluditur.

43 Summa autem summarum haec est: Verba haec Ioannis, quae Paulo Burgensi, Petavio, aliis, id negotii fecere, eoque hos adegere, ut commentum illud excogitarent de Christo sollemne paschalis agente pridie eius diei, quo die Iudaei egerunt, aeque ac alia superius exposita, vel nullam difficultatem prae se ferre, vel certe non eam, quam ut vincas nova atque incomperta, multoque minus a vero prorsus abhorrentia, quaeque in graviores hac, quam vincere conaris, difficultates te coniiciant, comminisci necesse habeas.

44 Opponunt deinde nobis Paulus et Petavius illud Ioannis: *Iudaei ergo, quoniam parasceve erat, ut non remonerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sabbati, cetera* [1]). Ex quibus ita Petavius: *Quod nominatim de sabbato illo scribit, magnum fuisse diem, nemo aliter interpretari queat, quam alterius festi concursu ac religione ceteris insigniorem fuisse.* Atque haec quatenus Petavio concedenda sint, mox videbimus. Pergit ille: *Illud vero ne fingi quidem aliud potest, quam pascha sive prima dies azymorum.* Enimvero haec oppido neganda. Ut autem ea refellamus, praestat ipsum hunc locum illustrare.

45 Graeci codices, qui de meliore nota commendantur, pro verbis *ἡ ἡμερα ἐκεινη του σαββατου dies ille sabbati*, quae in vulgatis exemplaribus leguntur, habent *ἡ ἡμερα ἐκεινου του σαββατου dies illius sabbati.* Qui sentiunt utrumvis perinde habendum esse, minus accurate sententiam expendisse dicendi sunt. Nam, qui ait *magnum* fuisse *diem illum sabbati*, eam solummodo huius diei religionem exprimit, qua quivis dies sabbati sanctus habebatur, ceterisque hebdomadae diebus praestabat, non vero aliquid, quod *illi sabbato* proprium esset; qui autem *magnum* fuisse *diem illius sabbati*, peculiarem aliquam sive religionem sive excellentiam *illi sabbato* prae ceteris sabbatis adtribuit. Quare, si priore modo legendum est, sicut legimus in exemplaribus latinis, nullum est argumentum, quo ex his verbis deprompto impetitur sententia nostra, sensus autem est, aetate illa, qua gesta ea fuere, quae Ioannes narrat, septimum diem hebdomadae, qui sabbatum vocatur, magnum fuisse, hoc est Deo sacrum, proinde religiose agendum. Neque ab re id notavit Ioannes, quippe qui nec Iudaeis scriberet, nec citius, quam sexaginta fere post annis, ex quo sabbati religioni fuerat abrogatum. Non ergo omni ex parte veritati consentaneam est, quod ait Petavius, verba haec neminem *aliter interpretari* posse, *quam alterius festi concursu ac religione ceteris insigniorem fuisse* diem hunc. Sin autem praestantiores illos graecos codices, quos commemoravimus, sequi malueris, atque altero modo legere, quaerendum supererit, unde peculiaris haec, quae sabbato illi prae ceteris sabbatis inesset, religio.

46 Scilicet ex eo, unde ut illam ortam credat, adduci se posse negat Petavius, *quod in eum diem secunda dies azymorum incurreret, adeoque frequentioribus sacrificiis ac caeremoniis idem ille celebraretur.* Quae vero *ceteris insigniorem* illum diem facerent, haec fuere. Primo ipsa sabbati religio. Secundo, dies iste unus erat e septem, quorum spatio integrum sollemne comprehendebatur, et quorum singuli, si vacationem esumque agni et victimarum (28) excipias, iisdem ipsis religionibus agebantur, quibus primus et postremus [2]). Tertio, alter erat duorum dierum, quibus victimae prima die oblatae comedebantur (28). Quarto, messi eo die initium fiebat [3]), quidquid contra disputet Harduinus [4]). Quinto, messarum frugum manipulus, agrorum primitiae, Deo offerebantur in templo [5]). Sexto, plura, quam ceteris omnibus azymorum diebus, sacra fiebant [6]). Septimo, numerari incipiebant ab eo die septem hebdomadae, quae integrae intercedere debebant inter diem primum azymorum et pentecosten [7]), Octavo, sabbatum erat primum e septem, quae in id temporis spatium incidebant, atque adeo illud, quod sabbatum *δευτεροπρωτον secundo primum* [8]) dici solebat; ipsius quippe Petavii [9]), atque etiam Lightfooti [10]), aliorumque, sententia est, omnium veri simillima, ita vocatum fuisse sabbatum primae illarum hebdomadarum, quae a secunda die azymorum ad diem, qui erat pridie pentecostes, numerantur, proinde quod est *πρωτον ἀπο της δευτερας του πασχα.* Habes

---

[1]) Io. XIX, 31. [2]) Num. XXVIII, 24 coll. 18—23. 25. [3]) Deuter. XVI, 9 coll. Levit. XXIII, 10—16. *Ioseph.* Antiq. L. III. c. 10. § 5. [4]) De LXX hebdomad. Dan. § 22 in *Petav.* De Doctr. temp. T. III. Antverp. 1703. [5]) Lev. XXIII, 10. 11. [6]) Ib. 12—14. [7]) Ib. 15. 16; Deut. XVI, 9. 10. [8]) Luc. VI, 1. [9]) In *Epiphan.* Haer. XXX. not. 31 et Variar. dissertat. ad Uranolog. L. II. c. 12. [10]) Chronica N. T. sect. XXV; Horae hebr. in Matth. XII, 1 et Luc. VI, 1.

itaque plurima, quae diem *illius sabbati* ceteris diebus atque adeo ceteris sabbatis insigniorem facerent sanctioremque.

47 At enim, ait Petavius, *tum haec probari interpretatio posset, si secundus dies azymorum, aut alius omnino praeter primum et novissimum, festus ac sollemnis esset habitus. Quod secus se habet, ut ex Levit. cap.* XXIII *constat. Quare non potest sabbati religio profanae diei accessione maior fieri.* Sed vir summus verbis *festo* et *profano* ludere videtur, veluti si *festi* dies dumtaxat illi dicerentur, quibus vacamus, quosque prae cunctis omnino maxima agere religione sacrosque habere iubemur, ceteri vero omnes *profani.* Profecto idem ipse Petavius paullo supra dixerat *paschatis vocabulum tam de* prima die azymorum, *quam de sex aliis usurpari*, hoc enim sollemne totis septem diebus agebatur.

48 Ceterum his verbis Ioannis adeo nihil Pauli et Petavii sententia proficit, ut e contrario iis refellatur. Nam, si in sabbatum, quod fuit postridie mortis Christi, dies primus azymorum incidisset, Paulum et Petavium rogamus, cur dicitur curae fuisse Iudaeis, *ut non remanerent in cruce corpora ἐν τῳ σαββατῳ sabbato*, non autem *ut non remanerent in cruce corpora ἐν τῳ πασχα in die paschatis?* Nonne verius id dictum fuisset, itemque brevius, utpote quia compendii fieri potuisset ratio subiuncta illis verbis: *erat enim magnus dies ille sabbati?* Cur autem Ioannes hanc περιφρασιν, quae nil nisi tenebras historiae ceteroquin perspicuissimae adfunderet, usurpasset? Num illud, quod Iudaei cautum avebant, sabbatis dumtaxat aut potissimum sabbatis cavendum erat? an non quocumque die, idque legibus ea de re latis [1])? An quia magis diem sabbati illud dedeceret? At nonne maxime diem paschatis? Vel igitur ex lege rei huius caussa promenda fuit, vel, si ex diei religione, ex paschatis potius quam sabbati.

49 Denique haud praeterire est illud, quo argumentum ex hoc loco prolatum funditus convellitur, verius longe videri scripsisse Ioannem ἡ ἡμερα ἐκεινη, quam ἐκεινου του σαββατου, quale demum ac quantumcumque sit pretium illorum codicum, quorum auctoritate ducti aetatis huius critici ἐκεινου pro ἐκεινη scripserunt, ab eodemque caussam adferri petitam ex religione, quae sabbatis omnibus inerat. Sicut enim, quod modo (48) vidimus, si haec caussa, quod Petavio placet, fuisset sanctitas diei paschatis, Ioannes scribere debuisset id consilii captum, *ut non remanerent in cruce corpora die festo paschatis*, ita, si religio diei secundae azymorum, *ut non remanerent in cruce die secunda azymorum*, fuisset dicendum, sin autem tum diei huius tum sabbati religio ac sanctitas, *ut non remanerent in cruce corpora die illius sabbati*, verbo *illius* in eum sensum acceptum, quem superius (45) explicuimus. Quum ergo simpliciter dixerit ἐν τῳ σαββατῳ, sabbati sanctitatem, non aliud, caussari putandus est, deque ea loqui verbis, quae sequuntur, quibusque caussam hanc enuntiat, proinde ἐκεινη scripsisse, non ἐκεινου. Ne vero quid ulterius quis opponat, is meminerit, etsi non primi diei azymorum, diei tamen secundi religione religionem sabbati longe fuisse angustiorem.

50 Quod vero quidam, ut eam ipsam, quam nos, de postremo paschate vitae Christi sententiam defendant, aiunt loqui Ioannem de illo, quod Iudaei vocabant שבת הגדול *sabbatum magnum*, nec vere aiunt, nec, si verum foret, id ex verbis Ioannis colligere esset. Non enim is narrat diem illum fuisse σαββατον το μεγα *sabbatum magnum*, sed *magnum* fuisse illud sabbatum sive diem illum sabbati; neque Ioannes, qui adpellationes proprias Iudaeorum, nisi maxime usitatas ac nemini non perspectas, unquam sectatur, multoque minus notos legentibus horum ritus ac consuetudines esse ponit, unquam adpellatione hac usus fuisset, nisi forte addita explicatione. *Sabbatum magnum* autem, quod Iudaei vocabant, non illud fuit *quod festo paschali* COEPTO *erat proximum*, sicut errore veri scripsit Harembergius [2]), Maimonidae [3]) testimonium proferens, vere an secus, nondum compertum habere mihi occasio fuit, sed illud, quod proximum erat paschati futuro, ut docent scriptores librorum Orach chaiim [4]) et Schulchan ior [5]), et videre est in ritualibus Iudaeorum libris.

51 Aliud sententiae suae argumentum, quod tamen Petavius minime urget, putat Paulus habere se *ex paschalis festi religione depromptum, quae omnia illa vetuit exerceri, quae a Iudaeis eo, quo crucifixus est Christus, die praestita leguntur, cuiusmodi sunt iudicium instituere, reum sistere accusare, interrogare, testes producere, condemnare, ac damnatum deinde ad praesidem deducere, comitari ad supplicium, praetereuntes angariare, et ad onus ferendum agere. . . . Addit Burgensis sepulturae officium, quod non minus festis diebus interdicebatur.* Quae omnia uno veluti fasce com-

---

[1]) Deut. XXI, 22. 23. [2]) Demonstratio, qua ostenditur Christus eadem die naturali iudaica cum reliquis Iudaeis comedisse agnum no. 8 in *Ikenii* Thesauro T. II. [3]) De Die feriato c. 7. [4]) No. 430 ap. *Buxtorf.* Synagog. iud. c. 17. [5]) Pag. 33, in *Ugolini* Thesauro T. III. col. 247. annot. 1.

plexi levi aegotio refellamus. Plura posita babet Paulus tamquam certa, ea autem sunt, quod haec, quae enumerat, omnia ab ipsis Iudaeis, faeriat acta, qaod ea qaoque, quae Christiaai, agere diebus festis Iudaei vetareatur, quod eadem diebas featis ac sabbatis. Falso. Id vere me adfirmare, historia, evangelia, ipsorum Iudaeorum monumenta, teatificaatur.

52 Etenim illnd in mischaam relatum, *Non est differentia inter diem festum et diem Sabbati* [1]), haudquaqaam Iudaeorum vulgo placitum fait, sed scholarum Sammaeanorum; coatra enim Hillelianorum scholae pronantiabant: *Multas esse res, quae licitae sunt die festo, vetitae die sabbati* [2]). Communem vero magistria religionis sententiam fuisse novimus, discrimen esae inter sabbata interque dies festos qaod ad illa, quae his diebus agere fas esset ant aefas. Nam, quod exempli causaa sit, *Lapidatio*, inquiunt, *fit sabbato, at non fit die festo. Excidium fit sabbato, et non die festo. Flagellatio fit die festo, at non sabbato* [3]). Sic, ut de ipso die festo paschatis aliqaid dicam, si dies quartus decimus aisanis iacidisset ia sabbatam, agnus mactabatur stata bora, non tamen assabatur, ante noctem, quum sabbatum iam praeterierat, inceperatque primua dies hebdomadis, qui erat aisaais qniatus decimus maximeque omnium featus ac religiosus [4]). Ad haeo constat discrepasse seateatias de iis, qaae sive sabbato [5]), sive diebas festis [6]), sive etiam die paschatis [7]), agere liceret. Sed dicere praestat de singulis, quae ia evangeliis illo die gesta leguntur.

53 Iadicia sabbato atque adeo diebus festis quomians fierent, nalla lege cautum erat, sicat apud nos. Quae enim sabbato agere nefas erat, omnia enumerata sunt in mischna [8]), inter qaae tamen aalla indiciorum mentio. Vetitum quidem erat indicüa initium facere sub horam sacrificii vespertini pridie sabbati [9]), sed, ut adnotaraat Maimonides et Bartenora [10]), ne preces forte omitterentur ea bora fieri solitae. Et alia nimirum, qnae aabbato procul dubio licita erant, iacipere vetabaatur Iudaei sub eamdem banc horam, puta, librorum lectioaem, cai sedeado vacarent, comestionem, cetera [11]). Quid vero, quod simul vetabantur, ne iadiciam sub horam banc iam inceptum iaterrumperent [12])? Denique, qaod iudicia fieri liceret etiam diebas festis, compertum habemus ex illis ipsis mischaae capitibus, in quibus est de horum dierum religione. Exponuatur enim tria genera operum, qaae neo sabbatis neo diebus festis agere fas erat. Horum alia *ἀδιάφορα* saat, velat equitare, mauas complodere, saltare, de quibua nullae leges latae, sed quae solum משום שבת *titulo sabbati*, boc est quietis et cessationis sabbato praeceptae prohibebantur. Alia erant משום צוה *titulo praecepti*, quae, inqaam, lex fieri praecipiebat simpliciter et absolute, abstinendum tamea ab his erat illis diebas, ut sunt coasecrationes, anathemata, oblatio decimarum. Deniqae alia משום רשית *titulo facultatis* vel *potestatis*, hoc est, qaae legibus ita praecipiebaatur, ut tamen aubinde ea solammodo licereat, sive ita, ut alii absolute ea deberent, alii non item; huiasmodi faere sponaalia, aaptiae initae lege de vidua et leviro [13]), calcei detractio [14]), interque haeo aumerantur etiam iadicia. Tertium itaqae hoc genua eorum operum est, quae diebus festis agere ei solum haad licebat, qui ex rerum adiunctis compertum haberet se ad ea praestanda lege, quae de illis lata erat, minime teneri. Neque enim uaptias quis iuire iubebatur, nisi is qui coelebs esset; quare ia quidem sponsalia facere poterat diebus festis, nou tamen ille, qui uxorem iam duxisset. Sic quoque viri defuncti viduam ducere officium eias erat, qui defuncto proximus omniam esset consanguinitate, proinde is diebus qaoqae festis id poterat, noa item alias e defaacti propiaqais. Pari igitur pacto quidam iudiciam exercere diebus festis tunc vetabaatar, quum alii aderant iure potiores, qui id praestareat. Neo secus, ac aos, locum huac declaravit Maimoaidea [15]).

54 Qaod flagellare, etsi sabbato haud concessum, licitum tamea esset die festo, verba talmudis superias (52) retulimus, quae id uos doceat. Qui *apprehenderunt Simonem . . . Cyrenensem et imposuerunt illi crucem portare post Iesum* [16]), uon Iudaei fuerunt, sed milites Romani [17]).

55 Quod ad supplicia obstare nobis illud scitam cuipiam fortasse videatur, qaod et saperias (52) retulimas, et modo (54) iterum commemoravimus: *Lapidatio fit sabbato, at non fit die festo.* Verum meminisse oportet id Iudaeorum placitum esse, proinde eo ail amplias significari, qaam qaod dicitur, qaodqae verba ipsa sonant, uec ad aliud, praeter id, legem extendi posse his verbis conceptam, uec, qaia probibita lapidatio, ideo aliad quodcumque supplicii genus prohibitum fuisse ceaseudum est.

---

[1]) Mischn. Iom tob. c. 5. § 2. [2]) Lege *Maimon.* et *Bartenor.* in h. l. [3]) Betza hieros. c. 5. § 2. [4]) Mischna Pesach. c. 6. § 1 coll. § 2. [5]) Mischna Schabb. cc. 1 seqq. [6]) Mischna Iom tob. cc. 1. 2 seqq. [7]) Ib. c. 2. § 7. [8]) Mischna Schabb. c. 7. § 2. [9]) Mischna Schabb. c. 1. § 2. [10]) In h. l. [11]) Mischna ib. [12]) Ib. [13]) Deuter. XXV, 5. 6. [14]) Ib. 7—10; Ruth. IV, 1—10. [15]) In Mischna l. c. [16]) Luc. XXIII, 26. [17]) Matth. XXVII, 33 coll. 32; Marc. XV, 21 coll. 16. Conf. Io. XIX, 23.

Tum, quod iam (3) adnotavimus, quum de Christo sustollendo consuleretur, censuerunt *non in die festo* id fieri oportere, haudquaquam ob diei religionem, quam caussam, si vera fuisset, minime praeterissent, sed *ne forte tumultus fieret in populo.* Lege, quae hac de re superius (3) dicta sunt. Constat imo, nedum id licuisse, maiorum decreto fuisse constitutum, ut quoddam sontium genus die festo supplicio adficerentur, de quorum numero Christum a Iudaeis habitum facile dabis, caussamque, cur haberetur, intelliges, si ipsa decreti verba, quae subiungimus, consideraveris: *Gravius peccatur contra verba scribarum, quam contra verba legis. Si quis dicat: Phylacteria nihili sunt, ita ut transgrediatur verba legis, liber est.* Sin dicat: *Quinque sunt capsulae* in phylacterio, *ita ut addat verbis scribarum, reus est. Non occiditur a iudicibus civitatis suae, non a synedrio, quod Iabnae est, sed ad summum senatum Hierosolymam deducitur, atque istic in custodia asservatur, usque ad diem festum, et* IN DIE FESTO INTERFICITUR, *quia dictum est: Et omnis populus audiens timebit, neque ultra praefracte aget* [1]). *Verba rabbi Akibae* [2]).

56 Quum postremo loco Paulus Burgensis adfirmat, die festo interdictam fuisse sepulturam, haud animadvertit, ut id fortasse non nostrae magis, quam ipsius sententiae difficultatem creet. Nam Christus die parasceves, hoc est, die sexta hebdomadae, mortuus est circa horam nonam [3]); quare, sicut adparet ex iis, quae deinceps gesta narrantur usque ad sepulturam [4]), sepulcro condi non potuit multo ante solis occasum, videlicet quum tempus iam foret ex sabbati religione cessandi, cui cessationi, sicut colligere est ex Iosepho [5]), hora nona initium fiebat. Neque enim sepultura sabbato magis licita fuit, quam diebus festis, quum e contrario leges essent, quae sabbato, non autem, quae diebus festis, sepelire vetabant. Haud tamen diffiteor sentire me ex verbis Iosephi haud necessario consequi ab omnibus cessandum fuisse post horam nonam diei parasceves, a quibus sabbato; imo secus sentio. Attamen illud nego, lege ulla vetari Iudaeos sepelire diebus festis, sed sabbato dumtaxat. Lex enim haec est: *Mortuo in sabbato fiunt omnia necessaria, dummodo loco non moveatur* [6]). Attamen supplicio adfectos sepelire die sabbati, nedum liceret, leges iubebant [7]) ex ipsius Moysis instituto [8]).

57 Supersunt Chrysostomus et Epiphanius, quos Petavius veluti in suas partes trahere adortus est. Horum primus explicans verba illa Ioannis: *Non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha* [9]), haec ait: *Ἠτοι οὐν το πασχα ἑορτην πασαν λεγει, ἠ ὁτι τοτε ἐποιουν το πασχα, αὐτος δε προ μιας αὐτο παρεδωκε, τηρων την ἑαυτου σφαγην τῃ παρασκευῃ, ὁτε και το παλαιον ἐγινετο πασχα*, eaque sic vertit Petavius: *Aut igitur paschatis nomine totum festum intelligit, aut ideo sic loquitur, quod tunc temporis Iudaei pascha celebrarent, ipse vero pridie illud tradiderat, cum necem suam ad parasceves diem reservaret, quando vetus pascha peragebatur* [10]). Sed cum primis adnota, ut Chrysostomus nihil adfirmet, sed solum coniiciat, atque ita quidem, ut neutri duarum coniecturarum prae altera adsentire se ostendat. Quid vero quod in alio loco id dicit, quod profecto nec ipse Petavius acciperet, Iudaeos, non sacrum sollemne, sed dumtaxat esum agni distulisse studio ductos ac cupiditate interimendi Christum? En ipsa verba Chrysostomi: *Ille enim* Caiphas *erat tunc pontifex, et omnes illic exspectabant; itaque interea pernoctarunt et vigilarunt, οὐδε γαρ ἐφαγον τοτε πασχα neque enim manducarunt tunc pascha. Quum enim dixisset* Ioannes *mane fuisse, subiunxit: Non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. Quid igitur dicere est? Ὁτι ἐν ἑτερᾳ ἡμερᾳ ἐφαγον, και τον νομον ἐλυσαν δια την ἐπιθυμιαν την περι την σφαγην ταυτην. οὐ γαρ ἀν ὁ Χριστος παρεβη τον καιρον του πασχα, ἀλλ᾽ ἐκεινοι οἱ παντα τολμωντες και μυριους καταπατουντες νομους. ἐπειδη σφοδρα ἐζεον τῳ θυμῳ, και πολλακις ἐπιχειρησαντες ἀνελειν οὐκ ἰσχυσαν. τοτε δε λαβοντες αὐτον ἀπροσδοκητως, εἱλοντο και το πασχα ἀφειναι, ὑπερ του την φονικην αὐτων ἐμπλησαι ἐπιθυμιαν. Quod alio die comederint, et legem violaverint ex cupidine huius necis. Neque enim Christus transgressus est tempus paschatis, sed ipsi. Quoniam valde fervebant ira, et quum pluries tentassent sustollere, haud potuerant, tunc quum ipsum insperato cepissent, maluerunt omittere pascha, ut explerent, qua flagrabant, caedis cupidinem* [11]). Occasionem itaque, cur illi prout Chrysostomus putat, *εἱλοντο το πασχα ἀφειναι maluerunt omittere pascha*, ipse ait fuisse, quod *ἀπροσδοκητως insperato* in manu Christum haberent, *pernoctarentque* ac *vigilarent exspectantes*, ut ad ipsos is duceretur; proinde occasio haec oblata ipsis non

---

[1]) Deut. XVII, 13. [2]) Sanhedr. Mischna. c. 10. §§ 3. 4. [3]) Matth. XXVII, 50 coll. 46; Marc. XV, 37 coll. 34; Luc. XXIII, 46 coll. 44. [4]) Ib. seqq.; Io. XIX, 31—42. [5]) Ant. L. XVI. c. 6. § 2. [6]) Mischna Schabb. c. 23. § 5. Lege *Maimon.* in h. l. [7]) Mekilta Nezikin § 4. [8]) Deut. XXI, 23. [9]) Io. XVIII, 28. [10]) In Ioan. hom. LXXXIII. § 3. [11]) In Matth. hom. LXXXIV al. LXXXV. § 2.

fuit, nisi multa hora post eam vesperam, qua agni mactandi fuerant. Consequens igitur illud est, quod agni comestionem dicat expressis verbis Chrysostomus ab illis omissam, non ipsum sacrificium, neque ab omnibus vulgo, sed ab iis, qui in domum Caiphae convenerant. Quare, nisi Chrysostomum secum ipsum pugnantem inducere velimus, eodem modo intelligenda sunt eius verba, quae adtulit Petavius. Quam Chrysostomi sententiae interpretationem ipse Chrysostomus luculenter comprobavit, quum paullo ante aperte dixit Iudaeos in Christum manus iniecisse *κατ' αὐτὴν νύκτα, καθ' ἣν τὸ πάσχα ἔφαγον eadem nocte, qua pascha manducabant* [1]).

58 Quod ad Epiphanium, non quidem veluti adstipulantem sententiae suae hunc inducit Petavius, constat enim a nobis eum stare, sed in adnotationibus, quibus huius scripta illustravit, ubi novo post alios molimine conatus est cyclum illum paschalem componere atque ordinare, cuius obscurissima maximeque implexa elementa suggerit Epiphanius [2]), id egit, ut sententiam suam iis confirmaret, quae in illo loco de postremo paschate, quod Christus fecit, ille narrat, quippe *qui θόρυβον ac dissidium in celebrando paschate incidisse demonstrat.* Vere, an secus, de his senserit Petavius, eaque interpretatus sit, praestat discere ex ipsis Epiphanii verbis, quae ideo subiungimus a Petavio ipso latine versa: *Quae perversa cycli ratio cum illis aberrandi caussa fuisset, non modo θορυβούμενοι perturbantes omnia biduo legitimum paschatis tempus anteverterunt, sed et uno insuper die praetergressi magnis se erroribus implicarunt. . . . Christus in montem secessit,* CUM HOC IPSUM *pascha comedisset. . . . Proinde pascha illic* IUDAICUM *cum discipulis comedit, nec* ALITER *istud, egit ipse, sed eodem prorsus modo,* QUO ET ILLI *praestiterunt, ut ne legem solveret, sed adimpleret* [3]). Equidem haud intelligo, quo pacto ex his consequens sit id, quod Petavius ait: *Quocirca, non unus Dominus pascha legitimum et a pharisaico diversum obiit, sed Iudaeorum etiam aliqui, ut ex Epiphanio colligebamus, qui θόρυβον ac dissidium in celebrando paschate incidisse demonstrat.*

59 Neque est, cur quis mihi haec Tertulliani verba opponat: *Passio . . . perfecta est . . . die prima azymorum, quo agnum ut occiderent ad vesperam, a Moyse fuerat praeceptum* [4]). Non enim credamus necesse est loqui illum de vespera, in quam dies prima azymorum exibat, sed qua incipiebat. Is sane verior atque usitatior est sensus, in quem accipitur *prima dies azymorum.* Tum Tertullianus in alio loco satis ostendit se credere, eodem die, quo Iudaeos, pascha illud supremum Christum comedisse [5]). De Christo enim haec ait: *Adeo legem et prophetas non destruebat, quum, quae praedicaverant, confirmat perfici oportere.* Hoc aliis atque aliis argumentis evincit, quorum unum ita est: *Ideo affectum suum ostendit, Concupiscentia concupivi pascha edere* VOBISCUM, *antequam patiar.* O LEGIS DESTRUCTOREM, QUI CONCUPIERAT ETIAM IN PASCHA SERVARE! Si alii qui veterum scripsere Iudaeos agno fecisse illa ipsa vespera, qua Christus obiit, non est, quod ab his opem ullam Petavius exspectet, ii enim sunt, qui *τυπικὸν* pascha supremo illo vitae tempore Christum celebrasse negarunt. Ceterum, qui aperte pronuntiaverit Christum pascha comedisse pridie quam Iudaeos ipsoque die, quo oportebat, proinde ipsam Petavii sententiam longe ante Petavium secutus sit, Eusebius Pamphili est in *Libro de paschate* [6]). Sed, an alterum praeter Eusebium reperire sit, valde dubito. Qui autem Christum pascha edisse negarunt, sed in crucem actum fuisse quo die Iudaei agno facturi erant, eos Petavius habet enumeratos [7]). Qui hoc alterum quidem dicerent, sed illud prius silentio praeterirent, fuere Lactantius [8]), Hilarus Diaconus seu quisquis auctor est *Quaestionum Veteris et Novi Testamenti* [9]), scriptor *Homiliae de paschate* [10]). Qui denique solummodo dixere Christum die lunae XIV fuisse cruci fixum, invenias nescio quem Athanasium [11]), forte alterum e duobus Cuspiniani Chronographis [12]), scriptorem quemdam de bibliotheca regia [13]). His vero postremis nequaquam adnumerandi sunt Latini, qui solum aiebant Christum obiisse die lunae XIV, ut Hilarianus [14]), Chronographus a Maio editus [15]), Petrus Damiani [16]), alii; Latini enim diem, quo plenilunium fit, solebant lunam decimamquartam adpellare [17]).

60 Missa facimus Lucae verba, *Venit autem dies Azymorum, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα in qua necesse erat occidi pascha* [18]), *quae si quis subtilius accipere velit*, inquit Petavius, *favent opinioni nostrae; Iudaeos enim significant ἐν ᾗ οὐκ ἔδει sacrificasse, Christum ἐν ᾗ ἔδει.* Quasi vero, quoties hoc verbum occurrit, positum habere oporteat alios id, quod dicitur, exsequutos esse sicut ἔδει, alios sicut οὐκ ἔδει, atque tunc solum, quum huiusmodi discrimen faciendum est, verbum

---

[1]) In Matth. hom. LXXXIII al. LXXXIV. § 2. [2]) Haer. LI. § 26. [3]) Ib. § 27. [4]) Adv. Iudaeos. c. 8. [5]) Adv. Marc. L. IV. cc. 39. 40. [6]) In *Mai.* Scriptor. vet. nova collect. T. I. pp. 255—257. [7]) Doctr. temp. L. XII. c. 15. [8]) Epit. § 45. [9]) Lege Diss. XIX. no. 79. [10]) Ib. no. 154. [11]) Ib. no. 102. [12]) Ib. no. 130. [13]) Ib. no. 176. [14]) Ib. no. 92. [15]) Ib. no. 140. [16]) Ib. no. 201. [17]) *Petav.* Doctr. temp. L. V. c. 16. [18]) Luc. XXII, 7.

hoc esset usurpandum, non autem debitum aut necessitatem simpliciter nullo id genus discrimine significet.

61 Cetera quoque, quae sententiae nostrae quidam opponunt, a Paulo Burgensi et a Petavio praetermissa, nos quoque praeterimus, veluti regulam illam ac normam dierum intercalandorum, quam vocant אד״ו בד״ו, utpote longa aetate post Christum invectam [1]), itemque leges de festis diebus geminandis, quas fuse exposuit Maimonides [2]), quippe quae latae erant de regionibus atque urbibus procul Hierosolyma positis. Quare huic nostrae disputationi iam finis esto.

DISSERTATIO LI

De anno emortuali Christi

1 Opinionum de anno Christi emortuali vicissitudines indicavimus in Dissertatione decima nona, easque in tabulis huic adiunctis uno veluti intuitu conspiciendas exhibuimus. Quorum veterum scripta supersunt, primus, qui aliquid ea de re literis consignavit, Irenaeus exstitit; is aiebat Christum docuisse, quum ea erat aetate, ut ab quinquagesimo vitae anno non multum abesset, proinde circa hunc annum mortem oppetiisse; quumque ipse Irenaeus crederet Christum natum *circa primum et quadragesimum annum Augusti imperii*, consequeretur Christi obitum incidisse in annum p. i. 4760, aer. vulg. 47, aut non multo secus [3]). Verum communis et constans primorum trium saeculorum sententia fuit το παϑος adscribendum esse anno imperii Tiberii decimoquinto L. Rubellio Gemino C. Fufio Gemino coss., qui annus est U. C. DCCLXXXII, p. i. 4742, aer. vulg. 29. Quum autem Lucas memoriae prodiderit *anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris* Ioannem Baptistam legatione sua fungi coepisse [4]), quod inde consequi tantum non necesse erat, factum est, ut vel Christus uno non amplius anno post baptismum vixisse crederetur, idque primis illis aetatibus creditum est, vel seriore anno cruci fixum fuisse, quam imperii Tiberii decimoquinto, vel denique unus atque idem scriptor pugnantia narraret. Haec, quae inter Lucae narrationem interque illam sententiam esse videtur, oppositio non potuit, quin animum percelleret eorum, qui evangelia adtentius legebant, aliaque cum aliis comparabant, nec tamen noverant, quod Tertullianus perspectum habuit [5]), illum imperii Tiberii annum decimumquintum esse, non ab Augusti decessu, sed ab eadem cum Augusto in provincias potestate Tiberio a senatu facta [6]). Hinc Origenes, ceteroqnin temporum satis incuriosus, rem animadvertens, utramque sententiam omnium primus, non quidem pugna sublata componere studuit, sed simpliciter ita est sequutus, ut e temporum notis, quas suggerit, efficiatur Christum mortuum esse eo anno, qui simul esset aer. vulg. 29, quod illi aetati certum erat, simulque aer. vulg. 32, eo quod is baptismo tinctus anno XV imperii Tiberii tres annos supervixerit [7]). Eusebius vero initio saeculi IV omnium primus, nam de Cypriano postea dicemus, quum probe intelligeret in evangeliis narrari sollemne paschatis quater a Christo actum fuisse post baptismum, ad quem eum accessisse anno decimoquinto imperii, quod Tiberius gessit post Augusti mortem, ex Lucae narratione colligi autumabat, reiecta sententia, quae ad id steterat, de Christi obitu anno XV imperii Tiberii duobus Geminis coss. adscribendo, seriorem terminum huic adsignavit [8]), ipsiusque opinionem primo aliqui, deinde plerique adsciverunt, ita tamen ut annum Christi emortualem, alium quidem anno illo decimoquinto, non tamen unum omnes atque eumdem statuerent, sed alium atque alium.

2 Quibus positis liquet, quo loco habere oporteat eorum religionem, qui induci nequeunt, ut credant Christum cruci fixum fuisse alio, quam certo aliquo anno, quo ipsi putant, veriti ne ecclesiae patrumve sententiae ac πατροπαραδοσει adversentur. Quam tamen religionem hominibus nullo negotio adimas, si eos perconteris, quaenam patribus omnibus aut ecclesiae illa de re sententia semper fuerit, aut quibus argumentis efficiatur hanc eam esse, quae ipsis est; nihil enim suppetet, quod respondeant, nisi inania prorsus, quaeque ipsorum mentibus anticipata sunt. Nobis vero securis liceat Augustini

---

[1]) Lege *Hottingeri* ad *Godwini* op. cit. c. 7. not. 7 et *Coccei* Adnot. in Sanhedr. c. I. § 2. p. 210 ed *Surenhus.* [2]) De consecratione kalendarum c. 3. §§ 11. 12; c. 5. §§ 9. 11. Lege et *Seldenum* de anno civili Iudaeorum c. 15 et Gemar. hieros. Pesach. c. 10. § 6. [3]) Diss. XIX. n. 40. [4]) Luc. III, 1—3. [5]) Diss. XIX. n. 43. [6]) Diss. XXXIX. c. I. [7]) Diss. XIX. nn. 56. 57. [8]) Ib. n. 75.

praeceptum exsequi, quod alias [1]) quidem iam adtulimus, tamen, dum huiusmodi quaestiones pertractantur, eo minus verendum est, ne nimium inculcemus, quo magis errore veri abripi eos contigit, qui de his disputare illo insuper habito instituerunt: *Quidquid igitur*, inquit, *de ordine temporum transactorum indicat ea, quae adpellatur historia, plurimum nos adiuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi praeter ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam et per olympiadas et per consules multa quaeruntur a nobis, et ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, et quo passus est, nonnullos coegit errare. Quot annos in hac vita egerit, quamquam textu ipso actionum eius animadverti possit, tamen, ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum evangelio liquidius certiusque colligitur* [2]). Itaque hanc viam tenentes, qua Augustinus nos ire iubet, demonstrabimus Christum mortem oppetiisse Tiberio Caesare Augusto tribunicia potestate XXX, L. Rubellio Gemino C. Fufio Gemino coss., an. U. C. DCCLXXXII, p. i. 4742, aer. vulg. 29, quum ipse Tiberius imperii annum ageret decimumquintum, ex quo Caesari Octaviano Augusto demortuo a. d. XIV kal. septembr. an. U. C. DCCLXVII successerat, decimum sextum vero si eius annos imperii eodem initio cum civilibus Romanorum, Asianorum, Syrorum, Aegyptiorum, annis compositos numeremus.

3 Etenim, ut diximus, id primum de anno Christi emortuali memoriae proditum est, id primis tribus ecclesiae saeculis vulgo creditum, id pro certo habitum, donec, sive ignorantia, sive indiligentia historiae, ut illam difficultatem atque ἀντιλογίαν, quam ipsa pepererat, removeret, saeculo demum quarto Eusebium eo adegit, ut Christum quatuor annis serius, ac ad id creditum fuerat reique veritas ferebat, mortuum esse adfirmaret. Verum, ut Eusebii et ceterorum, qui post eum fuere, opiniones adparet apostolis, utpote serius invectas, acceptas referri non posse, ita, non modo nihil est, quod nos suspicari cogat aliunde originem repetendam esse τῆς πατροπαραδόσεως de Christo in crucem acto duobus Geminis coss., sed sunt, quae satis ostendunt, id non ab aliis, quam ab apostolis, fuisse traditum. Etenim, ut in alio loco [3]) animadvertimus, ceterae priscorum opiniones de anno, imo pleraeque etiam de die, quo Christus sive ortus est, sive baptismo ablutus, sive cruci fixus, quotquot unquam exstitere, quanam ex caussa singulae originem duxerint, levi negotio intelligimus; ast unde huius, quam defendimus, origo? Num, quod veteres Christum, quem anno quadragesimo primo aut secundo imperii Augusti natum esse aiebant, putarent triginta annos, non ampelius, vixisse? Verum, qui haec diceret, duo deberet, quorum unum est, ut caussam adferret, cur illi patres Christo triginta dumtaxat vitae annos adtribuerent, alterum, cur huuc illo anno natum crederent, quum id ab apostolis discere nequaquam potuerint, neque enim Christus eo anno natus est. E contrario has ipsas opiniones, Christum natum esse illo imperii Augusti anno, triginta annos, haud plures, implevisse, uno tantum anno post baptismum docuisse ac vixisse, ortas esse ex eo, quod Christum anno XV principatus Tiberii post Augustum imperantis duobus Geminis coss. obiisse pro certo patres haberent, id autem cum Lucae narratione componere studerent, alibi [4]) demonstravimus. Quod si ille annus Christi emortualis merum foret commentum, qui fieri potuisset, ut, quamquam haec compositio tam graves difficultates ipsis obiiceret, adeo tamen huic commento veluti adhaererent, ut, ne ab eo discederent, non dubitarent eas de annis, quibus Christus ortus est, docuit, ac vixit, opiniones adsciscere, quas vel ipsa evangeliorum lectio refutaret? Qui sic egerunt, nonne censendi sunt putasse se aliqua religione teneri, quominus sententiam de anno, cui Christi obitus esset adscribendus, immutarent? Unde autem tam late patens religio, nisi ex fide atque auctoritate eorum, qui primi narraverant Christum illo anno mortem obiisse? Tantane vero huiusmodi commentorum fabricatoribus auctoritas, idque ipsis primis post Christum aetatibus?

4 Sed non harum dumtaxat intra aetatum terminos sic creditum fuit. Nam etiam, postquam Eusebius suam opinionem invexit, aliosque exemplo ipso docuit Christi mortem seriore, ac semper factum fuerat, anno consignare, fuerunt, iique non pauci nec exiguo nomine, qui sententiam illam priscam sequerentur. Horum nomina reperies in tabulis additis Dissertationi XIX. Quantam autem ea sententia tunc quoque fidem habere pergeret, hinc intelligimus, quod ii quoque, qui re ipsa nec opinantes aliam sequebantur, sibi tamen non aliam esse verbo profiterentur, quum eas temporum notas adhiberent, quae non illum annum, quo Christum mortuum aiebant, sed annum aer. vulg. 29 signabant, duos Geminos coss., inquam, et diem 25 martii. Ita Prosper, quique hunc sequutus est, popularis eius Victorius, e recentioribus autem Graecis Cedrenus, Christi obitum duobus Geminis coss. consignarunt, etsi alio anno atque aer. vulg. 29. Ita Cassiodorus, Gregorius Turonensis, alii,

---

[1]) Diss. XX. n. 2. [2]) Doctr. chr. L. II. c. 28. § 42. [3]) Diss. XX. n. 9. [4]) Ib.

Christum die 25 martii cruci fixum dixere, iis tamen annis, quibus hic dies in diem sextum hebdomadae non incidit. Qui autem in anno Christi emortuali definiendo Posperum auctorem sequuti sunt, eos item ac Prosperum opinatos esse procul dubio putandum est.

5 Ceterum hi patres, qui sic sensere, non una omnes ratione sententiam hanc suam aperuerunt, sed ita, ut alii aliam notam suggererent illius anni, quo Christum mortuum aiebant; hae vero notae in annum aer. vulg. 29 conveniunt. Harum prima est annus principatus Tiberii post Augustum imperantis sive decimus quintus ducto hoc numero ab ipso die, quo Augustus e vivis excessit, sive decimus sextus composito horum annorum initio cum initio annorum civilium, intra quos inceperunt; nam, quum anno aer. vulg. 29 pascha actum est, decimus quintus ibat imperii Tiberii annus priore modo numeratus, simulque decimus sextus numeratus altero modo. Secunda nota est duorum Geminorum consulatus ab his illo anno gestus. Tertia est dies Christi emortualis concurrens cum die 25 martii; illo enim anno hic dies incidit in diem hebdomadae sextum; de hac tamen nota agemus in insequente dissertatione. Quarta unius anni spatium inter Christi baptismum et mortem interpositum, quum is in Iordane tinctus fuerit anno XV imperii Tiberii, obieritque duobis Geminis coss., hi autem consulatum gesserint eo anno, qui erat imperii Tiberii decimus sextus ioitio huio facto una cum anno civili. Quinta tempus, quod Christus vixit, annis triginta aut triginta et uno definitum, pro eo ac annis imperii initium fiebat vel cum annis civilibus, vel a die, quo Tiberius Augusto demortuo successerat, plerusque aut secus esse credebatur sensus particulae *ὡσεὶ* a Luca usurpatae [1]) annusque ille vitae tricesimus, quo Christum ad baptismum venisse is narrat. Sexta denique nota est orbs Hierosolyma eversa anno quadragesimo secundo a Christi morte; eversa enim fuit primo die mensis septembris anni, aer. vulg. 70; quod autem alii patres id factum dicunt *anno quadragesimo secundo*, alii *quadraginta duobus post annis*, alii *post annos quadraginta duos*, non hoc ipsorum sententias discrepare autumes, quum hae sint dispares unius atque eiusdem rei enuntiationes. Itaque quiqui patres aliqua harum notarum annum Christi emortualem signarunt, ii hunc anno aer. vulg. 29 obiisse autumabant, atque adeo illi, qui alias praeterea notas addiderunt minime bis consentaneas; haec enim notarum pugna non alii caussae adtribui potest, quam quod illi eas notas partim a priscarum aetatum scriptoribus, partim ab insequentium ita acceperint, ut minime suspicarentur a vetustiorum sententia recentiores discessisse; quod si fuissent suspicati hosque sequi maluissent, notas a vetustioribus positas minime adhibuissent. Attamen, quod ad patres adtinet, qui, post adscitam vulgarem aeram quum viverent, huius aerae annis terminos vitae Christi signarunt, excipienda est nota tertia, siquidem hi Christum alio quidem, ac vicesimo nono, aerae anno mortuum dixere, quo tamen anno dies 25 martii sextus hebdomadae item fuerit, praesertim vero si e caelestium orbium ratiociniis hunc annum collegeruot; nimis enim violentum foret hos quoque, ut qui re, etsi non verbo, primis aetatibus adstipularentur, inducere velle; quibus tamen omissis non magnam iacturam caussae fecero.

6 Priusquam cetera proferimus, iuvat ea removere, quae superiori argumento e testimoniis atque auctoritate priscarum aetatum petito opposita esse videntur. Nam Irenaeus, synodus Caesariensis, Origenes, Cyprianus, atque *Evangelii Nicodemi* scriptor, qui omnes ante saeculum IV fuerunt, alii anno, ac aerae vulg. vicesimo nono, Christi mortem adscripsisse videntur. Primo itaque in universum considera, ut, qui duas pluresve anni Christi emortualis notas adferunt, quarum aliquae consonent communi suae aetatis ea de re sententiae, aliquae discordent, adpareat eos temporum rationes non tenuisse, minimeque de his ediscendis fuisse sollicitos, proinde credi nequeunt ab aequalium sententia vel consulto discessisse, vel voluisse discedere. In summa, quum constet alterutra in nota ponenda ipsos errasse, id in ea factum est procul dubio, quae communi sententiae adversabatur. Quum autem par sit ratio eorum, qui unum haud verum enuntiant, quique duo plurave disparata, sique unam dumtaxat illius anni notam adferunt oppositam communi sententiae, non hoc efficitur eos aliter sensisse, sed errore veri, quod hac in re accidebat quam saepissime, illum notam ab ipsis suae ipsorum sententiae contrariam adhibitam esse. Haec tamen eatenus vere a me dici existima, nisi caussae sint, quae secus credere suadeant; quae quidem, quod ad aetatem illam priscam, nullae sunt. Quibus positis facile intelligas non satis caussas esse, cur illi, quos nominavi, Christi obitum alii anno, quam aer. vulg. 29, consignasse credantur. Irenaeus adfirmat Christum natum anno XLI imperii Augusti fere quinquaginta annos implesse [2]). At in alterutro termino gravis *ἀναχρονισμός* sit oportet. Si dicas annum illum XLI suo loco ab Irenaeo positum esse, ex huius

---

[1]) Luc. III, 23. [2]) Diss. XIX. n. 40.

opinione consequeretur Christi obitum in annum aerae vulg. 47 incidisse aut non multo secus, proinde vel conficta esse, quae evangelistae de Pilato, quae Lucas in Actis, quae Paulus de suis itineribus in epistola ad Galatas scripta, narrarunt, vel Iosephum, Tacitum, Dionem, omnes denique historiarum scriptores, in iis describendis, quae per illam aetatem gesta sunt, communi veluti consilio in id conspirasse, ut eodem quidem omnes modo, quam maxime tamen a veritate aberrarent. Quis, sodes, haec Irenaeo adfingat adeo absurda? Non ergo is *μεταχρονισμὸν* in anno Christi emortuali, sed *προχρονισμὸν* in anno natali inque anno XLI imperii Augusti definiendo commisit. Synodus Caesariensis [1]) diem Christi emortualem esse aiebat a. d. X kal. apr., qui dies anno aer. vulg. 29 fuit quartus hebdomadae, nullamque, praeter hunc, octam anni, quo ille obiit, adferebat. Verum et Lactantius et Idatius Lemicensis Christum eodem hoc die mortuum dixere, sed et duplicem octam anni aer. vulg. 29 addiderunt, annum XV imperii Tiberii, et duos Geminos coss., Victorius Aquitanus Christi obitum duorum Geminorum consulatu signavit, die tamen VII kal. april., qui dies his consulibus in sabbatum inciderat, Epiphanius hunc obitum adscribendum esse contendit illi anno, qui fuit aerae vulg. 31, dieique XIII kal. april., qui dies eo anno cum die tertio hebdomadae concurrit, Cassiodorus denique, Gregorius Turonensis, aliique sequioribus aetatibus, Christum die quidem 25 martii cruci fixum esse putarunt, eo tamen anno, quo hic dies non potuit sextus hebdomadae esse; quare nihil est, cur Caesariensis synodi de illo anno sententiam aliam fuisse suspicemur, ac ceterorum, qui illa aetate vivebant. De Origene superius (1) diximus. Cyprianus ait Christum mortem obiisse anno aetatis tricesimo primo, imperii Tiberii decimosexto, huncque annum componit cum sui *Pinacis* anno XI, qui est aer. vulg. 28 [2]); videlicet annos imperii Tiberii numerabat eodem initio cum annis civilibus, eo autem deceptus fuit, quod pascha actum anno huius imperii XVI sic numerato illud esse putaverit, quod fuit anno XI *Pinacis*, quum tamen fuerit insequente anno XII, idemque illud peccavit, quod Prosper, Victorius, alii, qui illo anno aer. vulg. 28 duos Geminos consules fuisse dixerunt. Nicodemus denique ille *ψευδώνυμος* [3]) narrat Christum a Pilato capitis fuisse condemnatum a. d. VIII kal. april., duobus Geminis coss., anno imperii Tiberii, non decimonono, ut legitur in latinis exemplaribus, sed decimoquinto, ut in graecis. Sed ad cetera argumenta veniamus.

7 Christus a Ioanne in Iordane tinctus fuit, quum esset annorum circiter triginta; natus fuerat die 25 decembris an. p. i. 4707; annum ergo tricesimum impleverat die 25 decembris an. p. i. 4737, aer. vulg. 24. Quum Ioannes suo munere fungi coepit, agebatur annus principatus Tiberii decimusquintus, non quidem ab Augusti decessu, sed ex quo parem cum Augusto potestatem in provincias ille acceperat (1), qui annus Iudaeis incepit extrema aestate anni aerae vulg. 25. Non ergo ante huius anni autumnum Christus venit ad baptismum; sed neque serius, implesset enim iam annos trigiota et unum. Quae omnia suis in locis demonstrata iam sunt. Ex evangeliis colligimus Christum cruci fixum fuisse, quum quarto post eius baptismum sollemne azymorum agebatur [4]). Si ergo baptismus fuit autumno anni aer. vulg. 25, quartum sollemne azymorum a baptismo, in quod eius mors incidit, fuerit oportet anno aer. vulg. 29. Atque huc ea spectasse videntur quae Christus dixit in parabola de ficu infructuosa: *Ecce anni* TRES *sunt ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio. . . . Dimitte illam et* HOC *anno* [5]). Quid sibi haec parabola vellet facile intelliges ubi eam contuleris cum superioribus Christi verbis quibus Iudaeos ipsius hortationibus, ut tandem resipiscerent, non obtemperantes obiurgabat. Ex serie atque ordine rerum ab evangelistis narratarum adparet haec Christum dixisse post tertium e sollemnibus paschatis in evangelio post eius baptismum commemoratis, atque adeo aliquammulto tempore post scenopegiam paulloque ante quam Hierosolymam reverteretur caussa encaeniorum [6]), hoc est mense novembre. Christus baptismo tinctus fuerat circa initium mensis decembris, qui fuit ante primum horum paschatum, ita ut, quum illam parabolam narravit, iam in exitu triennium a baptismo esset, siquidem inter haec ter haud pluries hoc sollemne actum fuerat. Atqui non pluries actum fuisse mihi quidem indubia res est, sique dubia esse cuipiam videretur, profecto illa ipsa Christi verba satis essent cur is dubitationem omnem amandaret.

8 Ioannes evangelista luculentum suggerit argumentum, quo id confirmemus. Quum primo post baptismum ad illud sollemne Christus venisset, et Hierosolymitas adloqueretur, *dixit eis*: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudaei*: QUADRAGINTA ET SEX ANNIS

---

[1]) Ib. n. 44. [2]) Ib. n. 62. [3]) Ib. n. 63. [4]) Diss. XLVII. n. 5. [5]) Luc. XIII, 7. 8. [6]) Lege Lib. II. No. CX coll. XCVII — CIX et CXI. CXII.

aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud? [1]). Liquet haec minime dicta esse de templo a Salomone exstructo, cuius aedificatio fuit annis septem et mensibus sex [2]), quodque multa ante aetate fuerat incensum. Sed neque de templi instauratione facta a Zorobabele, quod opus annis viginti haud plenius perfectum fuit [3]). Dicta igitur sint necesse est de molitionibus, quibus rex Herodes templum ad augustiorem formam mutavit [4]); quod tamen ita est exsequutus, ut sensim et per partes opus fieret, neque enim fieri aliter poterat, nisi simul sacra omitterentur, quod Iudaei minime tulissent; tum hi templum eo modo ab Herode renovatum, non pro tertio templo, sed pro secundo proque uno atque eodem cum illo, quod Zorobabel aedificaverat, semper habuerunt, ac *domum secundam* templum a Tito exustum vocare solent, non *tertiam*. Ast in has molitiones regnante Herode octo anni, non amplius, impensi fuerunt [5]); quid ergo illi *quadraginta sex anni?* Flavius Iosephus id nos docuit. Etenim Herodes opus non omni ex parte absolverat, aedificium autem continuatum est usque ad annum circiter decimum imperii Neronis [6]), qui concurrit cum annis aer. vulg. 63 et 64; haec enim apud Iosephum legimus, ubi narrat ea, quae circa illum annum gesta fuerunt: *Iam illo tempore* ἐτετέλεστο *absolutum erat templi aedificium. Populus igitur, quum in otio esse animadverteret opifices ultra octodecim millia, atque mercedem desideraturos esse, cum iam antea victus illis suppeditaretur ex iis, in quibus circa templum elaborarunt, ... regem* Agrippam *hortantur, suadentque, ut orientalem porticum instauret* [7]). Quum haec accidebant, Iosephus, qui ea narrat, annum agebat sextum aut septimum supra vicesimum [8]). Ex his propositis liquido intelligimus illos annos *quadraginta sex* esse, non quibus templi aedificium absolutum, sed ex quo coeptum fuerat, sensumque illorum verborum esse, numerari iam annos quadraginta sex post inceptum aedificium, iam anno quadragesimo sexto aedificari. Quonam anno Herodes manum operi admoverit, duae sunt notae, eaeque certissimae, ex quibus comperiamus, alter Augusti adventus in Syriam et annus regni Herodis decimusoctavus, Iosephus enim testatur id hoc anno factum fuisse; hunc autem annum esse decimum octavum, non a primo, sed ab altero regni exordio [9]), annum, inquam, qui inceperat cum mense nisane anni p. i. 4694, tum historiae series evincit, tum ipsa Iosephi verba, quae ita sunt: *ΤΟΤΕ γουν ὀκτωκαιδεκατου της Ἡρωδου βασιλειας γεγονοτος ἐνιαυτου ΜΕΤΑ ΤΑΣ ΠΡΟΕΙΡΗΜΕΝΑΣ ΠΡΑΞΕΙΣ* Tunc *igitur, quum annus ageretur duodevicesimus regni Herodis,* POST EA FACTA, QUAE SUPERIUS DICTA SUNT, *arduum opus adgressus est et cetera* [10]). Iam vero proxime narratus a Iosepho fuerat Augusti alter adventus in Syriam. Is anno superiore, qui fuerat annus U. C. DCCXXXIII, p. i. 4693, Samum venerat, ibique quum hiemasset, VERNO *in Asiam perrexit M. Apuleio P. Silio coss.*, hoc est, an. U. C. DCCXXXIV, *idemque in Syriam quum advenisset, Tyriis et Sidoniis propter factiones supplicium irrogavit.* Haec Dio [11]). Iosephus autem haec: *Ἤδη δ᾽ αὐτου της βασιλειας ἑπτακαιδεκατου παρελθοντος ἐτους Exacto iam anno decimoseptimo regni ipsius Herodis venit Caesar in Syriam, ac tunc maxima Gadarenorum pars de Herode expostulare coeperunt. ... Igitur, cum ab illis de vi et rapinis et templorum eversionibus accusaretur, Herodes imperturbatus parabat caussam suam defendere. Sed Caesar ei dexteram dedit, nec quidquam de sua erga eum voluntate ob multitudinis turbationem immutavit. Ac primo quidem die de hisce rebus actum est; die vero sequenti non perrectum est in cognitione. ... Itaque Caesar sine ulla dubitatione Herodem absolvit. ... Postquam autem Caesarem ad mare comitatus est, pulcherrimum ei templum exstruxit et cetera* [12]). Haec illa sunt, *post quae* ad templi aedificium Herodem animum adpulisse Iosephus ait. Inceptum itaque illud ab Herode fuit eo anno, qui Iudaeis incepit verno anni p. i. 4694, proinde annus aedificationis quadragesimus sextus initium cepit a die neomeniae mensis nisanis an. p. i. 4739, aer. vulg. 26. Hoc ergo anno Christus illud pascha egit, quod primum fuit post ipsius baptismum, quartum autem aliud esse non potuit, quam quod anno aer. vulg. 29 actum fuit [13]).

9 Si illud fidem habet, quod Clemens Alexandrinus, eiusque aequalis Apollonius, atque, ut ipse Clemens testatur, vetus scriptor libelli, cui titulus erat *Praedicatio Petri*, memoriae prodiderunt, apostolos a Christo iussos, nisi duodecim post annis gentes alias Israelitis evangelium docere, inde capere licebit, quo sententiam nostram confirmemus [14]). Primus enim praeter Israelitas christianis praeceptis institutus fuit Cornelius centurio legionis Italicae [15]); quod non serius, quam extremo anno aer. vulg. 40 aut ineunte 41 fieri potuit. Nam Petrus in vincula coniectus fuit ab Herode

---

1) Io. II, 19. 20. 2) III Reg. VI, 37. 38. 3) I Esd. III, 8—13. coll. VI, 15—18. 4) *Ioseph.* Antiq. L. XV. c. 11. 5) Ib. §§ 5. 6. 6) Ib. L. XX. c. 9. § 7 coll. § 5 et c. 11. § 1. 7) Ib. 8) *Id.* Vit. § 1. 9) Diss. XXXV. c. IV. 10) Antiq. L. XV. c. 11. § 1. 11) Hist. L. LIV. p. 525. 12) L. c. c. 11. § 3. 13) Conf. Diss. XLVII. n. 6. 14) Lege L. I. c. II. n. 47. 15) Act. X, 1 seqq. Conf. XV, 7.

Agrippa diebus paschatis [1]) anni aerae vulg. 42 [2]). Ante eos dies Saulus Hierosolymam venerat [3]), postquam *annum totum* Antiochiae moratus fuerat [4]). Is ergo Antiochiam venerat ante pascha anni aer. vulg. 41. Inter Cornelium autem in Christianos adlectum interque Sauli adventum Antiochiam duos tresve non minus menses intercessisse historia ipsa nos docet [5]). Annus ergo Iudaeorum, qui exiit in vernum anni aer. vulg. 41, duodecimus saltem fuit a Christi morte, atque ideo hac seriori anno, quam aer. vulg. 29, nequit adscribi.

10 Aliud praeterea argumentum liber Actuum apostolorum et Pauli epistola Galatis missa suppeditant. Alibi ostendimus Paulum Hierosolymae captum fuisse inque vincula coniectum circa diem festum pentecostes anni aer. vulg. 53 [6]). Inter concilium Hierosolymae habitum de circumcisione [7]) interque Paulum captum temporis spatium multo longius, quam quinquennium, intercessisse constat. Etenim intra illud Paulus commoratus fuerat Corinthi duodeviginti mensibus [8]), Ephesi viginti septem [9]), denuo Corinthi tribus mensibus [10]), qui menses summam conficiunt quatuor annorum. Adde itinera per Syriam, Ciliciam [11]), Lycaoniam [12]), Phrygiam, Galatiam [13]), Mysiam [14]), Phrygiam minorem [15]), Macedoniam [16]), Atticam [17]), Achaiam [18]), Asiam [19]), Palaestinam, iter alterum in Syriam [20]), alterum in Galatiam, alterum in Phrygiam [21]), alterum in Asiam [22]), alterum in Macedoniam [23]), alterum in Achaiam [24]), tertium in Macedoniam [25]), adde mansiones in urbibus Antiochia [26]), Derbe, Lystra [27]), Troade [28]), Philippis [29]), Thessalonica [30]), Beroea [31]), Athenis [32]), alterasque mansiones Antiochiae [33]) et Philippis [34]), qua in urbe egit dies festos azymorum an. aer. vulg. 53, ex eaque post hos dies Hierosolymam ad sollemne pentecostes profectus est [35]). Num nimii cuiquam videmur, si dicamus annum saltem et dimidium in his itineribus mansionibusque fuisse insumptum? Non ergo serius, quam ineunte autumno anni aer. vulg. 47, concilium, quod diximus, Hierosolymae habitum fuit. Huius autem habendi caussa fuerunt Paulus et Barnabas, qui illuc advenerant missi ab Antiochenis *ad apostolos et presbyteros* scitatum horum sententiam, an lex de circumcisione obtineret adhuc, nec ne [36]). Hoc illud alterum iter esse, quod Paulus commemorat in epistola ad Galatas scripta [37]), fuerunt, qui vel negarent plane, vel saltem dubitarent; quos sane miraberis, si ad haec, quae dicam, animum advertas. Idem Pauli socius itineris Barnabas et in Actis et in epistola nominatur. Hic paullo post illud concilium a Paulo se seiunxit [38]); quare iter, de quo est in epistola, ante concilium factum fuisset, si esset aliud illo, quod dicimus. Atqui locus huic itineri ante concilium esse non potuit. Antea enim bis Paulus Hierosolymam venisse narratur in Actis apostolorum, neutrum tamen illud iter est, de quo ipse loquitur in illo loco. Nam primo illuc venerat tribus post annis, ex quo Christi sacris fuerat initiatus, quum *omnes timebant eum, non credentes, quod esset discipulus*, nedum ut pro apostolo eum haberent [39]); idque primum est duorum itinerum Hierosolymam, quorum Paulus meminit in epistola [40]). Iterum hanc urbem petiit una cum Barnaba missus a Christianis Antiochiae incolis, non ad consultandum, sed ut stipe ab ipsis collata subveniret indigentiae eorum, qui erant Hierosolymae [41]), sub pascha anni aer. vulg. 42, paucis ante diebus, quam Herodes Agrippa Petrum in vincula coniiceret (9). De hoc itinere Paulus nihil dixit in epistola, nihil enim ad huius argumentum pertinebat. Tum Paulus eo tempore nondum in apostolorum numerum adlectus fuerat. Quod si contenderes hoc illud iter esse, de quo quaerimus, tuum foret ostendere, unde initium sumendum quatuordecim annorum, qui exeant in annum aer. vulg. 42. Post hoc alterum iter Hierosolymam Paulus et Barnabas inde Antiochiam reversi [42]), quum haud multo post Deo ipso iubente apostolis fuissent adnumerati, ex hac urbe profecti superiores Asiae regiones peragrarunt insulasque maris Ionii [43]), donec ex Attalia urbe Pamphyliae reduces *navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiae Dei in opus, quod compleverunt* [44]), in illud opus videlicet, de quo in Act. XIII, 2, illud, inquam, ipsum, de quo in Gal. II, 9; ex quo adparet, non modo nullam ipsis caussam fuisse, cur Hierosolymam reverterentur, sed etiam minime illuc fuisse redeundum. Profecto inter haec nullum eorum iter in Palaestinam, nedum Hierosolymam fuit, sed

---

[1]) Ib. XII, 3. [2]) L. I. c. II. nn. 27. [3]) Act. XI, 30. [4]) Ib. 26. [5]) Ib. X, 48 — XI, 25. [6]) L. I. c. III. nn. 13 seqq. [7]) Act. XV, 5 seqq. [8]) Ib. XVIII, 1. 11. [9]) Ib. XIX, 1. 8. 10. [10]) Ib. XX, 2. 3 coll. 1 et XIX, 21. Lege *Paley* La vérité de l'hist. de St. Paul ch. IV. n. IV. [11]) Act. XV, 41. [12]) Ib. XVI, 1. [13]) Ib. 6. [14]) Ib. 7. [15]) Ib. 8. [16]) Ib. 9 — 12. [17]) Ib. XVII, 15. [18]) Ib. XVIII, 1. [19]) Ib. 19. [20]) Ib. 22. [21]) Ib. 23. [22]) Ib. XIX, 1. [23]) Ib. XX, 1. 2. [24]) Ib. 2 coll. XIX, 21. [25]) Ib. 3. [26]) Ib. XV, 35. 36. [27]) Ib. XVII, 1. 3. [28]) Ib. 8. [29]) Ib. 12. 18. [30]) Ib. XVII, 1. 2. [31]) Ib. 10 — 14. [32]) Ib. 15. 17. [33]) Ib. XVIII, 22. 23. [34]) Ib. XX, 3 — 6. [35]) Ib. 6. 16. [36]) Ib. XV, 1 — 6. [37]) Gal. II, 1. [38]) Act. XV, 39. [39]) Act. IX, 26. 26. [40]) Gal. I, 18. [41]) Act. XI, 30. [42]) Ib. XII, 25. [43]) Ib. XIII, 1 — XIV, 24. [44]) Ib. XIV, 25.

nec esse potuisse adparet, quum Lucas adcurate et itinerum ordinem describat, et singulorum terminos designet, tum unde ipsi discederent, tum qua iter fecerent, tum quo pervenirent. Postquam autem Antiochiam fuerant reversi, ibi *morati sunt . . . tempus non modicum cum discipulis* [1]). Tum demum Hierosolymam iverunt ad consultandum de circumcisione. Iter ergo illud alterum, de quo Paulus loquitur, ante hoc minime factum est. Non igitur aliud est, qoam hoc ipsum. Quid vero, quod caussa, cur Paulus Galatis scribebat, praecipuumqne epistolae argumentum erat, ut ipsos reprehenderet, quod adhuc circumcisionem facerent, interminaretque, ne facerent [2])? Hac ipsa autem de re concilium Hierosolymis habitum fuerat, et decreto cautum. Num vero putes tale doctrinae suae argumentum a Paulo praetermissum? an non fatearis hoc ipsum urgeri in illo loco? Itaque non est dubium iter, de quo in Gal. II, 1, illud ipsnm esse, de qun in Act. XV, 2. Quare initium quatuordecim annorum serins esse non potuit, quam extremo ad summum anno aer. vulg. 33; praepositio enim *δια* constructa cum genitivo casu nominis, quod numerum, tempus, mensuram, designet, plena haec atque integra esse significat. Utrum autem eo anno factum hoc dicamus, Paulum Christi sacris fnisse initiatum, an primo, ex quo initiatus fuerat, Hiernsolymam venisse? nam dubitatur utra ex re illud quatuordecim annnrom spatium ducendnm sit. Haec *una serie superioribus cohaerent*, inquit Koppius. ***Hinc etiam illi*** **14** ***anni facillima quadam ratione a proximo Paulli ex Hierosolymis discessu computari videntur; quod ipsum etiam formula δια δεκατεσσαρων ἐτων confirmat, quae*** **INTRA HOS 14 ANNOS** ***Paullum Hierosolymis degisse non admittit, cum quidquid δια χρονου τινος γεγονεναι dicitur, idem, ex vulgari saltem formulae significatione, intra illud tempus factum esse negetur. Cf. Plato de Rep. L. I: και μαλα πρεσβυτης μοι ἐδοξεν εἰναι· δια χρονου γαρ ἑωρακειν αὐτον. Aelianus*** **XIII. 42:** *οἰκισαι Μεσσηνην δε᾽ ἐτων τριακοντα και διακοσιων.* ***Vid. Stroth. ad Euseb. H. E.*** **II. 17** [3]). Ast ille ***proximus Paulli ex Hierosolymis discessus*** uter est? An qui re vera fuit, videlicet quum stipem ab Antiochenis collatam adtulit Hierosolymitis sub pascha anni aer. vulg. 42? Sed id quinque ante annis fecerat. An illud, quod ipse Paulus in epistola [4]) prius commemoraverat, quique fuit tunc, quum Paulus primo Hierosolymam venit triennio, postquam Christo sese addixerat? Equidem illud esse non dubito, illudque Koppius significare velle videtur. Sed inter haec duo itinera illud alterum fuit, quod diximus; proinde non ea, quam Koppius ait, vis esset verborum *δια δεκατεσσαρων ἐτων*, nisi dicas Paulum non de quibuscumque itineribus loqui qua demum cumque de caussa ab ipso ad illam urbem confectis, sed de iis, quae apostolorum visendorum caussa fecerat. Ceterum, ut putem hos quatuordecim annos intercessisse inter primum et tertium iter, ea potior mihi ratio est, quod, sicut Paulus, ubi de primo itinere loquitur, verbis *μετα ἐτη τρια* ***post annos tres*** explicat adverbium *ἐπειτα* ***deinde***, quod proxime posuerat, ita in hoc loco tertium iter narrans idem hoc adverbium, quod denuo usurpat, spatiumque temporis eo designatum explicare dicendus est verbis *δια δεκατεσσαρων ἐτων* ***post annos quatuordecim***; ipsum autem adverbium in hoc altero loco spectare, non ad tempus, quo Paulus a Christo fuerat vocatus, sed ad iter proxime commemoratum, pro comperto est. Iam vero hoc primum iter Paulus se fecisse ait *μετα ἐτη τρια* ***post annos tres***, ex quo Christus ipsum sibi adiunxerat, quae verba aeque valent ***tertium intra annum*** et ***post annum tertium*** trienniumque impletum. Annus, quo hoc iter fecerat, fuit aer. vulg. 33; vocatus ergo a Christo fuerat haud serius, quam anno 31. Atqui alibi [5]) demonstravimus id evenisse duobus saltem annis post Christi obitum. Ad liquidum ergo exploratum est hunc obitum seriori anno, quam aer. vulg. 29, ut fecimus, adscribi non posse.

11 Denique evangelia ipsa huius anni characterem praebent. Ex his enim compertum habemus Christum cruci fixum fuisse primo die festo azymorum, id est, die XV mensis nisanis, pridie sabbati. En itaque tabellam exhibentem interlunia mensis nisanis, quae fuerunt post illum annum, cui Christi baptismum adscripsimus, ab anno, inquam, aer. vulg. 26 ad annum 36; nemo enim iam dubitat, nisi si omnia prisca monumenta nihil pensi habeat, intra hos undecim annos Christum mortem oppetiisse. Haec interlunia collegimos ex Largeteaui *Tabulis ad calculum syzygiarum* ad Hierosolymae meridianum exacta. Cur autem interlunium nisanis ann. aer. vulg. 29 illud esse dicamus, quod fuit die 4 martii, caussam in dissertatione, quae secundum hanc erit, exponemus.

---

[1]) Ib. 27. [2]) Gal. II, 3; V, 2. 3. 6. 11; VI, 12. 13. 15. Conf. I, 6 cum II, 7 — 9. [3]) In h. l. [4]) Gal. I, 18.
[5]) L. l. c. II. n. 47.

Anni Aer. vulg.	Literae dominic.	*Interlunia vera ad meridianum hierosolymitanum supputata*		
		Dies mensis	Horae	Feriae
26	F	7 martii	9h 1' post meridiem	V
27	E	26 martii	7 47 post meridiem	IV
28	D C	15 martii	2 23 ante meridiem	II
29	B	4 martii	3 15 ante meridiem	VI
30	A	22 martii	8 3 post meridiem	IV
31	G	12 martii	0 27 ante meridiem	II
32	F E	29 martii	9 59 post meridiem	VII
33	D	19 martii	0 21 post meridiem	V
34	C	9 martii	5 11 ante meridiem	III
35	B	28 martii	5 51 ante meridiem	II
36	A G	16 martii	5 26 post meridiem	VI

Primus dies mensis nisanis is erat, qua prima lunae φασις fiebat, subinde tamen concurrebat cum ipso die interlunii, numquam tamen cum die pridie; qua de re agemus in insequente dissertatione. Dies decimus quintus nisanis in eumdem hebdomadae diem incidit, ac ipsa neomenia, id est, ipse primus dies. Vides ergo, ut hic dies in feriam sextam incidere haud quiverit, nisi annis aer. vulg. 26, 29, 33, 36. Annus Christi natalis cum aetate compositus, quam is vixit, annusque XV imperii Tiberii, qua nota Lucas signavit exordia muneris a Ioanne Baptista gesti, vetant Christi obitum adscribere anno aer. vulg. 26. Eadem haec praetereaque Pilati discessus e Iudaea ante pascha anni aer. vulg. 35 [1]) annum quoque aer. vulg. 36 reiicere nos cogunt. Si e duobus annis aer. vulg. 29 et 33 hunc alterum praeferas, Christum obiisse dicas necesse est die 3 aprilis, quod nemo unus dixit; hoc tamen levius; gravius illud, quod tuum erit vel cetera refellere, quae annum 29 accipere suadent, vel aequi saltem ponderis argumenta proferre, quibus tuam sententiam confirmes, quaeque ut sis reperturus, adprime vereor.

DISSERTATIO LII

De die emortuali Christi

1 Comperto Christum mortem pro generis humani salute oppetiisse anno aerae vulg. 29, diem ab evangelistis discere est. Hi enim narrant id factum primo die festo azymorum, qui erat decimus quintus mensis nisanis, quemque iidem ipsi aiunt in diem sextum hebdomadae eo anno incidisse. Quare nulla de hoc die dubitatio esse poterit, ubi perspectum habeamus, quo cum nostrorum mensium die dies decimus quintus nisanis illo anno concucurrerit.

2 Ast hoc ipsum aciri eque lunae ratiociniis colligi posse negarunt viri a doctrina et eruditione clarissimi, horum tamen aliqui, quod in huiusmodi quaestionibus saepe accidit, anticipatis opinionibus praeoccupati, eo quod vel alio anno Christum obiisse contenderent, vel certo quodam die, quem a maioribus didicisse sibi videbantur.

3 Verum, quinam, sodes, hic dies, quem veteres nos docuere? quum alii mense martio, alii aprili, id factum dixerint, nec pauciores, quam quindecim dies sint, quibus Christi obitum illi consignarunt [2]). Equidem mirari satis nequeo Sanclementium virum eruditissimum, qui quum praeclare, quam qui maxime, pertractatam habuerit quaestionem de Christi anno emortuali, quem 29 aer. vulg.

[1]) Diss. XL. n. 11. [2]) Diss. XIX. tabul.

esse defendit, acriter tamen digladiatur, ut vincat diem non alium esse, quam 25 martii ideo, quia *opinio haec propria extitit*, inquit, *universae ecclesiae latinae, haec originem suam ducit ab ipsis fidei incunabulis, haec constans atque incorrupta servata est usque ad Leonis Magni aetatem* [1]; quae quam vere is dixerit, sola inspectio tabularum, quas dissertationi XIX addidimus, cuique ostendet. Quid vero, quod Victorius Aquitanus vivo Leone Magno, quum rogatus ab Hilaro archidiacono romanae ecclesiae, qui Leoni postea successit, in pontificatum, periodum suam annorum 532 conficeret, Christi obitum, Prosperum, ut credere est [2], sequutus, die VII kal. april. consignavit? quis vivo Leone pontifice priscam hanc, qualem eam Sanclementius dicit, romanae ecclesiae *πατροπαράδοσιν* insuper habere, huiusque contrariam huic ipsi ecclesiae adsciscendam obtrudere fuisset ausus? Sed enim e pluribus hac de re opinionibus, quae exstiterunt, nulla est, quam ecclesia *ὡς πατροπαράδοτον διδαχὴν* sibi propriam adsciverit; sed neque esse potest, nam, si foret, nec de anno Christi emortuali dubitatum unquam esset, de quo tamen, ut diximus [3], immane quantum sententiae discrepuerunt.

4 Cur vero nequeamus e lunae ratiociniis compertos habere anni iuliani dies, quibus cum dies anni iudaici concurrerunt? Num quia, non ipsum interlunium, sed *ἡ φάσις* Iudaeorum mensibus initium plerumque faceret? De hoc quidem infra. Interea tamen animadverte hac ex re haud graviorem errorem gigni posse, quam ut uno die, summum biduo, serius illos menses inceptos putemus, ac inceperint re ipsa; quo tamen errore nos liberat designatio diei hebdomadae, in quem dies mensis inciderit. An quia in lunae aetate oculis dignoscenda et definienda facile quis fallitur? Admodum, non tamen eatenus, ut triduo aut quatriduo provectior, quam sit, illa videatur, multo autem minus ut septem diebus, quantus fuisset error, si Sanclementii opinio vera foret; nam hic quoque illud valet, quod Norisius de quadam re huius simili aiebat: *Caecitatis . . . incusandi essent, qui neomeniam . . . adnotassent, cum luna iam aucta oculis adparebat* [4]. Sed neque prava cycli alicuius, ad quem Iudaei Christi aetate suos annos exigerent, ratio ac forma obstare potest, quominus ea res nobis perspecta sit; nullus enim apud illos huiusmodi cyclorum usus adhuc erat, quod argumentis bene multis comperimus.

CAPUT I

An Iudaei Christi aequales cyclis uterentur

5 Etenim, non modo in bibliis, sed etiam in Philonis, Iosephi, ceterorumque Iudaeorum veterum scriptis ne *γρῦ* quidem de cyclo. Quibus Talmudistarum, praesertim autem Gemaristarum, ingenium non omnino ignotum est, ii facile intelligunt, quam amplam quamque multiplicem disputandi materiam inde illi cepissent. Attamen, si illa duodecim magna volumina, quibus integrum talmudis opus continetur, a primo versu ad ultimum perlegas, ne unam quidem voculam, quae ad cyclos spectet, deprehendas, tametsi multa de intercalandi modo et caussis, quae ex toto opere a Cocceio collecta legere est [5]. Cyclum primo a Iudaeis adscitum fuisse circa medium saeculum IV Moses Maiemonis filius [6] et Abraham Zachutus [7] certiores nos faciunt. Cum his concordat Epiphanius, qui illa ipsa aetate *Panarium* scribens lunarem quemdam cyclum, quo Iudaei tunc utebantur, implexum illum quidem et pravum, commemoravit [8]. Perperam tamen quis ex his Epiphanii verbis colligeret hunc cyclum iam inde a Christi aetate Iudaeis usui fuisse. Epiphanius enim putabat Christum fuisse comprehensum a Iudaeis triduo ante mortem, feria tertia, noctu, quum his feria quarta iam ibat incepta sole occidente aliquot ante horis; quae opinio Athanasii quoque fuit [9]. Caussam ergo quaerebat, cur non eo die, qui vere decimus quintus nisanis illo anno fuit, sed qui decimustertius, Iudaei pascha fecerint. Hanc reperire sibi visus est in illius cycli, quem ipsius aetate Iudaei saltem aliqui adhibebant, vitio, ex quo fiebat, ut prima insequentis cycli neomenia primam antecedentis biduo anteiret; huic, inquam, caussae illud *προληπτικὸν* pascha Epiphanius adtribuebat, veluti si Christi

[1]) De vulg. aer. emend. p. 506. [2]) Diss. cit. nn. 111. 115. 120. [3]) Diss. LI. nn. 1. 2. [4]) De periodo rom. Opp. T. II. col. 680. [5]) Ap. *Surenhus.* Legum mischn. P. IV Sanhedr. c. 1 § 2 not. [6]) De consecrat. kalendar. c. 6. § 10. coll. 1 et c. 5. § 3. [7]) Iuchasin fo. 90 ap. *Selden.* De anno civili veter. Iudaeor. c. 17. [8]) Haer. LI. § 26. [9]) Serm. maior. de fide n. 1 in *Gallandi* Biblioth. veter. PP. T. V. p. 172.

quoque aetate illius cycli usus iam obtinuisset, quod tamen ipse minime dixit, sed positum habuit, quum aliam illius *προληψεως* caussam adferre nesciret.

PARS I

Argumentum ex anni iudaici forma petitum

6 Sed Iudaeos Christi aequales cyclis haud usos esse tum anni forma, tum intercalationum modus, qui apud eos tunc erat, prorsus evincit. Quivis enim fuerit annus a Moyse constitutus, qua de re, sunt, qui disputare amant, non est dubium Iudaeorum annos iam inde a regum temporibus posteaque deinceps ad id usque lunares fuisse. Id enim adparet manifesto tum ex gemara, tum ex Mischna [1]). Menses insuper, quos Iosephus saepe, etsi macedonicis nominibus, notat, lunares sunt. En eius verba. Israelitae *reliquerunt. . . . Aegyptum μηνι ξανθικῳ πεμπτῃ και δεκατῃ κατα σεληνην mense xanthico quinta decima secundum lunam* [2]). Iudaei *τῳ ἑβδομῳ μηνι, ὁν Μακεδονες ὑπερβερεταιον καλουσι, . . . δεκατῃ δε του αὐτου μηνος κατα σεληνην septimo mense, quem Macedones hyperberetaeum vocant, . . . decima ipsius mensis secundum lunam, ieiunant usque ad vesperam* [3]). *Τῳ δε μηνι τῳ ξανδικῳ, ὁς νισαν παρ᾽ ἡμιν καλειται, και του ἐτους ἐστιν ἀρχη, τεσσαρεσκαιδεκατῃ κατα σεληνην, ἐν κριῳ του ἡλιου καθεστωτος mense autem xanthico, qui nisan a nobis vocatur, et anni principium est, quartadecima secundum lunam* pascha Deo mactabant [4]), Maria Moysis soror moritur *μηνος . . . ξανθικου νουμηνιᾳ κατα σεληνην mensis . . . xanthici neomenia secundum lunam* [5]). Aaron Moysis frater moritur *κατα σεληνην νουμηνιᾳ, μηνος ὀντος παρα μεν Ἀθηναιοις ἑκατομβαιωνος καλουμενου, λωου δε παρα Μακεδοσιν, ἀββα δε παρ᾽ Ἑβραιοις secundum lunam neomenia, quum mensis esset ab Atheniensibus hecatombaeon vocatus, lous autem a Macedonibus, abba ab Hebraeis* [6]). Die decimo septimo mensis lunaris tammuz, qui secundum macedonicorum mensium ordinem, situmque, quo sunt in Iosephi libris, respondet mensi panemo, Iudaei ieiunant, quod eo die desierit *iuge sacrificium*; atqui apud Iosephum haec legimus: *Titus . . . audiverat ἐπ᾽ ἐκεινης της ἡμερας, πανεμου δ᾽ ἠν ἑπτακαιδεκατη* illo die, panemi autem erat decimusseptimus, iuge sacrificium, ut vocabatur, virorum penuria Deo defuisse [7]). Idem ipse Iosephus narrat templum a Romanis incensum esse *ἡμερᾳ δεκατῃ λωου μηνος die decima mensis loi, qua etiam prius a rege Babyloniorum fuerat incensum* [8]). Mensi Macedonum loo apud Iosephum respondet Iudaeorum mensis ab, qui ordine quintus est. Ieremias autem haec scripsit: *In mense autem quinto, decima mensis, . . . venit Nabuzardan princeps militiae, qui stabat coram rege Babylonis in Ierusalem. Et incendit domum Domini* [9]). In *Seder olam* haec leguntur: *Quum templum primo destructum fuit, dies egressionum sabbati fuit, et egressiones anni septimi fuerunt, et classis Ioiaribi vicem suam fungebatur, et dies nonus erat mensis ab; et sic secundo* [10]). Etsi non vere dicatur annum sabbaticum fuisse, quo Titus Hierosolymam cepit, cetera tamen Iosephi verbis minime discrepant. Nam, ut David Kimchi animadvertit [11]), utque Gemaristae memoriae prodiderunt, flammis die nono mensis ab sub vesperum iniectis templum toto die insequente conflagravit [12]). Iam vero illo anno, qui erat aer. vulg. 70, die 26 iulii fuit interlunium medium [13]), quum Hierosolymae esset hora $4^h\ 5'\ 36''$ post meridiem, eodemque die, sole occidente, Iudaeis incepit feria VI primusque dies mensis ab, proinde dies huius nonus concucurrit cum die 4 augusti, quae in sabbatum incidit. Denique de Hierosolymae incendio ita Iosephus loquitur: *Φλεγομενοις δ᾽ ἐπανετειλεν Ἱεροσολυμοις ἡμερα γορπιαιου μηνος ὀγδοη Ardentibus autem Hierosolymis illuxit dies gorpiaei mensis octava* [14]), ut autem memoriae proditum est a Dione [15]), urbs conflagravit die sabbati; atqui anno aer. vulg. 70, quo id accidit, dies octavus mensis sexti, qui elul vocatur, et gorpiaeo respondet, incidit in sabbatum, medium enim interlunium Hierosolymis fuit die 25 augusti, item sabbato, quum Hierosolymae erat hora $4^h\ 49'\ 36''$ a noctis medio [16]). Ex his duobus historiarum Iosephi capitibus postremo loco adlatis aliud argumentum idque sane luculentum petere est. Nam si illo anno dies decimus mensis loi incidit in feriam primam, dies autem octavus gorpiaei in sabbatum, constat mensem loum illo anno cavum, ut aiunt, fuisse, dierum undetriginta videlicet, quales, non in solari anno, sed in lunari menses ex parte sunt. Sed et Philo non semel

---

[1]) Rosch hasschana c. 1. §§ 5 seqq. [2]) Antiq. L. III. c. 15. § 2. [3]) Ib. c. 10. §§ 2. 3. [4]) Ib. § 5. [5]) Ib. L. IV. c. 4. § 6. [6]) Ib. § 7. [7]) Bell. L. VI. c. 2. § 1. [8]) Ib. c. 4. § 5. [9]) Ier. LII. 12. 13. [10]) Sed. ol. c. 30. [11]) In IV Reg. XXV. [12]) Lege *Nicolai* Not. in *Petri Cunei* De rep. Hebr. c. 15. [13]) *Delambre* et *Bürg* Tablen astronom. [14]) L. c. c. 8. § 5. [15]) In *Xiphilini* Excerpt. ex *Dion.* L. LXVI. [16]) *Delambre* et *Bürg*. Tabl. astr.

testatur Iudaeorum menses a nova luna initium capere, eiusque verba mox adferemus (7). Tertius Esdrae liber, quem Graeci canonicis adnumerunt, ita incipit: ***Et fecit Iosias pascha in Ierosolymis Domino, et immolavit phase quartadecima luna primi mensis*** [1]), in graeco tamen exemplari pro ***luna*** est *ἡμερᾳ* ***die***. Siracides ita de luna: *Και ἡ σεληνη ἐν πασιν εἰς καιρον αὐτης, ἀναδειξιν χρονων, και σημειον αἰωνος. Ἀπο σεληνης σημειον ἑορτης, φωστηρ μειουμενος ἐπι συντελειας. Μην κατα το ὀνομα αὐτης ἐστιν* ***Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis et signum aevi. A luna signum diei festi, luminare, quod minuitur in consummatione. Mensis secundum nomen eius*** [2]), hoc est, mensis, non modo חדש ***innovatio***, sed et ירח ***luna*** nomen habet. Cur vero, nisi quia nihil est aliud, quam lunae circuitus per proprium orbem? eadem igitur Iudaeis erant mensium et horum circuituum initia, ergo lunares erant menses, proinde et anni. Denique psaltes: עשה ירח למועדים ***Fecit lunam ad tempora constituta*** [3]), hoc est, ad tempora definienda atque ordinanda.

7 Verum, etsi lunaris erat Iudaeorum annus, non tamen hunc ad lunae motus sive medios, ut vocant, sive veros, exigebant, sed totum hoc negotium *ἐκ της φασεως* pendebat, non enim ab ipso solis et lunae coitu, sed a luna, quum e solis radiis emersa primo se conspicuam praeberet, mensium initium sumere mos erat. Fuse hac de re Moses Maiemonis filius egit [4]), leges autem huc pertinentes in mischnam [5]) sunt relatae. De hoc Iudaeorum more etiam vetustus ille scriptor ***Praedicationis Petri***, testatur, qui est in ***Stromatibus*** Clementis: *Ἐαν μη σεληνη φανη* ***Nisi luna appareat, neque agunt sabbatum, quod dicitur primum,*** NEQUE AGUNT NEOMENIAM, ***neque azyma, neque festum, neque magnum diem*** [6]); cetera nimirum a neomenia pendebant. Sed audi Philonem: *Τριτην ἑορτην ἀναγραφομεν την κατα σεληνην νουμηνιαν· πρωτον μεν ὀτι ἀρχη μηνος, . . . νουμηνιᾳ γαρ ἀρχεται φωτιζειν αἰσθητῳ φεγγει σεληνην ἡλιος, ἡ δε το ἰδιον καλλος ἀναφαινει τοις ὁρωσι* ***Tertium diem festum inscribimus neomeniam, quae est secundum lunam. Primo quidem, quia est initium mensis, . . . neomenia enim sol sensili splendore lunam illuminare incipit, haec autem propriam pulcritudinem ostendit cernentibus*** [7]); superius autem hunc tertium diem festum dixerat neomeniam esse *μετα συνοδον την κατα τινα σεληνην* ***post alicuius lunae coitum*** [8]). De primo die azymorum: *Της δ' ἑορτης διχομηνος ἀρχει πεντεκαιδεκατη, καθ' ἡν σεληνη πλησιφαης γινεται* ***Sollemnitati initium facit dies quintadecima, quae mensis media est, qua luna plene lucens fit*** [9]). Karaitae in Palaestina hodieque id observant, ut mensium initium sumant a nova luna primo conspicua [10]). Oculis igitur ad neomenias definiendas, proinde non cyclis opus erat, aut esse poterat. Ceterum ex Iosephi verbis ante relatis, ex Maiemonide, et ex mischna efficitur, ut, si forte ipso die interlunii luna ante solis occasum conspecta esset, is ipse dies, qui in exitu iam erat, pro die primo mensis haberetur, inque unum atque eumdem diem interlunium et civilis neomenia convenirent.

8 Cyclis Iudaeos illa aetate usos haud esse certo comperimus ex mensium quoque cavorum et plenorum numero nulla certa lege constituto, nisi quod utrique neque plures quam octo, neque pauciores quam quatuor, anno vertente forent [11]). Etsi enim lunares menses alternis pleni cavique esse soleant, si tamen die a nova luna conspecta tricesimo ea nondum adpareret, hic dies mensi exeunti adtribuebatur, insequens autem mensis postridie incipiebat, idque duobus continuis mensibus fieri licebat, non tamen tribus; licebat, inquam, nam poterant quoque, ubi prima luna nondum conspicua esset, ad eius ratiocinio [12]), aut ad alternas mensium plenorum et cavorum vices, aut alia ratione, neomeniae definiri [13]). Hinc synedrii consultationes, essetne neomenia iudicenda [14]), hinc mensium iam adultorum atque adeo adfecturum neomeniae retractatae atque altius repetitae [15]), hinc, quod Talmudici notarunt [16]), dies festus pentecostes incidens modo in diem quintum, modo in sextum, modo in septimum, mensis sivan, prout priores duo menses nisan et iiar vel uterque, vel alteruter, vel neuter, undetriginta dies excesserat, hinc nuntii certis quibusdam mensibus ab urbe Hierosolyma in alias regiones non longius inde positas, quam iter decem dierum, mitti soliti, qui dies indicerent, quibus universariu sacra agerentur [17]), hinc denique mos inductus decretoque iurisconsultorum confirmatus, ut iis in locis, ad quae nuntii aut minime mittebantur, aut temperi pervenire nequibant, dies festi geminarentur [18]), quem morem Iudaei extra Palaestinam degentes etiamnum observant,

---

[1]) III Esd. I, 1. [2]) Eccli. XLIII, 6—8. [3]) Ps. CIV, 9. [4]) De consecrat. kalend. cc. 1 seqq. [5]) Rosch hasschana cc. 1 seqq. [6]) Stromat. L. VI. § 5. [7]) De septenar. et fest. p. 1189. Francof. 1691. [8]) Ib. p. 1174. [9]) Ib. p. 1191. [10]) *Selden.* De anno civ. veter. Iudaeor. c. 19. [11]) Erachin c. 2. § 2. [12]) Conf. Rosch hasshana c. 2. § 9 et Gemara ib. § 8. [13]) Talmudici ap. *Maiemon.* op. cit. c. 18. §§ 10. 11. [14]) Mischna Sanhedr. c. 1. § 2 et Gemara in h. l. [15]) *Maiem.* op. cit. c. 3. § 15. [16]) Rosch hasschana ap. *Cocceium* l. c. [17]) Rosch hasschana c. 1. §§ 3. 4; *Maiemon.* op. cit. c. 5. §§ 4 seqq. [18]) Rosch hasschana c. 1 ap. *Cocceium* l. c.

eiusque vestigium in Ionsthanis *Paraphrasi* deprehendere qnidsm sibi videntur [1]), postremo hinc qnoque illud, quod, etsi neomenias lunu, quae e sole emersa primo conspicua fiebat, signaret, qnnm tamen, qnoties nubibns obducta aliisve ex caussis ea latebat, synedrio integrum esset neomeniam indicere vel ex ipsius lunae ratiociniis, vel ex ulterna mensium plenornm et cavorum vice, ant etium ita, ut dno menses sive pleni sive cavi continnarentur, subinde fiebat, ut neomenia cnm ipso interlunio concnrreret. Aliud argumentum iu alio loco (20) proferemus. Non est ergo dnbium, quin anni forma apnd Iudaeos, dum Christus in terris versatus est, ea esset, quae u cyclorum rutiociniis pendere nullo modo poterat.

PARS II

Argumentum petitum ex intercalationibus

9 Nec secus fuit ratio intercalutionum. Harum enim uon ea dumtaxat caussa erat, ut ue annus lunaris extra solaris anni limites velnti vagaretur, cni uni incommodo avertendo cyclorum usn prospicitur, sed tnnc qnoque mensis intercalabatnr, quum vel fruges, vel fructus, sub veris initium nou ea erant matnritate, qua solent [2]), imo et ob ulias caussas bis leviores [3]); lex autem erat: *Ob duo ex his intercalanto; ob unum ex his ne intercalanto.* Ob anni cardinem tamen, etsi nulla alia canssa foret, intercalabatnr [4]). Utrum autem intercalandum esset, necne, ii disceptabant, quibus princeps synedrii id negotii demandaverat, resqne plurium senteutiis definiebatur [5]); ut si cyclorum nsus obtinuisset, hniusmodi disceptationibus nullns fuisset locus. Sed neqne illa cum cyclorum ratiociniis componi possunt, vel quod mensis intercalarius, nulla certa lege, modo diebus triginta, modo undetriginta, constaret [6]), vel quod snbinde duobus annis continuis intercalaretnr [7]), vel denique qnod nou anno sabbatico, neque anno inseqnente, neqne in annonae difficultate [8]). Idem hoc dicas de modo, qno intercalutio indicebatur, qnamque Maiemonides ita describit: *Nullus annus renuntiandus est intercalaris, nisi post exactam illam, quae principium anni dicitur, solemnitatem. Nec tum quidem renuntiatur annus intercalaris, nisi permagna ad indicandum impellat necessitas; alioqui mense adar demum renuntiatur consequentem mensem, non nisan, sed vaadar fore, eo quod annus sit intercalaris. Quod si synedrium ante principium anni edixisset venientem annum fore intercalarem, ista quidem denuntiatio nequaquam ad intercalandum valeret. Ubi mensis adar tricesimus dies advenerit, neque adhuc fuerit intercalatum, omnino intercalandum non est; quippe quia potest eo die esse neomenia nisanis. Mensis vero nisan quum venerit, nec dum intercalatum est, intercalari porro non est integrum. Veruntamen si adveniente hoc ipso die tricesimo adaris iam intercalatio indicta fuerit, id ratum habetur. Ergo si, postquam est indicta intercalatio, lunae novae nuntius adferatur, neomenia celebratur, non nisanis, sed vaadar. Sin autem neomenia consecrata fuerit, ante indictam intercalationem, postea non intercalatur, quoniam mense nisan non est intercalandi potestas* [9]). Itaqne ex intercalationum modo illud ipsum efficitur, quod ex anni forma, veteres Iudaeos cyclis usos nou esse.

PARS III

Argumentum ex priscae ecclesiae more depromptum

10 Id tamen eo argnmento porro confirmutur, quod prisci Christiuni, ut ipsum sollemne paschatis annique tempus, quo id ageretur, a Iudaeis acceperant, ita et cyclum, e cnius ratiociniis dies huius sollemnia agendi constitueretur, ab ipsis Indaeis, siquidem bi ullum haberent, procul dnbio accepissent, maxime quum prima illa aetate, in Asiu saltem, simnl cnm his eodemque die pascha facerent. Atqui nullus, dnm apostoli vixere, cyclus adhibitus a Christiunis est. Philippus ille, qui synodi caesariensis acta de paschate nobis servavit, baec scripsit: *Post resurrectionem vel ascensionem Domini Salvatoris apostoli, quomodo pascha deberent observare,* NIHIL ORDINARE POTUERUNT, *quia, dispersi per uni-*

---

[1]) I Sam. XX, 27. [2]) Gemar. Sanhedr. c. 1. § 2; *Maiemon.* op. cit. c. 4. § 2. [3]) Gem. ib.; *Maiem.* ib. § 5. [4]) *Maiem.* ib. §§ 2. 3. 16. [5]) Mischna et Gemar. Sanhedr. I. c.; *Maiem.* ib. §§ 9. 10. [6]) Gemar. ib.; *Maiem.* ib. §§ 10. 17. [7]) Gem. ib. [8]) Ib.; *Maiem.* ib. §§ 15. 16. [9]) Ib. §§ 13. 14.

versum mundum ad praedicandum fuerunt occupati. Sed quacumque die decima quarta luna mense martio fuisset, pascha celebrabant. Post transitum ergo de hoc mundo omnium apostolorum per singulas provincias diversa tenebant ieiunia. Nam Galli, quacumque die octavo kalendas aprilis fuisset, quando Christi resurrectio tradebatur, semper pascha celebrabant. In Italia vero alii viginti dies ante ieiunabant, alii septem. Orientales vero, sicut apostolos facere viderant, ut supra dictum est, decima quarta luna mense martio pascha tenebant. Cum ergo hae tales observationes per singulas provincias tenerentur, unde moeror erat sacerdotibus, eo quod, quibus una fides recta tenebatur, eorum dissentirent ieiunia, tunc papa Victor romanae urbis episcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Caesariensem Palaestinaeque antistitem, ut, quomodo pascha recto iure a cunctis catholicis celebraretur ecclesiis, inibi fieret ordinatio, ubi Dominus et Salvator mundi fuerat in carne versatus [1]). Quare nullum ecclesiis cyclum apostoli, sive quem ipsi condidissent, sive quem a Iudaeis accepissent, tradidere. Apud Epiphanium haec legimus: *Audiani ad institutum suum την των ἀποστολων διαταξιν apostolorum Constitutionem accommodant, qui quidem liber, tametsi apud multos dubiae fidei sit, non est tamen improbandus, omnis enim in hunc canonica ordinatio relata est, nec quidquam aut in fide et catholica professione depravatum, aut ecclesiae administrationi ac decretis contrarium continet. . . . Apostoli in hac Constitutione ita definiunt: Vos temporum rationes ne subducite, sed eo tempore celebrate, quo fratres vestri, qui ex circumcisione prodierunt. Cum his itaque pascha peragite.* Cur vero? Disce ab Epiphanio: *Hanc enim omnem illi curam ac diligentiam impendisse videntur, ut pacem et concordiam adstringerent, neve dissidia atque opinionum dissensiones exsisterent.* Et paullo post: *Hoc apostolorum decretum ad concordiam pertinet, id quod ipsi testantur his verbis: Quamvis aberrent ipsi, nihil id vos commoveat* [2]). Non ergo, quia, *qui ex circumcisione prodierant*, aliquem cyclum adhiberent; si enim adhibebant, concordiae nullo negotio prospectum fuisset hoc ipso cyclo ceteris ecclesiis tradito, hisque monitis, non quidem *temporum rationes ne subducerent*, sed ad hunc cyclum exigerent. Recte quidem Epiphanius animadvertit non dicere apostolos: *quo tempore fratres vestri, qui* IN *circumcisione sunt, sed, qui* EX *circumcisione prodierunt, ut illos ipsos declarent, qui ad ecclesiam a circumcisione transierint, ex eo deinceps tempore duces et auctores futuros; atque ad aliorum auctoritatem adiungerent sese, ne alii alio tempore obeundum sibi pascha crederent* [3]), Audianos autem perperam ex hoc decreto collegisse *pascha Iudaeorum more celebrandum*; attamen eos, *qui ex circumcisione prodierant*, pascha ab ipso ecclesiae exordio (26) celebrasse simul cum illis, *qui in circumcisione erant*, non est dubitare, itaque fieri necesse erat, quum, nullo adhuc cyclo adscito, nulla alia ratio definiendi diei festi praesto esset, quam illa, quam Iudaei sequebantur, atque ita factum fuisse Epiphanius paullo supra narraverat: Audiani inquit, *cum Iudaeis pascha celebrare volunt, hoc est, quo tempore Iudaei azyma sua peragunt, tunc illi pascha agendum esse vincere contendunt*; και δηθεν ὁτι οὑτως ἠν ἡ ἐκκλησια φερομενη *et videlicet quod sic ecclesia tulerat* [4]). Cyrillus denique Alexandrinus haec narrat: *Illi etiam, qui Iudaeorum pravitati respondere conati sunt, et octoginta quatuor annorum paschalem cyclum instituerunt, perfectae rationis circulum tenuissent, si in supputatione mensium vel annorum, non humanam, sed divinam traditionem sequi potuissent. . . . Quod alii providentes ac reprehendentes, et quasi emendare cupientes, quia non divina revelatione illuminati, sed humanae scientiae praesumptione elati sunt, peius aliquid addiderunt. Et sicut illi per sex quatuordecennitates, ita et isti per septem sedecennitates et quasdam dimensionum pergulas, duplicatos vel multiplicatos numeros ac monogrammos adnotando, scribere conisi sunt. . . . Cum his igitur atque huiusmodi dissensionibus per universum orbem paschalis regula turbaretur, sanctorum totius orbis synodi consensione decretum est, ut, quoniam apud Alexandriam talis esset reperta ecclesia, quae in huius scientia clareret, quota kalendarum vel iduum, quota luna pascha debeat celebrari, per singulos annos romanae ecclesiae literis intimaret* [5]), et *cyclum lunarem primi mensis conficeret* [6]). Vides, ut Cyrillus nos doceat cyclorum omnium, quibus Christiani deinceps usi sunt, vetustissimum esse cyclum annorum LXXXIV, hunc tamen confectum ab illis, *qui Iudaeorum pravitati respondere conati sunt*; proinde post apostolorum aetatem. His itaque testimoniis arbitror me id, quod receperam, praestitisse, ut evincerem Christianos, dum apostoli vixere, nullo cyclo usos fuisse. Iam vero, si Christiani nullum habuere, procul dubio neque Iudaei; ut enim ipsum sollemne tempusque, quo esset agendum, ita et cyclum,

---

[1]) Ap. *Bedam* De vernali aequinoct. et in *Bucherii* De doctr. tempor. p. 469. [2]) Haer. LXX. § 10. [3]) Ib. Conf. § 11. [4]) Ib. § 9. [5]) Prolog. pasch. §§ 1. 2. [6]) Ep. ad Synod. carthagin.

quo hoc tempus diemque ipsum certo definirent, ab his illi accepissent, praesertim quum et Christiani illi prisci omnes Iudaei genere essent, et simul cum his ceterae quoque ecclesiae, quae deinceps exstiterunt, aliquammultis saltem annis, pascha celebrarint. Sed hoc ipsum inferius (19) confirmabimus eo argumento, quod Cyprianus nobis suppeditavit.

CAPUT II

De verno anni iudaici cardine

11 Quae quum ita sint, si Iudaei ad annos suos digerendos nullis sive rectis sive pravis cyclorum ratiociniis utebantur, sed primum mensium diem eum habebant, in quem prima lunae *φασις* incideret, hac autem in re haud graviorem in errorem induci poterant, quam unius, summum alterius diei, qui error feriae designatione omnino vitatur, pro explorato est posse initia mensium, qui Iudaeis ibant, nobis perspecta esse, saltem praeter propter, imo plenissime, ubi, quam in feriam aliquis mensis dies inciderit, compertum habeamus. Quibus positis propius ad rem nostram iam licet accedamus, disquiramusque anni iuliani diem, quo cum dies decimusquintus nisanis concucurrit anno aer. vulg. 29.

PARS I

Hic anni cardo non erat aequinoctium

12 Qua in quaestione illud mente retinendum est, dies festos paschatis, quorum primus erat dies decimusquintus mensis nisanis, ita cum verno anni cardine fuisse compositos, ut hic non serius diei responderet, quam illi ipsi diei mensis decimoquinto ita, ut, si in diem mensis decimum sextum aut in aliquem insequentium dierum incideret, hic mensis non nisan esset, sed mensis intercalarius vaadar. *Non fit intercalatio*, inquiunt, *nisi pro maiore parte mensis. Et quanta est maior pars mensis? Sexdecim dies* [1]). Maiemonides autem: *Si ex tabularum ratione synedrium intelligat* תקופה *vernum cardinem aut decimo sexto die nisanis futurum esse, aut etiam posterius, anno mensem vaadar addit* [2]). Ita quidem hi Iudaei scriptores; vetustiorum tamen testimonio, non quintusdecimus sed decimusquartus dies mensis nisanis verno cardini terminus serissimus positus fuisse dicendus est (16).

13 Hunc autem cardinem aetate Christi quemnam in diem solaris anni incidere Iudaei existimabant? Aio vernam תקופה aetate Christi iis diebus fuisse adscriptam, qui nobis sunt 17 et 18 mensis martii. Etenim primo etiam atque etiam cavendum est, ne, quod multi peccant, תקופה atque aequinoctium alteram pro altero accipiamus. Nomen enim תקופה, sive ad huius etymon spectes, sive ad usum, nequaquam aequinoctium significat, nisi in recentiorum Iudaeorum scriptis. Proprie autem significat *conversionem*, non temporum modo neque anni, sed rei cuiusque, quumque de anno dicitur, anni prioris exitum una atque insequentis initium simul significat. Nihil autem in bibliis reperias, nihil in talmude, ex quo aequinoctium eo nomine significari coniicias. Quid, quod Maiemonides, tametsi dubitare non est, quin crediderit aequinoctium simul fieri una cum תקופה, hoc tamen nomine, non ipsum aequinoctium, sed solis ingressum in arietis signum notavit? Quum enim dixisset caussarum, cur intercalaretur, unum eamque praecipuam esse תקופה [3]), ubi de huius תקופה die atque hora invenienda agit, nullam aequinoctii aut dierum noctibus aequalium mentionem facit, sed ita exorditur: *Coeptat anni cardo vernus momento illo, quo sol attingit arietis principium* [4]), deinde huius momenti definiendi rationem docet.

14 Quin imo constat in annorum exordiis constituendis ad aequinoctium proprie dictum Iudaeos minime spectasse. Moyses enim, non aequinoctium, sed חדש אביב *mensem novorum* [5]), hoc est, vernum tempus observari iussit ad pascha in tempore agendum. Iosephus, ubi tradit, quo die pascha agi oporteat, aequinoctium ne nominat quidem, sed diem nisanis decimum quartum *secundum*

---

[1]) Tosaphta Sanhedr. c. 2. § 12 ap. *Ugolin.* Thesaur. T. XVII. col. 1100. [2]) Op. cit. c. 4. § 2. Conf. § 3. [3]) L. c. §§ 2. 3. [4]) Ib. c. 9. § 3. [5]) Deut. XVI, 1 coll. Ex. XII, 2.

lunam, ἐν κριῷ του ἡλίου καθεστωτος in ariete sole consistente [1]). Testis est historia priorum aetatum, ut, etiam postquam Iulii Caesaris decretum de aequinoctio diei VIII kal. april. adscribendo ubique obtinuerat, atque adeo quum ipsum aequinoctium ad diem 21 martii iam fuerat regressum, Iudaei tamen ante hos dies pascha suum agerent [2]). Ad haec rem, ut dicimus, ita se habere nos priscorum Christianorum fidem facit; qui, ut ipsum diem festum, ita anni tempus, intra quod hunc agerent, huiusque temporis terminos a Iudaeis quum accepissent, nam XIV luna paschalis aetate illa prisca, quod vel ex Actis apostolorum comperimus [3]), utrisque una atque eadem erat, neque ipsi in huius sollemnis die definiendo ullam aequinoctii neque rationem neque mentionem habuerunt. Synodus Caesariensis (10) anno aerae vulg. 196, praeside Theophilo episcopo, etsi aequinoctium die VIII kal. april. fieri adfirmavit, de die tamen, quo pascha fieret, hanc legem tulit: *Ut ab XI kal. april. usque in XI kal. mai. pascha debeat observari; et nec ante nec postea cuicumque constitutum limitem transgredi sit facultas. Similiter et de luna praeceptum dominicum teneatur, quod mandatum est per Moysen: Sit vobis observata a quartadecima luna usque vicesimam primam. Has ergo octo lunas similiter in paschate tenendo constat fuisse consecratas. Quando ergo fit intra illum limitem, ab XI kal. apr. usque in XI kal. mai., dies dominicus, et luna ex illis octo sanctificata est, pascha nobis iussum est celebrare.* Huius decreti synodi caesariensis Cyrillus Alexandrinus meminit in epistola ad synodum carthaginiensem scripta (10). Hippolytus cyclum suum composuit anno aer. vulg. 222, nec modo decimamquartam lunam paschalem, eamque adeo ἐκ της φασεως, ut ostendemus (21), deductam, diei XV kal. apr., sed et, quod inde consequitur, citimum pascha diei XIII kal. adscripsit, tametsi per illam aetatem aequinoctium fieret a. d. XII kal. Annis viginti post Hippolytum Cyprianus similem cyclum edidit, in quo citima XIV luna paschalis adscripta est diei XVI kal. april.; et *dies dominicus* PROXIME *sequens est pascha Christianorum*; quare annis tricesimo septimo et nonagesimo tertio totius periodi dies festus paschatis, secundum hunc cyclum, die 18 martii agendum erat. Anatolius autem Laodicenus, quo acrius vehementiusque inculcat, ac vincere conatur, pascha post aequinoctium celebrari oportere, eo manifestius facit aetate sua, hoc est, post medium saeculum III, id a Christianis minus esse observatum. Quamquam autem latina ecclesia post concilium nicaenum sollemnia paschatis ante aequinoctium celebrasse nullo iudicio argui queat, attamen, ut Norisius plene demonstravit [4]), medio saeculo V ad hunc diem festum indicendum adhuc utebatur cyclo annorum LXXXIV, quae *Supputatio romana* vocari solet, et ex cuius ratiociniis citima luna XIV paschalis cum die XVI kal. april. componebatur, proinde citimus dies festus paschatis cum die 20 martii. Qui pascha post aequinoctium agendum esse dixerit, neminem inter Graecos reperimus ante Dionysium Alexandrinum [5]), qui vixit medio saeculo III, aut ante Origenem, quem Anatolius citat auctorem [6]), inter Latinos autem primus Ambrosius, de paschate agens, in epistola scripta ad episcopos Aemiliae aequinoctii mentionem iniecit [7]), quod tamen ab Alexandrinis accepisse, aeque ac cetera, quae in illa epistola disputat, iure creditur. Ceteri vero Latini, qui paschatis ratiocinia descripserunt, numquam aequinoctium nominant; adeo ut Bucherius dubitet [8]), an, quod vulgo fertur, nicaena synodus inter ea, quae de modo paschatis agendi constituit, sive aequinoctium diei XII kal. apr. adscripserit, sive pascha post hunc diem celebrandum decreverit, quod alterum Norisius quoque a synodo factum fuisse in dubium revocare videtur, demonstravit enim, ut haec nihil constituerit de luna XIV paschali ante aequinoctium non habenda [9]). Dionysius Exiguus enimvero, qui, quaecumque ipse observari praecipit in die paschatis definiendo, omnia nicaenae synodo accepta refert, de aequinoctio tamen haec scripsit: Occursus *vernalis aequinoctii . . . a duodecimo kalendarum aprilium die*, non nicaenorum quidem patrum, sed *cunctorum Orientalium sententiis, et maxime Aegyptiorum, qui calculationis prae omnibus gnari sunt, specialiter annotatur* [10]). Proterius quoque Alexandrinus Leoni Magno scribens de paschate anni aer. vulg. 455, quum nihil non ageret, ut huic persuaderet hoc sollemne celebrandum esse eo die, non quo Latini, sed quo Alexandrini censebant, quis dubitet ipsum Nicaenorum patrum auctoritatem Latinis fuisse oppositurum, si hac

[1]) Ant. L. III. c. 10. § 5. [2]) *Constantin. M.* Ep. de synodo nicaena ap. *Euseb.* De vita Constant. L. III. cc. 17 seqq.; *Epiphan.* Haer. LXX. § 11; *Theophil. Alex.* Prolog. pasch. § 2; *Ambros.* Ep. XXIII al. LXXXIII ad episc. per Aemil. § 7; *Proter. Alex.* Ep. ad Leon. M. § 7; Anonym: Homil. VII de pasch. § 2 in opp. *Chrysost.* T. VIII Append. ed. *Montfauc.* [3]) Act. XII, 3. 4; XX, 6. [4]) Dissert. I ad fast. consul. et Dissert. II de paschali Latinor. cyclo. Opp. T. II. [5]) Ap. *Euseb.* H. E. Lib. VII. c. 15. [6]) In Canone ap. *Bucher.* De doctr. temp. p. 440. [7]) L. c. § 8. [8]) Op. cit. in Victor. Canon. pasch. cc. 3. 5. [9]) Diss. II de paschali Latinor. cyclo coll. 692 seqq.; Diss. III de cyclo pasch. ravennat. coll. 771. 772. [10]) Ep. ad Petronium.

se iuvari sensisset? attamen de aequinoctio haec narrat: *Vicesimoquinto die mensis phamenoth, qui est* XII *kal. april., . . . initium verni temporis*, non dicit a nicaena synodo, sed *ab his, qui hoc invenire valuerunt, cum omni diligentia praefixum esse. . . . Et manifeste quidem secundum cursum solis* XXV *die mensis phamenoth, qui est* XII *kal. april., aequinoctium esse cognoscitur* [1]. Quod si nicaena synodus aequinoctium diei XII kal. apr. adscripserat, qui fieri potuit, ut insequutis temporibus essent, iique non pauci, qui aliis diebus vel apertis verbis adscriberent, vel a se adscribi alia qua ratione demonstrarent (15)? Neque contradicere putandi sunt Ambrosius [2]) et Cyrillus [3]), quum a synodo nicaena *enneadecaeterida* et *lunarem cyclum primi mensis* descriptum fuisse aiunt; non hoc enim synodus ad aequinoctium huuc cyclum exegisse credenda necessario est, sed ad *mensem novorum*, ut Ambrosius ipse ait [4]), ad quem mensem ceteros item veteres cyclorum conditores aliosque, qui de pascbate disputarunt, spectasse vel ipsi testantur, vel ipsa suorum cyclorum ratio ac forma certiores nos faciunt. Ceterum an ipsa nicaena synodus aliquem cyclum descripserit atque auctoritate sua sanxerit, an, quod ex Epiphanii [5]) verbis existimare est, solummodo describi iusserit, ratione faciunt, qui adfirmare non audent. Certo autem constat post hanc synodum habitam Latinos cyclo illo suo annorum LXXXIV uti perrexisse, in quo luna XIV paschalis iis quoque diebus, qui sunt ante aequinoctium diemque XII kal. april., adscripta erat, quod inter ceteros Innocentius I p. m. [6]), Cyrillus Alexandrinus [7]), Paschasinus Lilybaetanus [8]), Victorius Aquitanus [9]), testantur; hac de caussa Latinos a Graecis obiurgatos quidem fuisse, numquam tamen eo nomine, ut qui legi alicui nicaenae minime obtemperarent; non defuisse denique inter illos, atque adeo serioribus aetatibus, qui pascha fecerunt ipso die aequinoctii [10]), quod minime fecissent, si, ne id fieret, illa synodus lege lata cavisset. Adde quod Victorius Aquitanus, qui annis centum triginta duobus post eam synodum suam *Periodum* conscripsit, aequinoctium quidem non nominat, ait tamen mundum conditum a. d. VIII kal. april., solem autem lunamque V kal.; quare, quum caelestium cardinum προηγησις illi aetati esset incomperta, iure creditur putasse aequinoctium fieri illo ipso die VIII kal. april.; attamen citimum pascha citimamque lunam paschalem XVI, ante quam Latini hoc sollemne haud celebrabant, composuit cum die XI kal. Non ergo ad aequinoctium prisci Christiani paschatis ratiocinia exigebant, proinde neque Iudaei, a quibus illi haec ratiocinia primum didicere, sed utrique ad *mensem novorum*, hoc est, ad vernum cardinem. Quae his contraria Philo eoque longe antiquiores Aristobulus duoque Agathobuli dicere putantur, in alio loco (17. 18) expendemus.

PARS II

Vernus anni iudaici cardo non alius, quam solis ingressus in arietem, quem veteres aequinoctio vulgo dividebant

15 Ast quinam cardo hic vernus, nisi aequinoctium? Atqui levi negotio id comperias. Per illam namque aetatem, de qua quaerimus, vulgo opinio invaluerat, utrumque aequinoctium, solstitium, et brumam, tunc esse, quum sol octavam signorum partem percurreret, atque adeo ipsum solem in ea signa ingredi octo vel septem ante diebus, proinde, quum vernum aequinoctium fieri censeretur a. d. VIII kal. apr., sol in arietem a. d. XVI aut XV kal. putabatur ingredi [11]); cuius sive opinionis, sive erroris, tum modum tum originem caussasque Petavius luculenter exposuit [12]). Nam Iulius Caesar et Sosigenes vernum aequinoctium diei VIII kal. april. adscripsisse creduntur optima ratione, quum hanc opinionem scriptores, qui post eos vixere, sequuti sint; cur autem huic diei adscripserint, tametsi ipsorum aetate duobus tribusque ante diebus ipsum aequinoctium fieret, disces a Petavio [13]). Huic ergo eidem diei aequinoctium adscriptum legimus ab Ovidio [14]), a Columella [15]), a Plinio [16]), inque *kalendario farnesiano* [17]). Nec secus his omnibus longe vetustiorem sensisse Varronem [18]) adparet, quamquam, numerorum notis librariorum vitio perversis, eius opinionem liquido compertam habere ex ipsis verbis nequeamus. Aliquae enim harum notarum eo vitio immunes evaserunt; sunt

---

[1]) Ep. ad Leonem M. ap. *Bucher.* op. cit. p. 86. [2]) L. c. § 1. [3]) L. c. [4]) L. c. § 7. [5]) Haer. LXX. §§ 9. 11. [6]) Ep. ad Aurel. [7]) L. c. § 1. [8]) Ep. ad Leonem M. [9]) Protog. Canon. [10]) *Gregor. Turon.* Hist. Francor. L. V. c. 17. [11]) *Bucher.* De doctr. temp. De paschali Iudaeor. cyclo c. 3; *Petav.* Doctr. temp. L. IV. c. 27 et ant. in *Epiphan.* Haer. LI. p. 196. [12]) Auctar. L. II. cc. 4. 5. [13]) Ib. c. 5. [14]) Fastor. L. III. vv. 877. 878 coll. 849—852. [15]) De re rust. L. IX. c. 14; L. XI. c. 2. [16]) H. N. L. XVIII. c. 25 al. § 59; c. 26 al. § 66. [17]) In *Graevii* Thes. antiq. rom. T. VIII. coll. 19 seqq. [18]) De re rust. L. I. c. 28.

autem hae. Prima initium favonii simul et veris, quod esse ait a. d. VII id. febr.; nec dissentit Plinius utrumque esse dicens *circiter fere* VI *id. febr.* [1]); quod ad favonium Ptolemaeus [2]) plane consentit, itemque Democritus apud Geminum [3]), et Columella [4]). Altera nota sunt dies XLV interiecti inter brumam et veris initium, quod et Plinius tradidit [5]); ex quo necessario consequitur brumam, secundum Varronis sententiam, cum die IX kal. ianuar. componi oportere, aeque ac secundum Columellae [6]), qui non contra dicere putandus est, ubi ait brumam fere confici a. d. VIII kal. [7]), quod et Plinius scripsit, in *kalendario* autem *farnesiano*, in quo ceteri tres cardines diei VIII kal. suorum singuli mensium adscripti sunt, bruma decembri quidem fieri dicitur, non tamen quo die. Tertia nota omni vitio immunis dies sunt nonaginta et unus, qui inter aequinoctium autumnum et brumam numerari dicuntur [8]), ita ut huius aequinoctii dies sit a. d. VIII kal. octobr., quae Columellae quoque [9]), et Plinii [10]), et eius, qui *kalendarium farnesianum* composuit, sententia est; Columella tamen in alio loco huic aequinoctio tres dies adtribuit [11]). Quarta denique illarum notarum sunt dies verni XCI numero, quot veri Columella quoque adsignavit [12]), videlicet ex a. d. VII id. febr. in a. d. VII id. mai., quo argumento efficitur aestatis initium, non secus ac a Columella [13]), adscriptum a Varrone fuisse diei VII id. mai., ut quaedam exemplaria habent, non autem IV id., ut alia. Quum ergo ea, quae constat in Varronis libro vitiata non esse, consonent iis, quae apud Plinium et Columellam leguntur, non est dubium, quin, aeque atque hi, vernum aequinoctium diei VIII kal. april. Varro adscripserit. Sed hoc ipsum ab iis factum est, qui longa post hos aetate vixere, ut Macrobius [14]) atque ille, qui quoddam kalendarium conscripsit regnante Constantio [15]), *hilaria* enim, quae in hoc notata sunt die VIII kal. april., agi solebant die verni aequinoctii [16]); imo et ab iis, qui post concilium nicaenum, ut scriptor cuiusdam homiliae de paschate, Athanasius nomine vero an ficto incertum [17]), scriptor homiliae *De solstitiis et aequinoctiis* [18]), Polemius Sylvius [19]); neque aliter Victorio Aquitano hac de re sententia fuisse videtur, quippe qui mundum conditum dicit a. d. VIII kal. april. [20]), neque Paulo Orosio [21]) aut Petro Chrysologo [22]), quum brumam fieri dixerunt a. d. VIII kal. ianuar. Ne vero putes solos Latinos sic sensisse; nam haec opinio fuit synodo Caesariensi (14), huic Anatolio Laodiceno [23]), sed et Ephraemo [24]), qui autumabat dies incipere augeri a. d. VIII kal. ianuar., et Theodoreto [25]), qui ait *Sanctae Virgini Mariae laetum nuntium admirandi partus allatum*, quo die *Deus . . . creaturas condidit*. Constat igitur illius aetatis, qua Christus vixit, sententiam hanc vulgo fuisse, fieri aequinoctium a. d. VIII kal. april. Fieri tamen non ipso signorum initio, sed in octava horum parte, vel, ut nunc loqui mos est, in octavo gradu, quum hunc sol percurrit videlicet, item vulgo ferebatur. Sic enim esse putarunt, quotquot niebant solem in arietem ingredi octavo die aut postremis horis noni diei ante diem aequinoctii, quos infra enumerabimus, sic Varro, de quo etiam mox. Aperte autem illud adfirmarunt Manilius [26]), Germanicus, qui esse fertur [27]), Columella [28]), Plinius [29]), Martianus Capella [30]), imo, ut Columella testatur [31]), duo quoque in astrologia facile principes Meto et Eudoxus, aliique apud Manilium [32]) et Achillem Tatium [33]); Geminus [34]) tamen ait ab Eudoxo aequinoctium adscriptum esse diei sexto mensis *χοιωνος*, proinde diei item sexto post solis ingressum in arietem. Jam vero, si aequinoctium fieret in octava arietis parte, solem in arietem ingredi haud posse, nisi octo aut novem ante aequinoctium diebus manifestum est, quum unam paullo minus signorum partem quotidie percurrat, proinde si aequinoctii dies est a. d. VIII kal. april., ingressus solis in arietem sit oportet a. d. XV aut XVI kal. Huic rei apte illud respondet, quod die XV kal. april. conditum fuisse mundum haud pauci crederent. Certe his quidem diebus e piscibus in arietem transire solem veteres adfirmarunt. Alii quidem a. d. XV kal., quos Servius [35]) commemorat. His Ovidium Petavius adnumeravit; sed nimis clara sunt Ovidii verba, ubi loquens de tubilustrio, quod erat a. d. X kal. april. die postremo quinquatruum, haec addidit: NUNC *potes ad solem sublato dicere vultu*: *Hic* HERI *phrixaeae vellera pressit ovis* [36]),

---

[1]) Op. cit. L. II. c. 47 al. § 47; L. XVI. c. 39 al. § 25. [2]) De appareatiis die XIII mechir ap. *Petav.* Doctr. temp. T. III. pp. 47. 54. [3]) Element. astron. c. 16 die XVI aquar. ap. *Petav.* ib. p. 38. [4]) Op. cit. Lib. XI. c. 2. [5]) Op. cit. L. XVIII. c. 25 al. 5. 59. [6]) L. c. [7]) Op. cit. L. IX. c. 14. [8]) Op. cit. c. 34. [9]) L. c. [10]) L. c. et c. 31 al. § 74. [11]) Op. cit. L. XI. c. 2. [12]) Ib. [13]) Ib. [14]) Saturn. L. I. c. 21. [15]) Diss. XXVII. c. II. § 43. [16]) *Macrob.* l. c. [17]) Diss. XIX. n. 102. [18]) Ib. n. 125. [19]) In Kalendar. ap. *Bolland.* Praef. general. in vitas sanctor. c. 4. § 3. [20]) Prolog. Canon. § 7. [21]) Diss. XIX. n. 106. [22]) Ib. n. 108. [23]) Lege *Bucher.* De doctr. temp. in Can. pasch. Anatolii c. 2. [24]) Diss. XXI n. 31. [25]) Diss. XIX. n. 107. [26]) Astronomicor. L. III. vv. 256—259. [27]) In Arati phaenomen. [28]) Op. cit. L. IX. c. 14. [29]) H. N. Lib. II. c. 19 al. § 17; L. XVIII. c. 25 al. § 59. [30]) Lib. VIII de Astronom. [31]) L. c. [32]) L. c. vv. 676—678. [33]) Ad Arati phaenom. c. 23. [34]) L. c. [35]) Ad *Virgil.* Georg. L. I. v. 205. [36]) Fast. L. III. vv. 851. 852 coll. 849. 850. 877. 878.

XI kal. videlicet solem ad arietem transgredi ait, profecto minus sibi concordans, qui dixerat solem ad pisces adire a. d. XV kal. mart. [1]), ad aquarium a. d. XVI kal. febr. [2]). Verius his adnumeres Hippolytum, unctoremque *Supputationis romanae*, et Latinos universe, quippe quibus omnibus, cur citimam lunam XIV paschalem cum die XV kal. april. componerent, alia caussa esse non potuit, quam quod huic diei aliquempiam anni cardinem veluti adfixum esse putarent; quinam autem hic cardo, nisi solis ingressus in primum duodecim signorum, qui eo die aut pridie esse ferebatur? Alii iique plures hunc ingressum diei XVI kal. april. adscripsere. Varro ait aquarii, tauri, leonis, et scorpionis, diem tertium et vicesimum quatuor temporum primum esse [3]). Atqui primum diem veris in aquario esse dicit, eumque, qui est a. d. VII id febr. Quum ergo sol illa aetate aquarium undetriginta diebus percurreret, pisces autem triginta [4]), liquet sensisse Varronem solem ad arietem adire a. d. XVI kal. april. Ex quo comperimus Varronem, ut diximus, iis esse adnumerandum, qui aequinoctium in octava parte arietis fieri opinabantur. Columella quoque in arietem solem eo die transire scripsit [5]). Item sensisse Cyprianus [6]) dicendus est, cui citima XIV luna paschalis est a. d. XVI kal. april., hic autem dies primus anni; cuiusnam autem anni, nisi quem signorum ordo definit? mundum enim, non XVI, sed VIII kal. april. conditum fuisse Cyprianus putabat. Kalendarium regnante Constantio editum haec in martio habet: XVI *kal. sol in ariete*. Ausonius denique: *Mense Numae in medio solidi stat sidus aquari* [7]), hoc est, XVII kal. febr., qui dies ipsum mensis medium tenet, sol aquarium adit, percurrit porro hoc signum diebus undetriginta, ut dictum est, pisces triginta, proinde ad arietem perveniret a. d. XVII kal. april.; quum tamen Columella quoque [8]) solis ingressui in aquarium illum ipsum diem adsignet, ac nihilominus ad arietem a. d. XVI kal. solem accedere tradat, de hoc quoque Columellae Ausonius adsentiri putandus est; illud saltem indubium, ultra hunc diem ab Ausonio illum accessum haud differri.

16 His adfatim demonstratis, liquet vernam תקופה, hoc est, vernum anni cardinem, Iudaeis, quum nequaquam is esset ipsum aequinoctium, sed hoc anteverteret, alium non fuisse, quam solis ingressum in arietis signum, hunc autem ingressum ab illis, non secus ac a ceteris, ea aetate, qua Christus in terris versatus est, diebus 17 et 18 martii esse adscriptum. His duobus, inquam, diebus, non alteri tantum. Quum enim aequinoctium diei VIII kal. april. veluti adfixum esset, ita tamen, ut, quod tropici iuxta ac civilis anni forma exigit, non quotannis eadem hora fieret, sed anno insequente sex ferme post horis, quam anno priore, quumque sol septem signorum partes percurrat diebus 7 horisque 2^h 26′ 46″, si hora aequinoctii mediam fere tertiam a noctis medio excedebat, solis adpulsus ad arietem in diem 18 martii incideret necesse erat, in diem vero 17, si secus. Tum, si alterutro dumtaxat die Iudaei vernam תקופה constitutam haberent, nulla opus fuisset consultatione, utrum ob anni cardinem illo vel illo anno esset intercalandum; quum autem de hac quoque re synedrium deliberaret [9]), adparet deliberationem eo pertinuisse, ut compertum fieret in quem diem ille cardo eo anno incideret; non ergo uni tantum diei adfixus erat, quod infra (20) alio argumento confirmabimus.

PARS III

Contraria diluuntur

17 Nunc sane facile erit pervidere, quem in sensum sint accipienda, numque bis, quae de verno anni cardine a Iudaeis adscito adfirmavimus, contraria ea sint, quae uterque Agathobulus, quae horum magister Aristobulus, quae Philo scripsere de anni tempore, quo pascha agere mos erat. Ut a Philone exordiar: *Την ἀρχην*, inquit, *της ἐαρινης ἰσημεριας πρωτον ἀναγραφει μηνα Μωυσης ἐν ταις των ἐνιαυτων περιοδοις ἀναθεις . . . τῳ δη μηνι τουτῳ περι τεσσαρεσκαιδεκατην ἡμεραν μελλοντος του σεληνιακου κυκλου γινεσθαι πλησιφαους ἀγεται τα διαβατηρια*, quae ad verbum ita exprimas: ***Principium verni aequinoctii primum inscripsit mensem Moyses in annorum conversionibus consecrans. . . . Mense vero isto decima quarta die, quum in eo est lunaris orbis, ut fiat plenus, aguntur diabateria***, pascha videlicet [10]). At si Philo de ipso aequinoctio, de sole, inquam, aequinoctialia

[1]) Ib. L. II. vv. 457. 458 coll. 475. [2]) Ib. L. I. vv. 651. 652. [3]) Op. cit. c. 28. [4]) *Gemin.* Op. cit. c. 16. [5]) Op. cit. L. XI. c. 2. [6]) Comput. de pasch. [7]) Eclog. 382. [8]) L. c. [9]) *Maimon.* op. cit. c. 4. §§ 2. 9. [10]) De vita Moys. L. III. p. 686.

circuli et ecliptici nodum adtingente, loquitur, quid, sodes, est illud *principium verni aequinoctii*? quid primus mensis non alius quam hoc principium? neque enim quis sanus censeat dicere Philonem a Moyse ipsum aequinoctium fuisse constitutum, unde primus anni mensis initium sumeret. Nempe, quibus rebus principium est, iis et medium est, et finis; quorum tamen ne unum quidem in aequinoctio proprie sic dicto. Spatium ergo temporis Philo in hoc, aeque ac in eo loco, de quo mox dicemus, nomine *ἰσημεριας* designat, ipsiusque verborum sensus alius non est, quam primum anni mensem Moysis praescripto incipere intra illud tempus, quod circa aequinoctium est. Verum num ideo Moyses de paschate post aequinoctium agendo praecepisse putetur? Adde, quod, quum incompertum sit, quid significent illa *την ἀρχην της ἐαρινης ἰσημεριας*, siquidem ipsum aequinoctium hoc nomine signetur, recta verborum constructio haec foret: *Την ἀρχην Μωυσης μηνα της ἐαρινης ἰσημεριας πρωτον ἀναγραφει* ***Principio Moyses mensem verni aequinoctii primum inscripsit***; quae quidem hoc modo digesta nihil nobis difficultatis creare manifestum est. Rationem autem caussamque exponens, cur eo anni tempore hoc sollemne celebretur, ita loquitur: *Αἰτιον δε, ὡς γε οἰμαι, τοδε· την ἐαρινην ἰσημεριαν ἀπεικονισμα τε και μιμημα συμβεβηκεν εἰναι της ἀρχης ἐκεινης, καθ' ἡν ὁδε κοσμος ἐδημιουργειτο.* ***Caussa autem, ut puto, haec est; quod vernum aequinoctium imaginem et similitudinem contingat esse principii illius, quo mundus conditus fuerat.*** Et paullo post: *Της δ' ἑορτης διχομηνος ἀρχει ἡ πεντεκαιδεκατη, καθ' ἡν σεληνη πλησιφαης γινεται, προνοιᾳ του μηδεν εἰναι σκοτος κατ' ἐκεινην την ἡμεραν* ***Sollemnitati initium facit dies quintusdecimus, qui mensis medius est, quo luna plene lucens fit, eo consilio ne quid tenebrarum sit per illum diem***[1]). Verum, non modo ex his verbis haud efficitur agi pascha post aequinoctium, sed eorum postrema sensum aperiunt, in quem Philo, tum in hoc, tum in superiore loco, nomen *ἰσημεριαν* usurpavit, siquidem nomina *την ἀρχην* et *της ἐαρινης ἰσημεριας* in illo connexuit. Nam octo quoque ac novem diebus ante aequinoctium, Palaestinae atque adeo Aegypti regionibus, plena luna oritur fere sesquihora ante tenebras, tantumdemque primae lucis est, quum occidit, ita ut eo die nihil sit tenebrarum. Si ergo sollemni azymorum celebrando indicta a Moyse fuit luna XV, quae illo anni tempore est, eo consilio, ne quid tenebrarum per eum diem esset, quum id contingat iis quoque diebus, qui proxime aequinoctium anteennt, si luna XV in hos incidat, hos quoque nominis *ἰσημεριας* significatione a Philone comprehendi patet, eoque nomine totum temporis spatium designari, intra quod paschatis plenilunium esse potest.

18 Quid duo Agathobuli praeceperint de paschate, Anatolius memoriae prodidit apud Eusebium[2]): *Φασιν δειν τα διαβατηρια θυειν ἐπισης ἁπαντας μετα ἰσημεριαν ἐαρινην, μεσουντος του πρωτου μηνος· τουτο δε εὑρισκεται το πρωτον τμημα του ἡλιακου, ἠ, ὡς τινες αὐτων ὠνομασαν, ζωοφορου κυκλου διεξιοντος ἡλιου* ***Aiunt oportere pascha mactare aeque omnes post aequinoctium vernum, medio primo mense. Id autem invenitur primum segmentum solaris vel, ut quidam eorum nominarunt, signiferi circuli percurrente sole.*** Quae quidem contraria esse sententiae, quam defendimus, certo constaret, nisi in his quoque et *ἡ ἰσημερια* illud ipsum esset, quod in Philone, videlicet tempus circa aequinoctium, et sensum esse, pascha fieri oportere post hoc tempus inceptum, ex iis adpareret, quae Anatolius addidit, de Aristobuli sententia ita scribere pergens: *Ὁ δε Ἀριστοβουλος προστιθησιν, ὡς εἰη ἐξαναγκης τῃ των διαβατηριων ἑορτῃ, μη μονον τον ἡλιον το ἰσημερινον διαπορευσθαι τμημα, και την σεληνην δε* ***Aristobulus autem addit, ut oporteat necessario die festo paschatis, non tantum solem aequinoctiale percurrere segmentum, verum et lunam.*** Vides primum, ut Aristobulus loquatur, non de aequinoctio, sed de ***aequinoctiali segmento***, hoc est, de illa e duodecim signiferi partibus, in qua vernum aequinoctium consit; num vero Aristobulus in ipso huius segmenti principio aequinoctium fieri putabat? quod quum incompertum sit, neque ex Aristobuli verbis quidquam contra nostram sententiam depromere est. Deinde adtende ad ipsa verba, quibus Anatolius Aristobuli opinionem exponere adgreditur. Ait enim hunc Agathobulorum praecepto aliquid *προστιθεναι* ***addere***; quid illud, posterioribus verbis *και την σεληνην δε* enuntiat, prioribus vero, sicut adparet etiam ex illis *οὐ μονον*, id, quod et Agathobuli docebant. Quare hi dicendi sunt non aliud significasse verbis *μετ' ἰσημεριαν ἐαρινην*, quam Aristobulus verbis *εἰη . . . τον ἡλιον το ἰσημερινον διαπορευσθαι τμημα.* Nisi igitur de utrisque constet aequinoctium ab ipsis in ipso arietis initio fuisse constitutum, nihil sive ab huius sive ab illorum verbis difficultatis nobis esse potest. De sententiis autem inter hos interque Talmudistas (12) conciliandis, quod illi nisi post vernum cardinem, hic etiam pridie, aiunt pascha Deo mactari, non est, cur solliciti simus; nec vi illud a nobis extor-

[1]) De septenario et fest. pp. 1190. 1191. [2]) H. E. L. VII, c. 32 et ap. *Bucher*, Doctr. temp. pp. 441. 442.

quendnm erit, ut demus, lunam XIV paschalem ante diem 17 martii esse uon potuisse, maxime qunm Iosephns quoque testetur pascha Deo mactari *ἐν κριῳ του ἡλιου καθεστωτος sole consistente in ariete* (6. 14).

CAPUT III

De citima luna paschali veterum Iudaeorum

19 Perfecto et concluso Indaens per illam aetatem, intra quam Christns vixit, opinatos esse vernam תקופה fieri intra dies 17 et 18 martii, iam illud consequitur, quod quaerimus, citimam lunam XIV paschalem, utpote quae, si Talmudistis credimns, in diem pridie verni cardinis incideret (12), cum die 16 martii ab illis Iudaeis veteribus fuisse compositam, citimam antem lunam XV ipsumque citimum diem festum azymorum, cum die 17. Attamen, qunm Aristobulns, duo Agathobuli, Philo, Iosephns, testentur pascha mactare oportere post vernum anni cardinem, sole in arietem iam ingresso, quumque nemo, puto, diffiteatur maiorem his, quam Maiemonidae atque ipsis Talmudistis, ea de re fidem esse, aio citimam lunam paschalem Iudaeis eam fuisse, cuins dies XIV cum die 17 martii concurrebat. Id antem Cypriani testimonio confirmatur, qui Iudaeorum esse ait paschales lnnas XIV a se in suo *Pinace* digestas, quarum citima incidit in a. d. XVI kal. april. (14). Quaeres, qui fieri possit, ut hae sint paschales lunae XIV Indaeorum, siquidem Iudaei, ut demonstravimus, cyclum tunc temporis nullum habebant. Non equidem suspicor cyclum aliquem Cypriani aetate ab illis iam fuisse adscitum; id enim hoc ipso refutatur, quod, si tunc Iudaei cyclo iam utebantur, quum lunae dies, qui sunt in Cypriani *Pinace*, illos ipsos hic esse adfirmet, quotus illi numerabant, iam *Pinax*, non Cypriani opus, sicut est re vera, quam is a se *Pinacem* confectum dicat, sed nihil foret, uisi ipse Iudaeorum cyclus. Quare credendus est Cyprianus illas lunas XIV paschales Indaeorum esse ideo adfirmare, quia lunae XIV paschales Iudaeorum uon aliae fuissent, si in aliquem cyclum ea forma, qua *Pinax* est, digererentur, ipso cycli cardine, hoc est, citima harum lunarum, quae tunc Iudaeis erat, constituto in eo die, qui est a. d. XVI kal. april.

20 Sed et Hippolyti *Canon*, et *Romana supputatio*, et Latinorum atque adeo ipsius romanae ecclesiae mos, qui obtinuit usque ad medium saeculum V [1]), certiores nos faciunt citimam lunam XIV paschalem Iudaeis eo die fuisse, quo contendimus; imo id evincit ipsa ratio discriminis, quod haec luna diei XV kal. april., non sicut a Indaeis, XVI kal., adscripta ab illis erat. Noverant enim illi lunam XIV paschalem ante vernum cardinem solisque ingressum in arietem esse non posse, sol antem arietem adtingere vulgo credebatur octavo aut nono die ante diem verni aequinoctii, prout aequinoctium prioribus aut posterioribus diei horis fiebat, hae autem horae, non secundum astrica ratiocinia, sed *πολιτικως* numerabantur, ita ut inter unius et alterius anni aequinoctium dies 365 horae 6 intercederent. Itaque eo anno, quo dies bissextus fuerat intercalatus, aequinoctium, principium videlicet anni tropici vulgari forma, in ipsum initium diei civilis, qui erat 25 martii, incidebat, anno post fiebat horis ab eiusdem huius diei initio sex, tertio anno duodecim, quarto dundeviginti, quinto denique vigintiquatuor horis, id est, ineunte die 26 martii factum fuisset, nisi die bissexto intercalato in pristinam sedem initiumque diei 25 fuisset restitutum. Hinc vernus cardo, quem luna XIV paschalis antevertere nequibat, apud Latinos ternis annis in diem 18 martii incidebat, quarto quoque anno in 17 nec ante mediam horam quartam post solis occasum. Itaque caussa, cur citimam lunam XIV paschalem diei 18 martii prae die 17 adscriberent, ea erat, quod, si secus facerent, citima haec luna XIV vernum cardinem plerumque antevertisset, nisi tamen alius, ac habuere, lunares cyclos sibi confecissent. Ideo igitur hanc citimam lunam XIV paschalem diei 18 martii illi adscripsernnt, quia pro certo habebant eam neque ante, neque post vernum cardinem, qui in hunc diem plerumque incidebat, esse posse. Id autem illos a Iudaeis didicisse pro explorato est. Ergo Iudaei quoque cum die cardinis diem citimae lunae XIV paschalis componebant. Ast dies cardinis, etsi idem utrisque, uon tamen eodem initio, proinde neque eadem hora apud utrosque solis ad cardinem adpulsus. Etenim, etsi aequinoctium intra diem 25 martii continebatur, quum tamen civilis Iudaeorum dies non eadem hora, ac dies civilis Romanorum, inciperet, sed huius initium sex horis *καιρικαις*

[1]) *Petav.* Not. in *Epiphan.* Haer. L. pp. 86 seqq.; Haer. LI. pp. 197. 198; Addend. p. 453; Doctr. temp. L. II. cc. 64 seqq.; *Bucher.* Doctr. temp. in Victor. Canon. cc. 3 seqq.; *Noris.* Dissert. cit.

anteverteret, diesque, quem Romanis inchoabat media nox, quae est inter dies 24 et 25 martii, Iudaeis ille esset, qui a proximo solis occasu sex horis *καιρικως* post meridiem diei 24 ire coeperat, illud necessario ex hoc consequebatur, ut civile Iudaeorum aequinoctium totidem horis fieret ante Romanorum, proinde totidem item horis sol adpulsum ad arietis signum apud illos *πολιτικως* anticiparet. Quare vernus cardo apud Iudaeos alternis bienniis in dies 17 et 18 martii incidebat. Si citimam lunam XIV paschalem diei 18 martii hi adscripsissent, illud subinde fieret necesse erat, ut ea foret post diem cardinis, proinde non citima. Adscripsere igitur diei 17. Neque hac re accidere poterat, ut ea luna cardinem unquam praeverteret; non enim initia annorum ex cycli ratiociniis definita erant, sed singillatim quotannis indicebantur illius quoque diei ratione habita, in quem cardo eo anno incideret. Quae quum ita sint, iis ipsis illa duo porro confirmantur, quae superius demonstravimus, Iudaeos illos veteres cyclis usos minime esse, neque unum, sed duos fuisse dies, in quos Iudaei vernum תקופה incidere putabant; praetereaque efficitur paschalem, ut vocant, citimum terminum, etsi alia hora, non tamen alio die civili, nisi quantum horarum differentia exigit, Iudaeis ac Latinis fuisse.

21 Ne quid tricarum insolutum praetereamus, nonnulla iuvat animadvertere. Cyprianus suum ***Pinacem*** exorsus est ab anno aer. vulg. 242 Arriano et Pappo coss., quo anno interlunium paschale secundum Largeteaui *Tabulas* fuit die 19 martii, quum Carthagine altera a noctis medio hora iam exiret. Quare luna XIV *ἐκ της φασεως*, ut Iudaeis mos erat, ducta cum die 2 aprilis concurrebat, hanc tamen Cyprianus kalendis april. adscripsit. Scilicet, quas lunas is in ***Pinace*** digerere instituit, non eas esse, quae *ἀπο της φασεως* initium sumebant, sed quae ab ipso interlunio amborumque astrorum coniunctione; tametsi vitio octaeteridos iulianae post octo annos ***Pinacis*** lunae lunas veras toto die horisque amplius duodecim anteeunt. Nulla ergo alia ratio Cypriano esse potuit, cur eas Iudaeorum lunas esse adfirmaret, nisi respectu cardinis citimaeque lunae XIV. Quod quidem magis magisque comprobat sententiam nostram de hac citima luna a Iudaeis in die 17 martii constituta; nam eumdem hunc ipsum locum ea sibi adsignatum habet in ***Pinace***. Hippolytus e contrario suam ***Periodum*** conscribens anno aerae vulg. 222, qui in ea primus est, paschalem huius ipsius anni lunam XIV adscripsit idibus april., quo die, non XIV, sed XV ibat, interlunium enim Romae fuerat die 30 martii intra horam secundam post meridiem; erat igitur illa luna Iudaeorum *ἀπο της φασεως*. Ex quo adparet romanam saltem ecclesiam, quum Hippolyti ***Periodo*** olim usam esse insigne monumentum, quod est in vaticana bibliotheca, fidem facit, in paschalis lunae ratiociniis non ad interlunium spectasse, sed ad diem, quo luna primo conspicua fieret; cuius rei indicia sane luculenta ***Supputatio romana*** praebet, quam a medio saltem saeculo IV ad medium V Latinos sequutos esse constat [1]. Ea, sive secundo, sive tertio, inceperat non cum anno aer. vulg. 382 Antonio et Syagrio coss. [2]), quo anno kalendis ianuar. interlunium fuit, quum Romae secundum Largeteani *Tabulas* hora fere esset a noctis medio $8^h\ 40'$. Quum ergo kalendis ianuar. anni I *Supputationis* adscripta sit luna I, liquet lunae ratiocinia in ea deduci non *ἀπο της φασεως*, sed ab ipso coitu, quantum periodi ratio ac forma concedit. Iam vero argumentis bene multis compertum habemus Latinos has lunas uno die esse moratos, ut, quae in ipsa ***Supputatione*** prima erat, eam illi tricesimam dicerent, quae duodecima, undecimam, quae vicesima tertia, vicesimam secundam, atque ita porro. Nam primo iis ***Supputationis*** annis, quibus kalendis ianuar. est luna XXVIII, martii interlunium incidit in diem mensis quartum, qui est citra terminum paschalem illius quoque aetatis, proinde mensis intercalarii interlunium hoc foret, quumque menses intercalarii supputationis omnes sint tricenarii, neomenia paschalis annorum XVII, XXXVI, LXIII, LXXXII, esset die 3 aprilis, pascha autem, quod, ut Paschasinus in epistola ad Leonem Magnum scripta, ipseque Leo in epistola scripta ad Marcianum Augustum testantur, post XI kal. mai. usque ad ipsius Leonis aetatem a plerisque Latinis agi haud mos erat, anno tamen ***Supputationis*** XXXVI, qui litera G notatur, actum fuisset X kal. mai., anno autem LXIII, qui notatur literis BA, IX kal. Verum hoc incommodum vitabatur, si illorum annorum kalendis ianuar., non XXVIII, sed XXVII luna ire censebatur, non ab interlunio videlicet, sed *ἀπο της φασεως*; nam hoc posito neomenia paschalis erat die 5 martii, in ipso citimo termino. Atqui eo die utique fuit. Etenim anno aer. vulg. 417, qui ***Supputationis*** annus erat XXXVI, quod Paschasinus in illa ipsa epistola memoriae prodidit, dies festus paschatis fuit die 25 martii. Anno autem aer. vulg. 444, ***Supputationis*** LXIII, pascha actum quidem ab omnibus est IX kal. mai., eam tamen ob rem Leo ita

---

[1]) ***Noris.*** Dissertt. citt. [2]) ***Paschasin.*** Ep. ad Leon. M.

fieri praecepit, ne alio die Latini agerent, alio Alexandrini atque Aegyptii cumque his Orientales, qui omnes negabant se Latinis adsensuros. Hi enim iam parabant hoc sollemne agere a. d. VII kal. april., quum Leo illud veritus Cyrillo Alexandrino et Paschasino Lilybaetano, ipsos consulens super ea re, epistolas misit, responsaque inde accepit, pascha a. d. IX kal. mai. eo anno fieri oportere [1]). Synodus quoque carthaginiensis Cyrilli eadem hac de re sententiam rogavit; qui inter cetera synodo haec respondit, quae prorsus conficinat, quod defendimus: *Quod optamus, carissimi fratres, ut simul pascha celebremus*, IX *kal. mai. propter rationem embolismi anni. Quod si faciatis* VII *kal. april., luna* XXII, *ut iam praeparatis, communem annum facitis de embolismo, dum observatis lunam incensam in* III *nonas martias iuxta regulam Latinorum, kalendis ianuarii dominica, luna* XXVII. Illud *dominica* pro sabbato irrepsit. Ceterum vides illius anni kalendis ianuar. lunam XXVII adtribui, neomeniam paschalem, eamque *luna incensa*, hoc est, ἀπὸ τῆς φάσεως, designatam, diei III non. mart., diei denique VII kal. april. lunam XXII, tametsi secundum ipsam *Supputationem* kalendis ianuar. foret luna XXVIII, interlunium a. d. IV non. mart., die denique VII kal. april. luna XXIII. Deinde Ambrosii testimonium nobis praesto est, qui Aemiliae episcopis scribens de die, quo pascha anni 387 agi oporteret, haec ait: *Octogesimo autem et nono anno ex die imperii Diocletiani, cum quartadecima luna esset nono kalendas aprilis, nos celebravimus pascha pridie kalendas aprilis*; attamen, quum hic esset annus aer. vulg. 373, proinde *Supputationis* annus LXXVI, secundum huius ratiocinia non XIV luna cum die IX kalend. april. concucurrerat eo anno, sed XV. Praeterea haec quoque ille narrat: *Rursus nonagesimo et tertio anno a die imperii Diocletiani, cum incidisset quartadecima luna in quartumdecimum diem pharmuthii mensis, qui est quinto idus aprilis, et erat dominica dies, celebratum est pascha dominica pharmuthii vigesimo et primo die, qui fuit secundum nos sexto decimo kalendas maii* [2]); atqui illo anno, qui fuit aer. vulg. 377, in diem V id. april. secundum *Supputationem* luna inciderat XV, non XIV, erat enim *Supputationis* annus LXXX. Denique, quod lunam XIV paschalem *plenam* dicerent, aut *plenilunium* vocarent, aut quid συνώνυμον, de ea loquereatur, ut Epiphanius [3]), Theophilus [4]), Cyrillusque [5]), et Proterius [6]) Alexandrini, Prosper [7]), Victorius Aquitanus [8]), cuinam caussae id tribuamus, nisi quia probe nossent lunares suos canones, periodos, cyclos, ad paschatis sollemnia ordinanda compositos, exactos esse ad primum lunae e sole emergentis conspectum, quamquam subinde fieret, quod cyclorum natura ac forma postulabat, ut mensium neomeniae cum ipso interlunio coniungerentur?

CAPUT IV

Quonam die pascha anni aer. vulg. XXIX *actum sit, et Christus mortem obierit*

22 Mos ergo consuetudoque priscae ecclesiae, praeter cetera argumenta, certiores nos facit Iudaeos suas neomenias cum nova luna primo conspicua componere solitos fuisse, item solaris anni cardinem non alium, quam solis ingressum in arietem, constituisse, hunc autem ingressum octo novemque diebus ante aequinoctium fieri putasse a. d. XVI et XV kal. april., horum denique duorum dierum primo citimum paschatis terminum adscripsisse. Quae omnia fusius disputata habere necesse erat, ne quis in dubitationem diem revocaret, quo die pascha anni aer. vulg. 29 actum esse iam demonstrare tandem adgredimur.

23 Itaque eo anno interlunium fuit die 4 martii, feria VI, quum Hierosolymae esset hora quarta a noctis medio. Siquidem ante solis occasum nova luna conspecta fuit, hic ipse dies fuit neomenia paschalis; si secus, postridie. Verum ex evangeliis compertum habemus sollemne paschatis, proinde lunam XIV, incidisse in feriam V, primumque diem festum azymorum in feriam VI. Itaque necesse est eo anno id accidisse, quod subinde fiebat (7. 8), ut neomenia cum ipso die interlunii concurreret. Dies igitur Christi emortualis fuit XV kal. april.

24 Neque enim alius dies esse potuit, si Christus mortem obiit illo anno. Obiisse enim primo die azymorum, proinde die XV mensis nisanis, evangelistae testantur. Nihil est, cur hunc diem

---

[1]) Conf. *Prosp.* Chron. ad h. an. [2]) Ep. XXIII al. LXXXIII. § 6. [3]) Haer. L. § 2. [4]) Ap. *Cyrill. Alex.* Prolog. pasch. § 5. [5]) Ib. [6]) Ep. ad Leonem M. ap. *Bucher.* op. cit. p. 83. [7]) Chron. ad ann. 455. [8]) Prolog. §§ 4. 8.

potius mense aprili, quam martio, fuisse credamus, est ex contrario, cur potius mense martio. Sunt inter patres sane multo plures longeque potiore auctoritate, qui mense martio, quam qui aprili, Christum mortuum dixere; quorum tamen testimonium haud urgebo, quippe quia, sicut animadvertimus, nihil certi ex eo depromere est de Christi die emortuali. Illud enimvero minime praetereundum, utpote longe gravissimum, quod, quum mense aprili interlunium fuerit die huius mensis secunda, qui dies sabbatum erat, nec dies paschatis in feriam V, nec primus dies azymorum in feriam VI, ullo pacto incidere potuisset. Adde, quod ea nocte, qua Christus captus fuit, *frigus erat*, adeo ut igni adstare opus esset [1]); at quisnam credat huiusmodi frigus fuisse medio aprili, idque in Iudaea? E patribus, qui eo die Christum obiisse autumaverit, neminem quidem reperias, praeter unum Panodorum [2]); at numquam satis illud inculcari videtur, quod in alio loco [3]) manifesto demonstravimus, immane quantum patres, non de die modo, sed et de anno inter se discrepare. Attamen Epiphanius [4]) ait vidisse se quaedam *Acta Pilati*, quae esse ferebantur, et in quibus dies, quo Christus cruci fixus est, a. d. XV kal. april. fuisse narrabatur. Verum quid inde? inquies, quidnam ex talibus figmentis, quod e re nostra sit, depromamus? Nempe non omnino nihil. Praeter enim quam quod de huius monumenti vetustate certiores nos facit aetas, qua Epiphanius haec scribebat, nemo nescit huiusmodi nugarum confictores, quam possunt, vera falsis admiscere, quo sibi fidem concilient.

25 Qui laternas facesque, quibus instructi milites ad Christum comprehendendum venere [5]), nobis opponunt, ut concludant illa nocte lunam haud luxisse, proptereaque decimamquintam eam esse non potuisse, sed longe aliam, hi enimvero iocari videntur, sed meminerint oportet, ut militibus Hierosolyma ad Gethsemani euntibus in vallem Cedronis profundam illam quidem atque angustam descendendum fuerit, perque loca spissis, procerisque, et luxuriantibus arboribus consita incedendum; tum qui sciunt, utrum ea nocte sudum esset, an crassiores nubes lunae splendorem interciperent? Alii alia urgent, aiuntque fieri haud potuisse, ut pascha paucis post medium martium diebus celebraretur, videlicet quum nondum maturae erant fruges, e quibus manipulus, ut lex iubebat [6]), Deo offerretur altero die azymorum. Verum huic incommodo prospectum erat (9), sique segetes sub exitum mensis adar adeo erant immaturae, ut sperandum non esset posse medio mense nisane manipulum inde legi, mensis vaadar intercalabatur. Ceterum segetes in Palaestinae regionibus mense februario tanta iam proceritate sunt, quanta in nostris mense maio [7]); atqui mense maio in nostris regionibus spicae iam exstant, utque in his mense iunio frumentum plane maturum est, ita in Palaestina mense martio, subinde saltem, maturescere iam occipit. Tum non amplius, quam manipulus, offerebatur, qui lectis in segete maturioribus spicis facile confici poterat, neque frumenti manipulus [8]), sed hordei, hoc enim erat ראשית קציר *primitiae messis* [9]), ante cetera enim maturescebat [10]), neque in ulla legum pagina praecipitur, ut hic manipulus maturus esset, solummodo enim ea lege cautum erat, ut ne messis antea fieret, quam huius primitiae Deo offerrentur, nam messis iam confectae primitiae offerebantur die festo pentecostes [11]), neve quis, quum ad templum veniendum ipsi erat [12]), adpareret *coram Domino vacuus* [13]). At enim, inquiunt, inter pentecostes sacra facere libis e novarum frugum simila lex iubebat [14]); at messis *in illis regionibus mense iunio plane absolvitur* [15]); sicque pentecoste non ante mensem iunium esse poterat, nec pascha ante adultum mensem aprilem. Sed hi leges comminiscuntur a nemine latas. Nulla enim erat lex, ut pentecoste esset post messem *plane absolutam*, imo ea vocatur בכורי קציר חטים *primitiae messis frumenti* [16]), qua ex adpellatione quis sane potiore iure colligat, initio messis pentecostem fuisse celebrandam; quamquam e legibus de diebus festis id solum colligere sit, quod et lunaris anni natura postulat, messem neque ante alterum diem azymorum inchoandam, neque post pentecosten; quorum alterum ita intelligi debet, ut ipso die pentecostes tritici primitiae iam maturae, e quibus liba conficerent, quaeque e segete nondum ex toto matura legi poterant, in templum adferrentur. Nec gravius momentum contra sententiam nostram petere est e scenopegia. Rosenmuellerus quidem: *In hoc festo*, inquit, *sine dubio praecipue pro vindemia gratiae agi debebant, quum Palaestinae praecipuus fructus vitis fuisse videatur. Illud vero ipsum arguit, festum hoc non potuisse cadere in septembrem, quo mense Iudaei hodierni id celebrant. Nam in Palaestina non ante finem septembris vindemia plane absolvitur; si ergo festum illud medio septembri celebrabatur, a vindemia avocabantur Israelitae, et cogebantur maturas in*

---

[1]) Io. XVIII, 18. [2]) Diss. XIX. n. 98. [3]) Ib. Tabul. [4]) Haer. L. § 1. [5]) Io. XVIII, 3. [6]) Lev. XXIII, 10—15. [7]) *Iahn.* Archaeolog. § 62. [8]) Conf. Ex. XXXIV, 22. [9]) Lev. XXIII, 10. [10]) Conf. Ex. IX, 31. 32. [11]) Ex. XXIII. 16; XXXIV, 22; Num. XXVIII, 26; Deut. XVI, 10. [12]) Ex. XXIII, 17; Deut. ib. 16. [13]) Ex. ib. 15; Deut. ib. [14]) Lev. XXIII, 17. 18. [15]) *Rosenmuell.* in Ex. XXIII, 16. [16]) Ex. XXXIV, 22.

vitibus uvas relinquere, id quod sane valde improvide institutum fuisset. Accedit, quod Iosephus, testis αὐτόπτης, *refert* ΑΝΤΙΟΟ. *Lib.* III. *cap.* X. § 4, *festum tabernaculorum celebratum esse vergente iam in hiemem anno, ideoque et Mosen iussisse per domos tuguria construi, quod frigus metuendum illo anni tempore esset:* Σκηνας πηγνυσθαι κελευει κατα οἰκιαν ἑκαστον, το κρυος ὑφορωμενους ἐπι φυλακῃ του ἐτους [1]). Quibus positis concludas necesse est, pascha, nisi post medium aprilem, actum a Iudaeis fuisse. Verum, quod sibi sumunt, nos minime damus, scenopegiae dies vindemiam iam peractum subsequutos esse, quod neque in bibliis, neque alibi, legitur; ita enim ea lex praecipit: חג הסכת תעשה לך שבעת ימים באספך מגרנך ומיקבך *Festum tabernaculorum facies tibi septem diebus in colligendo te de area tua et de lacu tuo* [2]); quibus verbis significari potius tempus, quod est post vindemiam confectam, quam post inchoatam, non modo nemo vincet, sed nec ipsa patitur verborum constructio, dici enim debuisset אחרי אספך *post colligere tuum*, postquam collegeris, quemadmodum sexcenties, praepositio autem ב praesens tempus significat, et באספך tantumdem valet, ac *quum colligis.* Neque verendum, quod *maturas in vitibus uvas* relinquere cogerentur, non enim totis septem diebus, sed primo dumtaxat et postremo vacandum erant. Veteres annum non semper in quatuor tempora distribuebant, sed etiam in duo, quorum alterum θερος atque *aestas* vocatum vernos atque aestivos menses, alterum χειμων et *hiems* autumnos hiemalesque complectebatur; sic Thucydides annum partiri solet [3]), sic Caesar, apud quem haec leguntur: *Hiems suberat.... Eodem fere tempore, etsi prope exacta iam aestas erat, et cetera* [4]); quae qui mente retinet, nulla ei esse potest difficultas a Iosepho, quum ait scenopegiam fieri τρεπομενου του καιρου προς την χειμεριον ὡραν *tempore in hiemalem horam vergente* [5]). Quum autem non raro accideret, ut scenopegia medio fere octobre ageretur, quid sentiendum sit de illis Iosephi verbis, quae Rosenmuellerus retulit, idem ipse suggerit ita scribere pergens: *At octobri nostro ea, quae Iosephus de frigore incipiente habet, sunt aptissima; illo enim mense et pluviae aliquando incipiunt, et frigidiores iam aliqui dies incidunt*; prospectum itaque erat incommodo, quod, non quidem quotannis, sed subinde esse poterat.

26 Quid ergo de patribus, qui Christum a. d. VIII kal. april. mortuum esse dixerunt? Ast equidem vicissim rogo: Quid ergo de patribus, qui a. d. X kal.? Quum enim intra mensem martium et aprilem quindecim dies numerentur, quibus Christi obitum adscriptum a veteribus comperiamus, illi tamen duo dies X et VIII kal. april. sunt, quorum vel primum vel secundum pro die Christi emortuali plerique veteres habuere, diem quidem X kal. Graeci, diem VIII kal. Latini. Nihil autem est, cur de horum potius, quam de illorum, opinione defendenda laboremus. Non tamen laboriosum est, ni mea me fallit opinio, harum opinionum originem invenire. Primis duodecim fere annis a Christi obitu ecclesia, quanta ea erat, ex hominibus genere Iudaeis constabat, qui et Christum die festo paschatis, hoc est, die decimoquinto mensis nisanis, mortuum sciebant, et hoc sollemne eodem die, quo ipsi Iudaei, celebrabant, nil minus curantes, quam cui diei anni sive Romanorum, sive aliorum, ille dies decimus quintus nisanis responderet. Ex quo autem ceteris quoque gentibus ad ecclesiam aditus patuit, eumdem morem, non est dubium, servatum fuisse, dum hierosolymitana ecclesia illa prisca mansit, quantum colligimus ex *Constitutione apostolica*, quam Epiphanius citat auctorem (10), vel certe dum Christiani e Iudaeis orti primas in ecclesia tenuere [6]); nisi quod Romae, ut Petrus fieri praeceperat, pascha ageretur, non ipso die, quo Iudaei, sed die dominico post lunam decimam quintam. Quod intra tempus vix suspicari est exstitisse, qui, quo anni iuliani die Christus obierit, discere ac disquirere studerent. Ut autem eorum numerus, qui ex aliis gentibus in Christianis nomen profitebantur, auctus est, quum hi lunarium annorum usum non haberent, nossent autem Christum die festo paschatis cruci fixum esse, huiusque diei ratiocinia ex anni cardine pendere, anni autem cardo, non, ut Iudaeis, solis ad arietem adpulsus ille προληπτικος, sed aequinoctium ipsis foret, eo adducti sunt, ut die aequinoctii Christum obiisse crederent, Orientales quidem eo die, quo verum aequinoctium fiebat, quique ipsis exibat in vesperam diei X kal. april., Latini vero, quo vulgare ac civile, quique erat a. d. VIII kal. Nisi hanc illarum opinionum originem tibi probo, an aliam potiorem ac probabiliorem sis reperturus, adprime dubito.

27 Maneat ergo, quod partim hac, partim superioribus disputationibus demonstratum est, Iesum Christum Dei filium cruci fixum mortem pro humani generis salute oppetiisse

---

[1]) L. c. [2]) Deut. XVI, 13. [3]) Lege *Petav.* Doctr. temp. L. X. c. 28. [4]) Bell. gall. L. III. §§ 27. 28. Conf. L. IV. §§ 36. 38. [5]) Ant. L. III. c. 10. § 4. [6]) Lege Lib. I. c. I. no. 91.

Anno

Aerae constaatinopolitanae	$\overline{V}$ DXXXVII
Aerae Hippolyti episcopi exeunte	$\overline{V}$ DXXXI
Aerae Iulii Africani ineunte	$\overline{V}$ D XXXI
Aerae alexaadriaae	$\overline{V}$ D XX
Aerae Eusebii Pamphili	$\overline{V}$CCXXIX
Periodi iulianae litera B	$\overline{IV}$ DCC XLII
Muadi secandum biblia ineuate	$\overline{IV}$ XII
Muadi secundam receutiores Iudaeos	$\overline{III}$ DCC LXXXIX
Abrahami secundum Eusebium	$\overline{II}$ XLV
Olympiadis CCI, IV, hoc est, olympiaco	DCCCIV
Ab Urbe condita secundum Varronem	DCCLXXXII
Naboaassari	DCC LXXVI
Philippi et a morte Alexandri	CCC LII
Seleucidarum secuadam Syromacedonas	CCCXL
Seleucidarum secundum Chaldaeos	CCCXXXIX
Aerae iulianae Aatiochenorum	LXXVII
Iuliano	LXXIV
Aerae hispanicae	LXVII
Actiaco a kal. ianaar.	LX
Actiaco ab ipso proelio	LIX
Aerae aagustaaae Antiocheaorum	LIX
Aerae augustauae Aegyptiorum	LVIII
Augustoram	LVI
Aerae dionysianae et valgaris	XXIX
Imperii Tiberii in provincias secandum Iudaeos	XVIII
Imperii Tiberii a kal. ianuar. aaai emortualis Augusti	XVI
Imperii Tiberii ab ipso Augasti obita	XV
Periodi V callippicae	LIV
Periodi Hippolyti	XXXII
Periodi Cypriaai	XII
Supputatioais romanae	LXVIII
Cycli Cyrilli ineunte	LXVIII
Periodi Victorii	II
Cycli solaris	X
Cycli lanaris	XI
Indictionis προληπτικως	II

C. Fufio Gemiao L. Rubellio Gemino coss.

Die aatem

Martii ialiani	XVIII
Martii gregoriani	XVI
Pharmathi veterum Aegyptiorum	V
Nisanis Iudaooram	XV
Elaphebolionos veterum Atticorum	XIV
Ante kalend. april. Romanoram	XV
Xanthici veterum Chaldaeorum	XIV
Dystri veterum Syromacedonum	XIV
Phamenoth fixi Aegyptiorum	XXII
Xaathici iuliani Asiaaorum	XXV
Dystri ialiani Antiochenorum	XVIII
Dystri iuliani Tyriorum	I
Dystri fixi Garensium	XXII
Hebdomadae	VI

Hora denique

Diei secundum veteres	IX
Post meridiem secundum astrologos	III

quum vixisset annos XXXIV, dies LXXXIII non integros.

DISSERTATIO LIII

De mulieribus, quae Christi sepulcrum viserunt

1 Qui historiam mulierum ad Christi sepulcrum adeuntium ab omnibus evangelistis descriptam componere atque ordinare conantur, accidit, ut pluribus difficultatibus intricentur, quarum tamen plerasque omnes, non illis historia haec opponit, sed ipsi sibi creant, vel quod posita habeant, quae evangelistae minime dicunt, vel, quae hi dicunt, perperam intelligant, vel omittant necessarias distinctiones, vel quaedam minime advertant, praesertim nonnulla, quae dictorum consectaria sunt, vel ea denique ignorent, quae ad id, quod volunt, efficiendum scitu sunt necessaria, aut horum saltem sint obliti. Non equidem aio plana omnia atque obvia esse in hac historia, nullove negotio eam posse illustrari, sed haudquaquam id tantae, quanta ea putatur, esse difficultatis, si illos scopulos, quos dixi, caute vitemus. Ceterum harum quatuor narrationum componendarum ratio non omnino eadem est, si de latinis exemplaribus quaestio sit, ac si de graecis. Discriminis autem caussa est in adverbio ὀψε, quod est in Matth. XXVIII, 1, quodque tantumdem quidem valet ac *sero*, certique alicuius spatii ac definiti respectu usurpatur, ita tamen, ut vel huius extremum significet, vel tempus aut temporis momentum longiore aliquo intervallo insequutum. Hinc illud, ut Matthaei verba Ὀψε δε σαββατων aeque liceat vertere *Vespere sabbati* et *Aliquammulta hora post sabbatum*. Latinus interpres primum praetulit. Sed alterum difficultatum partem complanat. Nos, quod eos praemonitos volumus, qui haec legent, idque ita, ut semel praemonuisse sufficiat, de latinis exemplaribus agemus, utpote in quibus maior est difficultas, dicturi tamen in postrema pagina etiam de graecis ea, quae scitu necessaria sunt ad ipsa ἀρχετυπα declaranda et componenda.

2 Itaque haec memoria retinere oportet. Iudaeis diem, non a media nocte aut ab ortu solis, sed ab occasu inchoari, ut, si ante occasum dies erat postrema mensis postremaque hebdomadae, sabbatum, inquam, post occasum iam esset prima hebdomadae dies primaque mensis insequentis; quod scripturae ipsae confirmant [1]). Hierosolymis die aequinoctii crepusculum ad sesquihoram extendi. Circuitum urbis quatuor ut plurimum millibus passuum confici [2]). Denique Christi sepulcrum situm fuisse in ipsa Golgotha [3]), atque adeo proximum urbis moenibus [4]), a porta autem Iudiciaria, qua illuc iter patebat, minus passibus trecentis remotum [5]).

3 Quae sive ex his, sive ex narrationibus evangelistarum, sive ex utrisque una compositis certo colliguntur, quaeque animadvertere oportet in huius historiae explanatione, haec sunt. Postquam Christus e sepulcro surrexerat, mulieres non pauciores quam quinque illuc iverunt. Nam Ioannes unam quidem nominat Mariam Magdalenen [6]), sed solam minime fuisse, quum sepulcrum patefactum intuebatur, ipse significat illam ita loquentem inducens: *Tulerunt Dominum de monumento, et* NESCIMUS, *ubi posuerunt eum* [7]). A Marco, praeter Mariam Magdalenen, Maria quoque Iacobi et Salome nominantur [8]), a Luca *Maria Magdalene, et Ioanna, et Maria Iacobi, et* CETERAE, *quae cum eis erant* [9]). Unus tamen Ioannes diserte ait Mariam Magdalenen post Christi ἀναστασιν ivisse ad sepulcrum, tempusque edicit, quo ivit, quum Lucas mulieris huius mentionem solummodo fecerit, idque, post rem totam descriptam, inter eas quae rem apostolis nuntiarunt, Matthaeus vero et Marcus solum, ubi ea narrant, quae proximo vespere illa gesserat.

4 Inter Mariae Magdalenae egressum domo interque earum, de quibus loquitur Marcus, adventum ad sepulcrum sesquihora saltem intercessit, quum illa egressa fuerit πρωι σκοτιας ἐτι οὐσης [10]) atque ὀρθρου βαθεος [11]), hae vero advenerint ἀνατειλαντος του ἡλιου [12]). Non igitur illae mulieres

[1]) Lev. XXIII, 32. [2]) Conf. *Ioseph.* Bell. L. V. c. 31. § 3. [3]) Io. XIX, 41. 42. [4]) Ib. 20. [5]) *Scholz* Commentat. de Golg. et sanctissimi D. N. I. Ch. sepulcri situ. Bonnae 1825. [6]) Io. XX, 1. [7]) Ib. 2. [8]) Marc. XVI, 1. [9]) Luc. XXIV, 10. [10]) Io. ib. 1. [11]) Luc. ib. 1. [12]) Marc. ib. 2.

omnes simul venere, neque omnes simul rediere, proinde neque omnes simul omnibus simul apostolis, imo neque singulae omnibus omnia ac singula nuntiatum venisse putandae sunt, sed, ut aliae post alias ad sepulcrum venerant, aliaque atque alia viderant, ita aliae aliis, aliae prius, aliae postmodo, ea, quae quaeque earum viderant, apostolis nuntiasse. Atque in hunc sensum opportunius ea accipies, quae legimus in Lucae XXIV, 10. 11, componesque cum illis, quae in superiore versu 9 leguntur, ita ut in versu 9 sit de iis mulieribus, quibus illud visum exhibitum fuit, quod proxime Lucas narravit [1]), in versibus autem 10 et 11 de omnibus, quae iverunt ad sepulcrum, etiam quae post Petrum, quarum omnium veluti summam Lucas posuit in hoc loco, ut intelligimus ex illis *καὶ αἱ λοιπαί*, quae verba non *alias* dumtaxat significant sed *ceteras omnes* praeter nominatas, ita ut complectatur simul ea omnia, quae sunt in Matthaei XXVIII, 7. 8. 10, in Marci XVI, 7. 8, atque in Ioannis XX, 2. 17. 18, duoque illi versus Lucae, ut alii non raro in huius scriptis, *παρένθετοι* sint. Totum hoc eo confirmatur, quod Maria Magdalene, quam inter illas Lucas nominavit, viso sepulcro, quo venerat, *cum adhuc tenebrae essent*, continuo *cucurrerit* ad Petrum ea de re docendum [2]), quaedam vero ceterarum a sepulcro cucurrerint utique *nuntiare discipulis*, quae viderant, quaeque evenerant [3]), sed sole iamdudum exorto [4]).

5 Maria Magdalene *venit mane*, CUM ADHUC *tenebrae essent, et vidit lapidem sublatum a monumento*; ibi autem eam minime substitisse comperimus ex evangelio Ioannis qui ita scribere pergit: *Cucurrit* ERGO, *et venit ad Simonem Petrum* [5]). Petrum autem et Ioannem re audita cessasse haud credere sinit ipsa res, ipse autem Ioannes vetat omnino, utpote qui narret ambos *cucurrisse* [6]), quod Lucas quoque dicit de Petro [7]). Non tamen egressi sunt, nisi post reditum earum, de quibus loquitur Lucas in versu 9 [8]); hae igitur Petro nuntium adtulerunt intra horae momentum, ex quo Maria Magdalene ad eum venerat. Sique exiguam viam, quae emetienda erat, consideres, haud dubitabis ad sepulcrum eos pervenisse, quum nondum hora una esset, ex quo Maria Magdalene domo discesserat, proinde longe ante ortum solis, attamen quum iam adeo lucesceret, ut Ioannes introspiciens in sepulcrum, etsi ingressus non esset, videre potuerit *posita linteamina* [9]).

6 Quod Matthaeus narrat, adparuisse mulieribus Iesum redivivum [10]), aliud est et posterius illo, quod Mariae Magdalenae contigisse legimus in Ioanne [11]); Marcus enim haec scripsit: *Surgens autem* Iesus *mane prima sabbati apparuit* PRIMO *Mariae Magdalene* [12]).

7 Mulieres, quae aliae post alias iverunt ad sepulcrum, quum illuc pervenere, nondum sciebant, quid factum esset [13]); non igitur euntes redeuntibus obviae fuerunt. Singulos autem hos itus reditusque, ut festinato [14]) brevique viae spatio, ita etiam cito fuisse confectos putandum est.

8 Haec autem omnia si perspecta habeas, facile etiam intelliges, quibus distinctionibus opus sit in historia hac enarranda atque illustranda. Quod autem caput est, ex his propositis necessario efficitur aliud a Matthaeo et a Marco narrari, quod a Luca et a Ioanne. Nihil tamen est, quod nos cogat suspicari Lucam alia de re loquutum, quam Ioannem, sed Ioannes dicendus est partem rei gestae referre omissam a Luca, ut, inquam, Maria Magdalene, antequam sociae in sepulcrum ingrederentur, inde ad Petrum cucurrerit.

9 Sed cavendum sedulo est, ne, quae evangelistae dicunt, perperam intelligamus. Mirum enimvero est reperiri potuisse, qui Matthaei latina verba *Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati* [15]), dicta esse crediderint de tempore matutino primi diei hebdomadae, conatique sint id pervincere iis argumentis, quibus efficitur eumdem planetam vesperum et luciferum adpellari; quod utique nemo non dabit, ita tamen, ut *lucifer* vocetur, quum ante solis ortum, ut *vesper* tunc solum, quum post solis occasum compareat [16]). Tum, licet *vesper* vocaretur etiam mane, quis, sodes, matutinum tempus primae diei hebdomadae vocet *vesperum sabbati*? Quod autem quaestionis huius caput est, non hic agitur de latinis nominibus *vespere* et *lucifero*, sed de graeco *ὀψέ*, quo nequaquam astrum significatur, sed id, quod latine dicimus *sero*. Nec quidquam iuvantur eo, quod ille vesper dictus sit *lucescere in prima sabbati*, graece *εἰς μίαν σαββάτων*, sensus enim est, sidus illud luxisse, quum iam sole occidente dies prima hebdomadae sabbato successerat. Sic etiam Lucas, descripta Christi sepultura, haec subiungit: *Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat* [17]).

---

[1]) Luc. ib. 5—7. [2]) Ib. 2. [3]) Matth. ib. 8; Marc. ib. 8 coll. 7. [4]) Marc. ib. 2. [5]) Io. ib. 2. [6]) Ib. 4. [7]) Ib. 12. [8]) Conf. Luc. ib. 9 cum 12. [9]) ib. 5. [10]) Matth. ib. 9. 10. [11]) Io. ib. 14—17. [12]) Marc. ib. 9. [13]) Marc. ib. 2—3; Luc. ib. 1—4; Io. ib. 1—2. [14]) Matth. ib. 8; Marc. ib. 8; Luc. ib. 12; Io. ib. 2. 4. [15]) Matth. ib. 1. [16]) *Plin.* Hist. nat. L. II. § 9. [17]) Luc. XXIII, 54.

Ceterum usum hunc verbi *ἐπιφώσκειν* plene illustravit Petavius [1]), plenissime vero Mazochius [2]). Quare itus ille Mariae Magdalenes et alterius Mariae ad sepulcrum, quem Matthaeus commemorat in hoc loco, primo hebdomadae die utique factus est, si diei initium fiat cum Iudaeis a solis occasu, non tamen mane, sed proximo vespere, qui pro nostro more pridie fuerat. Nihil autem contra conficias ex adverbiis, sive *ἰδοὺ ecce* [3]), quo Matthaeus in XXVIII, 2, sive *πρωΐ mane*, quo Marcus utitur in XVI, 9, qua de re paullo infra (11). Nec secus intelligenda sunt Marci verba *Καὶ διαγενομένου τοῦ σαββάτου Et cum transisset sabbatum* [4]); tum enim dies *διαγενέσθαι* dicebatur Iudaeis, quum sol occidebat. Quibus ex propositis consequens illud est, neutra horum, quae sive Matthaeus, sive Marcus scripserunt in his locis, habenda esse inter ea, quae matutino mulierum itineri ad sepulcrum veluti partes nexa sunt.

10 Accidit etiam, ut minus quis adsequatur haec, quae Marcus de illis mulieribus scripsit: *At illae exeuntes fugerunt de monumento, . . . et* NEMINI QUIDQUAM DIXERUNT [5]). Verum in ipsa via. Etenim Marcus, aeque ac Matthaeus, narrat eas ab angelo iussas fuisse apostolis nuntiare, quae viderant, atque audierant [6]), iussaque exsequutas adparet (4) ex Matthaeo [7]) et ex Luca [8]). Tum Marcus silentii huius caussam nobis aperit: *timebant enim*, inquit; qui timor credendus est eas habuisse, dum a sepulcro aufugiebant, sed procul dubio eo solutae sunt, ut longius inde recesserant. Denique meminisse oportet verbo *εἶπον* utrumvis significari, sive *dixerunt*, sive *dicebant*.

11 Iuvabit etiam animadvertere, ut in illis Marci: *Surgens autem mane . . . apparuit primo Mariae Magdalene* [9]), participium *surgens* redditum sit pro graeco *ἀναστάς*, quod proprie idem sonat, ac *quum surrexisset*; ne quis id factum autumet statim, ac Christus revixit. Adverbium autem *πρωΐ* vel participio *ἀναστάς surgens*, vel verbo *ἐφάνη apparuit*, verborum contextus coniungere aeque sinit. Quare frustra esset (9), qui ex hoc adverbio argumentum petens vincere conaretur, *πρωΐ mane* ea evenisse, quae Matthaeus descripsit in XXVIII, 2—4, proinde illud quoque, quod in proximum superiorem versum 1 retulit, nam, inquiunt, id evenisse paullo ante ea, quae sequuntur, ex adverbio *ἰδοὺ ecce*, quo bis narrandis initium fit, consequi videtur. Tum nec alia vis est adverbio *ἰδοὺ ecce* in hoc, quam in ceteris verborum contextibus huius similibus, de quibus non semel diximus (9), minor procul dubio, quam, verbi caussa, in Matth. II, 1, ubi tamen amplius aliquot horis, et forte aliquot diebus, intervallum isto ipso adverbio designatur. Quomodo intelligenda ea sint, quae habet Lucas in XXIV, 10, superius (4) exposuimus.

12 Postremo caveas eos imiteris qui iis narrationibus aliqua adfingunt, quae evangelistae minime dicunt. Neque enim, ut quidam positum habent, sive Matthaeus [10]) scripsit coram mulieribus factum id, quod narrat in versu 2, aut cum angelo loquutas esse illas *duas* mulieres simul, quas antea nominavit, nullamque praeter has, sive Marcus [11]) id ipsum ait de tribus a se proxime commemoratis, aut eas simul omnes ivisse ad sepulcrum, aut omnes *orto iam sole*; in primum autem versum narrationis, ut haec est in latinis exemplaribus, uterque retulit ea, quae pridie vespere mulieres egerunt, in reliquos, quae postridie mane, pridie aio et postridie more latino, non iudaico, utraque enim intra unum eumdemque diem, qui Iudaeis primus erat hebdomadae, acta sunt. Imo, si Ioannem excipias, nemo ceterorum aliquam e mulieribus, de quibus quaerimus, nominat singillatim, ubi harum itum aut adventum ad sepulcrum, Christo iam redivivo, describit. Quare, etsi verba Marci: *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole* [12]), narrationis series atque contextus suadere videntur, ut credamus ea dicta esse de Maria Magdalene, de Maria Iacobi, deque Salome, quae proxime nominatae sunt, adparet tamen non id necessario postulari aut exigi; quumque non de omnibus illis tribus, et forte, praeter unam aut alteram illarum, de aliis atque aliis, Marcum loquutum esse credere sinamur ab illis, quae diximus de versiculo primo, porro autem id flagitet comparatio huius et ceterorum evangeliorum, concludamus necesse est, mulieres, quarum itum ad sepulcrum et cum angelo colloquium Marcus describit, non omnes illas esse, sed et alias fortasse, praeter illas, quas nominavit in versiculo primo.

13 Haec autem, quae huc usque edisseruimus, si adcurate retineas, facile etiam senties, ut citra plerasque difficultates, quae scripturarum interpretes non paucos impediunt, totam hanc historiam

---

[1]) Ad *Epiphan.* Haeres. L. § 2; LI. § 26 et LXX. § 11 not. pp. 187. 188. 293. 296. [2]) Spicileg. bibl. in Matth. XXVIII, 1. [3]) L. III. Diss. XV. *n.* 11; Diss. XXVII. c. III. n. 12; Diss. XXXVI. n. 8. [4]) Marc. ib. 1. [5]) Marc. ib. 8. [6]) Matth. ib. 7. 10; Marc. ib. 7. [7]) Matth. ib. 8. [8]) Luc. ib. 10. [9]) Marc. ib. 9. [10]) Matth. ib. 5. [11]) Marc. ib. 2—7. [12]) Marc. ib. 2.

disponere atque enarrare liceat. Quod prinsquam facimus, praestat aliorum, qui id efficere studuerunt, sententias examinare, quarum duae praecipuae sunt.

14 Una est putantium Ioannem, non alia, sed partem eorum referre, quae Matthaeus et Marcus retulerunt, et Mariam Magdalenen unum esse mulierum, quibus angelum loquutum fuisse illi narrant, ita ut evangelistae omnes unam atque eamdem rem gestam descripserint. Cui tamen sententiae primum illud obest, quod Ioannes dicat illuc ventum esse, *cum adhuc tenebrae essent*, Marcus, *orto iam sole*. Respondent, haec ita componi oportere, ut dicamus mulieres domo egressas, *cum adhuc tenebrae essent*, ad sepulcrum pervenisse *orto iam sole*. Scilicet sesquihora impendenda fuit mille ut plurimum passibus conficiendis. Aiunt quoque illa *ἀνατείλαντος τον ἡλιου* tantumdem esse ac *sole orituro*; qua de re graecis grammaticis iudicium esto. At deest, inquiunt, adverbium *οὔπω*, iubentque ita legere: *οὔπω ἀνατείλαντος τον ἡλιου nondum orto sole*. Ratio sane adposita haec foret difficultati perrumpendae, verbaque haec aptius congruerent illis prioribus *valde mane*; verum, quo, sive testimonio, sive argumento, illud adfirmant, quave auctoritate hoc fieri iubent?

15 Aliam insuper *ἀντιλογιαν* evangelistis vitio vertere nos cogeret sententia haec. Narrat enim Matthaeus mulieribus a sepulcro redeuntibus Iesum adparuisse [1]), qui tamen, sicut Marcus ait, *primo* adparuit Mariae Magdalenae [2]), huic vero non ante, quam Petrus et Ioannes ad sepulcrum iverant, indeque recesserant, sicut Ioannes ipse testatur [3]); ut autem legimus apud Lucam, Petrus illuc non ivit, nisi postquam mulieres inde reduces ad apostolos adierant [4]), non tamen illae hos adiere nisi postquam ipsis redeuntibus Iesus obviaverat, ut ex Matthaei [5]) narratione efficeretur secundum eam sententiam, quam expendimus. Verum *ἀντιλογια* haec prorsus disparebit, si neges a Luca et Ioanne eamdem describi rem, ac a Matthaeo et Marco.

16 Altera sententia est, ut Maria Magdalene primo, illaeque mox, de quibus Lucas in XXIV, 9, e sepulcro ad Petrum venerant, et antequam Petrus illuc discederet, alias mulieres, de quibus Matthaeus in XXVIII, 5 et Marcus in XVI, 2, rei totius adhuc nescias ex urbe egressas esse, et *orto iam sole* ad sepulcrum pervenisse. Haec tamen sententia illud peccat, quod sol ortus dicendus esset citius, quam credi possit, quum supra (5) demonstraverimus Petrum et Ioannem media non minus hora ante ortum solis ad sepulcrum pervenisse; multo igitur magis sol nondum potuit ortus esse, dum mulieres illae, quae sunt in Lucae narratione, cum Petro, antequam is domo egrederetur, colloquebantur. Quamquam autem pervinceres Petrum serius, id est, *orto iam sole*, domo egressum esse, ut iret ad sepulcrum, non tamen id fieri potuit adeo serius, ut illuc adveniret, postquam inde discesserant aliae mulieres, quae sunt in narrationibus Matthaei et Marci, aut ita, ut illas reduces saltem obvias non haberet; quum vero occursus iste, quantum colligere est ex Ioannis et Lucae narrationibus, factus non fuerit, hae quoque mulieres iam in urbem regressae dicendae forent, quum ex urbe Petrus egrederetur. Quamdiu ergo Petrus cessasset? Praeterea hae mulieres ipsae, postquam Iesum redivivum viderant, *cucurrerunt nuntiare discipulis eius* [6]) *et Petro* [7]), queoi tamen tertium hunc nuntium exspectasse nemini verisimile fiat, adlatum autem ipsi fuisse antequam iret, Ioannes et Lucas credere vetant. Denique, quod primae sententiae obesse vidimus, obest huic quoque alteri, quod, inquam, huius consequens illud sit, Iesum postremis his mulieribus occurrisse, priusquam Mariae Magdalenae compareret, contra ac Marcus diserte ait.

17 Quae quum ita sint, tota haec narratio ita, ut dicam, digerenda esse videtur. Dum Christus sepeliebatur, *erat . . . ibi Maria Magdalene et altera Maria sedentes contra sepulcrum* [8]), quae altera fuit Maria Ioseph, et *aspiciebant ubi poneretur* [9]); sed et aliae cum his [10]). *Et revertentes paraverunt aromata et unguenta. Et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum* [11]). *Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati*, id est, postridie mortis Christi circa solis occasum, *venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulcrum* [12]). Continuo illo ipso vespere, *et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Iacobi, et Salome emerunt* alia *aromata, ut venientes ungerent Iesum* [13]). *Una autem sabbati* [14]), eodem, inquam, die, si ad formam dierum iudaicam adtendas, postridie vero, si ad romanam, ante lucem Christus revixit, eaque evenerunt, quae Matthaeus narrat [15]). Mox *πρωι σκοτιας ἐτι οὐσης* [16]) et *ὀρθρου βαθεος* [17]) *Maria Magdalene venit . . . ad monumentum* [18]), sed et altera saltem [19]), imo plures [20]) vel ante Magdalenen, vel

---

[1]) Matth. ib. 9. 10. [2]) Marc. ib. 9. [3]) Io. ib. 14 coll. 5—13 [4]) Luc. ib. 12. [5]) Matth. ib. [6]) Matth. ib. 8. [7]) Marc. ib. 7. [8]) Matth. XXVII, 61. [9]) Marc. XV, 47. [10]) Luc. XXIII, 55. [11]) Luc. ib. 56. [12]) Matth. XXVIII, 1 [13]) Marc. XVI, 1. [14]) Luc. XXIV, 1; Io. XX, 1. [15]) Matth. XXVII, 2—4. [16]) Io. ib. [17]) Luc. ib. [18]) Io. ib. [19]) Ib. 2. [20]) Luc. ib. coll. seqq. et Io. ib.

cum ea venere, vel, quum ipsa esset ad sepulcrum, supervenerunt. Vident *lapidem revolutum* [1]) et *sublatum a monumento* [2]). *Cucurrit ergo* Maria Magdalene *et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum, quem amabat Iesus* [3]), ceterae vero illic mansere, moxque *ingressae non invenerunt corpus Domini Iesu* [4]), sed *duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*, easque docuerunt de iis, quae venerant [5]). Interea Maria Magdalene, quum ad Petrum et Ioannem adiisset, *dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum* [6]). Mox ceterae et ipsae *regressae a monumento nuntiaverunt haec omnia*, quae viderant, atque audierant, *illis undecim et ceteris omnibus* [7]), non quidem omnes omnibus simul, quod forte nec diei hora, quae tunc erat, suspicari sinit, sed, sicut iam animadvertimus (4), deinceps atque aliae aliis. Altero hoc nuntio accepto [8]) Petrus et Ioannes cucurrerunt *ad monumentum, currebant autem duo simul, et* Ioannes *praecucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum, et, παρακύψας cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum* [9]), et primum *παρακύψας procumbens vidit linteamina sola posita* [10]), mox *introivit in monumentum, et vidit linteamina posita et cetera* [11]). *Tum ergo introivit et* Ioannes, *qui venerat primus ad monumentum, et vidit* [12]). Erat autem circiter media hora ante solis ortum (5). Aliquamdiu, ut credere est, ibi morati, redierunt [13]). His redeuntibus Maria Magdalene, quae, ut adparet, postquam iis rem nuntiaverat, ipsos currentes ad sepulcrum sequuta erat, *stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos in albis sedentes unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu* [14]), continuoque Iesus ipse ei *primum* se videndum praebuit, cumque ea colloquutus est [15]). *Illa vadens* rem totam *nuntiavit his, qui cum eo fuerant* [16]). Tum demum aliae mulieres [17]), Maria Magdalene iam in urbem regressa, utpote quam obviam illas minime habuisse ex eo adparet, quod rei totius nesciae adhuc essent [18]), *venerunt ad monumentum orto iam sole* [19]). Utque illuc introiere, angelus rem gestam eis narravit, iussitque ipsas nuntiare *discipulis eius et Petro* [20]), quo confirmaretur nuntius huic iam adlatus a Maria Magdalene, postquam haec Christum redivivum conspexerat, cui nuntio, qui eum acceperant, nondum fidem adiungebant [21]). Illae perterrefactae *exierunt cito de monumento* [22]), indeque aufugientes *οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον nemini quidquam dicebant* [23]), nimirum (10) in via, dum fugerent [24]). *Et ecce Iesus occurrit illis*, salutat, ipsumque veneratas adloquitur [25]).

18 Si haec, sicut exposui, ita gesta fuisse dicantur, iam vix erunt in hac historia, si tamen erunt, quae difficultatem adferre queant. Unum enim illud foret, quod Marcus dicere videtur, Mariam Magdalenen unam illarum esse, quae ad sepulcrum venerunt *orto iam sole*; sed iam ostendimus (12), ut Marcus haud necessario putandus sit id dicere. Alterum, quod si mulieres, quae primo illuc iverant, Petro rem nuntiassent, quum adhuc tantum temporis, quantum diximus (5. 16), superesset ante solis ortum, vix credibile fieret illas, quae *orto iam sole* ad sepulcrum pervenerunt, nihil adhuc eorum, quae evenerant, ex sociis rescisse. Facile tamen quivis intelliget, qui id fieri potuerit, siquidem prioribus illis mulieribus primum ad apostolos, tum ad alios Christi discipulos, adeundum fuit, quibus rem nuntiarent, quosque omnes simul habitasse putare haud est, sed alios alibi; huc illuc igitur eas cursitare oportuit, diutiusque apud singulos commorari, saltem quantum necesse erat, ut sese expedirent quaestionibus atque interrogationibus, quibus, qui huiusmodi eventus sibi narrari audiunt, eos, qui narrant, fatigare solent. Quum igitur illae his distinebantur, aliae domo egressae sunt. Quod si vincere velles apostolos discipulosque Christi simul omnes habitasse, nihil proficeres eo, quod legimus in Luca [26]) et in Ioanne [27]), ut illo ipso die sub vesperum hi simul essent congregati. Quum enim dicimus veri simile haud esse omnes in una domo habitasse, non ideo negamus omnes subinde convenisse, puta, quum comedendi esset hora; atque haec ipsa videtur caussa fuisse illius conventus, de quo est in Luca et in Ioanne [28]), qui si fuissent simul habitantium, non erat, cur Lucas illud notaret, ut tunc duo discipuli Emmauso reduces invenerint *congregatos undecim* [29]). Praeter haec nihil, arbitror, est, quod obiicias rationi, quam in tota hac historia componenda ac dirigenda sequuti sumus.

---

[1]) Luc. ib. 2. [2]) Io. ib. 1. [3]) Io. ib. 2. [4]) Luc. ib. 3. [5]) Luc. ib. 4—8. [6]) Io. ib. 2. [7]) Luc. ib. 9. [8]) Conf. Io. ib. 2 et Luc. ib. 9. 12. [9]) Io. ib. 3—6. [10]) Luc. ib. 12. [11]) Io. ib. 6. 7. [12]) Io. ib. 8. [13]) Io. ib. 10; Luc. ib. 12. [14]) Io. ib. 11—13. [15]) Ib. 14—17; Marc. ib. 9. [16]) Marc. ib. 10; Io. ib. 18. [17]) Matth. ib. 5; Marc. ib. 2. [18]) Conf. Marc. ib. 3. [19]) Marc. ib. 2. [20]) Matth. ib. 5—7; Marc. ib. 5—7. [21]) Marc. XVI, 11. [22]) Matth. ib. 8. [23]) Marc. ib. 8. [24]) Conf. Matth. ib. [25]) Matth. ib. 9. 10. [26]) Luc. ib. 33. [27]) Io. ib. 19. [28]) Conf. Luc. ib. 41—43. [29]) Luc. ib. 33.

19 Nunc venio ad graeca exemplaria. In his Matthaeus caput XXVIII ita exorditur: *Ὀψε δε σαββατων τῃ ἐπιφωσκουσῃ εἰς μιαν σαββατων ἠλθε Μαρια ἡ Μαγδαληνη και ἡ ἀλλη Μαρια θεωρησαι τον ταφον*, quae, si alteram duarum notionum adverbio *ὀψε* subiectarum accipias (1), ita vertes: ***Multa hora post sabbatum, illucescente una***, hoc est, prima die ***sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum*** [1]), neque dubitabis idem in hoc loco a Matthaeo narrari, quod a Ioanne in XX, 1, qui, etsi unam Mariam Magdalenam nominet, solam tamen nequaquam fuisse aperte significat (3). Si quid negotii fieri videtur ex eo, quod Matthaeus illas ad sepulcrum venisse dicat *τῃ ἐπιφωσκουσῃ* ***lucescente***, at Ioannes *σκοτιας ἐτι ουσης* ***cum adhuc tenebrae essent***, hoc facile diluas; fieri enim potuit, ut, quum illae domo exierunt, ***adhuc tenebrae essent***, lucesceret vero, quum ad sepulcrum pervenerunt, interea autem temporis, dum irent, et antequam illuc pervenirent, ea acciderent, quae sunt in Matth. XXVIII, 2—4, simulque Christus e sepulcro redivivus surgeret. At longe melius et verius id Mazochius declaravit: ***Iure quaeras***, inquit, ***in participio ἐπιφωσκουσῃ quid lateat. Vulgo volunt omnes latere ἡμερᾳ, quasi dicas: Ea die, quae lucescit in prima sabbati. At, si hoc in animo habuisset evangelista, dixisset potius Μιᾳ σαββατων ἐπιφωσκουσῃ, Prima sabbati lucescente. Mihi contra non est dubium, quin subaudiatur potius νυκτι (nocte): Ea, inquit, nocte, quae lucescit in diem dominicum*** [2]); cuius explicationis veritatem plenissime ille demonstrat. Cetera, quae sunt in graecis exemplaribus, non differunt latinis.

---

[1]) Lege Diss. XIX. n. 133. [2]) L. c.

Ratiocinia Syzygiarum,

quibus certa quaedam tempora in hoc libro definita sunt, ad eam μέθοδον exacta, quam Largeteau excogitavit ac publicavit (Connaissance des temps pour 1846 Additions). Distat meridianum hierosolymitanum a parisiensi gradibus 32° 51′ 15″ E, horis vero + 2ʰ 11′ 25″. Est autem A = long. ver. ☾ — long. ver. ⊙

I

Interlunium mensis decembris an. per. iul. 4707

Argumenta	a	b	c	d	e
XIX saecula	1975	942	453	083	111
— 6 anni	0026	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1894	7667	325	268	999	534
Dies 21 decembris	9876	847	128	969	009
Horae 5ʰ	0071	008	007	001	008
Minuta 8′	0002	000	000	000	000
	9617	134	849	052	663
I Aeq. (arg. a = 9617)	17				
II Aeq. (arg. b = 134)	320				
III Aeq. (arg. c = 849)	6				
IV Aeq. (arg. d = 052)	40				
V Aeq. (arg. e = 663)	0				
	A = 0				

Parisiis ☌ dec. 21ᵈ 5ʰ 8′ a. m.
Differ. temp. + 2 11
Hierosolymae ☌ dec. 21ᵈ 7ʰ 19′ a. m.

II

Interlunium mensis martii anno p. i. 4710

Argumenta	a	b	c	d	e
XIX saecula	1975	942	453	083	111
— 3 anni	0026	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1897	8808	101	721	999	810
Dies 27 martii	8784	085	672	233	124
Horae 3ʰ	0042	005	004	000	005
Minuta 29′	0007	001	001	000	001
	9642	146	844	315	052
I Aeq. (arg. a = 9642)	18				
II Aeq. (arg. b = 146)	329				
III Aeq. (arg. c = 844)	5				
IV Aeq. (arg. d = 315)	5				
V Aeq. (arg. e = 052)	1				
	A = 0				

Parisiis ☌ mart. 27ᵈ 3ʰ 29′ a. m.
Differ. temp. + 2 11
Hierosol. ☌ mart. 27ᵈ 5ʰ 40′ a. m.

III

Interlunium paschale anni aer. vulg. 26

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 26 anni	0026	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1826	7066	950	523	000	819
Dies 7 martii	2011	359	043	178	389
Horae 18^h	0254	027	024	002	028
Minuta 50′	0012	1	001	000	001
	9875	843	191	261	577
I Aeq. (arg. a = 9875)	22	Parisiis ☌ mart. 7^d 6^h 50′ p. m.			
II Aeq. (arg. b = 843)	33	Differ. temp. + 2 11			
III Aeq. (arg. c = 191)	68	Hierosol. ☌ mart. 7^d 9^h 1′			
IV Aeq. (arg. d = 261)	1				
V Aeq. (arg. e = 577)	0				
	A = 0				

IV

Interlunium paschale anni aer. vulg. 27

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 27 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1827	0667	196	997	000	232
Dies 26 martii	8445	048	641	230	087
Horae 17^h	0240	026	022	002	026
Minuta 36′	0008	001	001	000	001
	9891	777	261	313	686
I Aeq. (arg. a = 9891)	23	Parisiis ☌ mart. 26^d 5^h 36′ p. m.			
II Aeq. (arg. b = 777)	10	Differ. temp. + 2 11			
III Aeq. (arg. c = 261)	70	Hierosol. ☌ mart. 26^d 7^h 47′ p. m.			
IV Aeq. (arg. d = 313)	5				
V Aeq. (arg. e = 686)	1				
	A = 0				

V

Interlunium paschale anni aer. vulg. 28 *B*

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 28 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1828 B	4268	443	471	999	645
Dies 15 martii	5059	686	326	203	719
Horae 0^h	0000	000	000	000	000
Minuta 12′	0003	000	000	000	000
	9861	635	397	283	704
I Aeq. (arg. a = 9861)	22				
II Aeq. (arg. b = 635)	58	Parisiis ☌ mart. 15^d 0^h 12′ a. m.			
III Aeq. (arg. c = 397)	56	Differ. temp. + 2 11			
IV Aeq. (arg. d = 283)	2	Hierosol. ☌ mart. 15^d 2^h 23′ a. m.			
V Aeq. (arg. e = 704)	1				
	A = 0				

VI

Interlunium paschale anni aer. vulg. 29

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 29 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1829	8207	725	976	001	095
Dies 4 martii	0995	250	946	170	278
Horae 1^h	0014	002	001	000	002
Minuta 4′	0001	000	000	000	000
	9748	483	526	252	715
I Aeq. (arg. a = 9748)	20				
II Aeq. (arg. b = 483)	202	Parisiis ☌ mart. 4^d 1^h 4′ a. m.			
III Aeq. (arg. c = 526)	29	Differ. temp. + 2 11			
IV Aeq. (arg. d = 252)	0	Hierosol. ☌ mart. 4^d 3^h 15′ a. m.			
V Aeq. (arg. e = 715)	1				
	A = 0				

VII

Interlunium paschale anni aer. vulg. 30

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 30 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1830	1808	972	450	000	508
Dies 22 martii	7091	903	515	219	940
Horae 17h	0240	026	022	002	026
Minuta 52′	0012	001	001	000	001
	9682	408	588	302	815
I Aeq. (arg. a = 9682) . . .	19				
II Aeq. (arg. b = 408) . . .	274				
III Aeq. (arg. c = 588) . . .	16				
IV Aeq. (arg. d = 302) . . .	4				
V Aeq. (arg. e = 815) . . .	5				
	A = 0				

Parisiis ☌ mart. 22d 5h 52′ p. m.
Differ. temp. + 2 11
Hierosol. ☌ mart. 22d 8h 3′ p. m.

VIII

Interlunium paschale anni aer. vulg. 31

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 31 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1831	5408	218	923	000	921
Dies 11 martii	3366	504	169	189	536
Horae 22h	0310	033	029	003	034
Minuta 16′	0004	000	000	000	000
	9619	261	721	273	831
I Aeq. (arg. a = 9619) . . .	17				
II Aeq. (arg. b = 261) . . .	357				
III Aeq. (arg. c = 721) . . .	0				
IV Aeq. (arg. d = 273) . . .	1				
V Aeq. (arg. e = 831) . . .	6				
	A = 0				

Parisiis ☌ mart. 11d 10h 16′ p. m.
Differ. temp. + 2 11
Hierosol. ☌ mart. 12d 0h 27′ a. m.

IX

Interlunium paschale anni aer. vulg. 32 *B*

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 32 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1832 B	9009	465	397	999	334
Dies 29 martii	9800	194	766	241	234
Horae 19^h	0268	029	025	002	029
Minuta 48′	0011	001	001	000	001
	9619	195	789	323	938
I Aeq. (arg. a = 9619)	17	Parisiis ☌ mart. 29^d 7^h 48′ p. m.			
II Aeq. (arg. b = 195)	351	Differ. temp. + 2 11			
III Aeq. (arg. c = 789)	1	Hierosol. ☌ mart. 29^d 9^h 59′ p. m.			
IV Aeq. (arg. d = 323)	7				
V Aeq. (arg. e = 938)	5				
	A = 0				

X

Interlunium paschale anni aer. vulg. 33

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 33 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1833	2948	748	902	001	784
Dies 19 martii	6075	794	420	211	830
Horae 10^h	0141	015	013	001	015
Minuta 10′	0002	000	000	000	000
	9697	063	935	294	969
I Aeq. (arg. a = 9697)	19	Parisiis ☌ mart. 19^d 10^h 10′ a. m.			
II Aeq. (arg. b = 063)	256	Differ. temp. + 2 11			
III Aeq. (arg. c = 935)	21	Hierosol. ☌ mart. 19^d 0^h 21′ p. m.			
IV Aeq. (arg. d = 294)	3				
V Aeq. (arg. e = 969)	4				
	A = 0				

XI

Interlunium paschale anni aer. vulg. 34

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 34 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1834	6549	994	376	000	197
Dies 9 martii	2688	432	106	183	462
Horae 3h	0042	005	004	000	005
Minuta 0′	0000	000	000	000	000
	9810	937	086	264	004
I Aeq. (arg. a = 9810) . . .	21	Parisiis ☌ mart. 9d 3h 0′ a. m.			
II Aeq. (arg. b = 937) . . .	112	Differ. temp. + 2 11			
III Aeq. (arg. c = 086) . . .	53	Hierosol. ☌ mart. 9d 5h 11′ a. m.			
IV Aeq. (arg. d = 264) . . .	1				
V Aeq. (arg. e = 004) . . .	3				
	A = 0				

XII

Interlunium paschale anni aer. vulg. 35

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 35 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1835	0150	240	849	000	610
Dies 28 martii	9122	121	703	235	160
Horae 3h	0042	005	004	000	005
Minuta 40′	0009	001	001	000	001
	9854	873	157	316	116
I Aeq. (arg. a = 9854) . . .	22	Parisiis ☌ mart. 28d 3h 40′ a. m.			
II Aeq. (arg. b = 873) . . .	53	Differ. temp. + 2 11			
III Aeq. (arg. c = 157) . . .	65	Hierosol. ☌ mart. 28d 5h 51′ a. m.			
IV Aeq. (arg. d = 316) . . .	6				
V Aeq. (arg. e = 116) . . .	0				
	A = 0				

XIII

Interlunium paschale anni aer. vulg. 36 ***B***

Argumenta	a	b	c	d	e
XVIII saecula	0506	494	607	081	339
+ 36 anni	0025	012	993	000	001
An. aer. vulg. 1836 B	3750	487	323	999	024
Dies 16 martii	5397	722	358	205	756
Horae 15^h	0212	023	020	002	023
Minuta 15′	0004	000	000	000	000
	9894	738	301	287	143
I Aeq. (arg. a = 9894)	23				
II Aeq. (arg. b = 738)	11				
III Aeq. (arg. c = 301)	69				
IV Aeq. (arg. d = 287)	3				
V Aeq. (arg. e = 143)	0				
	A = 0				

Parisiis ☌ mart. $16^d\ 3^h\ 15'$ p. m.
Differ. temp. + 2 11
Hierosol. ☌ mart. $16^d\ 5^h\ 26'$ p. m.

XIV

Interlunium paschale anni aer. vulg. 222

Argumenta	a	b	c	d	e
XVI saecula	7568	599	915	075	795
+ 222 anni	0020	010	995	000	001
An. aer. vulg. 1822	2325	928	597	001	130
Dies 30 martii	9800	194	766	241	234
Horae 12^h	0169	018	016	001	018
Minuta 40′	0009	001	001	000	001
	9891	750	290	318	179
I Aeq. (arg. a = 9891)	23				
II Aeq. (arg. b = 750)	10				
III Aeq. (arg. c = 290)	69				
IV Aeq. (arg. d = 318)	6				
V Aeq. (arg. e = 179)	1				
	A = 0				

Parisiis ☌ mart. $30^d\ 0^h\ 40'$ p. m.
Differ. temp. + 41
Romae ☌ mart. $30^d\ 1^h\ 21'$ p. m.

XV

Interlunium paschale anni aer. vulg. 242

Argumenta	a	b	c	d	e
XVI saecula	7568	599	915	075	795
+ 242 anni	0020	009	995	000	001
An. aer. vulg. 1842	6031	038	228	000	576
Dies 19 martii	6075	794	420	211	830
Horae 1h	0014	002	001	000	002
Minuta 24′	0006	001	001	000	001
	9714	443	560	286	205
I Aeq. (arg. a = 9714)	19				
II Aeq. (arg. b = 443)	241	Parisiis ☌ mart. 19d 1h 24′ a. m.			
III Aeq. (arg. c = 560)	22	Differ. temp. + 32			
IV Aeq. (arg. d = 286)	3	Carthagine ☌ mart. 19d 1h 56′ a. m.			
V Aeq. (arg. e = 205)	1				
	A = 0				

XVI

Interlunium mensis ianuarii anni aer. vulg. 382

Argumenta	a	b	c	d	e
XV saecula	6099	151	069	073	022
+ 382 anni	0016	007	996	000	001
An. aer. vulg. 1882	3444	259	490	999	467
Dies 1 ianuarii	0000	000	000	000	000
Horae 7h	0099	011	009	001	011
Minuta 58′	0014	001	001	000	001
	9672	429	565	073	502
I Aeq. (arg. a = 9672)	18				
II Aeq. (arg. b = 429)	255	Parisiis ☌ ianuar. 1d 7h 58′ a. m.			
III Aeq. (arg. c = 565)	21	Differ. temp. + 41			
IV Aeq. (arg. d = 073)	31	Romae ☌ ianuar. 1d 8h 39′ a. m.			
V Aeq. (arg. e = 502)	3				
	A = 0				

ADDITAMENTA

In Libro II

Adnot. LIV. lin 4. — Ipso parabolae argumento inducimur ad credendum fuisse anni tempus quo sementis fit.

Adnot. LXI. lin. 30. — Series atque ordo rerum, tum quae prius tum quae postea usque ad pascha gestae narrantur, atque adeo ipsa procella, quae in hoc loco describitur, suadent credere haec intra hiemem contigisse. Conf. No. LIV [1].

Adnot. LXXVII. post lin. ult. — Christus videtur hoc anno Hierosolymam ad pascha celebrandum non ivisse. Id enim satis aperte Ioannes testatur [2]; sed, ut credam, eo quoque inducor, quod paullo ante dies festos mensis septimi, *qui didrachma accipiebant*, illa a Christo exegere, qui nondum solverat [3]. Atqui solvere mos erat paullo ante pascha [4], hoc est, uno ante mense extra Hierusolymam, viginti diebus in ipsa urbe [5] mensae collocabantur ad easque sedebant qui hanc pecuniam acciperent, ita ut, qui in sua regione non solvisset, id Hierusolymae facere posset. Qui ergo scire illi quiverunt Christum haud solvisse, nisi quia nec ante pascha solvisset, nec Hierosolymae, ubi id faceret, fuisset per dies paschatis? Neque vero est cur miremur huius anni pascha a Christo minime actum. Mittam illud, Christum, ut ut lege teneretur, iure quidem suo uti certe potuisse seque legibus solvere. Hoc potius urgebo: qua lege quis ad paschatis sollemne, eadem ad diem festum mensis septimi agendum Hierosolymam ire iubebatur [6]. Christus tamen, propinquis hortantibus eodem illo ipso anno ut ad hoc alterum sollemne iret, se iturum negavit, tametsi, ut hi profecti illuc fuerunt, et ipse iverit [7]. Quod si quis eum contendat illo quoque anno sicut ceteris Hierosolymam caussa paschatis ivisse, hoc nostrae evangeliorum *συναλλαξει* nihil adferet incommodi; satis enim erit si Io. VII, 1 transferamus post Matth. XIV, 36 et Marc. VI, 56, ita ut pascha inciderit in id tempus, quod fuisset post illa, quae Matthaeus et Marcus, et ante illa quae Ioannes in his locis narrant.

Adnot. LXXXVII fine. — Quod didrachmum Israelitae solverent intra unum mensem ante pascha [8], equidem non satis caussam esse arbitror, cur hanc Matthaei *περικοπην* alio transferre necesse sit. Certe, si adhuc unus mensis supererat ante pascha, eratque illud tempus, quo gens hanc stipem conferebat, urgendi haud fuissent qui nondum contulerant; nec, qui exigebant, circumire soliti, sed sedere ad mensas, adque hos soluturi accedere [9]. Adde quod *το διδραχμον didrachmum* solvendum erat, at, qui Petrum percontabantur, aiebant Christum non solvere *τα διδραχμα didrachma*; non ergo de didrachmo intra illum annum solvendo agebatur tantummodo, sed Christus notabatur ut qui numquam solveret. Ceterum, si lubeat, integrum cuique est hanc *περικοπην* inserere inter NNo. CXIV et CXIX, in his enim leguntur res gestae per id tempus, quod exiit in extremum mensem adar anni p. i. 4742, quo Christus mortem obiit. Lege N. CXIX et *Chronicon vitae Christi*, quod infra est.

Adnot. CX fine. — Haec Lucae *περικοπη* luculentam notam suppeditat definiendis Christi vitae temporibus, simulque huic nostrae evangeliorum *συναλλαξει* comprobandae et confirmandae. Lege Lib. III. Diss. LI. no. 7 [10].

Adnot. CXCI fine. — Verbo *ἐκδυσαντες exuentes* Matthaeus nos docet Christum, ut caedi desiit, suis sibi vestibus denuo fuisse contectum, antequam eum milites spinis redimirent.

---

[1]) Lege *Iahn* Archaeol. bibl. § 23, III. [2]) Io. VII, 1 coll. VI, 4—72. [3]) No. LXXXVII. [4]) *Lightf.* Hor. in Matth. XVII, 23. [5]) Mischna Shekalim c. I. § 3. [6]) Ex. XXIII, 17 coll. 14; XXIV, 23. 24; Deut. XVI, 16. [7]) Io. VII, 2—10. [8]) No. LXXVII. [9]) Mischna Shekalim c. I. § 3. [10]) Infra in his Additamentis.

In Libro III

Diss. VIII. n. 20 fine. — Ex his quoque Verbum aeternum esse, nec a quoquam factum efficitur manifesto. Etenim, quidquid factum est, per Verbum factum est; Verbum igitur est ante omne, quod factum est, non ergo factum. Atqui, quidquid principium habuit, factum est; erat ergo Verbum ante omne, quod principium habuit, proinde aeternum. Cuius autem rei magis proprium principium quam temporis? quippe quod rerum omnium totiusque harum universitatis principia complectatur contineatque. Ergo, quum quidquam, cuius principium tempore contineretur, atque adeo ipsum tempus, nondum essent, Verbum iam erat.

Ib. n. 23. lin. 7. — Dico *tenebras* esse illius luminis defectum, illius, inquam, luminis, de quo Ioannes loquitur, non fidei defectum videlicet, non luminis fidei utcumque illud sit, sed ut est lumen fidei, *quae per charitatem operatur.* Etenim, si τὸ φῶς *lux* fidei lumen simpliciter atque eatenus significaret, quatenus hominum mentibus id adfulget, ἡ σκοτία *tenebrae* autem unum talis luminis defectum, dici non possent *lux in tenebris lucere et tenebrae eam non comprehendisse;* ut enim lux adest, iam lucis defectus non est. Itaque hae tenebrae non fidei, non lumini fidei, sed caritati opponuntur, proinde et lumini fidei *per charitatem* ἐνεργουμένης *operantis*, huiusque defectum significant, non qua lumen est quave lumen fidei, sed qua lumen fidei *per charitatem operantis.* Sed iuvat haec diligentius explicare pleniusque confirmare. Quod τὸ φῶς *lux, lumen* non sit ipsa fides sed lumen fidei, Christus id nos docuit, quum Iudaeis haec loquebatur: *Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant. . . . Dum lucem habetis, credite in lucem* [1]). Iam *lumen* in illorum mentibus *erat*, imo *lucem habebant*, id est, siquidem fides his vocabulis significatur, iam Christo credebant; quid ergo illos Christus agere iubet? quinam huius hortationis sensus? num eos, qui iam fidem haberent, hanc post ipsius Christi mortem amissuros? Illa autem: *Dum lucem habetis, credite in lucem*, tantumdem valerent ac: *Dum fidem habetis, fidem habetote.* Itaque sensus est: Dum fidei lumen vobis adfulget, id agite ut ipsum excipiatis mihique credatis. Sed neque lumen fidei simpliciter nomine τοῦ φωτὸς *lucis* significatur, verum lumen fidei *per charitatem operantis.* Alias haec Iesus loquutus est: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris* [2]). Sequi Christum non idem est ac credere Christo, sed Christum amare amoremque ei re et facto exhibere. Qui id agit, *non ambulat in tenebris;* scilicet lumine fidei perfunditur. Verum lumine fidei *per charitatem operantis;* nisi enim ita esset, ex eo, quod quis illud agat Christumque *sequatur*, haud effici liceret eum hoc lumine perfundi, neque id esset consequens. Neque opponas Christum continuo haec addidisse: *Sed habebit lumen vitae.* Distinguas enim oportet *lumen vitae* ut effectum lumenque fidei *per charitatem operantis* ut caussam; hoc iam habere is, qui Christum sequitur, illud habiturus esse dicitur. Nota illud *non ambulat* tempore praesente, illudque *habebit* tempore futuro. De filio Dei, hoc est de se, Christus haec aiebat: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est. . . . Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera* [3]). In posterioribus verbis enuntiatur id, de quo iudicium faciendum est. E prioribus adparet id non aliud futurum quam fidem Christo habitam aut secus. In posterioribus ergo illa *lux* non alia est quam lumen fidei. Attamen lumen fidei *per charitatem operantis;* nam ratio, cur homines dicuntur dilexisse *magis tenebras quam lucem*, non est quia non crediderunt, sed quia *erant . . . eorum mala opera.* At enim, inquies, sensus est homines ideo Christo credere noluisse, quia amabant male agere. Verum haec lege, quae statim sequuntur: *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem. Qui autem facit veritatem venit ad lucem* [4]), ut unum atque idem sit tum male agere atque odisse lucem, tum bene agere et venire ad lucem. Quod autem ἡ σκοτία *tenebrae* non unum fidei defectum significent, tum ex iis adparet, quae iam proposita sunt, tum ex aliis. Nam, si *tenebrae* non essent aliud quam fidei defectus, illa Christi verba: *Ego lux in mundum veni: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat* [5]), idem sonarent ac *qui credit in me, credat in me.* Idem ipse Ioannes haec scripsit: *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur* [6]). Eos Ioannes adloquitur, qui aeque ac ipse Christo credebant; id enim vel ipsa prima verba manifesto evincunt; non ergo illud *in tenebris ambulare* idem esse potest ac minime Christo credere. Quid denique haec Ioannis effata significant? *Tenebrae transierunt, et verum lumen iam lucet. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum,*

---

1) Io. XII, 35. 36. 2) Io. VIII, 12. 3) Io. III, 18. 19. 4) Io. III, 20. 21. 5) Io. XII, 46. 6) I Io. I, 6.

in lumine manet.... Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est et in tenebris ambulat, et nescit quo eat: quia tenebrae abcaecaverunt oculos eius [1]); nonne haec adfatim sunt, ut nemo dubitare queat nominibus *φωτι luci lumini* et *σκοτιᾳ tenebris* eas in Ioannis evangelio notiones subiectas esse, quas diximus?

Ib. n. 25. lin. 11. — Itaque Ioannes nos docet, quid *lux hominum* sit, non quid *vita*, ut illud sit enuntiationis *subiectum*, hoc *praedicatum*. Etenim in enuntiationibus notio, quae *subiecto* subest, universa exeritur, quatenus, inquam, vocabulorum, quibus illud effertur, vis et significatio pertingit. Quare huius enuntiationis, de qua agimus, si *subiectum* esset *ἡ ζωη vita*, sensus idem foret ac si cuipiam interroganti in universum, quid vita sit, responderem vitae cuiusque formam naturamque non aliam esse quam *lucem hominum*. Num vero vitae quoque naturalis formam? num, quam pecudes vivunt? Contra ea vero enuntiationis nientis *praedicato* non tota vocabuli, quo ipsum effertur, notio subiecta est, sed ea pars dumtaxat, cuius capax *subiectum* enuntiationis est; propterea que, quum dicimus: *lux hominum erat vita*, non quamcumque, sed certam quamdam vitam significamus, nimirum quam animus noster vivit, sensusque est animos hominum hac luce vivere. Si quem tamen tricari iuvaret, is diceret vocabulo *vitae* sensum subesse non universalem, sed definitum iam ac determinatum superiore illa enuntiatione: *In ipsa vita erat*, proinde non ampliorem futurum huius vocabuli sensum, siquidem hoc ipsum vocabulum enuntiationis insequentis subiectum haberetur. Sed tamen, qui hoc opponat, is adtendat oportet, ut in superiore enuntiatione *vita* dicatur esse in Verbo, quumque Verbum sit caussa omnium, quae vivunt, vocabulum *vita* universam vim suam exserere dicendum sit; non ergo definita est ac determinata huius vocabuli significatio, proinde neque potest subiectum esse enuntiationis insequentis. Vocabulum tamen *lux hominum* quatenus significationem suam extendat, videas determinari iis, quae sequuntur, et quibus docemur, quid ea *lux* sit; imo ipso nomine *hominum* determinatur, scilicet eam lucem esse, quae hominum mentibus adfulget.

Ib. n. 29. lin. 16. — Quod adfirmamus, oppositio comprobat eorum, quae sequuntur, et quibus ea, quae Iudaeorum ad id propria fuerunt, ad eos, qui *receperunt eum et credunt in nomine eius* [2]), translata dicuntur, nimirum ut *filii Dei fierent* [3]), idque multo excellentiore modo ac ratione [4]).

Ib. lin. 21. — *His, qui credunt in nomine eius*, hoc est ᴜᴛᴘᴏᴛᴇ *credentibus in nomine eius*.

Ib. n. 34 initio. — Quae de Verbo dixerat, iam auctoritatibus Ioannes confirmat, testesque adhibet primo se [5]), deinde Ioannem Baptistam [6]), tum paucis interpositis [7]) ipsum Verbum [8]).

Ib. n. 40 fine. — Nota generationem *ἐμμενῆ* perquam apte expressam verbis *Unigenitus qui est in sinu patris*. Item nota illa, *filium, genitum, unigenitum, esse in sinu patris*, quatuor notas videlicet, quae Verbi testimonio fidem omnimodis conciliant.

Diss. IX. c. III. n. 5. lin. 9 ita rescribendum. — Inter graeca quoque nomina reperiuntur *Δωροθεος* et *Θεοδωρος*, *Φιλοθεος* et *Θεοφιλος*, *Τιμοθεος* et *Θεοτιμος*, *Ἀριστοδημος* et *Δημαριστος*, *Νικολαος* et *Λαονικος*, *Νικοστρατος* et *Στρατονικος*, aliaque huiusmodi eaque bene multa, tametsi numquam horum alterutro pro lubitu unum atque eumdem hominem vocare mos esset, neque omnino eadem utrique significatio, nam *Δωροθεος* verbi gratia est *donum Deo datum*, *Θεοδωρος donum a Deo datum*, *Φιλοθεος* est *Deum amans*, *Θεοφιλος a Deo amatus*.

Diss. XVI. n. 23. lin. 9. — item in illis psaltae: *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat* [9]).

Diss. XIX. n. 11 fine. — Ceterum triplicem comperimus usurpatam a veteribus Christianis rationem signandi menses nominibus ordinalibus loco nominum propriorum. Harum rationum una, quam *paschalem et lunarem* recte dixeris, communis fuit Orientalibus iuxta atque Occidentalibus, ut annorum lunarium, quos ad diem paschatis constituendum adhibere necesse est, primus mensis ille esset, quo hoc sollemne agi oportebat; adparet vero hanc mensium atque anni rationem non aliam esse quam Iudaeorum. Altera ratio *paschalis et solaris* eorum propria erat, qui in Oriente annum solarem Syromacedonum sequebantur ac primum mensem eum dicebant, quem Syromacedones xanthicum vocabant, quique aprili totus respondet; itaque menses indicantur in *Constitutionibus apostolicis*. Tertia denique *civilis et solaris* illorum Asianorum fuit quibus annus aeque ac ceteris Asianis, plerisque fortasse, die 24 septembris eodemque hoc die primus mensis incipiebat, ille videlicet, cui nomen est dius; ita in *Actis sancti Timothei* inque *Homilia* VIII *de paschate* olim Chrysostomo auctori adtributa.

Ib. n. 41. lin. 3. — Etenim dies 25 decembris respondet *εἰκαδι πεμπτῃ του ἐνατου μηνος vice-*

---

[1]) Ib. II, 8—11. [2]) Io. 1, 12. [3]) Ib. [4]) Ib. 13. [5]) Io. I, 14. [6]) Ib. 15. [7]) Ib. 16. 17. [8]) Ib. 18. [9]) Ps. CXLVI, 4.

simae quiutae noni mensis, dies 6 ianuarii ἑκτῃ του δεκατου μηνος sextae decimi meusis [1]), dies 22 martii δευτερᾳ και εἰκαδι του δωδεκατου μηνος, ὁς ἐστι δυστρος *secundae et vicesimae duodecimi mensis, qui est dystrus* [2]); mensis ergo xautbicus, qui dystrum proxime sequitur et μην πρωτος *mensis primus* [3]) adpellatur, alius uou est quam aprilis, huicque ex toto respondet.

Ib. fine. — Alibi enim haec legimus: *Etenim nunc quoque* δεκατῃ του μηνος γορπιαιου *decima mensis gorpiaei Iudaei congregati Lamentationes Ieremiae legunt* [4]); qui mensis gorpiaeus alius esse neqnit quam mensis lunaris, tales enim Iudaeorum meuses erant.

Ib. n. 56. lin. 3. — Christum antem baptismo tinctum ait fuisse mense innuario [5]).

Ib. lin. 4. — Alibi: *Iuxta simplicem intelligentiam aiunt uno anno Salvatorem in Iudaea evangelium praedicasse, et hoc esse quod dicitur: Praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis; nisi forte quiddam sacramenti in praedicatione anni Domini divinus sermo significat* [6]).

Ib. lin. 6. — *Re vera non fuit patiens Deus; si enim consideras tempora passionis dominicae et ruinae Hierusalem, quando subversa est, videbis quomodo non in patientia abusus sit eis Deus. Audi sis.* Ἀπο πεντεκαιδεκατου ἐτους *A quintodecimo anno Tiberii Caesaris usque ad subversionem templi Dei* τεσσαρακοντα και δυο πεπληρωται ἐτη *quadraginta duo impleti sunt anni* [7]). Cbristum ergo anno qnintodecimo imperii Tiberii obiisse Origenes opinabatnr.

Ib. n. 154 fine. — Sane quidem ingeniose exqnisitisque ratiociniis Usserius haec anno aerae vulg. 672 scripta fnisse demonstravit. Attamen adprime vereor, ut illnd omnes acceptnri sint, quod sub extremum saeculum septimum interqne Graecos in aliqua Orientis regione et usus vetustorum mensinm Asianorum adhuc obtineret, et meuses nou suis vocabulis nominarentur sed numero designarentnr, et dies festns epiphaniae ageretur uouis iannarii, cui diei *dies* XIII *mensis quarti secundum Asianos*, prout Usserins e suis ratiociniis collegit, responderet.

Ib. n. 195 fine. — Imo non est dnbitandnm Suidam aeram constantinopolitanam, qnae ipsius aetate in Oriente inqne Graecia habebatnr praecipua, sequutum esse; proinde annum 6375 exiisse intra dies, qui suut a die decimoseptimo ad diem vicesimum secuudum martii ann. p. i. 5580, aer. vulg. 867. Ex quo compertnm fit Michaelem interemptum fuisse hoc ipso anno aer. vulg. 867 ante diem 23 martii.

Ib. u. 245 in tabuln. — Ubi Origeuis opiuio adfertur, scribendnm est Christum baptismo tiuctum mense iannario.

Diss. XXI. u. 30 fine. — Neqne enim Paulns Orosius, qui Christnm uatum dixit a. d. VII kal. iauuar. [8]), secus sensisse pntandus est, sed vel mendum in eius libros irrepsisse, vel, quum Cbristum noctis medio natum esse ferant, eius ortum diei sive VIII sive VII kal. ianuar. adscribi aeque posse. Ceterum Orosius meutem suam, quantnm satis esset, aperuit iis verbis, qnae coutinno subiunxit. Lege Diss. XIX. n. 106.

Diss. XXXV. n. 1 fine. — Illnd praemonemus, qnod, qnnm quoto qnaeqne die mensis iudaici accidisse dicimns, lunae ratiocinia sequimur, a quibus vulgaris mensium ratio identidem aberrabat, etsi nou ultra nnum vel alternm diem.

Ib. n. 38. lin. 2. — Neqne enim moramur illum nnmnm, qnem bac nota *MΔ* inscriptum Vaillantius [9]) edere non dubitavit, quique argumento esse videretur Herodem Antipam annis XLIV tetrarchiam tenuisse, sed cui fidem omnem Sanclementius abrogavit [10]). Lege etiam, quae suut in fine Tomi I *Antiquitatum ecclesiastiearum* Schelestratae.

Diss. XLIII. n. 89 fine. — In latina qnoque Veteris Testamenti interpretatione nomen *calumnia* verbnmqne *calumniari* in hunc sensnm accepta fnere qnam frequentissime. Lege praesertim I Reg. XII, 3. 4; I Par. XVI, 21 coll. Ps. CIV, 14; Is. LII, 4; Ez. XXII, 29; Os. XII, 7; Mich. II, 2; Mal. III, 5; sed etiam Lev. VI, 2; Ps. LXXI, 4; Prov. XIV, 31; XXII, 16; Is. XXI, 12; XXXIII, 15; Ier. VII, 6; L, 33: Am. IV, 1; Zacb. VII, 10.

---

1) Constit. L. V. c. 13. 2) Ib. c. 17. 3) Ib. c. 14. 4) Ib. c. 20. 5) In Ezech. hom. I. § 4. 6) In Luc. hom. XXXII. 7) In Ier. hom. XIV. § 13. 8) Hist. L. VII. c. 2. 9) Diss. sur l'année de la naiss. de N. S. J. C. dans les Mémoires de l'Acad. T. II. p. 532. Paris 1717. 10) De vulg. aerae emend. L. III. c. 1. pp. 315 seqq.

CHRONICON

Vitae Iesu Christi ad ea, quae de temporibus, quibus quaeque is gessit, in his libris disputavimus, digestum atque exactum. Notae numerorum adscriptae signant capita Libri II quibus quaeque historiae pars continetur.

Anni: periodi iulianae	Anni: aerae vulgaris	Anni: imperii in temp. universum	Anni: imperii in provincias a die neomeniae tisri	Anni: vitae Christi	*Dies mensis vel anni tempus*	*Dies hebdomadae*	**Historia**	*Capita Libri II*
4706		36			kalendis ianuariis	4	Annus XXXVI imperii Augusti incipit.	
					circa medium annum		Stella a Magis primo conspecta.	
					circa mediam aestatem		Ianus tertio clausus ab Augusto, orbis terrarum pace composito.	
					primo autumno		Ioannes Baptista generatur.	II
4707		37			veris initio		Divini Verbi incarnatio. Maria virgo ad Elisabetham proficiscitur.	III. IV
					prima aestate		Ortus Ioannis Baptistae.	IV
							Iosephi haesitatio.	V
					ante mediam decembrem		Iudaeae descriptio incepta.	VI
				1	VIII kal. ianuar.	6	Ortus IESV CHRISTI die sexta mensis Iudaeorum decimi, qui est tebeth.	VI
4708		38			kalendis ianuariis	6	Christus circumcisus.	VI
					IV non. februar.	3	Christus in templo *sistitur Domino.*	VI
							Reditus Nazaretham.	VI
					circa medium februarium		Migratio Bethlehemum.	
					post medium februarium		Magorum adventus.	VII
							Christus in Aegyptum subductus.	VII
					circa initium martii		Caedes puerorum Bethlehemitarum.	VII
					non serius quam media aestate		Antipater Herodis filius Romam proficiscitur.	
					non serius quam adfecta aestate		Cn. Sentio Saturnino legato propraetore Syriae Quintilius Varus succedit.	
4710		40		3	intra IX et V kal. april.		Antipater aliquot ante mensibus reversus interimitur patris iussu, quinta die ante ipsius Herodis obitum.	
					VI kal. april.	3	Interlunium mensis nisanis.	
							Initium anni regni Herodis XXXVII a primo, XXXIV ab altero exordio.	
					intra IV kal. et IV non. april.		Herodes moritur.	VII
							Christus ex Aegypto reducitur.	VII
					ante idus apriles		Christus pervenit in regionem Israelitarum.	VII
					circa medium aprilem		Christus pervenit Nazaretham.	VII. VIII
4714	1	44		7	kalendis ianuariis	7	Initium aerae vulgaris.	
4719	6	49		12	circa medium annum		Archelaus ethnarcha Iudaeae in exsilium pulsus.	
							P. Sulpicius Quirinius in Syriam venit legatus Augusti propraetore. Iudaea provinciae Syriae contribuitur.	
				13	VIII kal. ianuar.	7	Christus duodecim vitae annos implet.	
4720	7	50			medio mense martio		Christus duodecennis vadit Hierosolymam ad sollemnia paschatis agenda.	IX
					XI kal. april.	3	Plenilunium paschatis.	
					III aut prid. kal. april.	4. 5	Parentibus proficiscentibus Christus Hierosolymae manet.	IX
					kalendis aprilib. aut postridie	6. 7	Christus a parentibus in templo repertus.	IX
							Reditus Nazaretham.	IX
4724	11	54	1	17	XVI kal. octobr.	4	Interlunium mensis tisri. Cum civili huius mensis neomenia Iudaeis initium est anni I imperii Tiberii in provincias pari cum Augusto potestate.	

				18	VIII kal. ianuar.	6	Christo duodevicesimus aetatis annus ire incipit.	
4725	12	55			XVII kal. februar.	7	Tiberius Caesar triumphat ex Pannoniis.	
							Non multo post par cum Augusto imperium accipit in provincias.	
4727	14	57	3	20	kalendis ianuariis	2	Annus postremus incipit imperii Augusti.	
	.	1			XIV kal. septembr.	1	Augustus moritur. Tiberius ei succedit.	
4730	17	3	6	23	anno iam inito		Non ante id tempus Iosephus Caiphas pontificatum accepit a Valerio Grato procuratore Iudaeae.	
4737	24	11	14	31	VIII kal. ianuar.	2	Christus triginta implet aetatis annos.	
4738	25				anno iam inito		Non serius quam hoc tempore Iosephus Caiphas pontifex fuit renuntiatus.	
					ante pascha		Pontius Pilatus Valerio Grato succedit in procurationem Iudaeae.	
		12			XIV kal. septembr.	1	Annus XII incipit imperii Tiberii post Augustum.	
			15		IV id. septembr.	2	Interlunium mensis tisri. Cum civili huius mensis neomenia Iudaeis annus XV incipit imperii Tiberii in provincias.	
					intra medium sept. et octobr.		Ioannes Baptista munere suo fungi incipit.	X — XII
					circa initium decembris		Christus baptismo tinguitur a Ioanne, moxque in deserta secedit.	XIII — XVII
				32	VIII kal. ianuar.	3	Christus XXXI aetatis implet annos.	
4739	26				sub medium ianuarium		Christus redit e desertis.	XVIII
							Res gestae inter ieiunium et iter Hierosolymam.	XVIII. XIX
					circa medium martium		Christus Hierosolymam venit sub pascha.	XIX
					XII kal. april.	5	Plenilunium paschale primum post baptismum.	
					a verno ad autumnum		Christus post mansionem Hierosolymae extra hanc in Iudaea commoratur.	XIX. XX
		13			XIV kal. septembr.	2	Annus XIII incipit imperii Tiberii post Augustum.	
			16		III kal. septembr.	6	Interlunium tisri. Cum civili huius mensis neomenia Iudaeis annus XVI incipit imperii Tiberii in provincias.	
					adfecta autumno		Ioannes Baptista in vincula coniectus.	XXI
							Mox Christus in Galilaeam revertitur.	XXII — XXIV
				33	VIII kal. ianuar.	4	Christus XXXII aetatis implet annos.	
4740	27				ante pascha		Res gestae usque ad pascha.	XXV — XL
					V id. april.	4	Plenilunium paschale alterum post baptismum.	
					intra med. ver mediamq. aestat.		Res gestae usque ad mediam aestatem.	XLI — L
		14			XIV kal. septembr.	3	Annus XIV incipit imperii Tiberii post Augustum.	
					adfecta aestate		Ioannes Baptista interemptus.	LI
							Mox Christus *iter faciebat per civitates et castella praedicans.*	LII
					XIV kal. octobr.	5	Interlunium tisri. Cum civili huius mensis neomenia Iudaeis annus XVII incipit Tiberii imperii in provincias.	
					IV non. octobr.	7	Plenilunium scenopegiae. Christus dies festos scenopegiae agit Hierosolymae.	LIII
					reliquo autumno		Christus in Galilaeam reversus.	LIV — LX
				34	VIII kal. ianuar.	5	Christus XXXIII implet aetatis annos.	
4741	28				hieme		Res gestae usque ad ver.	LXI — LXXII
					mense martio		Res gestae paullo ante pascha.	LXXIII — LXXVI
					IV kal. april.	2	Plenilunium paschale tertium post baptismum.	
					verno et priore parte aestatis		Res gestae usque ad mediam aestatem.	LXXVII — LXXXVI
		15			XIV kal. septembr.	5	Annus XV incipit imperii Tiberii post Augustum.	
					VII id. septembr.	3	Interlunium tisri.	
			18		VI id. septembr.	4	Neomenia civilis mensis tisri. Iudaeis annus XVIII incipit imperii Tiberii in provincias.	
							Circa hoc tempus Christus didrachma solvere iubetur.	LXXXVII
					ante medium septembrem		Alia deinde gesta.	LXXXVIII — XC
					sub medium septembrem		Christi iter Hierosolymam ad scenopegiam agendam.	XCI — XCVI
					X kal. octobr.	4	Plenilunium scenopegiae. Christus Hierosolymae agit dies festos scenopegiae.	XCVII
					extremo sept. et ineunte octobr.		Christus ad aliquot dies manet Hierosolymae.	XCVIII — C
					intra prim. oct. et med. nov.		Christus Hierosolymis profectus in Iudaea versatur.	CI — CX
					medio novembre		Christus versus Hierosolymam tendit.	CXI
					prid. kal. decembr.	3	Dies festus encaeniorum. Christus hunc Hierosolymae agit.	CXII
					mense decembre		Mox secedit trans Iordanem. Haud multis post diebus venit in Bethaniam, ibique Lazarum in vitam revocat. Tum secedit Ephraemum, atque ibi commoratur.	CXII. CXIII

				35	VIII kal. ianuar.	7	Christus XXXIV aetatis implet annus.	
4742	29				kalendis ianuariis	7	C. Fufius Geminus L. Rubellius Geminus coss.	
					mense ianuario		Christus in Galilaeam revertitur.	
					reliqua hieme		Res in Galilaea gestae usque ad ver.	CXIV — CXXII
					V non. mart.	5	Interlunium nisanis.	
					IV non. mart.	6	Civilis neomenia mensis nisanis. Circa hos dies Christus e Galilaea profectus iter facit Hierosolymam ad pascha agendum.	CXXIII. CXXIV
					VI id. mart.	5	Adventus Ierichο resque ibi gestae.	CXXV — CXXVII
					V id. mart.	6	Discessus Iericho versus Hierosolymam.	CXXVIII — CXXX
					IV id. mart.	7	Post solis occasum Christus venit Bethaniam ibique pernoctat.	CXXXI
					III id. mart.	1	Christus mane more triumphantis Hierosolymam ingreditur.	CXXXII — CXXXIV
							Vespere redit in Bethaniam ibique pernoctat.	CXXXV
					prid. id. mart.	2	Mane Hierosolymam revertitur.	CXXXV. CXXXVI
							Vespere regreditur in Bethaniam.	CXXXVII
					idibus martiis	3	Mane venit Hierosolymam.	CXXXVII — CXLVI
							Vespere in Bethaniam recedit, quum *biduum* superesset usque ad pascha.	CXLVII — CLV
					XVII kal. april.	4	Concilium a pontificibus habitum de Christo sustollendo. Iudas de proditione paciscitur.	CLV. CLVI
					XVI kal. april.	5	Dies XIV mensis nisanis. Sollemne paschatis quartum post Christi baptismum.	
							Postrema coena.	CLVI — CLXV
							Itus e coenaculo ad Gethsemane.	CLXV — CLXXII
							Christus in horto.	CLXXIII
							Christus captus.	CLXXIV — CLXXVI
					XV kal. april.	6	Dies XV mensis nisanis, prima azymorum.	
							Christus pontificibus sistitur, perque noctis reliquum illuditur.	CLXXVII — CLXXXIII
							Concilium mane a pontificibus habitum.	CLXXXIV
							Christus Pilato traditus.	CLXXXV
							Iudas scelere poenitentiae poenas luit.	CLXXXVI
							Iudicium de Christo agitur.	CLXXXVII — CXCII
							Hora fere tertia Christus damnatur.	CXCIII
							Ducitur ad Golgotham.	CXCIV
							Hora tertia crucifigitur.	CXCV — CC
							Hora sexta *tenebrae factae sunt ... usque in horam nonam.*	CC
							Hora nona Christus moritur.	CCI — CCIII
							Ante solis occasum sepelitur.	CCIV
					XIV kal. april.	7	Res gestae postridie mortis Christi.	CCV. CCVI
					XIII kal. april.	1	Christus redivivus surgit e sepulcro. Compluribus se videndum praebet.	CCVII — CCXIII
					VI kal. april.	1	Christus Thomae et ceteris visus.	CCXIV
					mense aprili		Apostolis in Galilaeam regressis semel atque iterum comparet.	CCXV — CCXVII
					IV kal. mai.	5	Christus ultimo discipulis Hierosolymae comparens eos in Bethaniam educit, coramque ipsis ad caelos adscendit.	CCXVIII

INDEX.

TABULAE.

Quae ubi quaerenda sint, sive e totius operis capitum indice, sive e libri secundi serie atque ordine discere aut coniicere est, ea in has tabulas haud retulimus. Meminisse oportet, qui libri nobis sunt primus et secundus regum, hos Iudaeis esse primum et secundum Samuelis; item discriminis, quod in Psalmis numerandis est inter hebraica bibliorum exemplaria interque graeca et latina.

Litera *a* librum primum, *b* secundum, *c* tertium, latinae numerorum notae maiora librorum segmenta, arabicae minora in his tabulis indicant. In libri tamen tertii dissertationibus IX et XXVII, quaequae notarum arabicarum a ceteris virgula separantur, dissertationum capita, ceterae capitum segmenta designant.

TABULA I.

Loca bibliorum illustrata.

Genesis

I 1	*c* VIII 9. 10
5	*c* XVI 23
II 4	*c* IX 4, 1. XV 3
24	*a* I 61
III 15	*c* XVI 21. 56
XVI 2	*c* IX 2, 34
10	*c* XVI 56
XX 7	*c* XIII 7. 8
XXIV 43	*c* XVI 14
60	*c* XVI 56
XXV 6	*c* XXVII 2, 8
XXXIV 16. 19. 20	*c* XXXIV 7
XXXVI 2. 14. 39	*c* IX 19, 34
XXXVII 11	*c* XXIV, 8
XLVI 7	*c* IX 15, 9
15	*c* IX 10, 3. 15, 9
XLVIII 5	*c* IX 2, 34
XLIX 10	*c* IX 9, 5

Exodus

II 8	*c* XVI 14
III 12 hebr.	*c* XVI 52
IV 19	*c* XXXVI 10
V 20	*c* XIII 7. 8
XII 12. 13	*c* XV 44. 47

Leviticus

XII 2 *seqq.*	*c* XXV 2
6	*c* XXV 5
6. 7. 8	*c* XXV 9
XXV 25	*c* IX 2, 23

Numeri

III 32	*c* XXVIII 36
V 8	*c* IX 2, 23
XXXIV 3 *seqq.*	*c* XLII 15
XXXVI 6 *seqq.*	*c* VI 6 *seqq.*

Deuteronomium

I 39	*c* XVI 26
XXV 5 *seqq.*	*c* IX 2, 6 *seqq.*
6	*c* IX 2, 18

Iosue

V 9	*c* XII 10
X 12. 13	*c* XXVII 4, 9
XIX 34	*c* XLIII 13

Iudices

XIII 5. 7	*c* XXXVII 5

Ruth

III 2 *seqq.*	*c* IX 2, 22 *seqq.*
13	*c* IX 2, 28
IV 3	*c* IX 2, 24. 25
5 *seqq.*	*c* IX 2, 9. 29
7	*c* IX, 2, 13
9. 10	*c* IX 2, 29
21	*c* IX 8, 1 *seqq.*

I Regum

IX 3 *seqq.*	*c* XXXIV 10. 11
X 5	*c* XIII 7. 10
7	*c* XVI 52

TABULA II.

Scriptores illustrati, emendati, notati.

B

C

D

TABULA III

Voces hebraicae et chaldaicae

TABULA IV

Voces graecae

A

B

Γ

Δ

E

H

Θ

I

K

Λ

M

N

O

Π

TABULA V

Res et verba

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

Q

R

S

T

V

LIBRI TERTII EMENDATIONES ET SUPPLEMENTA.

Pag.	Num.	Lin.	
10	3	7	post annum U. C. DCCXLVIII.
14	3	1	at huius
15	3	10	Samuelem Pitiscum [10]). Sed de hoc alias (Diss. XVIII. n. 10).
16	8	2	quibus, utpote Salphaadi
17	10	1	EAM TE ACCIPERE
„	2	1	*μεμνηστευμένην*
„	„	3	inter se ea
18	7	13	הוא שמר
20	6	14	*ὑπόστασιν*
„	„	15	*ὑποστάσει*
21	9	25	*quae multa iam*
22	14	19	*ὑποστάσει*
23	16	9	divinum. Lege Io. XVII, 5.
„	17	4	enunties, ipsum suam
„	„	26	Alexandrinus [13]), Eusebius (De eccl. theolog. L. II. c. 16),
25	19	1	spectans
„	„	3	*confitentes*
„	„	9	in sensum tam
„	„	33	is habebat
26	23	2	III, 19 coll. 18. 20. 21;
„	„	8	in Io. I, 4; III
„	24	7	ADDE Sicubi vero *lux* ipsam fidem significat, est usurpatio caussae pro effectu.
27	25	6	vita videlicet hominum
„	27	2	ut cui simul
„	„	8	*harum, mundi dixit amatorum mundi, mundi dixit impiorum*
„	28	12	IV, 42;
28	29	10	superiorum, nam *οἱ ἴδιοι*, qui *eum non receperunt*, essent homines mali, vel, si omnes omnino homines essent, quid minus verum haec verba exhiberent; etenim,
29	„	1	*pacto veluti*
„	33	17	*ἐσκήνωσεν*
31	37	3	*πληρώματος*
„	„	7	ac sint
„	39	4	vixit, ab alio quoquam vocatus est,
32	„	9	tum denique illud, quod, si secus foret, mera
37	8	16	natus ille
38	11	1	an fratri
38	14	8	conditione apposita
41	31	1	et iure
43	5	4	contemptim
44	8	5	*Cleophas*
„	„	9	*Parmenon*
„	9	7	*Maria*
45	9	23	*Ἀχαζια*

Pag.	Num.	Lin.	
47	1	4	interpretis syri
„	3	4	*Iehosua*
49	5	19	videtur, quod
51	4	14	videtur
60	24	1	obiisse
65	5	11	*Sap.* XII, 4. 5
66	3	22	Ioachin
„	4	2	esse Ioachinum regem
67	1	2	DELE, migrare coegit
68	4	4	Ioachino
69	4	12	ipso Ioakimi filio
72	13	7	iam cederent, his decus quoque illud cessisse omnium
75	5	21	constaret
„	„	23	alterius ex Iechoniae filiis
79	3	7	DELE, quod
80	10	21	Hypomnestici
„	„	28	Galatinus [28]),
83	2	10	nefas est, ipsi
86	16	14	at nusquam
87	20	18	epistola ad
88	24	2	in more
93	42	7	rem definire
„	43	8	operae
94	47	10	propinqui
„	48	9	loco (70 seqq.).
95	49	1	*et seminis*
96	61	5	aetatem, hoc est inter
99	3	8	omnes aut plerique saltem
„	4	3	quoque et Christi
100	6	7	sin vero alius,
101	8	2	a Nathane ductam.
108	13	2	an menses
110	3	12	XXV, 18; XXXI, 8;
110	3	22	2; C, 5;
„	„	42	*αὐτοῦ*
111	1	12	ad eam perlatum
113	14	13	*κωφός,*
113	14	14	*κωφόν,*
114	18	1	DELE sonet
115	1	1	concinentem
116	6	10	*ἐνέργειαν*
117	10	5	Scripturae
119	3	4. 5. 8	*αὐτοῦ*
121	4	1	Verbum *visitare*
„	6	5	Sin autem
123	7	2	*ut postea convenerint*
124	9	8	accepisse (20), quod
„	11	6	in quibus id legitur,
„	„	7	usurpatum
125	11	9	*λαλοῦντος*
127	20	4	*μνηστευθεῖσα*

Pag.	Num.	Lin.	
127	20	15	ita et Chrysostomus, quamquam putaverit Mariam in Iosephi domum iam fuisse deductam
128	22	1	*μη*
131	44	9	XCI
136	4	35	vs. 20
140	13	1	13
„	„	11	fide
141	14	5	פילגשים
142	20	2	estis, sed
145	28	1	videtur, etiam
161	1	9	at in
165	15	17	Zaccaria
167	19	2	vixit, bis, non pluries,
„	„	3	interiectis inter utrumque censum annis
169	25	8	videlicet, ut vulgo creditur, qua
173	6	3	civilis vocatur,
177	13	10	ad primum. Ita quidem Petavius; nos haud multo secus. Finge
179	15	9	intra citimum et serissimum terminum alterius interlunii ab aequinoctio autumno, quod ad illam aetatem putabatur fieri a. d.
„	„	19	ita ut primi anni olympici initium
„	16	2	ante eum diem qui fuit prid.
„	„	18	quo hic primus imperii Diocletiani annus
183	31	7	videlicet, ut vulgo fertur, nomen
184	34	8	aeram vero dionysianam
187	42	34	RESCRIBE *Basilidis etc.* LITERIS OBLIQUIS
189	43	4	Gemino coss.
„	„	32	iam annos triginta implevisset
191	47	14	Lagidarum, mundi 5472
„	„	16	aerae iulianae Antiochenorum
„	„	18	ol. CCI.
191	48	13	ET ALIBI Elagabalus
192	„	15	propositis
„	„	24	4932
„	„	35	p. i. 4683
193	51	5	p. i. 4683
194	„	7	mundi 5472
200	61	8	*VMDCCCXXXIII*
209	74	8	diem XIV kal. sept.
210	75	26	DELE festo
213	82	5	apellaeus, solaris inquam, ultra
215	90	ult	p. i. 4711
216	„	11	4712 (121).
219	97	2	huic anno
220	„	18	oportet, quod incarnationem
„	98	ult.	p. i. 4748
222	101	1	vocant
227	116	15	dies VIII kal. in
228	120	13	DELE POSTREMUM COMMA
228	120	19	*ianuariarum*
229	122	1	CDLXVI
232	132	4	conditione DCCLV
233	133	7	an alius quis per sequiores illas romani imperii aetates sit
234	138	6	mens. III; ast anno aerae vulg. 31 dies 25 martii fuit primus hebdomadae.
237	147	32	sed XII in ipsis kalend.
238	„	21	supputat, sexcentesimus
„	„	22	horum 619
„	„	46	auctor ita
„	„	ult.	*martii*, . . . *in*
239	„	24	*et κδ'* XXIV
240	„	8	DELE incepit
247	150	13	sunt, perperam tamen, anno
„	„	„	DELE ut fieri oportebat
„	151	12	anno XLIII
248	152	4	ex solaribus epactis
250	157	4	Dies VIII kal. april.
251	159	27	si alterum, anno 4716
254	170	17	annorum dies in illius *Chronographia* sint
255	171	6	initium fuit anni mundi 5460
257	177	17	feria V
„	179	5	*quo . . . Karolus*
„	„	10	in a. d. XVI kal.
260	188	8	XXXIII, liquet
262	193	7	*noster. . . . Natus*
„	„	19	in re
263	197	2	feria I
266	202	2	***DCCLII***
„	„	11	*luna* XV, . . . *in anno*
267	208	1	*Flaviniacensis*
268	213	4	Vestmonasteriensis (244)
270	220	9	*est, . . . indictione*
271	224	22	dicendus foret anno p. i. 4713, mortuus anno p. i. 4746
273	234	4	sed, quamquam hoc anno Augustus decesserit, attamen secundum Alberici ratiocinia mendum est
281	4	7	qui paullo
281	4	14	die VIII id. ianuar.
284	15	4	haec sunt: *'Οταν τα θεοφανια ἢ ἡ του σωτηρος κατα σαρκα γεννησις* „Quando theophania *seu*
285	18	6	constantinopolitanam, quippe quae byzantinae successerit, hoc numero
„	19	10	gabalitana
„	„	11	Gabalorum
289	29	14	et annus secundus huius prioris periodi
294	8	36	quam sub initium
295	10	5	annis Hierosolymae loca
296	6	7	itemque

Pag.	Num.	Lin.	
296	6	10	ortum obstetricemqne
297	7	1	Apertissime id affirmavit
299	7	8	dixerat, id uecessario efficiebatur, proinde, quicumque ea legeret, illud per se intelligeret, etsi Lucas in narratione sua non posuisset; imo
307	24	6	*αἰτιωδη;*
310	4	1	deducta a
313	22	6	DELE nou
314	30	3	interdum inveniatur
321	27	16	ipse haud diffitetur musivum
330	22	2	VIII id. iauuar.
333	6	4	*φαινομενον* quam
347	12	17	hanc et posteriorem
349	20	2	confinxere
351	6	20	relata, proinde a quo regionis mentio non quidem fit sed, quam alii fecere, narratur, idque respectu
357	14	14	*πρωτογονων*
361	25	2	eo quod, quum
365	39	6	*πρωτογονων*
369	4	3	negantia in Michaeae vaticinium adscita huius sensum apteut sententiae
371	10	14	ܟܟܟܟܐ
„	„	„	الرعاة
378	13	7	Roma
380	19	3	esset
389	4	16	necesse est (34).
393	17	3	ex eo, quod Iosephus ait Pompeium
402	47	1	acta fuisse
„	„	5	*πενθους*
403	5	5	coegeruntque
405	12	9	servasse aut certe servare voluisse
409	6	2	de Christo duodeceuni

Pag.	Num.	Lin.	
411	18	9	*plenum gratiae*
417	15	1	*et subsequentia*
422	11	5	Herodes
430	9	20	at Auranitis
432	12	7	Secuudus
433	15	5	ast a Damasceue
436	21	7	utque colligimus
„	„	15	DCLXXXIV
437	22	15	quo illud
447	37	12	in angustum
449	41	7	*Israel*, in summa ut doceret
451	51	22	*erat Iohannis*
479	10	16	Ps. XLIV, 7; CIX
504	17	9	quam cur
„	20	7	designat
„	23	1	Enimvero
507	32	2	ADDE ערב פסח *vesperam paschatis* (Mischna Pesachim c. 5. § 1; Mischua Schabbath c. 23. § 1)
509	39	4	ܟܪܘܣܛܐ
511	50	10	futurn, ut Ioseph Karo docet in Orach chaiim *), et videre
517	6	11	siqui unam
519	8	4	haud plenis
524	6	12	mactabant *). Maria
„	„	20	*illo die, pauemi autem erat decimus septimus, iuge sacrificium, ut vocabatur, virorum penuria Deo defuisse*
„	„	30	Gemaristae (*Taanith* fo. 90)
„	„	35	*Φλεγομενους*
528	10	2	quoque, in Asia saltem, ecclesiae,
535	20	12	vernam
„	21	7	annos accidat ut *Pinacis*
„	„	13	non XIV luna sed XV
„	„	14	illa luna XIV Iudaeorum
554		2	sementis fit Conf. No. LXI.

IN TABULIS

Titulus columnarum comprehenditur numero linearum

Pag.	Lin.	Col.	
177	3	5	aeras antioch. et aethiop.
205	ult.	4	diebus aut circiter
221	15	4	Finis annorum regni
„	20	„	aerae vulgaris
241	15	10	Cleop. XXII

Pag.	Lin.	Col.	
242	6	5	RESCRIBE 2
264	1	7	RESCRIBE IV
417	6—8	1	DEPRIMANTUR AD LINEAM INSEQUENTEM
484	7	3	DELE PUNCTUM
497	4	5	DEPRIMATUR AD LINEAM INSEQUENTEM

IN NOTIS

Pag.	Lin.	Not.	
9	3	10	XL, 24. 25
12	2	7	3 — 20
14	3	11	L. XI
15	7	26	Io. XIX

Pag.	Lin.	Not.	
„	9	27	N. T.
17	1	4	De succession. Hebr. c. 17
„	2	6	IV, 12
19	1	4	RESCRIBE L. c.

Pag.	Lin.	Not.	
19	2	7	1 — XV
26	4	14	I Io. V, 11
29	1	4	Io. I, 12; I Io. II, 29; III, 9. 10 coll. 8;
31	3	14	Io. I, 16 — 18
„	„	15	in Io.
34	1	1	23 — 38
35	10	27	§ 3. n. 2
36	1	6	V. T.
39	1	4	XXIV, 4. 15
41	1	2	adnotatis ad
42	4	13	Gen. XXXVIII, 3. 5
49	7	26	XI, 1 — 3
„	8	31	I, 1. 7
51	3	10	RESCRIBE Matth. I, 12
54	4	16	RESCRIBE Ps. XLIV, 14
62	2	7	7; XXXVI, 19;
„	5	8	Ps. CV, 7
64	4	10	et II Par. IX,
65	3	12	L. II. c. 4
„	4	14	Ancor.
69	1	2	VI, 18.
„	2	7	DELE de
71	2	7	5 — 10. Lege cap.
77	1	1	30. 32
„	3	14	*Vence*
„	„	„	de J. C.
80	7	25	T. IX. p.
83	2		La sainte bible *De vence* T. XIX. pp. 187 suiv.
85	1	4	Cap. IV. n. 3
„	5	17	in Luc. l. c.
88	1	3	Diallact.
100	1	4	n. 70
106	6	20	5. Conf. Luc.
109	2	6	Ib. 56.
„	„	8	Diss. 1.
112	3	7	Luc. 1, 23
„	4	13	DELE graeco
113	4	13	Conf.
124	2	7	DELE
126	2	3	*Dathe*
128	1	3	Matth. I, 18
136	1	1	Is. VII
160	2	7	Diss. XXXII. nn. 4. 5.
166	2	5	Marmi
168	2	6	p. 446
170	3	6	Digest. Lib. L.
171	1	1	Antiquit. a L.
„	2	3	a l. c.
191	1	3	Auctar.
201	2	6	cc. 4. 10.
217	2	7	Cur in
232	4	13	hypat.
233	2	5	Auctar.
237	2	6	p. 192.
237	2	7	Ib. p. 194.
247	1	1	1658
248	1	1	c. 30; P. III. c. 6.
253	1	3	Act. VI
263	1	1	Nn. 30.
280	1	1	cc. 13. 14. 17.
282	7	10	III, 38
287	1	3	*Pagi* ib.
298	5	15	III Reg.
303	5	18	Lev. V, 2.
310	9	14	*Cephal.* ap. *Syncell.*
311	2	4	II. cc.
„	6	23	c. 2
„	13	33	Tyan. L. 1.
316	7	17	L. I. c. 12.
„	9	20	*Diod. Sic.* Biblioth. L. II. § 93; *Strab.*
„	14	31	l. c. p. 524.
317	7	21	interrog. 107.
318	8	20	*Plin.* H. N. L. VI. § 34
335	2	5	XXIV, 17
„	„	6	RESCRIBE Luc. 1, 78, de quo lege Diss. XIV. n. 8; Apoc.
341	2	3	Ps. LXXIII, 20;
343	1	4	L. c. p. 27
348	3	8	Can.
„	7	20	p. 782
349	4	7	Serm. V
350	2	9	Iudic. XVII, 7. 9;
357	1	2	XX. c. 10.
361	8	25	Antiq. L. V.
364	10	31	Ios. XXI, 5 — 7;
365	6	15	XXVII,
367	1	1	XXII, 8. 10;
387	1	1	ADDE Lege *Bernard. Thesaurar.* De acquisit. terrae sanctae cc. 86. 89 in *Murator.* Scriptor. rer. italic. T. VII.
398	1	4	XVII.
401	2	6	L. c. c. 1.
411	1	2	XXII, 51.
424	9	20	Vit. § 13.
430	5	9	§ 4
„	10	23	RESCRIBE Diss. XLI. n. 5.
433	1	2	Act. IX
436	2	3	L. X. c. 47
437	4	11	L. LIV
442	5	15	62 coll. 5. 6
„	7	16	coll. 5. 6.
„	9	24	Ib. XV
445	7	23	II Reg.
„	9	35	48
448	7	28	23
451	2	5	§ 6
453	16	39	L. II. § 83
461	2	4	Os. XI, 1.
„	„	9	Ib. 7
462	2	8	III, 27
468	4	11	RESCRIBE Conf. L. I. c. III. n. 33.
473	3	10	Is. XL, 5.
493	1	6	Conf. Io.
499	5	7	Conf. XII, 5 — 7. 8. 9. 11—14
„	11	16	L. VI. c. 9. § 3.
501	2	7	XI, 6. 17.
503	5	13	ADDE *Agelli* Prooem. in Psalm. p. 9.
505	6	15	Matth. ib. 26;
507	7	8	*adde* Sanhedr. fo. 68, 1 in *Ugolini* Thes. T. XXV. col. 759.
„	8	10	Ib. c. 4. §§ 1. 5. 6;
508	4	10	ADDE Ps. XCII titul.
510	1	3	coll. Ex. XXXIV, 15. 16 et Lev.
511	3	5	DELE
515	1	1	cit. L. III. c. 7. not. 6
520	1	2	nn. 23 seqq.
„	5	27	XVI,
531	3	5	c. 25 al. § 59

Cetera, eaque quamplurima, sed quae quisque per se ipse queat emendare, typothetae opus longinque ab auctore facienti lectores boni facilesque condonabunt.